



TERTIVS TOMVS

MARCI TVLLII CICERONIS EPI
STOLARVM LIBROS
CONTINET,
EX PERVETVSTIS EXEMPLARIBVS
accuratissime post omnes, quæ hactenus edi-
tæ sunt, excusiones, recognitarum.
Quorum elenchum sequenti
reperies pagina.







VENETIIS EX OFFICINA LVCÆ
ANTONII IVNTÆ ANNO
M. D. XXXVI.

TERTIVS HIC TOMVS CONTINET
M.TVLLII EPISTOLARVM

Libros. XV.ad diuersos missarum: inter quos unus est.M.Cœlij ad Ciceronem, quos omnes recentiores nouo & parum illis apto nomine familiares appellarunt.
Librum. I.ad. M.Brutum.
Libros. III.ad Q.Ciceronem fratrem.
Libros. XVI.ad T.Pomponium Atticum.
Librum unum Cornelij Nepotis de uita T.Pomponij Attici.

PETRVS VICTORIVS NICOLAO ARDINGHELLO S.D.



X multis epistolarum voluminib. à Cicerone confectis (nemo.n.nec plures, nec elegantiores scripsit) non parua pars longi tpis iniuria amissa est: quod dãnum etsi grauiter molesteq; pati debemus, cum nullum sit scriptorum genus, quod magis in cotidiano vsu versetur, æquiore tñ animo ferendum erat, si eæ ipsæ, quæ remanserunt, integræ, ac mendis purgatæ essent, & non omnib. partib. corruptæ, ac laceræ: haberemus.n.omnis epistolarũ generis exempla pulcherrima ac perfectissima: quibus propositis, ac studiosè animaduersis possemus omnem rem, quæ incidisset, copiosè & ornatè explicatã literis mandare, ijsq; certiores facere absentes: nũc verò cum mendosæ & diminutæ admodũ sint, quæ circũferuntur, ac veneunt, fit vt non ita cupidè, & cum voluptate legantur: cum.n. crebrò lectoris animus in aliquem locum offendit, qui sua obscuritate & corruptione impetum eius frangat, & tanquã in salebris herere faciat, adeo languescit, & corruit, vt penitus cursum, in quo ante alacriter ferebatur, remittat, ac deserat, & sic omne studij illius iter interrumpitur, vt vix vllus ex ea lectione fructus percipiatur. Huius autem mali diuersæ causæ extiterũt, longam quidem diem, quæ multa literarum monimenta sustulit, non paucas ẽt his, quæ in vita remanserunt, tenebras obfudisse facile concedimus: sed aliud quoq; non minorem tam grauis incommodi culpam sustinere existimamus: quod & ipsum, quia notũ iam omnibus, & exploratum, pluribus verbis persequi necesse nõ est: quis.n.nescit quæ fuerit multorũ superioribus temporibus in corrigendis antiquis auctoribus licentia? vtq; dum labes quasdam delere vellent, sæpius grauiores maculas inuexerint? & aliorũ etiã sinistrum deterrimũq; consiliũ, qui cum interpretum munere fungerentur, quęcunq; non intelligerent, soliti sunt ĩmutare & peruertere, ne aliquid nescisse viderentur, opinionemq; hoĩum de suo ingenio atq; eruditione amitterent, non parua certè hi quoq; detrimẽta intulerunt: sed hæc iam pridem rõ explosa & dãnata est: nam multi ingeniosi & diserti viri videntes hoc malum cotidie magis fundi ac dilatari, nõ amplius sibi cessandum rati se his fortiter pro cõi studiosorũ omniũ vtilitate opposuerunt: auctoritateq; & studio suo tantam audaciã temeritatemq; refrenauerunt, maculas quibus illi optimos quosq; latinæ linguæ auctores turpiter fœdauerant, delentes, nec nõ fuliginem eam, qua ipsos quoq; dies asperserat (non.n.cum vno tñ hoste his certamen fuit) suis ingenijs abstergentes, hi magna cura & diligentia veteres libros inquirendo, sine quorum ope nihil ferè huic rei vtilitatis adferri potest, egregiam operã in hoc negotio nauauerunt: horũ semper à me studium laudatum & celebratum est: tñ.n. beneficium ab his acceptum fuisse iudico, vt si illorum opera cessasset, eò processura fuerit imperitorũ audacia, vt oẽs bonos pœniteret: nec mihi satis fuit ipsorum studium industriamq; laudare, verum etiã quãtum in me fuit, ad meum vsum eos imitari volui, q̃toq; doctrina & ingenio inferior essem, tantum labore & diligentia parẽ illis operam præstare conatus sum: ferè.n. semper quæcũq; maiore studio legi, morem habui cũ vetustis exemplaribus cõferre, nec me unquam huius meæ operæ pœnituit: cũq; olim antiquos codices M. Tullij epistolarum diu multũq; à me perquisitos nactus essem, quod in alijs facere cõsueuerã, in his maiore auiditate adgressus sum: hi.n. præcipuè libri inter alia Ciceronis opera ꝓpter multorũ locorum obscuritatem, & quia vndiq; malè habiti erant, singulari quadã diligentia mihi indigere videbantur. nec fefellit vetustas eorum librorũ spem, quã de ipsorũ probitate animo conceperã, plurima.n. in illis offendi longè à vulgatis codicibus diuersa, multaq; q̃ sine vlla vllius opera statim se probarent, nõ pauca, quæ adhibita cura, & diligentia restitui posse cõfiderẽ: quæ sæpius animo reuoluens, cunctosq; auctores quos mihi aliquam opem ad ea illustranda adferre posse suspicatus essem, diligẽter percurrens, operam dabam, vt ea ne iacerent, fereq; nunq̃ librum meum in manus sumebã, quin illum aliqua parte (vt mihi q̃dem videbar) meliorem facerem, atq; huius mei laboris fructum putabam voluptatem, quã aĩo capiebam, cum aliquem locũ restituissem, quos oẽs amicis aperiebam, quibus cum fide ac beneuolentia singularibus semper mea oĩa libenter cõmunico: illi aũt cum meum hoc studium & si parum clarũ aut nobile, mihi tñ vtile, ceteris nõ ingratũ fore prædicarent, me ipsum ad hanc rem mea sponte incitatum vehementius adhuc suis verbis inflãmabant: & tñ eundem finem mihi primo ꝓpositum firmiter animo retinebam, vt si qua vtilitas ex hac mea sedulitate parari posset, ea cum amicis familiaribusq; meis fruerer, non q̃ si vlla ex ingenio studioq; meo cõmoditas capi posset, alijs inuiderẽ, sed ne mea in hac re egregia voluntas mihi arrogantiæ tribueretur: cum res in hoc statu esset, ecce tibi Florentini hi nostri librorũ impressores, qui aliquid de mea hac diligentia audissent, petere cœperunt, vt sibi libri mei copiam facerem, velle se cuncta M. Tullij opera amplè magnificeq; excudere. Ego verò qui nihil tale vnquam aĩo cogitassem mirari primo, postea obstinatissimè pernegare: sed illi tandem & p̃cibus suis, et cõmunium amicorum intercessionibus inuitum coegerunt me meos hos qualescũq; essent labores, sibi polliceri: qui vtinam tam ceteris vtiles iucundiq; sint, q̃ mihi molesti importu

niq; fuere:oportere.n.duxi,postq̃ onus hoc mihi imponi passus eram,me non nihil operæ, tẽporisq; rursus in hac re consumere:ad eosdem igitur antiquos libros redij,easdemq; res,vt potui in alijs nunc literis occupatus iterũ recognoui,quod tñ magno meo incõmodo fastidioq; factũ est, magnoq; meliorũ studiorum damno:Tãto autem desiderio flagraui,vt nostra hæc opera in bonam partem accipiatur,eadẽq; animi sinceritate,qua à me suscepta est,iudicetur, vt vbi penitus omni diligentia & industria adhibita rectã lectionẽ indagare me posse desperauerim, adductus sim ingenuè confiteri,omnibusq; nostrã locorũ illorum ignorationem notam facere, acrioreq; ingenio & maiore eruditione p̃ditis ea suppeditare auxilia,quibus facile possinr labes has tãquã grauem aduersarium cõficere:nec.n.imitari volui Homericũ Achillem,qui cũ Hectorem pterrefactum,fugaq; sibi salutem quærentem cõspexisset,nutu capitis Gręcis oĩbus interdicebat,ne in eũ tela conijcerent,veritus,ne quis forte illo vulnerato summã sibi inde gloriã acquireret,ipse aũt posterior,req; iam transacta veniret,tãta erat in eo auiditas glorię,tantaq; eam sibi laudẽ arripiendi cupiditate ferebatur,vt perpetuũ & infestissimũ sibi hostem nollet ab alio lædi,aut tangi. Nostrũ consiliũ longè diuersum fuit,vt.n.citius prosternatur,cõem hostẽ cunctis mõstrauimus, pro viribusq; fracto prius illo & penè profligato aliorũ ẽt opem cõuocauimus, oĩbusq; in eum animũ auximus,eaq; arma dedimus,quibus ipsi penitus vita eripiatur,volui.n.omni rõne, qua potui,aliorũ etiã ingenia,qui hoc studiorũ genere delectantur,allicere & iuuare,vt nos cito habeamus hęc nobilissima Ciceronis monimenta si nõ integra & perfecta(re vera enim qui diligẽter attenderit,videbit multis eẽ locis adeo corrupta, & quasi decurtata,vt sine meliorũ librorum copia nullo modo resarciri possint)saltem huiuscemodi,vt sublatis mẽdis,reiectisq; quorundam ineptijs,libenter legi & intelligi possint.Quam aũt vix sperare debeamus meliores adhuc libros inueniri posse,conijcere licet, ꝙ cum multos annos summo ardore tot veteribus tota Europa bibliothecis excussis certatũ sit magna laude ingentibusq; pręmijs propositis his,q aliquid sua diligentia è tenebris eruissent,parum tamen lucri factũ est:Spero equidem,confidoq; fore,vt hi loci, quos ego vt ambiguos incertosq; reliqui (nam multos planè desperatos ea,qua hodie loca mutila & hiantia indicare moris est,nota signaui)citò sint cura diligentiaq; studiosorũ emendati in lucẽ prodituri:nos etiã,quantũ fieri poterit,totos parui ingenij nostri neruos intendemus,si forte qđ adhuc nõ contigit cõmodiore tpe sedatioreq; aĩo præstare possimus:nunq̃.n.labore deterriti hãc curam deseremus,magna.n.spe teneor his vestigijs posse in veram lectionem perueniri,cũ sæpe parua admodum peruersio sit quæ tantam caliginem offundit,vt cũ postea in veram incideris lectionem,mireris,indignerisq; tam paruum in antiqua scriptura erratum tantum tibi negotij facessisse:vt aũt suo arbitrio sententias aliquas,quę superioribus dictis quadrarent,interponere nullum negotium foret,sed audax,temerariumq; consiliũ,sic hæc vestigia persequendo,parumq; ab his declinando veram lectionẽ reperiri posse confidere debemus,nec eam vllo pacto cõtemnere,quę è veteribus libris,quorum ex alijs partibus fidem & integritatẽ cognitã habemus,magna alicuius industria eruta sit. Quũ aũt hoc negotiũ plenũ omnium suspicionum fuerit, multisq; de causis me suspensum sæpe incertumq; tenuerit in vna tantũ re nulla mihi dubitatio exorta est, ꝙ quũ cogitarem sub cuius potissimũ nomine & tutela vellem hoc epistolarũ volumen exire,tu solus occurristi Ardinghelle humanissime,quẽ ego sine scelere præterire vix possem,& quẽ libẽter putarem horũ meorum laborũ patrocinium suscepturũ,tot.n.sunt egregia tua erga me merita,vt cum referendæ gratiæ par nullo modo esse possim,debeã saltem nisi ingratus haberi velim, quacunq; rõne possum optimã meam voluntatem tibi ceterisq;,qui tuorũ in me beneficiorũ cõscij sunt,ostendere:nã quin tu vnus præcipuè possis magno illis præsidio esse,si quis in eos conetĩ inuadere,neminem dubitaturũ credo,nisi qui te cognitũ non habuerit:sed qui nescit mirificã tuã omniũ ingenuarũ artium eruditionem,summũ ingenium,acerrimũq; iudiciũ,quãtoq; studio & ardore animi soleas negotia & famam amicorũ tueri:nõ dico hoc temere,de quo loquar video: Cum omni semper culpa vacare conatus sim,nihil vnquã magis caui q̃ in assentatoris vitium delabi,nullamq; infamiã tantopere reformidaui:Quare nisi ita esse planè scirem, non adeo stultus essem, vt vellẽ hoc quasi publico testimonio mendacij nulla necessitate coargui,sed nihil est qđ minus in tuis laudibus persequẽdis vereri debeam,quum sciã oĩum nostrorũ ciuium de tuis præstantibus virtutib.consensum,qui cũ de te iam puero ex certissimis quibusdam signis cuncta sibi ingentia proposuissent,in ea spe cotidie magis perspecta vitæ tuæ ratione confirmantur. Cũ plurimis igitur de causis hoc volumen ad te pertinuerit,ob hoc tibi potissimum à me mitti debuit,ꝙ cum in multis rebus opera & consilio tuo vsus sim,in hoc negotio studiũ & iudiciũ tuum fidele mihi,& vtile expertus sum.Accipe igitur verè tuũ hunc librũ & tibi maximè debitũ, meq; quod semper valde fecisti,ama ac tuere.

M. TVLLII CICERONIS LIBER EPISTOLARVM AD P. LENTVLVM PROCOS.

M. CICERO S. D. P. LENTVLO PROCOS.



GO OMNI officio,ac potius pietate erga te,cæteris satisfacio omnibus,mihi ipse nunquã satisfacio. tanta enim est magnitudo tuorum erga me meritorũ,ut quoniam tu, nisi perfecta re,de me non conquiesti: ego,quia non idem in tua causa efficio,uitã mihi esse acerbã putem.in causa hæc sunt: Hammonius Regis Legatus aperte pecunia nos oppugnat.res agitur per eosdem creditores,per quos,cum tu aderas,agebatur. Regis causa si qui sunt qui uelint,qui pauci sunt,omnes rem ad Pompeium deferri uolunt.Senatus religionis calumniam,non religione,sed maleuolentia,& illius regiæ largitionis inuidia comprobat.Pompeium & hortari, & orare,& iam liberius accusare,& monere,ut magnam infamiam fugiat, non desistimus.sed planè nec precibus nostris,nec admonitionibus relinquit locum.Nam cum in sermone cotidiano,tum in Senatu palàm sic egit causam tuam,ut neq; eloquentia maiore quisquam,nec grauitate,nec studio,nec contentione agere potuerit,cum summa testificatione tuorum in se officiorũ, & amoris erga te sui. Marcellinũ tibi esse iratum scis. Is,hac regia causa excepta, cæteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit.quod dat,accipimus:quod instituit referre de religione,& sępe iam retulit:ab eo deduci non potest. res ante Idus acta sic est.nam hæc Idibus mane scripsi.Hortensij, & mea,& Luculli sententia cedit religioni de exercitu(teneri enim res aliter nõ potest)sed ex illo S.C.quod te referente factum est:tibi decernit,ut Regem deducas,quod commodo Reip.facere possis, ut exercitum religio tollat: te authorem Senatus retineat.Crassus treis legatos decernit,nec excludit Pompeium.censet enim etiã ex ijs,qui cum imperio sunt. Bibulus treis legatos ex ijs qui priuati sunt.huic assentiuntur reliqui Consulares, pręter Seruiliũ,qui omnino reduci negat oportere:& Volcaciũ,qui Lupo referente, Pompeio decernit:& Afranium, qui assentitur Volcacio.quæ res auget suspitionem Pompeij uoluntatis.nam aduertebatur Pompeij familiareis assentire Volcacio.laboratur uehementer.inclinata res est. Libonis & Hypsei non obscura concursatio & contentio,omniumq; Pompeij familiariũ studium, in eam opinionem rem adduxerunt:ut Pompeius cupere uideatur.cui qui nolunt: ijdem tibi,quòd eum ornasti,non sunt amici. nos in causa authoritatẽ eò minorem habemus,quòd tibi debemus.gratiã autem nostram extinguit hominum suspicio,quòd Pompeio se gratificari putant.ut in rebus multo ante,q̃ profectus es,ab ipso Rege,& ab intimis ac domesticis Pompeij clàm exulceratis,deinde palàm à Consularibus exagitatis,& in summam inuidiam adductis,ita uersamur.nostrã fidẽ,omnesq; amorẽ tui absentis,præsentes tui cognoscent. si esset in ijs fides,in quibus summa esse debebat,non laboraremus.

M. CICERO S.D. P. LENTVLO PROCOS.



D. Ianu. in Senatu nihil est confectum, propterea quòd dies magna ex parte consumptus est altercatione Lentuli Consulis, & Caninij Trib. pleb. eo die nos quoq; multa uerba fecimus: maximeq; uisi sumus Senatum commemoratione tuæ uoluntatis erga illum ordinem commouere. itaque postridie placuit, ut breuiter sententias diceremus. uidebatur enim reconciliata nobis uoluntas esse Senatus: quod cũ dicendo, tum singulis appellandis rogandisq; perspexeram. itaq; cum sententia prima Bibuli pronunciata esset: ut tres legati regem reducerent: secunda Hortensij, ut tu sine exercitu reduceres: tertia Volcacij, ut Pompeius reduceret: postulatum est, ut Bibuli sententia diuideretur. Quatenus de religione dicebat, cuiq; rei iam obsisti non poterat, Bibulo assensum est. de tribus legatis frequentes ierunt in alia omnia. proxima erat Hortensij sententia, cui Lupus Trib. pl. quòd ipse de Pompeio retulisset, intendere cœpit, ante se oportere discessionem facere, quàm Consulares. eius orationi uehementer ab omnibus reclamatum est. erat enim & iniqua, & noua. Consules neque concedebant, neq; ualde repugnabant. diem consumi uolebant: id quod est factum. perspiciebant enim in Hortensij sententiam multis partibus plureis ituros: quamquam aperte Volcacio assentirentur. multi rogabantur, atque id ipsum Consulibus inuitis. nam ij Bibuli sententiam ualere cupierunt. hæc controuersia usque ad noctem ducta, Senatus dimissus, & ego eo die casu apud Pompeium cenaui: nactusq; tempus hoc magis idoneum, quàm unquam antea, quòd post tuum discessum, is dies honestissimus nobis fuerat in Senatu: ita sum cum illo locutus: ut mihi uiderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam traducere. quem ego ipsum cum audio, prorsus eum libero omni suspitione cupiditatis: cum autem eius familiareis omnium ordinũ uideo, perspicio id quod iam omnibus est apertum, totam rem istam iampridem à certis hominibus non inuito Rege ipso, consiliarijsq; eius esse corruptam. Hæc scripsi ad XVI Kal. Feb. ante lucem. Eo die Senatus erat futurus. nos in Senatu quemadmodum spero, dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia & iniquitate, retinebimus. Quod ad popularem rationem attinet, hoc uidemur esse consecuti, ut nequid agi cum populo aut saluis auspicijs, aut saluis legibus, aut denique sine ui possit. de his rebus pridie, quàm hæc scripsi, Senatus authoritas grauissima intercessit: cui cum Cato & Caninius intercessissent, tamen est perscripta. eam ad te missam esse arbitror. De cæteris rebus quicquid erit actum, scribam ad te: & ut quàm rectissime agantur omnia, mea cura, opera, diligentia, gratia prouidebo.

M. CICERO S.D. P. LENTVLO PROCOS.



Vlo Trebonio, qui in tua prouincia magna negotia, & ampla, & expedita habet: multos annos utor ualde familiariter. is cũ antea semper & suo splendore, & nostra cęterorumq; amicorum commendatione gratissimus in prouincia fuit: tũ hoc tempore propter tuum in me amorem nostramq; necessitudinẽ uehementer confidit his meis literis se apud te gratiosum fore. quę ne spes eũ fallat, uehementer rogo

te:

te:commendoq; tibi eius omnia negotia,libertos,procuratores, familiam.in primisq;, ut quæ T. Ampius de eius re decreuit, ea comprobes: omnibusq; rebus eū ita tractes,ut intelligat meam commendationē non uulgarē fuisse.

M. CICERO S.D.P. LENTVLO PROCONS.



D XVI Kal.Feb. cum in Senatu pulcherrime staremus, quòd iam illam sententiam Bibuli de tribus legatis pridie eius diei fregeramus: unumq; certamē esset relictum, sententia Volcacij: res ab aduersarijs nostris extracta est uarijs calumnijs. causam enim frequenti Senatu non magna uarietate, magnaq; inuidia eorum qui à te causam regiam aliò transferebant, obtinebamus. eo die acerbum habuimus Curionem: Bibulum multo iustiorem, penè etiam amicū. Caninius & Cato negarunt se legē ullam ante comitia esse laturos. Senatus haberi ante Kal. Feb. per legem Pupiam, id quod scis, non potest: neque mense Feb. toto, nisi perfectis, aut reiectis legationibus. Hęc tamen opinio est Populi Romani, à tuis inuidis atq; obtrectatoribus nomen inductū fictæ religionis: non tam ut te impediret, quàm ut nequis propter exercitus cupiditatem Alexandriam ire uellet. dignitatis autem tuæ nemo est, quin existimet habitam esse rationem ab Senatu. nemo est enim, qui nesciat, quo minus discessio fieret, per aduersarios tuos esse factum. qui nunc populi nomine, re autē uera sceleratissimo latrocinio, si quæ conabuntur agere: satis prouisum est, ut nequid saluis auspicijs, aut legibus, aut etiam sine ui agere possint. ego neq; de meo studio, neq; de nonnullorū iniuria scribendū mihi esse arbitror. quid enim aut me ostentem, qui si uitam pro tua dignitate profundam: nullam partem uidear meritorum tuorum assecutus? aut de aliorū iniurijs querar? quod sine summo dolore facere non possum. ego tibi à ui hac presertim imbecillitate magistratuum, præstare nihil possum: ut excepta, possum confirmare te, & Senatus, & Po. Ro. summo studio, amplitudinem tuam retenturum.

M. CICERO S.D.P. LENTVLO PROCOS.



Ametsi mihi nihil fuit optatius, quàm ut primum abs teipso, deinde à cæteris omnibus, quàm gratissimus erga te esse cognoscerer: tamen afficior summo dolore, eiusmodi tempora post tuam profectionem consecuta esse, ut & meam & cæterorum erga te fidem & beneuolentiam absens experirere. Te uidere & sentire eandem fidem esse hominum in tua dignitate, quam ego in mea salute sum expertus, ex tuis literis intellexi. nos cum maxime consilio, studio, labore, gratia, de causa regia niteremur: subito exorta est nefaria Catonis promulgatio, quæ nostra studia impediret, & animos à minore cura ad summum timorem traduceret. Sed tamen in eiusmodi perturbatione rerum quamquam omnia sunt metuenda, nihil magis quàm perfidiam timemus: & Catoni quidem, (quoquomodo sese res habet) profecto resistimus. De Alexandrina re, causaq; regia tantum habeo polliceri, me tibi absenti, tuisq; præsentibus cumulate satisfacturū. sed uereor, ne aut eripiatur causa regia nobis, aut deferatur: quorum utrum minus uelim, nō facile possum existimare. sed si res coget, est quiddam tertium, quod neq; Selicio, nec mihi displicebat: ut neque iacere regem pateremur. nec nobis repugnantibus ad eum deferri:

ad quem propè iam delatũ existimatur. A nobis agentur omnia diligenter: ut neque si quid obtineri poterit, non contendamus: nec, si quid non obtinuerimus, repulsi esse uideamur. tuæ sapientiæ magnitudinisq; animi est omnem amplitudinem & dignitatem tuam in uirtute, atque in rebus gestis tuis, atq; in tua grauitate positam existimare. si quid ex ijs rebus, quas tibi fortuna largita est, nonnullorum hominum perfidia detraxerit: id maiori illis fraudi quàm tibi futurũ. A me nullum tempus prętermittitur de tuis rebus & agendi & cogitandi: utor ad omnia Q. Selicio, neque enim prudentiorem quenquam ex tuis, neque fide maiorem esse iudico, neq; amantiorem tui. hic quæ agantur, quæq; acta sint, ea te & literis multorum & nuncijs cognosse arbitror: quæ autem posita sunt in coniectura, quæq; uidentur fore, ea puto tibi à me scribi oportere. posteaquam Pompeius, & apud Populum ad VIII Id. Febr. cum pro Milone diceret: clamore, conuicioq; iactatus est, in Senatuq; à Catone aspere & acerbe nimium magno silentio est accusatus: uisus est mihi uehementer esse perturbatus. itaq; Alexãdrina causa, quæ nobis adhuc integra est (nihil enim tibi detraxit Senatus, nisi id, quod per eandem religionem dari alteri non potest) uidetur ab illo planè esse deposita. nunc id speramus, idq; molimur, ut Rex, cũ intelligat sese quod cogitabat, ut à Pompeio reducatur, assequi non posse: & nisi per te sit restitutus, desertum se atq; abiectum fore, proficiscatur ad te. quod sine ulla dubitatione, (si Pompeius paulum modo ostenderit sibi placere) faciet. sed nosti hominis tarditatem & taciturnitatem. nos tamen nihil, quod ad eam rem pertineat, prætermittimus. cæteris iniurijs quæ præpositę sunt à Catone, facile ut spero, resistemus. amicum ex Consularibus neminem tibi esse uideo, præter Hortensium & Lucullum: cæteri sunt partim obscurius iniqui, partim non dissimulanter irati. tu fac animo forti magnoq; sis: speresq; fore, ut fracto impetu leuissimi hominis, tuam pristinam dignitatem & gloriam consequare.

M. CICERO S. D. P. LENTVLO PROCOS.



Væ gerantur accipies ex Pollione, qui omnibus negocijs non interfuit solum, sed præfuit. me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime scilicet consolatur spes, quòd ualde suspicor fore, ut infringatur hominũ improbitas & consilijs tuorum amicorum, & ipsa die quæ debilitat cogitationes & inimicorum & proditorũ. facile secundo loco me consolatur recordatio meorum temporum: quorum imaginem uideo in rebus tuis. nam etsi minore in re uiolatur tua dignitas, quàm mea afflicta est: tamen est tanta similitudo, ut sperem te mihi ignoscere, si ea non timuerim, quę ne tu quidem unquã timenda duxisti. sed præsta te eum, qui mihi à teneris (ut Græci dicunt) unguiculis es cognitus. Illustrabit (mihi crede) tuam amplitudinem hominum iniuria. à me omnia summa in te studia officiaq; expecta, non fallam opinionem tuam.

M. CICERO S. D. P. LENTVLO PROCOS.



Egi tuas literas, quibus ad me scribis gratum tibi esse, quòd crebro certior per me fias de omnibus rebus, & meam erga te beneuolentiam facile perspicias: quorum alterum mihi ut te plurimũ diligam, facere necesse est: si uolo is esse quem tu me esse uoluisti:

alterum

alterum facio libenter, ut quoniam interuallo locorum & temporum diiuncti sumus, per literas tecũ q̃ sæpissime colloquar. Quod si rarius fiet, q̃ tu expectabis, id erit causæ, q non eius generis meæ literæ sunt, ut eas audeã temere cõmittere. Quoties mihi certorum hominum potestas erit, quibus recte dẽ, non prætermittam. Quod scire uis qua fide quisq; in te sit & uoluntate, difficile dictu est de singulis. Vnum illud audeo, quod antea tibi sæpe significaui, nunc quoq; re perspecta & cognita scribere: uehementer quosdã homines, & eos maxime, qui te & maxime debuerunt, & plurimum iuuare potuerunt, inuidisse dignitati tuæ: simillimamq; in re dissimili, tui temporis nunc, & nostri quondam fuisse rationem: ut quos tu reipub. causa læseras, palàm te oppugnarent: quorum auctoritatem, dignitatem, uolũtatemq; defenderas, non tam memores eẽnt uirtutis tuæ, q̃ laudis inimici. Quo quidẽ tpe, ut pscripsi ad te antea, cognoui Hortensium percupidum tui, studiosum Lucullũ, ex magistratibus autem L. Racilium & fide & animo singulari. Nam nostra propugnatio ac defensio dignitatis tuæ propter magnitudinem beneficij tui fortasse plerisq; officij maiorem auctoritatem habere uideatur, q̃ sententię. Præterea quidem de Consularibus nemini possum aut studij erga te, aut officij, aut amici animi esse testis. Etenim Pompeium, qui mecum sæpissime non solum à me prouocatus, sed etiam sua sponte de te cõmunicare solet, scis temporibus illis non sæpe in Senatu fuisse. Cui quidem literæ tuę, quas proxime miseras, quod facile intellexerim, periucundæ fuerũt. Mihi quidem humanitas tua, uel summa potius sapientia non iucunda solum, sed etiam admirabilis uisa est. Virum enim excellẽtem, & tibi tua præstanti in eum liberalitate deuinctum, non nihil suspicantem propter aliquorum opinionem suę cupiditatis te ab se abalienatũ, illa epistola retinuisti. Qui mihi cum semper tuæ laudi fauere uisus est, etiam ipso suspiciosissimo tempore Caniniano: tum uero lectis tuis literis perspectus ẽ à me toto animo de te, ac de tuis ornamentis & cõmodis cogitare. Quare ea, quę scribã, sic habeto, me cũ illo re sępe cõicata, de illius ad te snĩa atq; auctoritate scribere. Quoniã S.C. nullũ extat, quo reductio Regis Alexandrini tibi adempta sit: eaq;, quę de ea scripta est auctoritas, cui scis intercessum esse, ut nequis oĩno Regẽ reduceret, tãtã uim habet, ut magis iratorũ hoĩum studium, q̃ constantis Senatus consiliũ esse uideatur: te pspicere posse, qui Ciliciã Cyprumq; teneas, quid efficere & quid cõsequi possis: et si res facultatem habitura uideať, ut Alexandriam atq; Aegyptũ tenere possis, esse & tuę & nr̃i ipĩj dignitatis, Ptolemaide, aut aliquo ppinquo loco Rege collocato, te cũ classe atq; exercitu pficisci Alexandriã, ut eã cũ pace p̃sidiisq; firmaris, Ptolemeus redeat in regnũ: ita fore, ut et per te restituať, quẽadmodũ Senatus initio cẽsuit: et sine multitudine reducatur, quẽadmodũ hoĩes religiosi Sibyllę placere dixerũt. Sed hęc snĩa sic & illi & nobis pbabať, ut ex euentu hoĩes de tuo cõsilio existimaturos uideremus: si cecidisset ut uolumus ut optamus, oẽs te & sapienter & fortiter: si aliquid esset offensum, eosdẽ illos & cupide et temere fecisse dicturos. Quare qd asseq possis, nõ tã facile ẽ nobis q̃ tibi, cuius ppè in cõspectu Aegyptus est, iudicari. Nos qdẽ hoc sentimus, si exploratũ tibi sit, posse illius regni potiri, nõ eẽ cũctãdũ: si dubiũ, sit

non esse conandum. Illud tibi affirmo, si rem istam ex sententia gesseris, fore ut absens à multis, cum redieris, ab omnibus collaudere. offensionem esse periculosam ꝓpter interpositam auctoritatem religionemq́ꝫ uideo. Sed ut ego te ad certam laudem adhortor, sic à dimicatiōe deterreo: redeoq́ꝫ ad illud, qđ initio scripsi, totius facti tui iudicium non tam ex consilio tuo, q̄ ex euentu homines esse facturos. Quod si hæc ratio rei gerendæ periculosa tibi esse uidebitur, placebat illud, ut si Rex amicis tuis, qui per prouinciam atq; impiū tuū pecunias ei credidissent, fidē suam præstitisset, & auxilijs eū tuis & copijs adiuuares. eam eē naturam & regionem prouinciæ tuæ, ut illius reditum uel adiuuando confirmares, uel negligendo impedires: In hac ratione quid res, qđ causa, quid tempus ferat, tu facillime optimeq́ꝫ perspicies: quid nobis placuisset, ex me potissimū putaui te scire oportere. Quod mihi de nr̄o statu, de Milonis familiaritate, de leuitate, & ībecillitate Clodij gratularis, minime miramur te tuis, ut egregium artificem, præclaris operibus lætari: quanquam est incredibilis hominum peruersitas (grauiori enim uerbo uti non libet) q nos quos fouendo in cōmuni causa retinere potuerunt, inuidendo abalienarunt: quorū maleuolentissimis obtrectationibus nos scito de uetere illa nostra diuturnaq́ꝫ sententia propè iam esse depulsos: non nos quidem ut nostræ dignitatis simus obliti, sed ut habeamus rationem aliquādo etiam salutis. Poterat utrunq; pręclare, si esset fides, si grauitas in hominibus Consularibus. sed tanta est in plerisq; leuitas, ut eos non tam constantia in republica nostra delectet, q̄ splendor offendat. Quod eo liberius ad te scribo, qui non solum tēporibus ijs, quæ per te sum adeptus, sed iam olim nascenti propè nostræ laudi, dignitatiq; *, simulq; q uideo, non, ut antehac putabā, nouitati esse inuisum meæ. in te enim homine omnium nobilissimo similia inuidorum uitia perspexi: quem tamen illi esse in principibus facile sunt passi, euolare altius certe noluerūt. Gaudeo tuam dissimilem fuisse fortunam. multum enim interest, utrū laus imminuatur, an salus deseratur. Me meæ tamen ne nimis pœniteret, tua uirtute perfectum est. Curasti enim, ut plus additum ad memoriam nominis nostri, q̄ demptum de fortuna uideretur. Te uero moneo cum beneficijs tuis, tum amore incitatus meo, ut omnem gloriam, ad quam à pueritia inflammatus fuisti, omni cura atq; industria consequare: magnitudinemq́ꝫ animi tui, quam ego semper sum admiratus, semperq́ꝫ amaui, ne unquā inflectas cuiusquam iniuria. Magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria Consulatus tui. Hęc profecto uides quāto expressiora, quantoq́ꝫ illustriora futura sint, cum aliquantum ex prouincia atque ex imperio laudis accesserit. Quāquam ita te gerere uolo, quæ per exercitum atque imperium gerenda sunt, ut hæc multo ante meditere, huc te pares, hæc cogites, ad hæc te exerceas: sentiasq́ꝫ id, quod quia semper sperasti, nō dubito quin adeptus, intelligas te facillime posse obtinere summum atq; altissimū gradū ciuitatis. Quæ quidē mea cohortatio ne tibi inanis aut sine cā suscepta uideaẗ, illa me rō mouet, ut te ex nostris euentis cōibus admonedū putarem, ut cōsiderares in oī reliqua uita, qbus crederes, quos caueres. Qđ scribis te uelle scire, qui sit reipub. status; summa dissensio ē, sed cōtētio dispar. nā

qui plus

qui plus opibus,armis,potentia ualent,perfecisse tantũ mihi uidentur stulti-
tia & incõstantia aduersariorum,ut etiam auctoritate iam plus ualerẽt. Itaq;
perpaucis aduersantibus,omnia,quę ne per populum quidem sine seditiõe se
assequi arbitrabantur,per Senatum cõsecuti sunt. nam & stipendium Cæsa-
ri decretum est, & decem Legati: & ne lege Sempronia succederetur, facile
pfectũ est. Quod eó ad te breuius scribo,quia me status hic reip. nõ delectat:
scribo tamẽ,ut te admoneã,quod ipse literis omnibus à pueritia deditus, ex-
periendo tamen magis, q̃ discendo cognoui, tu tuis rebus integris discas,
neq; salutis nostræ rationem habendam nobis esse sine dignitate,neq; digni-
tatis sine salute. Quod mihi de filia,& de Crassipede gratularis,agnosco hu-
manitatem tuam: speroq; & opto nobis hanc coniunctionem uoluptati fore.
Lẽtulum eximia spe summæ uirtutis adolescentem, cum ceteris artibus,qui-
bus studuisti semp ipse,tum in primis imitatione tui fac erudias. nulla enim
erit hac præstantior disciplina,quem nos & quia tuus,& quia te dignus est fi-
lius,& quia nos diligit sempq; dilexit,in primis amamus charumq; hẽmus.

M. CICERO. S. D. PVBLIO LENTVLO PROCOS.


E Omnibus rebus quæ ad te pertinẽt,quid actũ,qd cõstitutũ sit,
qd Põpeius susceperit,optime ex Emplatorio cognosces: qui nõ
solũ interfuit his rebus,sed ẽt prǫfuit: neq; ullũ officiũ erga te hoĩs
amãtissimi,prudẽtissimi,diligẽtissimi ṗtermisit. Ex eodẽ de toto
statu rerũ cõmuniũ cognosces: quę quales sint,non facile est scribere. sunt qui-
dem certe in amicorũ nostrorum potestate: atque ita,ut nullã mutationẽ unq̃
hac hoĩum ætate habitura res esse uideaẽ. Ego qdẽ,ut debeo, & ut tute mihi
ṗcepisti,et ut me pietas utilitasq; cogit,me ad eius rõnes adiũgo, quẽ tu ĩ me-
is rõnibus tibi esse adiũgendum putasti. Sed te non præterit q̃ sit difficile sen-
sum in republica,presertim rectum & confirmatum deponere. Verũtamẽ ip-
se me confirmo ad eius uoluntatem,à quo honeste dissentire nõ possum: neq;
id facio (ut forsitan quibusdam uidear) simulatione: tantum enim animi ĩdu-
ctio,& me hercule amor erga Pompeium apud me ualet,ut quę illi utilia sũt,
& quę ille uult,ea mihi omnia iam & recta & uera uideantur. Neque (ut ego
arbitror) errarent,ne aduersarij quidem eius,si cum pares esse non possent,
pugnare desisterent. Me quidem etiam illa res consolatur, q; ego is sum, cui
uel maxime concedant omnes,ut uel ea defendam,quæ Põpeius uelit, uel ta-
ceam,uel etiam id quod mihi maxime libet,ad nostra studia me referam lite-
rarum. quod profecto faciam,si mihi per eiusdem amicitiam licebit. Quæ.n.
proposita fuerant nobis,cum & honoribus amplissimis,& laboribus maxi-
mis perfuncti essemus,dignitas in sententijs dicendis,libertas in repub. capes-
senda: ea sublata tota,sed nec mihi magis q̃ omnibus: nam aut assentiendum
est nulla cum grauitate paucis,aut frustra dissentiẽdum. Hæc ego ad te ob eã
causam maximé scribo,ut iam de tua quoque ratione meditere. Cõmutata to-
ta ratio est Senatus,iudiciorum,rei totius publicæ: otium nobis exoptandũ
est,q; ij qui potiuntur rerum,præstaturi uidentur,siquidem homines patien-
tius eorũ potẽtiam ferre potuerint. Dignitatem quidẽ illam consularẽ fortis
& constantis Senatoris,nihil est,quod cogitemus,amissa culpa est eorũ, qui

ū Senatu & ordinem coniunctissimum, & hominem clarissimum abalienarunt. Sed ut ad ea, quæ coniunctiora rebus tuis sunt reuertar, Pompeium tibi ualde amicum esse cognoui: & eo tu Consule (quantum ego perspicio) omnia quæ uoles, obtinebis: quibus in rebus me sibi ille affixum habebit: necꝗ à me ulla res, quæ ad te pertineat, negligetur. neque enim uerebor, ne sim ei molestus, cui iucundum erit etiam propter idipsum, quod me esse gratum uidebit. Tu uelim tibi ita persuadeas, nullā rē esse minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non charior sit, quàm meæ res omnes. Idꝗ cum sentiam, sedulitate mihimet ipse satisfacere possum: re quidem ipsa ideo mihi non satisfacio, quod nullam partem tuorum meritorum non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possum. Rem te ualde bene gessisse rumor erat. Expectabantur literæ tuæ, de quibus eramus Iam cum Pompeio locuti. quæ si erunt allatæ, nostrum studium extabit in conueniendis magistratibus & Senatoribus. Ceteraꝗ quæ ad te pertinebunt, cum etiam plus cōtenderimus quàm possumus, minus tamē faciemus quàm debemus.

M. CICERO S.D. LENTVLO IMP.



ERIVCVNDAE mihi fuerunt literæ tuæ, ꝗbus intellexi te perspicere meam in te pietatem: quid enim dicam beneuolentiam, cum illud ipsum & grauissimum & sanctissimum nomen pietatis, leuius mihi meritis erga me tuis esse uideatur? Quod autem tibi grata mea erga te studia scribis esse, facis tu quidem abundantia quadam amoris, ut etiam grata sint ea, quæ pretermitti sine nefario scelere non possunt. Tibi autem multo notior atque illustrior meus in te animus esset, si hoc tempore omni, quo diiuncti fuimus, & unà, & Romæ fuissemus. Nam in eo ipso, quod te ostendis esse facturum, quodꝗ & in primis potes, & ego à te uehementer expecto: in sententijs senatorijs, & in omni actione atque administratione reip. floruissemus. De qua ostendam equidem paulo post, qui sit meus sensus & status: & rescribam tibi ad ea, quæ quæris. sed certe & ego te authore amicissimo ac sapientissimo, & tu me consiliario fortasse non imperitissimo, fideli quidem & beneuolo certe, usus esses. quāquam tua quidem causa te esse Imperatorem, prouinciamꝗ bene gestis rebus cum exercitu uictore obtinere, ut debeo, lætor. sed certe qui tibi ex me fructus debentur, eos uberiores & præsentiores præsens capere potuisses. In eis uerò ulciscendis, quos tibi partim inimicos esse intelligis propter tuam propugnationem salutis meæ, partim inuidere propter illius actionis amplitudinem & gloriam: mirificum me tibi comitem præbuissem. Quāq̄ ille perennis inimicus amicorum suorum, qui tuis maximis beneficijs ornatus in te potissimum fractam illam & debilitatam uim suam contulit, nostram uicem ultus est ipse sese. ea est enim conatus, quibus patefactis nullam sibi in posterum nō modo dignitatis, sed ne libertatis quidē partem reliquit. Te autem, etsi mallem in meis rebus expertum quàm etiā in tuis, tamen in molestia gaudeo eam fidem cognosse hominum non ita magna

mercede

mercede,quam ego maximo dolore cognorã.De qua ratione tota iam uidetur mihi exponendi tempus dari,ut tibi rescribã ad ea,quæ quæris. Certiorẽ te per literas scribis esse factum,me cum Cæsare & cum Appio esse in gratia, teq; id non reprehendere adscribis. Vatinium autẽ scire te uelle ostendis,quibus rebus adductus defenderim & laudarim. Quod tibi ut planius exponã, altius paulo rationem consiliorum meorũ repetam,necesse est.Ego me Lentule initio rerum atq; actionum tuarum,non solum meis,sed etiã reip.restitutum putabã:& quoniam tibi incredibilẽ quendam amorẽ,& omnia in teipsum summa ac singularia studia deberem reip.quæ te in me restituendo multum adiuuisset,eum certe me animum merito ipsius debere arbitrabar,quem antea tantummodo communi officio ciuiũ,non aliquo erga me singulari beneficio debitum præstitissem.Hac me mente fuisse & Senatus ex me te Consule audiuit,& tu in nostris sermonibus,collocutionibusq; ipse uidisti: etsi iam primis temporibus illis,multis rebus meus offendebatur animus,cum te agente de reliqua nostra dignitate,aut occulta nonnullorũ odia, aut obscura in me studia cernebã.Nam neq; de monimentis meis ab ijs adiutus es, à quibus debuisti:neq; de ui nefaria,qua cũ fratre eram domo expulsus:neq; hercule in ijs ipsis rebus,quæ quamquã erant mihi propter rei familiaris naufragia necessariæ,tamen à me minimi putabantur,in meis damnis ex authoritate Senatus sarciendis,eam uoluntatẽ, quam expectaram,præstiterunt. Quæ cum uiderem,neque erant obscura, non tamen tam acerba mihi hæc accidebant,quàm erant illa grata quæ fecerant. Itaq; quamquam & Pompeio plurimum,te quidem ipso prædicatore ac teste debebã, & eum non solũ beneficio,sed amore etiam,& perpetuo quodã iudicio meo diligebam : tamen non reputans quid ille uellet, in omnibus meis sententijs de rep.pristinis permanebam.Ego sedente Cn.Pompeio cum ut laudaret P. Sestium introijsset in urbem,dixissetq; testis Vatinius me fortuna,& felicitate C.Cæsaris commotũ illi amicum esse cœpisse:dixi me eã Bibuli fortunam,quã ille afflictam putaret,omniũ triumphis uictorijsq; anteferre:dixiq; eodẽ teste alio loco,eosdẽ esse,qui Bibulum exire domo prohibuissent,& qui me coegissent. Tota uerò interrogatio mea nihil habuit,nisi reprehensionem illius Tribunatus : in quo omnia dicta sunt libertate,animoq; maximo,de ui,de auspicijs,de donatione regnorum.Neq; uerò hac in causa modo,sed constanter sæpe in Senatu:quinctiam Marcellino & Philippo COSS.Non. Apr.mihi est Senatus assensus,ut de agro Campano frequenti Senatu Id.Ma.referretur.Num potui magis in arcem illius causæ inuadere? aut magis obliuisci temporũ meorum? meminisse actionum? Hac à me sententia dicta,magnus animorũ motus est factus,cum eorum quorũ oportuit,tum illorum etiã, quorum nunquã putarẽ.Nam hoc S.C.in meã sententiã facto,Pompeius cũ mihi nihil ostendisset se esse offensum,in Sardiniã,& in Africam profectus est,eoq; itinere Lucã ad Cęsarem uenit.ibi multa de mea sententia questus est Cęsar:quippe qui etiã Rauennę Crassum antè uidisset,ab eoq; in me esset ĩcensus.Sanè moleste Pompeiũ id ferre constabat.quod ego cũ audissem ex alijs, maxime ex meo fratre cognoui.quem cum in Sardinia Pompeius paucis post diebus,q̃ Luca discesserat,conuenisset,Te inquit ipsum cupio.nihil opportunius potuit accidere.nisi cum M.fratre diligenter egeris, dependendũ tibi est, quod

mihi pro illo spopondisti. Quid multa? questus est grauiter. sua merita commemorauit. quid egisset sępissime de actis Cæsaris cũ ipso meo fratre, quidq; sibi is de me recæpisset, in memoriã redegit: seq;, quæ de mea salute egisset, uoluntate Cæsaris egisse, ipsum meũ fratrem testatus est: cuius causam dignitatemq; mihi ut commendaret, rogauit, ut eam ne oppugnarẽ, si nollem, aut nõ possem tueri. Hęc cum ad me frater pertulisset, & cũ tamen Pompeius ad me cũ mandatis Vibullium misisset, ut integrum mihi de causa Campana ad suũ reditum reseruarem: collegi ipse me, & cum ipsa quasi repub. collocutus sum, ut mihi tam multa pro se perpesso atque perfuncto concederet, ut officium meum, memoremq; in bene meritos animum, fidemq; fratris mei præstarẽ: eumq;, quem bonum ciuem semper habuisset, bonũ uirum esse pateretur. In illis autem meis actionibus sententijsq; omnibus, quæ Pompeium uidebantur offendere, certorum hominum, quos iam debes suspicari, sermones referebantur ad me: qui cum illa sentirent in rep. quæ ego agebam, semperq; sensissent, me tamen non satisfacere Pompeio, Cæsaremq; inimicissimum mihi futurum gaudere se aiebant. Erat hoc mihi dolendum, sed multo illud magis, quòd inimicum meum (meum autem? immo uero legum, iudiciorũ, otij, patriæ, bonorum omniũ) sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fouebant, sic me præsente osculabantur: non illi quidem ut mihi stomachum facerent, quem ego funditus perdidi, sed certe ut facere se arbitrarentur. Hic ego quantum humano consilio efficere potui, circunspectis rebus meis omnibus, rationibusq; subductis, summã feci cogitationũ mearum omnium: quam tibi, si potero, breuiter exponam. Ego si ab improbis & perditis ciuibus remp. teneri uiderem, sicut & meis temporibus scimus, & nonnullis alijs accidisse: non modo non præmijs (quæ apud me minimũ ualent) sed ne periculis quidem compulsus ullis (quibus tamen mouentur etiam fortissimi uiri) ad eorum causam me adiungerem, ne si summa quidem eorum in me merita constarent. Cum autẽ in rep. Cn. Pompeius princeps esset, uir is, qui hanc potentiam & gloriam maximis in rempub. meritis, præstantissimisq; rebus gestis esset consecutus: cuiusq; ego dignitatis ab adolescentia fautor, in Prætura autem & in Consulatu adiutor etiam extitissem: cumq; idem authoritate, & sententia per se, consilijs & studijs tecum me adiuuisset, meumq; inimicũ unum in ciuitate haberet inimicum: non putaui famam inconstantiæ mihi pertimescendam, si quibusdã in sententijs paulum me immutassem, meamq; uoluntatem ad summi uiri, de meq; optime meriti dignitatẽ aggregassem. In hac sententia complectendus erat mihi Cæsar, ut uides, in coniuncta & causa & dignitate. Hic multum ualuit cum uetus amicitia, quam tu non ignoras mihi & Q. fratri cum Cęsare fuisse: tum humanitas eius ac liberalitas, breui tempore & literis & officijs perspecta nobis & cognita. Vehementer etiã res ipsa publica me mouit, quæ mihi uidebatur contentionẽ, presertim maximis rebus à Cæsare gestis, cũ illis uiris nolle fieri: & ne fieret, uehementer recusare. Grauissime autem me in hac mente impulit & Pompeij fides, quam de me Cæsari dederat: & fratris mei. quam Pompeio. Erant præterea hæc animaduertenda in ciuitate, quæ sunt apud Platonem nostrum scripta diuinitus. Quales in republica principes essent, taleis reliquos solere esse ciueis. Tenebam memoria nobis Consulibus ea fundamenta iacta ex Kal. Ian. confirmandi

Senatus

Senatus, ut neminem mirari oporteret Non. Dec. tantum uel animi fuisse in illo ordine, uel authoritatis. Idemq́ meminerã nobis priuatis usq́ ad Cæsarem & Bibulum Coss. cum sententiæ nostræ magnum in Senatu pondus haberent, unum ferè sensum fuisse bonorum omnium. Postea cum tu Hispaniã citeriorem cum imperio obtineres, neq́ resp. Consules haberet, sed mercatores prouinciarũ, & seditionum seruos ac ministros, iecit quidam casus caput meum quasi certaminis causa in mediam contentionẽ dissensionemq́ ciuilẽ. quo in discrimine, cum mirifica Senatus, incredibilis Italiæ totius, singularis omnium bonorũ consensus in me tuendo extitisset, non dicam quid acciderit (multorum est enim, & uaria culpa) tantum dicã breui, non mihi exercitum, sed duces defuisse. in quo ut iam sit in ĳs culpa, qui me non defenderunt, non minor est in ĳs, qui reliquerunt. & si accusandi sunt, si qui pertimuerunt, magis etiã reprehendendi si qui se timere simularunt. Illud quidem certe nostrũ consilium iure laudandũ est, quòd meos ciueis, & à me conseruatos, & me seruare cupienteis, spoliatos ducibus, seruis armatis obĳci noluerim: declarariq́ maluerim, quanta uis esse potuisset in consensu bonorum, si his pro me stante pugnare licuisset, cum afflictum excitare potuissent. Quorum quidem animum tu non perspexisti solum, cum de me ageres, sed etiam confirmasti atq́ tenuisti. Qua in causa, non modo non negabo, sed etiam semper & meminero, & prædicabo libenter: usus es quibusdã nobilissimis hominibus, fortioribus in me restituendo, quàm fuerant ĳdẽ in tenendo. qua in sententia si constare uoluissent, suam authoritatẽ simul cum salute mea recuperassent. Recreatis enim bonis uiris Consulatu tuo, & constantissimis atq́ optimis actionibus tuis excitatis, Cn. Pompeio presertim ad causam adiuncto, cum etiã Cæsar rebus maximis gestis, singularibus ornatus & nouis honoribus ac iudicĳs Senatus, ad authoritatem eius ordinis adiungeretur, nulli improbo ciui locus ad remp. uiolandam esse potuisset. Sed attende quæso, quæ sint consecuta. primũ illa furia muliebrium religionũ. qui non pluris fecerat Bonã deam, quàm treis sorores, impunitatẽ est, illorum sententĳs assecutus: qui cũ Trib. pl. pœnas à seditioso ciui per bonos uiros iudicio persequi uellet, exemplum præclarissimũ in posterum uindicandę seditionis de rep. sustulerunt. ĳdemq́ postea non meum monimentũ (non enim illæ manubiæ meæ, sed operis locatio mea fuerat) monimentũ uerò Senatus, hostili nomine, & cruentis inustũ literis esse passi sunt. Qui me homines quòd saluum esse uoluerunt, est mihi gratissimum: sed uellem non solum salutis meę, quemadmodũ medici, sed, ut aliptæ etiam uirium, & coloris rationem habere uoluissent. Nunc ut Apelles Veneris caput & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquã partem corporis inchoatam reliquit: sic quidam homines in capite meo solum elaborarunt, reliquum corpus imperfectum ac rude reliquerunt. In quo ego spem fefelli non modo inuidorum, sed etiam inimicorum meorum: qui de uno acerrimo & fortissimo uiro, meoq́ iudicio omnium magnitudine animi & constantia præstantissimo Q. Metello L. F. quondam falsam opinionem accæperunt, quem post reditum dictitant fracto animo & demisso fuisse. Est uerò probandum: qui & summa uoluntate cesserit, & egregia animi alacritate abfuerit, neque sanè redire curaret, eum ob id ipsum fractum fuisse, in quo cum omnes homines, tum M. illum Scaurum

ſingularem uirum conſtantia & grauitate ſuperaſſet. Sed quod de illo accæperant, aut etiã ſuſpicabantur, de me idem cogitabant, abiectiore animo me futurum, cum reſp. maiorem etiam mihi animum, quàm unquam habuiſſem, daret: quum declaraſſet ſe non potuiſſe me uno ciui carere: cumq; Q. Metellum unius Trib. pl. rogatio, me uniuerſa reſp. duce Senatu, comitante Italia, promulgantibus omnibus, referente Conſule, comitijs centuriatis, cunctis ordinibus, hominibus incumbentibus, omnibus deniq; ſuis uiribus recuperauiſſet. Neque uero ego mihi poſtea quicquam aſſumpſi, neque hodie aſſumo, quod quenquam maleuolentiſſimum iure poſſit offendere: tantum enitor, ut neque amicis neque etiam alienioribus, opera, conſilio, labore deſim. Hic meæ uitæ curſus offendit eos fortaſſe, qui ſplendorem & ſpeciem huius uitæ intuentur, ſolicitudinem autem & laborem perſpicere non poſſunt. Illud uero non obſcure queruntur in meis ſententijs, quibus ornem Cæſarem, quaſi deſciſcerim priſtina cauſa. Ego autem cum illa ſequor, quæ paulo antè propoſui, tum hoc non in poſtremis, de quo cœperam exponere. Non offendes eundem bonorum ſenſum Lentule, quẽ reliquiſti: qui confirmatus Conſulatu noſtro, nonnunquam poſtea interruptus, afflictus ante te Conſulem, recreatus abs te, totus eſt nunc ab ijs, à quibus tuendus fuerat, derelictus. Idq; non ſolum fronte atq; uultu, quibus ſimulatio facillime ſuſtinetur, declarant ij qui tum noſtro illo ſtatu optimates nominabantur, ſed etiã ſenſu ſæpe iam tabellaq; docuerunt. Itaque tota iam ſapientium ciuium, qualem me & eſſe & numerari uolo, & ſententia & uoluntas mutata eſſe debet. Id enim iubet idem ille Plato, quem ego uehementer authorem ſequor, Tantũ contendere in rep. quantũ probare tuis ciuibus poſſis: uim neq; parenti nec patriæ afferre oportere. Atq; hanc quidem ille cauſam ſibi ait nõ attingendæ reipublicę fuiſſe, quòd cum offendiſſet Po. Athenienſem propè iam deſipientem ſenectute, cumq; eum nec perſuadendo nec cogendo regi poſſe uidiſſet, cum perſuaderi poſſe diffideret, cogi fas eſſe non arbitraretur. Mea ratio fuit alia, quòd neque deſipiente populo, nec integra re mihi ad conſulendum capeſſerémne rempub. implicatus tenebar. Sed lætatus tamen ſum, quòd mihi liceret in eadem cauſa & mihi utilia, & cuiuis bono recta defendere. Huc acceſſit commemoranda quædam & diuina Cæſaris in me fratremq; meum liberalitas: qui mihi quaſcunq; res gereret, tuendus eſſet. Nunc in tanta felicitate, tantisq; uictorijs etiam ſi in nos non is eſſet, qui eſt, tamen ornandus uideretur. Sic enim te exiſtimare uelim, cum à uobis meæ ſalutis authoribus diſceſſerim, neminem eſſe, cuius officijs me tam eſſe deuinctum non ſolum confitear, ſed etiam gaudeam. Quod quoniam tibi expoſui, facilia ſunt ea, quæ à me de Vatinio & de Craſſo requiris. Nam de Appio quod ſcribis, ſicuti de Cæſare, te non reprehendere, gaudeo tibi conſilium probari meum. De Vatinio autem, primum reditus interceſſerat in gratiam per Pompeium, ſtatim ut ille Prætor eſt factus, cum quidem ego eius petitionem grauiſſimis in Senatu ſententijs oppugnaſſem, neque tam illius lædendi cauſa, quàm defendendi atque ornandi Catonis. Poſt autem Cæſaris, ut illum defenderem, mira contentio eſt conſecuta. cur autem laudarim, peto à te, ut id à me néue in hoc reo, néue in alijs requiras, ne tibi ego idem reponam cum ueneris, tametſi poſſum uel abſenti. Recordare enim quibus laudationem ex

ultimis

ultimis terris miseris. Nec hoc pertimueris. nam à meipso laudantur & laudabuntur ijdem. Sed tamen defendendi Vatinij fuit etiam ille stimulus, de quo in iudicio, quum illum defenderem, dixi me facere quiddã, quod in Eunucho parasitus suaderet militi.

Vbi nominabit Phædriam: tu, Pamphilam
Continuo. si quando illa dicet, Phædriam
Intromittamus commissatum: tu, Pamphilam
Cantatum prouocemus. si laudabit hæc
Illius formam: tu huius contrà, denique
Par pari referto, quod eam mordeat.

Sic petiui à iudicibus, ut quoniam quidam nobiles homines, & de me optime meriti nimis amarent inimicum meum, meq; inspectante sæpe eum in Senatu modo seuere seducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur: quoniamq; illi haberent suum Publium, darent mihi ipsi alium Publiũ, in quo possem illorum animos mediocriter lacessitus leuiter repungere. neq; solum dixi, sed etiam sæpe facio, Dijs hominibusq; approbantibus. Habes de Vatinio: cognosce de Crasso. Ego cum mihi cum illo magna iam gratia esset, quòd eius omneis grauissimas iniurias communis concordiæ causa, uoluntaria quadam obliuione contriueram, eius repentinam defensionem Gabinij, quem proximis superioribus diebus acerrimè oppugnasset, tamen si sine ulla mea contumelia suscæpisset, tulissem. sed cum me disputantem, non lacessentem læsisset, exarsi non solum præsenti, credo, iracundia (nam ea tam uehemens fortasse non fuisset) sed cum inclusum illud odium multarum eius in me iniuriarum, quod ego effudisse me omne arbitrabar, residuum tamen insciente me fuisset, omne repente apparuit. quo quidem tempore ipso quidam homines, & ijdem illi quos sæpe nutu significationeq; appello, cum se maximum fructum cæpisse dicerent ex libertate mea, meq; tum denique sibi esse uisum reip. qualis fuissem, restitutũ: cumq; ea contentio mihi magnũ etiam foris fructum tulisset, gaudere se dicebant mihi & illum inimicum, & eos qui in eadem causa essent, nunquam amicos futuros. quorum iniqui sermones cum ad me per homines honestissimos perferrentur: cumq; Pompeius ita contendisset, ut nihil unquam magis, ut cum Crasso redirem in gratiam: Cæsarq; per literas maxima se molestia ex illa contentione affectum ostenderet: habui non temporum solum rationem meorum, sed etiam naturæ: Crassusq; ut quasi testata Po. Ro. nostra esset gratia, penè à meis laribus in prouinciam est profectus. Nam cũ mihi condixisset, cœnauit apud me in mei generi Crassipedis hortis. Quamobrẽ eius causam, q; te scribis audisse, magna illius commendatione suscæptam, defendi in Senatu, sicut mea fides postulabat. Accæpisti quibus rebus adductus, quamq; rem causamq; defenderim: quiq; meus in rep. sit pro mea parte capessenda status. De quo sic uelim statuas, me hæc eadem sensurum fuisse, si mihi integra omnia ac libera fuissent. Nam neque pugnandum arbitrarer contra tantas opes: neque delendum, etiam si id fieri posset, summorum ciuium principatum: neque permanendum in una sententia conuersis rebus, ac bonorum uoluntatibus mutatis, sed temporibus assentiendum. nunquam enim præstantibus in republica gubernanda uiris laudata est in una sententia perpetua permansio:

lore uix possim. Quòd de Q. fratris negotio scribis, te priore æstate quòd morbo impeditus in Ciliciam non transieris, conficere non potuisse, nunc autem omnia facturum, ut conficias: id scito esse eiusmodi, ut frater meus uere existimet adiuncto isto fundo patrimonium fore suum per te constitutũ. Tu me de tuis rebus omnibus, & de Lentuli tui nostriq; studijs & exercitationibus uelim, quàm familiarissime certiorem, & quàm sæpissime facias: existimesq; neminem cuiquam neque chariorem, neque iucundiorem unquam fuisse, quàm te mihi: idq; me nõ modo ut tu sentias, sed ut omnes gentes etiã, ut posteritas omnis intelligat, esse facturum. Appius in sermonibus antea dictitabat, postea dixit etiam in Senatu palàm, sese, si licitum esset legem Curiatam ferre, sortiturum esse cum Collega prouinciam: si Curiata lex non esset, se paraturum cum Collega, tibiq; successurum: legemq; Curiatam Consuli ferri opus esse, necesse non esse. se, quoniam ex S.C. prouinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturũ, quoad in urbem introisset. ego quid ad te tuorum quisq; necessariorum scribat, nescio: uarias esse opiniones intelligo. sunt qui putant posse te non decedere, quòd sine lege Curiata tibi succedatur. sunt etiam, qui si decedas, à te relinqui posse, qui prouinciæ præsit. Mihi non tam de iure certum est (quamquam ne id quidem ualde dubium est) quàm illud ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, libertatem, qua te scio libentissime frui solere, pertinere, te sine ulla mora prouinciam successori concedere, presertim cum sine suspitione tuæ cupiditatis non possis illius cupiditatem refutare. ego utrunq; meum puto esse, & quid sentiam ostendere, & quod feceris defendere. Scripta iam epistola superiore accæpi tuas literas de publicanis, quibus æquitatem tuam non potui non probare: felicitate quidem uellem, consequi potuisses, ne eius ordinis quem semper ornasti, rem aut uoluntatem offenderes. equidem non desinam tua decreta defendere: sed nosti consuetudinem hominum: scis quàm grauiter inimici ipsi illi Q. Scæuolæ fuerint. Tibi tamen sum author, ut siquibus rebus possis cum tibi ordinem aut reconcilies, aut mitiges. Id etsi difficile est, tamen mihi uidetur esse prudentiæ tuæ.

M. CICERO S.D. L. VALERIO IVRISCONSVLTO.



Vr enim tibi hoc non gratificer, nescio, presertim cum his temporibus audacia pro sapientia uti liceat. Lentulo nostro egi per literas tuo nomine gratias diligenter. Sed tu uelim desinas iam nostris literis uti, & nos aliquando reuisas: & ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quàm istic, ubi solus sapere uideare. Quamquam qui istinc nunc ueniunt, partim te superbum esse dicunt, quòd nihil respondeas: partim contumeliosum, quòd male respondeas. Sed iam cupio tecum coràm iocari. Quare fac, ut quamprimum uenias, neque in Apuliam tuam accedas, ut possimus saluum uenisse gaudere. Nam illò si ueneris, tanquam Vlysses cognosces tuorum neminem.

M. TVLLII CICERONIS LIBER EPISTOLARVM AD C. CVRIONEM ET CÆTEROS.

M. CICERO S. D. CVRIONI.



Vamquam me nomine negligentiæ ſuſpectum tibi eſſe doleo, tamen non tam mihi moleſtum fuit accuſari abs te officium meum, quàm iucundum requiri: preſertim cum in quo accuſabar, culpa uacarē: in quo autē deſiderare te ſignificabas meas literas, prę te ferres perſpectum mihi quidem, ſed tamen dulcem & optatum amorem tuum. Equidem neminem prætermiſi, quem quidem ad te peruenturum putarem, cui literas non dederim. Etenim quis eſt tam ſcribendo impiger, quàm ego? A te uero bis terue ſummum, & eas perbreues accæpi. Quare ſi iniquus es in me iudex, condemnabo eodem ego te crimine: ſin me id facere noles, te mihi æquū præbere debebis. Sed de literis hactenus. non enim uereor, ne non ſcribendo te expleam: preſertim ſi in eo genere ſtudium meum non aſpernabere. Ego te abfuiſſe tamdiu à nobis & dolui, quòd carui fructu iucundiſſimæ conſuetudinis: & lætor, quòd abſens omnia cum maxima dignitate es conſecutus, quodꝗ; in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna reſpondit. Breue eſt, quod me tibi præcipere meus incredibilis in te amor cogit. tanta eſt expectatio uel animi, uel ingenij tui, ut ego te obſecrare obteſtariꝗ; non dubitem. ſic ad nos conformatus reuertare, ut quam expectationem tui concitaſti, hanc ſuſtinere ac tueri poſſis. Et quoniã meam tuorum erga me meritorū memoriã ulla nunquam delebit obliuio, te rogo ut memineris, quantæcunꝗ; tibi acceſſiones fient & fortunæ & dignitatis, eas te non potuiſſe conſequi, niſi meis puer olim fideliſſimis atque amantiſſimis conſilijs paruiſſes. quare hoc animo in nos eſſe debebis, ut ætas noſtra iam ingraueſcens, in amore atque in adoleſcentia tua conquieſcat.

M. CICERO. S D. CVRIONI.



Raui teſte priuatus ſum amoris ſummi erga te mei, patre tuo clariſſimo uiro: qui cum ſuis laudibus, tum uero te filio ſuperaſſet omnium fortunam, ſi ei contigiſſet, ut te ante uideret, quàm à uita diſcederet. ſed ſpero noſtram amicitiam non egere teſtibus. Tibi patrimonium dij fortunent. Me certe habebis, cui & charus æque ſis & iucundus, ac fuiſti patri.


M. CICERO S. D. CVRIONI.



Vpæ ſtudium non defuit declarandorum munerum tuo nomine: ſed nec mihi placuit, nec cuiquam tuorum, quicquam te abſente fieri, quod tibi, cum ueniſſes, non eſſet integrum. Equidē quid ſentiam aut ſcribam ad te poſtea pluribus: aut ne ad ea meditere, imparatum te offendam: coramꝗ; contra iſtam rationē meam dicam: ut aut.

te in meam ſententiam adducam,aut certe teſtatum apud animum tuum re linquam,quid ſenſerim,ut ſiquando(quod nolim)diſplicere tibi conſilium tuum cœperit,poſſis meum recordari.Breui tamen ſic habeto,in eum ſtatum temporum tuum reditum incidere,ut ijs bonis,quæ tibi natura,ſtudio,fortuna data ſunt,facilius omnia,quæ ſunt ampliſſima in republica, conſequi poſſis,quàm muneribus:quorum neq; facultatẽ quiſquam admiratur(eſt enim copiarũ,non uirtutis)neq; quiſquam eſt quin ſatietate iam defeſſus ſit. Sed aliter,atq; oſtenderam,facio,qui ingrediar ad explicandam rationem ſententiæ meæ.Quare omnem hanc diſputationem in aduentũ tuum differo. Summa ſcito te in expectatione eſſe:eaq; à te expectari,quę à ſumma uirtute ſummoq; ingenio expectanda ſunt:ad quæ ſi es,ut debes paratus (quod ita eſſe confido)plurimis maximiſq; muneribus & nos amicos,& ciueis tuos uniuerſos,& remp.afficies. Illud cognoſces profecto, mihi te neque cariorem, neque iucundiorem eſſe quenquam.

M.CICERO S.D.E CVRIONI.



Piſtolarum genera multa eſſe non ignoras: ſed unum illud certiſſimum,cuius cauſa inuenta res ipſa eſt,ut certiores faceremus abſenteis,ſi quod eſſet quod eos ſcire,aut noſtra aut ipſorum intereſſet. Huius generis literas à me profecto non expectas. Tuarum enim rerum domeſticarum habes & ſcriptores & nuncios.In meis autem rebus nihil eſt ſanè noui. Reliqua ſunt epiſtolarum genera duo, quæ me magnopere delectant:unum,familiare & iocoſum:alterum, ſeuerum & graue. Vtro me minus deceat uti,non intelligo.Iocérne tecũ per literas? ciuem mehercule non puto eſſe, qui temporibus his ridere poſſit. An grauius aliquid ſcribam? quid eſt,quod poſſit grauiter à Cicerone ſcribi ad Curionem, niſi de republica? Atq; in hoc genere hæc mea cauſa eſt,ut neq; ea quæ nunc ſentio,uelim ſcribere.Quamobrem quoniam mihi nullum ſcribendi argumentum relictum eſt,utar ea clauſula,qua ſoleo,téque ad ſtudium ſummæ laudis cohortabor.Eſt enim tibi grauis aduerſaria conſtituta & parata,incredibilis quædam expectatio:quam tu una re facillime uinces,ſi hoc ſtatueris, quarũ laudum gloriam adamaris;quibus artibus eæ laudes comparantur,in ijs eſſe elaborandum.In hanc ſententiam ſcriberẽ plura,niſi te tua ſponte ſatis incitatum eſſe confiderem:& hoc quicquid attigi,non feci inflammandi tui cauſa,ſed teſtificandi amoris mei.

M.CICERO S.D.CVRIONI.



Æc negotia quomodo ſe habeant,ne epiſtola quidem narrare audeo tibi.etſi ubicunq; es(ut ſcripſi ad te antea)in eadem es naui, tamen quòd abes gratulor,uel quia nõ uides ea quę nos,uel quòd excelſo & illuſtri loco ſita ſit laus tua in plurimorum & ſociorum & ciuium conſpectu:quæ ad nos nec obſcuro,nec uario ſermone,ſed & clariſſima & una, una omniũ uoce perfertur. Vnũ illud neſcio,gratulérne tibi, an timeam,quòd mirabilis eſt expectatio reditus tui.non quò uerear, ne tua uirtus opinioni hominum non reſpondeat,ſed mehercule,ne cum ueneris,nõ habeas iam quod cures:ita ſunt omnia debilitata,& iam propè extincta. Sed hæc ipſa neſcio recténe ſint literis commiſſa:quare cætera cognoſces ex alijs.

Tu tamen siue habes aliquam spem de republica, siue desperas, ea para, medi tare, cogita, quę esse in eo ciui ac uiro debent, qui sit rempublicam afflictam & oppressam miseris temporibus, ac perditis moribus, in ueterem dignitatē ac libertatem uindicaturus.

M. CICERO S. D. C. CVRIONI.



Ondum erat auditum, te ad Italiam aduentare. cum Sex. Villium Milonis mei familiarem cum his ad te literis misi: sed tamen cum appropinquare tuus aduentus putaretur, & te iam ex Asia Romā uersus profectū esse constaret, magnitudo rei fecit, ut non uereremur, ne nimis cito mitteremus, cum has quamprimū ad te perferri literas magnopere uellemus. Ego si mea in te essent officia solum Curio tanta, quanta magis à teipso prædicari, quàm à me ponderari solent, uerecundius à te, siquę magna res mihi petenda esset, contenderē. graue est enim homini pudenti petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet: ne id quod petat, exigere magis quàm rogare, & in mercedis potius quàm beneficij loco numerare uideatur. Sed quia tua in me uel nota omnibus, uel ipsa nouitate meorum temporum clarissima, & maxima beneficia exstiterunt: estq; animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimū uelle debere: non dubitaui id à te per literas petere, quod mihi omnium esset maximū, maximeq; necessarium. Neque enim sum ueritus, ne sustinere tua in me uel innumerabilia non possem, cum presertim confiderem, nullam esse gratiā, quam non uel capere animus meus in accipiendo, uel in remunerando cumulandoq; illustrare posset. Ego omnia mea studia, omnem operā, curam, industriam, cogitationem, mentem deniq; omnem in Milonis Consulatu fixi & locaui: statuiq; in eo me non officij solum fructū, sed etiam pietatis laudem debere quærere. Neq; uero cuiquam salutē ac fortunas suas tantæ curæ fuisse unquam puto, quantæ mihi sit honos eius, in quo omnia mea posita esse decreui. Huic te unum tanto adiumento esse, si uolueris, posse intelligo, ut nihil sit præterea nobis requirendū. Habemus hęc omnia: bonorū studium conciliatū ex Tribunatu, propter nostram (ut spero te intelligere) causam: uulgi ac multitudinis, propter magnificentiam munerū, liberalitatemq; naturæ: iuuentutis, & gratiosorum in suffragijs studia, propter ipsius excellentem in eo genere uel gratiā uel diligentiam: nostram suffragationē si minus potentem, at probatam tamen, & iustā & debitam, & propterea fortasse etiā gratiosam. Dux nobis & author opus est, & eorum uentorū quos proposui, moderator quidam, & quasi gubernator. Qui si ex omnibus unus optandus esset, quem tecum conferre possemus, non haberemus. Quamobrem si me memorem, si gratum, si bonum uirū uel ex hoc ipso quòd tam uehementer de Milone laborem, existimare potes: si dignum deniq; tuis beneficijs iudicas: hoc à te peto, ut subuenias huic meæ sollicitudini, ut huic meæ laudi, uel (ut uerius dicam) propè saluti tuum studiū dices. De ipso T. Annio tantū tibi polliceor, te maioris animi, grauitatis, constantiæ, beneuolentiæq; erga te, si complecti hominem uolueris, habiturum esse neminem: mihi uero tantū decoris, tantum dignitatis adiunxeris, ut eundem te facile adgnoscam fuisse in laude mea, qui fueris in salute. Ego ni te uidere scirem, quum hęc ad te scriberem, quantū officij sustinerem, quantopere


mihi

mihi eſſet in hac petitione Milonis omni non modo contentione, ſed etiam dimicatione elaborandũ, plura ſcriberem. Nunc tibi omnem rem atque cauſam, meq; totum commendo, atq; trado. Vnũ hoc ſic habeto, ſi à te hanc rem impetraro, me penè plus tibi, quàm ipſi Miloni debiturũ. non enim mihi tam mea ſalus cara fuit, in qua prȩcipue ſum ab illo adiutus, quàm pietas erit in referenda gratia iucunda. Eã autẽ unius tui ſtudio me aſſequi poſſe confido.

M. CICERO PROCOS. S. D. C. CVRIONI. TR. PL.

SEra gratulatio reprehendi non ſolet, preſertim ſi nulla negligentia prȩtermiſſa eſt. Longe enim abſum, audio ſero. Sed tibi & gratulor, & ut ſempiternæ laudi tibi ſit iſte Tribunatus, exopto: teq; hortor, ut omnia gubernes, & moderere prudentia tua: ne te auferant aliorum conſilia. Nemo eſt, qui tibi ſapientius ſuadere poſſit te ipſo: nunquã labere, ſi te audies. Non ſcribo hoc temere, cui ſcribam uideo. Noui animum, noui conſilium tuum: non uereor, nequid timide, nequid ſtulte facias, ſi ea defendes, quæ ipſe recta eſſe ſenties. Quòd in id reipub. tempus non incideris ſed ueneris (iudicio enim tuo, non caſu in ipſum diſcrimen rerum contuliſti Tribunatum tuum) profectò uides: quanta uis in rep. temporum ſit, quanta uarietas rerum, quàm incerti exitus, quàm flexibiles hominum uoluntates, quid inſidiarum, quid uanitatis in uita, non dubito quin cogites. Sed amabo te, cura & cogita, nihil noui, ſed illud idẽ quod initio ſcripſi: tecum loquere & te adhibe in conſiliũ, te audi, tibi obtempera. Alteri qui melius conſiliũ dare poſſit, quàm tu, non facile inueniri poteſt: tibi uero ipſi certe nemo melius dabit. Dij immortales, cur ego non adſum uel ſpectator tuarum laudum, uel particeps, uel ſocius uel miniſter conſiliorũ? tametſi hoc minime tibi deeſt: ſed tamen efficeret magnitudo, uis amoris mei, conſilio te ut poſſem iuuare. Scribam ad te plura aliàs. paucis enim diebus eram miſſurus domeſticos tabellarios, ut quoniã ſanè feliciter, & ex mea ſententia remp. geſſimus, unis literis totius æſtatis res geſtas ad Senatũ perſcriberem. De ſacerdotio tuo quantã curam adhibuerim, quamquã difficili in re atq; cauſa, cognoſces ex ijs literis, quas Thraſoni liberto tuo dedi. Te mi Curio pro tua incredibili in me beneuolentia, meáque item in te ſingulari, rogo atq; oro, ne patiare quicquã mihi ad hanc prouincialem moleſtiam temporis prorogari. Præſens tecum egi, cum te Trib. pl. iſto anno fore nõ putarem. Itemq; petiui ſæpe per literas, ſed tũ quaſi à Senatore nobiliſſimo, tum adoleſcente etiã gratioſiſſimo: nunc à Trib. pl. & à Curione Tribuno, non ut decernatur aliquid noui, quod ſolet eſſe difficilius: ſed ut nequid noui decernatur: ut & Senatiſconſultum: & leges defendas: eaq; mihi conditio maneat, qua profectus ſum. Hoc te uehementer etiam atque etiam rogo.

M. CICERO PROCOS. S. D. M. CAELIO.



QVid? tu me hoc tibi mandaſſe exiſtimas, ut mihi gladiatorũ compoſitiones, ut uadimonia dilata, & Chreſti compilationem mitteres, & ea quæ nobis, cum Romæ ſumus, narrare nemo audeat? Vide quantũ tibi meo iudicio tribuam, nec mehercule iniuria. πολιτικώτερον enim te adhuc neminem cognoui. Ne illa quidem curo mihi ſcribas, quæ maximis in rebus reip. geruntur cotidie, niſi quid ad me ipſum pertine-

bit. Scribent alij, multi nunciabunt, perferet multa etiam ipse rumor. Quare ego nec præterita nec præsentia abs te, sed ut ab homine longe in posterum prospiciente futura expecto, ut ex tuis literis cum formam reip. uiderim, quale ædificium futurū sit, scire possim. Neq; tamen adhuc habeo, quod te accusem: neq; enim fuit, quod tu plus prouidere posses, quàm quiuis nostrum, in primisq; ego, qui cum Pompeio complures dies nullis in alijs, nisi de rep. sermonibus uersatus sum: quæ nec possunt scribi, nec scribenda sunt. tantum habeto, ciuem egregium esse Pompeium, & ad omnia quæ prouidenda sunt in rep. & animo & consilio paratum. Quare da te homini: complectetur mihi crede. Iam fidem illi & boni & mali ciues uidentur, qui nobis uideri solent. Ego cum Athenis decem ipsos dies fuissem, multúmque mecum Gallus noster Caninius, proficiscebar inde prid. Non. Quint. cum hoc ad te literarum dedi. Tibi cum omnia mea commendatissima esse cupio, tum nihil magis quàm ne tempus nobis prouincię prorogetur. in eo mihi sunt omnia. Quod, quando, & quomodo, & per quos agendum sit, tu optime constitues.

M. CICERO PROCOS. S. D. M. CAELIO AED. CVR. DES.

PRimum tibi, ut debeo, gratulor lætorq; cum præsenti, tum etiā spe rata tua dignitate: serius, non negligentia mea, sed ignoratione rerum omnium. In his enim sum locis, quò & propter longinquitatem, & propter latrocinia tardissime omnia perferuntur. Et cum gratulor, tum uero quibus uerbis tibi gratias agā, non reperio: quòd ita factus sis, ut dederis nobis, quemadmodū scripseras ad me, quem semper ridere possemus. Itaq; quum primū audiui, ego ille ipse factus sum: scis quem dicam: egiq; omneis illos adolescentes, quos ille iactitat. difficile est loqui. Te autem contemplans absentem, & quasi tecum coràm loquerer. Non ędepol quantā egeris rem, neq; quantum facinus feceris. quod quia præter opinionē mihi acciderat, referebā me ad illud. Incredibile hoc factu obijcitur: repente uero incessi omnibus lętitijs. In quo cum obiurgarer, quòd nimio gaudio penè desiperem, ita me defendebam, Ego uoluptatem animi nimiam. Quid quæris? dum illum rideo, penè sum factus ille. Sed hæc pluribus: multaq; alia & de te, & ad te, quàm primum ero aliquid nactus otij. Te uero mi Rufe diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meæ, ultorem non modo inimicorum, sed etiam inuidorum meorum, ut eos partim scelerū suorum, partim etiam ineptiarum pœniteret.


M. CICERO IMP. S. D. M. CAELIO AEDILI CVRVLI DES.

TV uide quàm ad me literæ nō perferantur. Non enim possum adduci ut abs te postea quàm ædilis es factus, nullas putem datas, presertim cum esset tanta res, tantę gratulationes de te, quia quod sperabā, de nihilo. Balbus enim sum, quod non putarā. Atqui sic habeto, nullam me epistolā accępisse tuam post comitia ista pręclara, quę me lætitia extulerunt: ex quo uereor, ne idem eueniat in meas literas. Equidem nunquam domū misi unam epistolam, quin esset ad te altera: nec mihi est te iucundius quicquam nec carius. Sed balbi non sumus: ad rem redeamus. Vt optasti, ita est: uelles enim ais, tantum modo ut haberem negotij, quod esset ad laureolā satis. Parthos times, quia diffidis copijs nostris: ergo ita accidit.

Nam

Nam Parthico bello nunciato, locorum quibusdã angustijs & natura montium fretus, ad Amanum exercitum adduxi satis probè ornatum auxilijs, & quadã authoritate apud eos, qui me non norant, nominis nostri. Multum est enim in his locis, Hiccine est ille, qui urbem? quem Senatus? nosti cætera. Cũ uenissem ad Amanũ, qui mons mihi cũ Bibulo communis est, diuisus aquarum diuortijs: Cassius noster, quod mihi magnæ uoluptati fuit, feliciter ab Antiochea hostem reiecerat: Bibulus prouinciã accæperat. Interea cũ meis copijs omnibus uexaui Amanienses hostes sempiternos. multi occisi, capti, reliqui dissipati: castella munita improuiso aduentu capta & incensa. Ita uictoria iusta imperator appellatur apud Issum, quo in loco sæpe, ut ex te audiui, Clitarchus tibi narrauit Dareũ ab Alexandro esse superatũ, abduxi exercitum ad infestissimã Ciliciæ partem. Ibi quintum & uigesimũ iam diem aggeribus, uineis, turribus oppugnabam oppidũ munitissimum Pindenissum, tantis opibus, tantoq; negotio, ut mihi ad summã gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi: quod si, ut spero, cępero, tum uero literas publice mittam. Hæc ad te in præsenti scripsi, ut speres te assequi id quod optasses. Sed ut redeam ad Parthos. Hæc estas habuit hunc exitum satis felicem: ea quæ sequitur, magno est in timore. Quare mi Rufe uigila, primum ut mihi succedatur: sin id erit, ut scribis, & ut ego arbitror, spissius: illud quod facile est, ne quid mihi temporis prorogetur. De republica ex tuis literis, ut antea tibi scripsi, cũ pręsentia, tum etiã futura magis expecto. Quare ut ad me omnia quàm diligentissim e perscribas, te uehementer rogo.

M. CICERO IMP. S. D. M. CAELIO AED. CVRVLI.



Vtares'ne unquã accidere posse, ut mihi uerba deessent: neq; solũ ista uestra oratoria, sed hęc etiam leuia nostratia? desunt autẽ propter hanc causam, quòd mirifice sum solicitus, quidnã de prouincijs decernatur. Mirum me desideriũ tenet urbis, incredibile meorum, atque in primis tui satietas autem prouinciæ: uel quia uidemur eam famam consecuti, ut non tam accessio quærenda, quàm fortuna metuenda sit: uel quia totum negotium non est dignum uiribus nostris, qui maiora onera in republica sustinere, & possim & soleã: uel quia belli magni timor impendet, quod uidemur effugere, si ad constitutam diem decedemus. De Pantheris per eos qui uenari solent, agitur mandato meo diligenter: sed mira paucitas est, & eas, quæ sunt. ualde aiunt queri, quòd nihil cuiquam insidiarum in mea pronincia, nisi sibi fiat. Itaq; constituisse dicuntur in Cariam ex nostra prouincia decedere. Sed tamen sedulo fit, & in primis à Patischo. Quicquid erit, tibi erit: sed quid esset planè nesciebamus. Mihi me hercule magnæ curæ est Ædilitas tua. ipse dies me admonebat. Scripsi enim hæc ipsis Megalensibus. Tu uelim ad me de omni reipublicæ statu quàm diligentissime perscribas. Ea enim certissima putabo, quæ ex te cognoro.

M. CICERO IMP. S. D. M. CAELIO AED. CVR.



Olicitus equidem eram de rebus urbanis, ita tumultuosæ conciones, ita molestæ Quinquatrus adferebantur. nam citeriora nondum audiebamus. Sed tamen nihil me magis solicitabat, quàm in his molestijs non me, siquæ ridenda essent, ridere tecũ: sunt enim

giſſem, militaremq́ rem collocaſſem, decedere ex S.C. Cupio te Ædilem uidere: miroq́ deſiderio me urbs afficit, & omnes mei, tuq́ in primis.

CICERO IMP. S.D. M. CAELIO AED. CVRVLI.

MArco Fabio uiro optimo, & homine doctiſſimo familiariſſime utor: mirificeq́ eum diligo, cum propter ſummum ingeniũ eius, ſummamq́ doctrinã, tum propter ſingularem modeſtiã. Eius negotiũ ſic uelim ſuſcipias, ut ſi eſſet res mea. Noui ego uos magnos patronos. hominem occidat oportet, qui ueſtra opera uti uelit: ſed in hoc homine nullam accipio excuſationem. Omnia relinques, ſi me amabis, cum tua opera Fabius uti uolet. Ego res Romanas uehementer expecto, & deſidero: in primisq́ quid agas, ſcire cupio. nam iamdiu propter hiemis magnitudinẽ nihil noui ad nos afferebatur.

M. CICERO IMP. S.D. M. CAELIO AEDILI.

NOn potuit accuratius agi nec prudentius, quàm eſt actum à te cum Curione de ſupplicatione. & hercule confecta res ex ſentẽtia mea eſt cum celeritate, tum quòd is, qui erat iratus, competitor tuus & idem meus, aſſenſus eſt ei, qui ornauit res noſtras diuinis laudibus. Quare ſcito me ſperare ea, quæ ſequuntur: ad quæ tu te para. Dolabellã à te gaudeo primũ laudari, deinde etiam amari. nã ea quæ ſperas Tulliæ meæ prudentia temperari poſſe, ſcio cui tuæ epiſtolę reſpondeant. Quid ſi meã legas, quã ego tum ex tuis literis miſi ad Appium? Sed quid agas? ſic uiuitur. Quod actum eſt, Dij approbent. Spero fore iucundum generum nobis: multumq́ in eo tua nos humanitas adiuuabit. Reſp. me ualde ſolicitat. faueo Curioni: Cęſarẽ honeſtũ eſſe cupio. pro Pompeio emori poſſum, ſed tamen ipſa rep. nihil mihi eſt carius, in qua tu non ualde te iactas. diſtrictus enim mihi uideris eſſe, quòd & bonus ciuis, & bonus amicus es. Ego de prouincia decedens, Quęſtorem Cæliũ præpoſui prouincię. Puerũ inquis, at Quæſtorẽ, at nobilem adoleſcentẽ, at omniũ ferè exemplo, neq́ erat ſuperiore honore uſus quẽ præficerẽ. Pomptinus multo antè diſceſſerat. à Q. fratre impetrari non poterat: quẽ tamen ſi reliquiſſem, dicerent iniqui non me planè poſt annũ, ut Senatus uoluiſſet, de prouincia deceſſiſſe, quoniã alterum me reliquiſſem. Fortaſſe etiã illud adderent, Senatũ eos uoluiſſe prouincijs præeſſe qui antea non pręfuiſſent, fratrem meum triennium Aſiæ præfuiſſe. Deniq́ nunc ſolicitus non ſum. ſi fratrem reliquiſſem, omnia timerẽ. Poſtremo non tam mea ſponte, quàm potentiſſimorũ duorum exemplo, qui omnes Caſſios Antoniosq́ complexi ſunt, hominem adoleſcentẽ non tam allicere uolui, quàm alienare nolui. Hoc tu meum conſilium laudes neceſſe eſt: mutari enim non poteſt. De Ocella parũ ad me planè ſcripſeras, & in actis non erat. Tuæ res geſtæ ita notæ ſunt, ut trans montẽ Taurum etiam de matrinio ſit auditum. Ego niſi quid me Eteſię morabuntur, celeriter (ut ſpero) uos uidebo.

M. CICERO IMP. S. D. M. CAELIO.

MAgno dolore me affeciſſent tuæ literę, niſi iã & ratio ipſa depuliſſet omneis moleſtias, & diuturna deſperatione rerũ obduruiſſet animus ad dolorẽ nouũ. Sed tamẽ quare acciderit, ut ex meis ſuperioribus literis id ſuſpicarere, quod ſcribis, neſcio: quid enim in illis

fuit præter querelam temporum,quę non meum animũ magis solicitũ habe-
ret,quàm tuũ? Nam non eã cognoui aciem ingenij tui,quod ipse uideã,te id
ut non putẽ uidere. Illud miror,adduci potuisse te,qui me penitus nosse debe
res,ut existimares,aut me tam improuidũ,qui ab excitata fortuna ad inclina-
tam,& propè iacentem desciscerẽ:aut tam inconstantẽ,ut collectam gratiam
florentissimi hominis effunderẽ,à meq; ipse deficerem,& quod initio, sem-
perq; fugi,ciuili bello interessem. Quod est igitur meum triste consilium? ut
discederẽ fortasse in aliquas solitudines? nosti enim nõ modo stomachi mei,
cuius tu similem quondã habebas,sed etiam oculorũ in hominũ insolentium
indignitate fastidiũ. Accedit etiam molesta hæc pompa lictorũ meorum,no
menq; imperij,quo appellor. Eo si onere carerẽ, quamuis paruis Italiæ late-
bris contentus essem. Sed incurrit hęc nostra laurus non solum in oculos,sed
iam etiã in uoculas maleuolorũ. Quod cũ ita esset, nil tamen unquã de profe
ctione,nisi uobis adprobãtibus,cogitaui. Sed mea prædiola tibi nota sunt:in
his mihi necesse est esse,ne amicis molestus sim. Quod autẽ in maritimis facil
lime sum,moueo nonnullis suspicionẽ,uelle me nauigare. quod tamẽ fortasse
non nollẽ,si possem ad otiũ. nam ad bellũ quidẽ qui conuenit,presertim con-
tra eum,cui spero me satisfecisse,ab eo cui tamẽ satisfieri nullo modo potest?
Deinde sententiã meam tu facillime perspicere potuisti iam ab illo tempore,
cum in Cumanũ mihi obuiã uenisti. non enim te celaui sermonem T. Ampij.
uidisti,quàm abhorrerẽ ab urbe relinquenda:quod cũ audissem, nónne tibi
affirmaui,quiduis me potius perpessurũ,quàm ex Italia ad bellum ciuile me
exiturũ? Quid ergo accidit,cur consilium mutarẽ,nónne omnia potius, ut in
sententia permanerẽ? Credas hoc mihi uelim,quod puto te existimare me ex
his miserijs nihil aliud quærere,nisi ut homines aliquando intelligant, me ni
hil maluisse,quàm pacẽ:ea desperata,nihil tam fugisse,quàm arma ciuilia. Huius
me constantiæ puto fore,ut nunquã pœniteat. Etenim memini in hoc genere
gloriari solitum esse familiarem nostrum Q. Hortensiũ,quòd nunquam bel
lo ciuili interfuisset. Hoc nostra laus erit illustrior,quod illi tribuebatur igna
uiæ:de nobis id existimari posse non arbitror. Nec me ista terrent,quæ mihi
à te ad timorẽ fidissime atq; amantissime proponuntur. Nulla est enim acer-
bitas,quæ non omnibus hac orbis terrarũ perturbatione impendere uidea-
tur:quam quidem ego à rep. meis priuatis & domesticis incommodis liben-
tissime,uel istis ipsis,quę tu me mones ut caueam,redemissem. Filio meo, quẽ
tibi carum esse gaudeo,si erit ulla resp. satis amplum patrimonium relinquã
in memoria nominis mei:sin autem nulla erit,nihil accidet ei separatim à re-
liquis ciuibus. Nam quod rogas,ut respiciam generum meum adolescentem
optimum,mihiq; carissimum:an dubitas,cum scias quanti cum illum, tum
uero Tulliam meam faciam,quin ea me cura uehementissime solicitet? & eò
magis quòd in communibus miserijs hac tamẽ oblectabar specula. Dolabel-
lam meum,uel potius nostrum,fore ab ijs molestijs,quas liberalitate sua con
traxerat,liberum. Velim quæras,quos ille dies sustinuerit,in urbe dum fuit,
quàm acerbos sibi, quàm mihi ipsi socero non honestos. Itaque neque ego
hunc Hispaniensem casum expecto,de quo mihi exploratũ est,ita esse, ut tu
scribis:neq; quicquã astute cogito. Siquando erit ciuitas,erit profecto nobis
locus:sin autem non erit,in easdem solitudines tu ipse(ut arbitror)uenies, in

quibus

quibus nos consedisse audies. Sed ego fortasse uaticinor, & hæc omnia meliores habebunt exitus. recordor enim desperationes eorum, qui senes erant adolescente me. Eos ego fortasse nunc imitor, & utor ætatis uitio. Velim ita sit. Sed tamen togam prætextā texi Oppio, puto te audisse. nam Curtius noster dibaphū cogitat, sed eum infector moratur. Hoc aspersi, ut scires me tamen in stomacho solere ridere. De Dolabella, quod scripsi, suadeo uideas, tanquam si tua res agatur. Extremum illud erit, nos nihil turbulenter, nihil temere faciemus. Te tamen oramus, quibuscunq; erimus in terris, ut nos liberosq; nostros ita tueare, ut amicitia nostra, & tua fides postulabit.

M. CICERO IMP. S D. CANINIO SALLVSTIO PROQVAEST.


Iteras à te mihi stator tuus reddidit Tarsi ad XVI Kal. Sextil. His ego ordine, ut uideris uelle, respondebo. De successore meo nihil audiui, nec quenquā fore arbitror. quin ad diem decedā, nulla causa est, presertim sublato metu Parthico. Commoraturum me nusquā sanè arbitror. Rhodum Ciceronū causa puerorum, accessurū puto, neq; id tamen certum. Ad urbem uolo quamprimū uenire: sed tamen iter meū reip. & rerum urbanarū ratio gubernabit. Successor tuus non potest ita maturare ullo modo, ut tu me possis in Asia conuenire. De rationibus referendis, non erat incommodū te nullam referre, quam tibi scribis à Bibulo fieri potestatem: sed id uix mihi uideris per legem Iuliam facere posse, quā Bibulus certa quadā ratione nō seruat, tibi magnopere seruandā censeo. Quòd scribis Apamea præsidiū deduci non oportuisse, uidebam idem cæteros existimare, molesteq; ferebam de ea re minus commodos sermones maleuolorū fuisse. Parthi transierint, necne, præter te uideo dubitare neminē. Itaq; omnia præsidia, quæ magna & firma parauerā, commotus hominū non dubio sermone, dimisi. Rationes mei Quęstoris nec uerū fuit me tibi mittere, nec tamen erant confectę. eas nos Apamęę deponere cogitabamus. De pręda mea præter Quęstores urbanos, id est Po. Ro. terrunciū nec attigit, nec tacturus est quisquā. Laodiceę me prędes accepturū arbitror omnis pecunię publicæ, ut & mihi & populo cautū sit, sine uecturæ periculo. Quòd scribis ad me de dragmis CCCLↃↃↃ, nihil est quod in isto genere cuiquā possim commodare. Omnis enim pecunia ita tractatur, ut pręda à Præfectis: quæ autē mihi attributa est, à Quęstore curetur. Quòd quæris, quid existimem de legionibus quæ decretę sunt in Syriam, antea dubitabam uenturę ne essent: nunc mihi non est dubium, quin si antea auditum erit otium esse in Syria, uenturę nō sint. Marium quidem successorem tarde uideo esse uenturum, propterea quòd Senatus ita decreuit, ut cum legionibus iret. Vni epistolæ respondi, uenio ad alterā. Petis à me, ut Bibulo te quàmdiligentissime commendem, in quo mihi uoluntas non deest, sed locus esse uidetur tecum expostulandi. Solus enim tu ex omnibus, qui cum Bibulo sunt, certiorem me nunquam fecisti, quàm ualde Bibuli uoluntas à me sine causa abhorreret. Permulti enim ad me detulerunt, cum magnus Antiochiæ metus esset, & magna spes in me atque in exercitu meo, solitum dicere, quiduis se perpeti malle, quàm uideri eguisse auxilio meo. quod ego officio Quæstorio te adductum reticere de Prætore tuo non molestę ferebam: quamquam quemadmodum tractarere,

audiebã. Ille autem cum ad Thermũ de Parthico bello scriberet, ad me literã nunquã misit, ad quem intelligebat eius belli periculũ pertinere. Tantũ de auguratu filij sui scripsit ad me: in quo ego misericordia commotus, & q semper amicissimus Bibulo fui, dedi operam, ut ei quamhumanissime scriberem. Ille si omnibus est maleuolus, quod nunquam existimaui, minus offendor in me: sin autẽ à me est alienior, nihil tibi meæ literę proderunt. Nam ad Senatũ Bibulus quas literas misit, in ijs quod mihi cum illo erat commune, sibi soli attribuit: se ait curasse, ut cum quęstu populi pecunia permutaretur. quod autem meum erat propriũ, ut alarijs transpadanis uti negarem, id etiã populo se remisisse scribit. quod uero illius erat solius, id mecum communicat. EQVITIBVS AVXILIARIIS inquit CVM AMPLIVS FRVMENTI POSTVLAREMVS. Illud uero pusilli animi, & ipsa maleuolentia ieiuni atque inanis, quòd Ariobarzanem, quia Senatus per me Regẽ appellauit, mihiq; commendauit, iste in literis non Regẽ, sed Regis Ariobarzanis filium appellat. Hoc animo qui sunt, deteriores fiunt rogati. Sed tibi morem gessi: literas ad eum scripsi: quas cum accæperis, facies quod uoles.

M. CICERO IMP. S. D. Q. THERMO PROPR.



Fficium meum erga Rhodonem, cæteraq; mea studia, quę tibi ac tuis præstiti, tibi homini gratissimo grata esse uehementer gaudeo: mihi que scito in dies maiori curæ esse dignitatem tuam, quæ quidem à teipso integritate & clementia tua sic amplificata est, ut nihil addi posse uideatur. Sed mihi magis magisq; cotidie de rationibus tuis cogitanti, placet illud meum consiliũ, quod initio Aristoni nostro, ut ad me uenit, ostendi: graues te suscæpturum inimicitias, si adolescens potens & nobilis à te ignominia affectus esset. & hercle sine dubio erit ignominia. habes enim neminem honoris gradu superiorem. Ille autem, ut omittam nobilitatem, hoc ipso uincit uiros optimos, hominesq; innocentissimos Legatos tuos, quòd & Quæstor est, & Quæstor tuus. Nocere tibi iratum neminem posse perspicio: sed tamẽ tres fratres summo loco natos, promptos, non indisertos, te nolo habere iratos, iure presertim, quos uideo deinceps Tribb. pl. per triennium fore. Tempora autẽ reip. qualia futura sint, quis scit? mihi quidem turbulenta uidentur fore. Cur ego te uelim incidere in terrores tribunitios? presertim cum sine cuiusquã reprehensione Quæstorijs Legatis Quæstorem possis anteferre. Qui si dignum se maioribus suis præbuerit (ut spero & opto) tua laus ex aliquà parte fuerit: sin quid offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit. Quæ mihi ueniebant in mentem, quæ ad te pertinere arbitrabar, quòd in Ciliciam proficiscebar, existimaui me ad te oportere scribere. Tu quod egeris, id uelim Dij approbent. Sed si me audies, uitabis inimicitias, & posteritatis otio consules.

M. TVLLIVS M. F. IMP. S. D. C. CAELIO L. F. QVEST.



Vm optatissimũ nuntium accæpissem, te mihi Quęstorem obtigisse, eo iucundiorẽ mihi eam sortem sperabã fore, quo diutius in prouincia mecum fuisses. Magni enim uidebatur interesse ad eam necessitudinem, quam nobis sors tribuisset, consuetudinẽ quoq; accedere. Postea quàm mihi nihil neq; à teipso, neque ab ullo alio de aduentu

tuo

tuo scriberetur: uerebar, ne id ita caderet: quod etiam nunc uereor, ne antè q̃ tu in prouinciã uenisses, ego de prouincia decederẽ. Accępi autem à te missas literas in Cilicia cum essem in castris ad X.K. Quint. scriptas humanissime: quibus facile & officium & ingeniũ tuum perspici posset: sed neq; unde, neq; quo die datæ essent, aut quo tempore te expectarem, significabant: nec is qui attulerat, à te accæperat, ut ex eo scirẽ, quo ex loco, & quo tempore essent datæ. Quæ cum essent incerta, existimaui tamen faciendũ esse, ut ad te statores meos & lictores cum literis mitterẽ: quas si satis opportuno tempore accæpisti, gratissimum mihi feceris, si ad me in Ciliciam quamprimũ ueneris. Nam quod ad me Curius consobrinus tuus mihi (ut scis) maxime necessarius, quod item. C. Virginius propinquus tuus familiarissimus noster de te accuratissime scripsit, ualet id quidem apud me multum, sicuti debet hominũ amicissimorũ diligens commendatio: sed tuę literę de tua presertim dignitate, & de nostra coniunctione maximi sunt apud me ponderis. Mihi Quęstor optatior obtingere nemo potuit. quamobrem quæcunq; à me ornamenta ad te proficiscentur, ut omnes intelligant à me habitam esse rationem tuæ, maiorumq; tuorum dignitatis. sed id facilius consequar, si ad me in Ciliciã ueneris. quod ego & mea, & reip. & maxime tua interesse arbitror.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD APPIVM CLAVDIVM ET CÆTEROS.

CICERO APPIO IMP. S. D.



I ipsa respublica tibi narrare posset, quo modo sese haberet, nõ facilius ex ea cognoscere posses, quàm ex liberto tuo Phania: ita est homo nõ modo prudens, uerum etiam (quod uiuet) curiosus: quapropter ille tibi omnia explanabit. id enim mihi & ad breuitatẽ est aptius, & ad reliquas res prouidentius. De mea autem beneuolentia erga te, etsi potes ex eodẽ Phania cognoscere, tamen uidentur etiã aliquæ meæ partes. Sic enim tibi persuade, carissimum te mihi esse, cum propter multas suauitates ingenij, officij, humanitatis tuæ, tum quòd ex tuis literis, & ex multorũ sermonibus intelligo, omnia, quæ à me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima. Quod cum ita sit, perficiam profecto, ut longi temporis usuram, qua caruimus, intermissa nostra consuetudine, & gratia, & crebritate, & magnitudine officiorum meorúm sarciam. idq; me (quoniam tu ita uis) puto non inuita Minerua esse facturum: quam quidem ego, si forte de tuis sumpsero, non solum παλλάδα, sed etiam Appiada nominabo. Cilix libertus tuus antea mihi minus fuit notus: sed ut mihi reddidit à te literas plenas & amoris & officij, mirifice ipse suo sermone subsecutus est humanitatem tuarum literarũ.

Iucunda

Iucunda, mihi eius oratio fuit, cum de animo tuo, de sermonibus quos de me haberes cotidie, mihi narraret. Quid quæris? Biduo factus est mihi familiaris, ita tamen ut Phaniam ualde sim desideraturus: quem cum Romã remittes, quod, ut putabamus, celeriter eras facturus, omnibus ei de rebus quas agi, quas curari à me uoles, mandata des uelim. L. Valerium iure consultum ualde tibi commendo, sed ita etiam si nõ est iureconsultus. Melius enim ei cauere uolo, q̃ ipse alijs solet. Valde hominẽ diligo. est ex meis domesticis atq; intimis familiaribus. omnino tibi agit gratias: sed idẽ scribit, meas literas maximũ apud te pondus habituras. id eũ ne fallat, te etiã atq; etiã rogo. Vale.

M. CICERO PROCOS S. D. APPIO PVLCHRO IMP.



Vm & contra uoluntatẽ meam, & præter opinionẽ accidisset, ut mihi cum imperio in prouinciã proficisci necesse esset: in multis & uarijs molestijs cogitationibusq; meis, hæc una consolatio occurrebat, quòd neq; tibi amicior quàm ego sum quisquam posset succedere: neq; ego ab ullo prouinciã accipere, qui mallet eam quammaximè mihi aptam explicatamq; tradere. Quòd si tu quoq; eandem de mea uoluntate erga te spem habes, ea te profecto nunquam fallet. A te maximo opere prò nostra summa coniunctione, tuaq; singulari humanitate etiam atq; etiã quæso & peto, ut quibuscunq; rebus poteris, poteris autem plurimis, prospicias & consulas rationibus meis. Vides ex S. C. prouinciam esse habendam. si eã, quoad eius facere potueris, quam expeditissimã mihi tradideris, facilior erit mihi quasi decursus mei temporis. quid in eo genere efficere possis, tui consilij est. ego te quod tibi ueniet in mentem mea interesse, ualde rogo. Pluribus uerbis ad te scriberem, si aut tua humanitas longiorem orationem expectaret: aut id fieri nostra amicitia pateretur: aut res uerba desideraret, ac non pro se ipsa loqueretur. Hoc uelim tibi persuadeas, si rationibus meis prouisum à te esse intellexero, magnam te ex eo, & perpetuam uoluptatem esse capturum. Vale.

CICERO S. D. APPIO PVLCHRO.



D XI. K. IVN. Brundisium cum uenissem, Q. Fabianus Legatus tuus mihi præsto fuit: eaq; me ex tuis mandatis monuit, quæ non modo mihi, ad quem pertinebant, sed uniuerso Senatui uenerant in mentem, presidio firmiori opus esse ad istam prouinciam. censebant enim omnes ferè, ut in Italia supplementũ meis, & Bibuli legionibus scriberetur. Id cum Sulpitius COS. passurũ se negaret, multa nos quidẽ questi sumus: sed tantus consensus Senatus fuit ut mature proficisceremur, parendum ut fuerit, itaq; fecimus. Nunc quod à te petij literis his, quas Romæ tabellarijs tuis dedi, uelim tibi curæ sit: ut quæ successori coniunctissimo & amicissimo commodare potest is, qui prouinciam tradit, ut ea pro nostra consociatissima uoluntate, cura ac diligentia tua complectare: ut omnes intelligant, nec me beneuolentiori cuiquã succedere, nec te amiciori potuisse prouinciam tradere. Ex his literis, quarum ad me exemplum misisti, quas in Senatu recitari uoluisti, sic intellexeram, permultos à te milites esse dimissos: sed mihi Fabius idem demonstrauit te id cogitasse facere, sed cum ipse à te discederet, integrum militum numerum fuisse. Id si ita est, pergratum mihi feceris

ris,si istas exiguas copias,quas habuisti,quàm minime imminueris.qua de re S.C.quæ facta sunt,ad te missa esse arbitror.Equidem pro eo quanti te facio, quicquid feceris approbabo.Sed te quoq; confido ea facturũ,quæ mihi intelliges maxime esse accommodata.Ego C.Pomptinum Legatum meũ Brundisij expectabã:eumq; ante KL.Iun.Brundisiũ uenturum arbitror.qui cũ uenerit,quæ primum nauigandi nobis facultas data erit,utemur.

CICERO S.D.APPIO PVLCHRO.

PRid.Non.Iun.cum essem Brundisij, literas tuas accæpi: quibus erat scriptũ,te L.Clodio mandasse, quæ illum mecum loqui uelles.Eum sanè expectabam,ut ea quæ à te afferret,quamprimũ cognoscerem.Meum studiũ erga te & officium, tametsi multis iam rebus spero tibi esse cognitum,tamen in his maxime declarabo,quibus plurimum significare potero,tuam mihi existimationem & dignitatem carissimã esse.Mihi & Q.Fabius Virgilianus, & C.Flaccus, L.F. & diligentissime M.Octauius Cn.F.demonstrauit,me à te plurimi fieri:quod egomet multis argumentis iam antea iudicaram,maximeq; illo libro augurali,quem ad me amantissime scriptum,suauissimum misisti.Mea in te omnia summa necessitudinis officia constabunt.Nam cum teipsum,ex quo tempore tu me diligere cœpisti,cotidie pluris feci,tum accesserunt etiam coniunctiones necessariorum tuorum:duo enim duarum ætatum plurimi facio, Cn.Pompeium filiæ tuæ socerum,& M.Brutum generum tuum. Collegijq; coniunctio , presertim tam honorifice à te approbata,non mediocre uinculum mihi quidem attulisse uidetur ad uoluntates nostras copulandas. Sed & si Clodium conuenero,ex illius sermone ad te scribam plura:& ipse operam dabo,te ut quamprimum uideam.Quòd scribis,tibi manendi causam eam fuisse,ut me conuẽnires,id mihi,ne mentiar,est gratum.

CICERO S.D.APPIO PVLCHRO.

TRalleis ueni ad VI.KL.Sext.ibi mihi pręsto fuit L.Lucilius cũ literis,mandatisq; tuis: quo quidem homine neminẽ potuisti, nec mihi amiciorẽ,nec(ut arbitror)ad ea cognoscenda,quæ scire uolebam,aptiorem prudentioremue mittere.Ego autem & tuas literas legi libenter,& audiui Lucilium diligenter.Nunc quoniam & tu ita sentis(scribis enim quæ de nostris officijs ego ad te scripserim, etsi tibi iucunda fuerint,tamen quoniam ex alto repetita sint,non necessaria te putasse)& re uera confirmata amicitia & perspecta fide,commemoratio officiorũ superuacanea est,eam partem orationis prætermittã:tibi tamen agam,ut debeo,gratias.Animaduerti enim & didici ex tuis literis,te omnibus in rebus habuisse rationem,ut mihi consuleres restitueresq;,& præparares quodam modo omnia,quo mea ratio facilior & solutior esse posset.Hoc tuum officium cum mihi gratissimum esse dicam,sequitur illud,ut te existimare uelim,mihi magnę curæ fore,atq; esse iam,primũ ut ipse tu,tuiq; omnes,deinde ut etiã reliqui scire possint,me tibi esse amicissimũ.Quod quibus adhuc non satis est perspectum,ij mihi nolle magis nos hoc animo esse,quàm non intelligere uidentur. sed profecto intelligent.neq; enim obscuris personis,nec paruis in causis res agetur.Sed hæc fieri melius quàm dici,aut scribi uolo.Quòd itinerum meorum

rum ratio te nonnullam in dubitationē uidetur adducere, uisurúsne me sis in prouincia, ea res sic habet. Brundisij cum loquerer cū liberto tuo Phania, ueni in eum sermonē, ut dicerem libenter me ad eam partem prouinciæ primū esse uenturū, quò te maxime uelle arbitrarer. tunc mihi ille dixit, quòd classe tu uelles decedere, & per fore accommodatū tibi, si ad illam maritimā partem prouinciæ nauibus accessissem. dixi me esse facturū: itaq; fecissem, nisi mihi L. Clodius noster Corcyræ dixisset, minime id esse faciendum: te Laodiceæ fore ad meum aduentū. Erat id mihi multo breuius, multoq; commodius, cū presertim te ita malle arbitrarer. Tua ratio postea est commutata. Nunc quid fieri possit, tu facillime statues. ego tibi meū consilium exponam. Propè Kl. Sext. puto me Laodiceæ fore, per paucos dies, dum pecunia accipitur, quę mihi ex publica permutatione debetur, commorabor. Deinde iter faciā ad exercitū, ut circiter Id. Sext. putē me ad Iconium fore. Sed si quid nunc me fallit in scribēdo (procul enim aberā ab re ipsa, & à locis) simul ac progredi cœpero, quàm celerrimis potero, & quàm creberrimis literis faciā, ut tibi nota sit omnis ratio dierum atq; itinerū meorum. Oneris tibi imponere nec audeo quicquam, nec debeo. sed quòd commodo tuo fieri possit, utriusq; nostrū magni interest, prius ut te conueniam, quàm decedas. Quam facultatem si quis casus eripuerit, mea tamen in te omnia officia constabunt, nō secus ac si te uidissem. Tibi de nostris rebus nihil sum antè mandaturus per literas, quàm desperaro coràm me tecum agere posse. Quòd te à Scæuola petijsse dicis, ut dum tu abesses ante aduentum meum, prouinciæ præesset: eū ego Ephesi uidi, fuitq; mecum familiariter triduū illud, quod ego Ephesi commoratus sum: nec ex eo quicquā audiui, quod sibi à te mandatum diceret. Sanè autem uellem potuisse obsequi uoluntati tuæ, non enim arbitror noluisse.

M. CICERO S. D. APPIO PVLCHRO.



Vm meum factum cum tuo comparo, etsi non magis mihi faueo in nostra amicitia tuenda quàm tibi, tamen multo magis meo facto delector, quàm tuo. Ego enim Brundisij quæsiui ex Phania, cuius mihi uidebar & fidelitatem erga te perspexisse, & nosse locum, quem apud te is teneret: quam in partē prouinciæ maxime putaret te uelle, ut in succedendo primū uenirem. Cum ille mihi respondisset, nihil me tibi gratius facere posse, quàm si ad Sidam nauigassem: etsi minus dignitatis habebat ille aduentus, & ad multas res mihi minus erat aptus, tamen ita me dixi esse facturū. Idem ego cum L. Clodiū Corcyræ conuenissem, hominem ita tibi coniunctum, ut mihi, cum illo cum loquerer, tecum loqui uiderer: dixi ei me ita facturum esse, ut in eam partē, quam Phania rogasset, primum uenirem. Tunc ille mihi cū gratias egisset, magnopere à me petiuit, ut Laodiceam protinus irē: te in prima prouincia uelle esse, ut quàmprimū decederes: quin nisi ego successor essem. quem tu cuperes uidere, te antea quàm tibi successum esset, decessurū fuisse. quod quidem erat consentaneū cum ijs literis, quas ego Romæ accœperā: ex quibus perspexisse mihi uidebar, quàm festinares decedere. Respondi Clodio me ita esse facturū, ac multo quidem libentius, quàm si illud esset faciendum quod promiseram Phaniæ. Itaque & consilium mutaui: & ad te statim mea manu scriptas literas misi, quas quidē ex tuis literis

intellexi satis mature adte esse perlatas. Hoc ego meo facto ualde delector: nihil enim potuit fieri amantius. Considera nunc uicissim tuum. Non modo ibi non fuisti, ubi me quamprimũ uidere posses, sed eò discessisti, quò ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege (ut opinor) Cornelia constituti essent, ut tuum factum, qui quo animo inter nos simus, ignorent, alieni hominis (ut leuissime dicã) & fugientis congressum, meum uero coniunctissimi & amicissimi esse uideatur. Ac mihi tamen antè, quàm in prouinciã ueni, redditæ sunt à te literæ: quibus etsi te Tarsum proficisci demonstrabas, tamen mihi non dubiã spem mei conueniendi afferebas: cum interea, credo, equidẽ maleuoli homines (late enim patet hoc uitium, & est enim in multis) sed tamẽ probabilem materiẽ nacti sermonis, ignari meæ constantię, conabantur alienare à te uoluntatẽ meam: qui te forum Tarsi agere, statuere, multa decernere, iudicare dicerent, cum posses iam suspicari tibi esse successum: quæ ne ab his quidẽ fieri solerent, qui breui tempore sibi succedi putarent. Horum ego sermone nõ mouebar. quinetiã (credas mi uelim) si quid tu ageres, leuari me putabã molestia: & ex annua prouincia, quæ mihi longa uidetur, propè iam undecim mensium prouinciã factam esse gaudebam, si absenti mihi unius mensis labor detractus esset. Illud, uere dicam, me mouet, in tanta militũ paucitate abesse tres cohortes, quæ sint plenissimæ: nec me scire, ubi sint. Molestissime autẽ fero, quòd te, ubi uisurus sim, nescio: eóq; ad te tardius scripsi, quòd cotidie te ipsum expectabã, cum interea ne literas quidem ullas accæpi, quæ me docerent, quid ageres, aut ubi te uisurus essem. Itaq; uirum fortẽ, mihiq; in primis probatũ Antonium Præfectũ euocatorum misi ad te, cui si tibi uidetur, cohortis traderes: ut dum tempus anni esset idoneũ, aliquid negotij gerere possem. In quo tuo consilio ut me sperarẽ esse usurũ, & amicitia nostra, & literæ tuæ fecerant, quod ne nunc quidẽ despero. Sed planè quando aut ubi te uisurus sim, nisi ad me scripseris, ne suspicari quidem possum. Ego, ut me tibi amicissimum esse & æqui & iniqui intelligant, curabo. De tuo in me animo iniquis secus existimandi uideris nonnihil loci dedisse. id si correxeris, ualde gratum mihi erit. Et ut habere rationem possis, quo loco me salua lege Cornelia conuenias, ego in prouinciam ueni prid. Kal. Sext. iter in Ciliciam facio per Cappadociam. castra moui ab Iconio prid. Kal. Sept. Nunc tu & ex diebus, & ex ratione itineris, si putabis me esse conueniendum, constitues, quo loco id commodissime fieri possit, & quo die.

CICERO S.D. APPIO PVLCHRO.



PLuribus uerbis ad te scribã, cum plus otij nactus ero. Hæc scripsi subito, cũ Bruti pueri Laodiceæ me conuenissent, & se Romam properare dixissent. Itaq; nullas ijs, præterquã ad te & ad Brutũ dedi literas. Legati Appiani mihi uolumen à te plenum querelæ iniquissimæ reddiderunt, quòd eorum ædificationẽ literis meis impedissem. Eadem autẽ epistola petebas, ut eos quamprimũ, ne in hiemem inciderent, ad facultatem ædificandi liberarem: & simul peracute querebare, quòd eos tributa exigere uetarẽ, priusquam ego re cognita permisissem. Genus enim quoddam fuisse impediendi, cum ego cognoscere non possem, nisi cum ad

hiemem

hiemem me ex Cilicia recepissem. Ad omnia accipe, & cognosce æquitatem expostulationis tuæ. Primum cum ad me aditum esset ab ijs, qui dicerent à se intolerabilia tributa exigi: quid habuit iniquitatis, me scribere, ne facerent antè, quàm ego rem causamq́ cognossem? Non poteram, credo, ante hiemẽ (sic enim scribis) quasi uero ad cognoscendum ego ad illos, non illi ad me uenire debuerint. Tam longe, inquis? quid cum dabas ijs literas, per quas mecũ agebas, ne eos impedirẽ, quo minus ante hiemem ædificarent, non eos ad me uenturos arbitrabare? Tametsi id quidem fecerunt ridicule. quas enim literas afferebant, ut opus æstate facere possent, eas mihi post brumam reddiderunt. Sed scito, & multo plureis esse, qui de tributis recusent, quàm qui exigi uelint: & me tamen, quod te uelle existimem, esse facturũ. De Appianis hactenus. A Pausania Lentuli liberto, accenso meo audiui, cum diceret, te secũ esse questum, quòd tibi obuiam nõ prodijssem. Scilicet contempsi te: nec potest fieri me quicquam superbius. Cũ puer tuus ad me secunda ferè uigilia uenisset, isq́ te ante lucem Iconiũ mihi uenturum nuntiasset, incertumq́ utra uia, cum essent duæ, altera Varronẽ tuum familiarissimũ, altera Q. Leptam Præfectum fabrûm meum tibi obuiã misi: mandaui utriq́ eorum, ut antè ad me excurrerent, ut tibi obuiam prodire possem. Currens Lepta uenit, mihiq́ nunciauit te iam castra prętergressum esse: confestim Iconiũ ueni, cętera iam tibi nota sunt. An ego tibi obuiam non prodirem? primum Appio Claudio? deinde Imperatori? deinde more maiorũ? deinde, quod caput est, amico? cũ in isto genere multo etiam ambitiosius facere soleã, quàm honos meus & dignitas postulat. Sed hæc hactenus. Illud idem Pausania dicebat te dixisse, Quid ni? Appius Lentulo, Lentulus Appio processit obuiã, Cicero Appio noluit. Quæso etiámne tu has ineptias, homo mea sententia summa prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum usu, addo urbanitate, quæ est uirtus ut Stoici rectissime putant, ullam appietatem aut lentulitatẽ ualere apud me plus, quàm ornamenta uirtutis existimas? Cum ea consecutus nondũ eram, quæ sunt hominum opinionibus amplissima, tamen ista uestra nomina nunquam sum admiratus: uiros eos, qui ea uobis reliquissent, magnos arbitrabar. Postea uero quàm ita & cępi & gessi maxima imperia, ut mihi nihil neq́ ad honorem, neque ad gloriam acquirendum putarem: superiorem quidem nunquam, sed parem uobis me speraui esse factum. Nec mehercule aliter uidi existimare, uel Cn. Pompeium, quem omnibus, qui unquam fuerunt: uel P. Lentulum, quem mihi ipsi antepono. Tu si aliter existimas, nihil errabis, si paulo diligentius (ut quid sit εὐγένεια quid sit nobilitas intelligas) Athenodorus Sandonis filius, quid de his rebus dicat, attenderis. Sed ut ad rem redeam, me tibi non amicum modo, uerumetiam amicissimum existimes uelim: profecto omnibus officijs meis efficiam, ut ita esse uere possis iudicare. Tu autem si id agis, ut minus mea causa, dum ego absim, debere uidearis, quàm ego tua laborarim, libero te ista cura. παῤ ἐμοί γε κὰι ἄλλοι, O ἱκέ με τιμήσουσι, μάλισα δὲ μητίετα ζεύς. Si autem natura es φιλαίτιος, illud non perficies, quò minus tua causa uelim: hoc assequére, ut quam in partem tu accipias, minus laborem. Hæc ad te scripsi liberius, fretus conscientia officij mei beneuolentiæq́, quàm à me certo iudicio suscæptam, quoad tu uoles conseruabo.

Cicero

CICERO S.D. APPIO PVLCHRO.



T si quantum ex tuis literis intelligere potui, uidebam te hanc epistolam cum ad urbem esses, esse lecturũ, refrigerato iam leuissimo sermone hominum prouincialiũ: tamen cũ tu tam multis uerbis ad me de improborum oratione scripsisses, faciendum mihi putaui, ut tuis literis breui responderem. Sed prima duo capita epistolæ tuæ tacita mihi quodammodo relinquenda sunt. Nihil enim habent, quod definitum sit, aut certum: nisi me uultu, taciturnitate significasse tibi non esse amicũ: idq; pro tribunali, cum aliquid ageretur, & nonnullis in conuiuijs intelligi potuisse. Hoc totum nihil esse, possum intelligere: sed cum sit nihil, ne quid dicatur quidem inrelligo, illud quidem scio, meos multos, & illustres, & ex superiore & ex æquo loco sermones habitos cum tua summa laude, & cum magna significatione nostræ familiaritatis, ad te uere potuisse deferri. Nam quod ad Legatos attinet, quid à me fieri potuit aut elegantius aut iustius? quàm ut sumptus egentissimarum ciuitatum minuerem sine ulla imminutione dignitatis tuæ, presertim ipsis ciuitatibus postulantibus? Nam mihi totum genus legationum tuo nomine proficiscentium, notum non erat. Apameæ cum essem, multarum ciuitatũ principes ad me detulerunt, sumptus decerni Legatis nimis magnos, cum soluendo ciuitates non essent. Hic ego multa simul cogitaui: primum te hominem non solum sapientem, uerumetiam (ut nunc loquimur) urbanum, non arbitrabar genere isto legationum delectari: idq; me arbitror Synnadis pro tribunali multis uerbis disputauisse. Primum Appium Claudium Senatui Populoq; Romano non Myndensium testimonio (In ea enim ciuitate mentio facta est) sed sua sponte esse laudatum. Deinde me ista uidisse accidere multis, ut eorum causa, legationes Romam uenirent: sed his legationibus non meminisse ullum tempus laudandi, aut locum dari. Studia mihi eorum placere, quòd in te benemerito grati essent: consilium totum uideri minime necessarium. Si autem uellent declarare in eo officium suum, laudaturũ me, si qui suo sumptu functus esset officio: concessurum, si legitimo: non permissurum, si infinito. Quid enim reprehendi potest, nisi quod addis, uisum esse quibusdam edictum meum, quasi consulto ad istas legationes impediendas esse accommodatum? Iam non tantũ mihi uidentur iniuriam facere ij, qui hæc disputant, quàm si cuiuis aures ad hanc disputationem patent. Romæ composui edictũ, nihil addidi, nisi quòd publicani me rogarunt, cum Samum ad me uenissent, ut de tuo edicto totidem uerbis transferrem in meum diligentissime scriptum. Caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus ciuitatum, quo in capite sunt quædam noua, salutaria ciuitatibus, quibus ego magnopere delector. hoc uero, ex quo suspicio nata est me exquisisse aliquid, in quo te offenderem, tralatitium est. Neque enim eram tam desipiens, ut priuatæ rei causa legari putarem, qui & tibi non priuato, & pro re non priuata sua, sed publica, non in priuato, sed in publico orbis terræ consilio, idest in Senatu, ut gratias agerent, mittebantur: neque cum edixi, ne quis iniussu meo proficisceretur, exclusi eos qui me in castra, & qui trans Taurum persequi non possent. nam id est maxime in tuis literis irridendum. Quid enim erat, quod me persequerentur

in castra, Taurumue transirent? cum ego Laodicea usque ad Iconium iter ita fecerim, ut me omnium illarum diœcesiũ, quæ cis Taurum sunt, omniumq́ earum ciuitatum magistratus legationesq́ conuenirent. nisi forte postea cœperunt legare, quàm ego Taurum transgressus sum: quod certe non ita est. Cum enim Laodiceæ, cum Apameæ, cum Synnadis, cum Philomeli, cũ Iconij essem, quibus in oppidis omnibus commoratus sum, omnes iã istius generis legationes erant constitutæ. Atque hoc tamen te scire uolo, me de isto sumptu legationum aut minuendo aut remittendo decreuisse nil, nisi quod principes ciuitatum à me postulassent, ne in uenditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem, quam tu non ignoras, capitum atque ostiorum, inducerentur sumptus minime necessarij. Ego autem cum hoc suscæpissem, non solum iustitia, sed etiam misericordia adductus, ut leuarem miserijs perditas ciuitates, & perditas maxime per magistratus suos: non potui illo sumptu nõ necessario negligens esse. Tu, cum istiusmodi sermones ad te delati de me sunt, non debuisti credere. Si autem hoc genere delectaris, ut quæ tibi in mentẽ ueniant, alijs attribuas: genus sermonis inducis in amicitiam minime liberale. Ego si in prouincia detrahere de tua fama unquã cogitassem, non ad generum tuum Lentulum, neque ad libertum tuum Brundisij, neque ad Præfectum fabrum Corcyræ, quem in locum me uenire uelles, retulissem. Quare potes, doctissimis hominibus authoribus, quorum sunt de amicitia gerenda præclarissime scripti libri, genus hoc totum orationis tollere. Disputabant, ego contra disserebam. Dicebant ego negabam. An mihi de te nihil esse dictum unquam putas? ne hoc quidem, quòd cum me Laodiceam uenire uoluisses, Taurum ipse transisti? quòd ijsdem diebus meus conuentus erat Apameæ, Synnadis, Philomeli: tuus Tarsi? non dicam plura, ne in quo te obiurgem, id ipsum uidear imitari. Illud dicam, ut sentio: si ista, quæ alios loqui dicis, ipse sentis, tua summa culpa est: sin autem alij tecum hæc loquuntur, tua tamen, quòd audis, culpa nonnulla est. mea ratio in tota amicitia nostra constans & grauis reperietur. Quòd si qui me astutiorem fingit, quid potest esse callidius, quàm, cum te absentem semper defenderim, cum presertim mihi usu uenturum non arbitrarer, ut ego quoque à te absens defendendus essem: nunc committerem, ut tu iure optimo me absentem deserere posses? Vnum genus excipio sermonis, in quo persæpe aliquid dicitur, quod te putem nolle dici: si aut Legatorum tuorum cuipiam, aut Præfectorum, aut Tribunorum militum maledicitur. quod tamen ipsum non mehercule adhuc accidit me audiente, ut aut grauius diceretur aut in pluris, quàm mecum Corcyræ Clodius est locutus: cum in eo genere maxime quereretur, te aliorum improbitate minus felicem fuisse. Hos ego sermones, quòd & multi sunt, & tuam existimationem, ut ego sentio, non offendunt, lacessiui nunquam, sed non ualde repressi. Si quis est, qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse, non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam: simulq́ non de me is peius, quàm de te existimat. sin autem quem mea instituta in prouincia non delectant, & quadam dissimilitudine institutorum meorum, ac tuorum, lædi se putat, cum uterque nostrum recte fecerit, sed non idem uterque secutus sit: hunc ego amicum habere non curo. Liberalitas

tua,

tua,ut hominis nobilissimi,latius in prouincia patuit. Nostra si angustior: etsi de tua prolixa beneficaq; natura limauit aliquid posterior annus, propter quandã tristitiã temporum,non debent mirari homines, cum & natura semper ad largiendũ ex alieno fuerim restrictior,& temporibus, quibus alij mouentur,ijsdem ego mouear: me esse acerbum sibi, ut sim dulcis mihi? De rebus urbanis quòd me certiorẽ fecisti,cum per se mihi gratũ fuit,tum quòd significasti tibi omnia mea mandata curæ fore. In quibus illud unum te præcipue rogo,ut cures,ne quid mihi ad hoc negotij,aut oneris accedat aut temporis: Hortensiumq; nostrum Collegam,& familiarem roges,ut si unquam mea causa quicquam aut sensit aut fecit,de hac quoq; sententia bima decedat, qua mihi nihil potest esse inimicius. De nostris rebus quod scire uis,Tarso Non.Octob. Amanum uersus profecti sumus. Hæc scripsi postridie eius diei,cum castra haberem in Agro Moshestiæ. Si quid egero, scribam ad te: neq; domum unquam ad me literas mittam,quin adiungã eas,quas tibi reddi uelim. De Parthis quod quæris, fuisse nullos puto. Arabes qui fuerunt admisto Parthico ornatu,dicuntur omnes reuertisse. Hostẽ esse in Syria negant ullum. Tu uelim quàm sæpissime ad me & de tuis rebus scribas, & de meis,& de omni reipub.statu:de quo sum solicitus,eo magis,quo ex tuis literis cognoui,Pompeium nostrum in Hispaniam iturum.

CICERO APPIO PVLCHRO S.

VIx tandem legi literas dignas Appio Clodio. plenas humanitatis,officij,diligentiæ. Aspectus uidelicet urbis tibi tuam pristinã urbanitatem reddidit. Nam quas ex itinere antè quàm ex Asia egressus es,ad me literas misisti,unas de Legatis à me prohibitis proficisci,alteras de Appianorũ ædificatione impedita,legi perinuitus. Itaq; conscientia meæ constantis erga te uoluntatis rescripsi tibi subiratus. Iis uerò literis lectis,quas Philotimo liberto meo dedisti, cognoui intellexiq; in prouincia multos fuisse,qui nos,quo animo inter nos sumus esse nollent. Ad urbem uero ut accesseris, uel potius ut primum tuos uideris,cognosce te ex ijs, qua in te absentem fide, qua in omnibus officijs tuendis erga te obseruantia & constantia fuissem. Itaque quanti illud me æstimare putas, quod est in tuis literis scriptum, Si quid inciderit,quod ad meam dignitatem pertineat, etsi uix fieri posset, tamen te parem mihi gratiam relaturum? Tu uerò facile facies. nihil est enim quod studio,& beneuolentia,uel amore potius effici non possit. Ego, etsi & ipse ita iudicabam, & fiebam crebro à meis per literas certior,tamen maximam lætitiam cæpi ex tuis literis de spe minime dubia,& planè explorata triumphi tui. neque uero ob eam causam, quo ipse facilius consequerer,(nam id quidem ἐπιπόνηρον est) sed me hercule, quòd tua dignitas atque amplitudo mihi est ipsa cara per se. Quare quoniam pluris tu habes quàm cæteri,quos scias in hanc prouinciam proficisci, quòd te adeunt ferè omnes,si quid uelis: gratissimum mihi feceris, si ad me, simulatq; adeptus eris quod & tu confidis,& ego opto, literas miseris. Longi subsellij (ut noster Pompeius appellat) iudicatio, & mora, si quem tibi item unum alterumue diem abstulerit (quid enim potest amplius?) tua tamen dignitas suum locum obtinebit. Sed si me diligis, si à me diligi uis,ad me

literas, ut quamprimum lætitia afficiar, mittito. Et uelim reliquum quod est promissi, ac muneris tui, mihi persoluas. Cum ipsam cognitionem iuris augurij consequi cupio, tum mehercule tuis incredibiliter studijs erga me, muneribusq; delector. Quòd autem à me tale quiddam desideras, sanè mihi considerandum est, quonam te remunerer potissimum genere. nam profecto non est meum, qui in scribendo (ut soles admirari) tantum industriæ ponã, committere, ut negligens scribendo fuisse uidear: præsertim cum id non modo negligentis, sed etiam ingrati animi crimen futurum sit. Verum hæc uidebimus. Illud quod polliceris, uelim pro tua fide, diligentiaq;, & pro nostra non instituta, sed iam inueterata amicitia, cures, enitare, ut supplicatio nobis quàm honorificentissime, quamprimumq; decernatur. Omnino serius misi literas, quàm uellem. in quo cum difficultas nauigandi fuit odiosa, tum in ipsum discessum Senatus incidisse credo literas meas. Sed id feci adductus authoritate, & consilio tuo: idq; à me recte factum puto, quòd non statim, ut appellatus imperator sim, sed alijs rebus additis, æstiuisq; confectis, literas miserim. Hæc igitur tibi erunt curæ, quemadmodum ostendis: meq; totum, & mea, & meos commendatos habebis.

CICERO APPIO PVLCHRO S.



Vm est ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotium facesserent, etsi grauiter primo nuntio commotus sum, quòd nihil tam præter opinionẽ meam accidere potuit: tamen ut me collegi, cætera mi facillima uidebantur, quòd & in teipso maximã spem, & in tuis magnam habebã: multaq; mihi ueniebant in mentem, quamobrem istum laborem tibi etiã honori putarem fore. Illud planè moleste tuli, quòd certissimũ & iustissimum triumphũ, hoc inuidorum consilio esse tibi ereptũ uidebam. Quod tu si tanti facies, quanti ego semper iudicaui faciendũ esse, facies sapienter, & ages uictor ex inimicorum dolore triumphum iustissimũ. Ego enim planè uideo fore, neruis, opibus, sapientia tua, uehementer ut inimicos tuos pœniteat intemperantiæ suæ. De me tibi sic, contestans omneis deos, promitto atq; confirmo, me pro tua dignitate (malo enim dicere, quàm pro salute) in hac prouincia, cui tu præfuisti, rogando, deprecatoris: laborando, propinqui: authoritate, cari hominis (ut spero) apud ciuitates: grauitate, Imperatoris suscæpturum officia atque parteis. Omnia uolo à me & postules, & expectes. uincam meis officijs cogitationes tuas. Q. Seruilius perbreueis mihi à te literas reddidit, quæ mihi tamen nimis longæ uisæ sunt. Iniuriam enim mihi fieri putabam, cum rogabar. Nollem accidisset tempus, in quo perspicere posses, quanti te, quanti Pompeium, quem unum ex omnibus facio, ut debeo, plurimi: quanti Brutum facerem, quamquam in consuetudine cotidiana perspexisses, sicuti perspicies. sed quoniam accidit, si quid à me prætermissum erit, commissum facinus & admissum dedecus confitebor. Pontinius, qui à te tractatus est præstanti ac singulari fide, cuius tui beneficij sum ego testis, præstat tibi memoriam beneuolentiamq;, quam debet. qui, cum maximis suis rebus coactus à me inuitissimo decessisset, tamen ut uidit interesse tua, conscendens iam nauem Ephesi Laodiceam reuertit. Talia te cum studia uideam habiturum esse innumerabilia, planè

dubitare

dubitare non possum, quin tibi amplitudo, ista solicitudo futura sit. Si uero efficis, ut Censores creentur: & si ita gesseris Censuram, ut & debes & potes, non tibi solum, sed tuis omnibus in perpetuum uideo summo te præsidio futurum. Illud pugna, & enitere, ne quid nobis temporis prorogetur: ut, cum hic tibi satisfecerimus, istic quoque nostram in te beneuolentiam nauare possimus. Quæ de hominum atque ordinum omnium erga te studijs, scribis ad me, minime mihi miranda, & maxime iucunda acciderunt: eademque ad me perscripta sunt à familiaribus meis. Itaque capio magnam uoluptatem, cum tibi, cuius mihi amicitia non solũ ampla, sed etiã iucunda est, ea tribui, quæ debeantur, tum uerò remanere etiam nunc in ciuitate nostra studia propè omnium consensu erga forteis & industrios uiros: quæ mihiipsi una semper tributa merces est laborum & uigiliarum mearum. Illud uerò permirum mihi accidit, tantam temeritatem fuisse in eo adolescente, cuius ego salutẽ duobus capitis iudicijs summa contentione defendi, ut tuis inimicitijs suscipiendis, obliuisceretur patroni omnium fortunarũ ac rationum suarum: presertim cũ tu omnibus uel ornamentis, uel præsidijs redundares: illi, ut leuissime dicam, multa deessent. Cuius sermo stultus & puerilis, erat iam antea ad me à M. Cœlio familiari nostro perscriptus: de quo item sermone multa scripta sunt abs te. Ego autem citius cum eo, qui tuas inimicitias suscæpisset, ueterem coniunctionem diremissem, quàm nouã conciliassem. Neque enim de meo erga te studio dubitare debes: neque id est obscurum cuiquam in prouincia, nec Romæ fuit. Sed tamen significatur in tuis literis suspicio quædam, & dubitatio tua, de qua alienum tempus est mihi tecum expostulandi: purgandi autem mei, necessarium. Vbi enim ego cuiquam legationi fui impedimento, quo minus Romam ad laudem tuam mitteretur? aut in quo potui, si te palàm odissem, minus, quod tibi obesset, facere? si clàm, magis aperte inimicus esse? Quòd si essem ea perfidia, qua sunt ij, qui in nos hæc conferunt: tamen ea stultitia certe non fuissem, ut aut in obscuro odio apertas inimicitias, aut in quo tibi nihil nocerem, summã ostenderem uoluntatẽ nocendi. Ad me adire quosdam memini nimirum ex Epicteto qui dicerent nimis magnos sumptus Legatis decerni: quibus ego nõ tam imperaui, quam censui, sumptus Legatis quammaxime ad legem Corneliã decernendos. Atque in eo ipso me non perseuerasse, testes sunt rationes ciuitatum: in quibus quantum quæque uoluit Legatis tuis datum, induxit. Te autem quibus mendacijs homines leuissimi onerarunt: non modo sublatos sumptus, sed etiã à procuratoribus eorum, qui iam profecti essent, repetitos & ablatos, eamque causam multis omnino non eundi fuisse. Quererer tecum atque expostularem, ni (ut supra scripsi) purgare me tibi hoc tuo tempore, quàm accusare te mallem: idque putarem esse rectius. Itaque nihil de te, quòd credideris de me: quamobrem non debueris credere, pauca dicam. Nam si me uirum bonum, si dignum his studijs, eaque doctrina, cui me à pueritia dedi: si satis magni animi, non minimi consilij in maximis rebus, perspectum habes: nihil in me non modo perfidiosum, & insidiosum & fallax in amicitia, sed ne humile quidem aut ieiunum debes agnoscere. Sin autem me astutum & occultum lubet fingere, quid est quod minus cadere in eiusmodi naturam possit, quàm aut florentissimi hominis aspernari beneuolentiam: aut eius existimationẽ oppugnare in prouincia, cuius lau

dem domi defenderis: aut in ea re animum ostendere inimicum, in qua nihil obsis: aut id eligere ad perfidiam, quod ad indicandum odium apertissimum sit, ad nocendum leuissimũ? Quid erat autem, cur ego in te tam implacabilis essem, cum te ex fratre meo ne tunc quidẽ, cum tibi propè necesse esset eas agere parteis, inimicũ mihi fuisse cognossem? Cum uero reditum nostrũ in gratiam uterq; expetisset, quid in Consulatu tuo frustra mecum egisti, quod me aut facere, aut sentire uoluisses? quid mihi mandasti, cum te Puteolis prosequerer, in quo non expectationem tuam diligentia mea uicerim? Quòd si id est maxime astuti, omnia ad suam utilitatẽ referre: quid mihi tandem erat utilius, quid commodis meis aptius, quàm hominis nobilissimi atque honoratissimi coniunctio: cuius opes, ingenium, liberi, affines, propinqui mihi magno uel ornamento uel præsidio esse possent? Quæ tamen ego omnia in expetenda amicitia tua, non astutia quadam, sed aliqua potius sapientia, secutus sum. Quid? illa uincula, quibus quidem libentissime astringor, quanta sunt? studiorum similitudo, suauitas consuetudinis, delectatio uitæ atque uictus, sermonis societas, literæ interiores. Atque hæc domestica. Quid illa tandem popularia? reditus illustris in gratiam, in quo ne per imprudentiã quidem errari potest sine suspitione perfidiæ: amplissimi sacerdotij collegium, in quo non modo amicitiã uiolari apud maiores nostros fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, qui cuiquã ex collegio esset inimicus. Quæ ut omittam tam multa atq; tanta: quis unquam tanti quenquam fecit, aut facere potuit, aut debuit, quanti ego Cn. Pompeium socerum tuæ filiæ? Etenim si merita uellent: patriã, liberos, salutem, dignitatem, memetipsum mihi per illum restitutum puto. si consuetudinis iucunditas: quæ fuit unquam amicitia Consularium in nostra ciuitate coniunctior? Si illa amoris atq; officij signa: quid mihi ille non commisit? quid non mecum communicauit? quid de se in Senatu, cum ipse abesset, per quenquã agi maluit? quibus ille me rebus non ornatissimum uoluit amplissime? qua denique ille facilitate, qua humanitate tulit contentionem meam pro Milone aduersante interdũ actionibus suis? quo studio prouidit, ne quæ me illius temporis inuidia attingeret, cũ me consilio, cum authoritate, cum armis denique texit suis? Quibus quidem temporibus hæc in eo grauitas, hæc animi altitudo fuit, non modo ut Phrygi alicui aut Lycaoni, quod tu in Legatis fecisti: sed ne summorum quidem hominũ maleuolis de me sermonibus crederet. Huius igitur filius cum sit gener tuus, cumq; præter hanc coniunctionem affinitatis, quàm sis Cn. Pompeio carus, quamq; iucundus intelligam, quo tandem animo in te esse debeo, cum presertim eas ad me is literas miserit, quibus etiam si tibi, cui sum amicissimus, hostis essem: placarer tamen: totumq; me ad eius uiri ita de me meriti uoluntatem nutumq; conuerterem? Sed hæc hactenus, pluribus enim etiam fortasse uerbis, quàm necesse fuit, scripta sunt. Nunc ea, quę à me profecta, quęq; instituta sint cognosce.

Hic multa desiderantur.

Atq;

Atq; hæc agimus,& agemus magis pro dignitate, quàm pro periculo tuo. Te enim(ut spero propediem Censorem audiemus:cuius magistratus officia,quæ sunt maximi animi,summiq; consilij,tibi diligentius & accuratius, quàm hæc quæ nos de te agimus,cogitanda esse censeo.

CICERO APPIO PVLCHRO(VT SPERO)CENSORI S.D.

CVm essem in castris ad fluuium Pyramũ,redditæ mihi sunt uno tempore à te epistolæ duæ,quas ad me Q. Seruilius Tarso miserat.Earum in altera dies erat ascripta Non.Apr.in altera,quæ mihi recentior uidebatur,dies non erat.Respondebo igitur superiori prius,in qua scribis ad me de absolutione maiestatis.de qua,etsi permultũ antè certior factus eram literis,nuncijs,fama deniq; ipsa(nihil enim fuit clarius,non quo quisquã aliter putasset,sed nihil de insignibus ad laudem uiris obscure nunciari solet)tamen eadem illa lætiora mihi fecerunt tuæ literæ,nõ solum quia planius loquebantur & uberius,quàm uulgi sermo: sed etiã quia magis uidebar tibi gratulari. cum de te ex teipso audiebã.Complexus igitur sum cogitatione te absentẽ:epistolã uero osculatus,etiã ipse mihi gratulatus sum(quæ enim à cuncto populo,à Senatu,à iudicibus,ingenio,industriæ, uirtuti tribuuntur:quia mihi ipse adsentor fortasse,cum ea esse in me fingo:mihi quoq; ipsi tribui puto)nec tam gloriosum exitum tui iudicij extitisse, sed tam prauã inimicorum tuorũ mentem fuisse mirabar. De ambitu uero quid interest,inquies,an de maiestate? ad rem nihil.alterũ enim non attigisti,alteram auxisti. Veruntamen est maiestas(ut Sulla uoluit)ne in quenuis impune declamari liceret. Ambitus uero ita apertã uim habet,ut aut accusetur improbe,aut defendatur.qui enim facta,& non facta largitio ignorari potest? Tuorum autem honorũ cursus,cui suspectus unquã fuit? Me miserum, qui non affuerim.quos ego risus excitassem? Sed de maiestatis iudicio duo mihi illa ex tuis literis iucundissima fuerunt.unũ,quòd te ab ipsa repub. defensum scribis,quæ quidem,etiam in summa bonorũ & fortium ciuium copia, tueri taleis uiros deberet:nunc uero eo magis,quòd tanta penuria est in omni uel honoris uel ætatis gradu,ut tam orba ciuitas taleis tutores complecti debeat. alterum,quòd Pompeij & Bruti fidem beneuolentiamq; mirifice laudas. Lætor uirtute & officio cum tuorum necessariorũ,meorum amicissimorũ: tum alterius omnium seclorũ & gentium principis:alterius,iampridem iuuentutis,celeriter(ut spero)ciuitatis.De mercenarijs testibus à suis ciuitatibus notandis,nisi iam factum aliquid est per Flaccum,fiet à me,cum per Asiam decedam. Nunc ad alteram epistolam uenio. Quòd ad me quasi formam communium temporum, & totius reipublicæ misisti expressam, prudentia literarum tuarum ualde mihi est grata. Video enim & pericula leuiora, quàm timebã,& maiora præsidia:si quidẽ(ut scribis)omnes uires ciuitatis se ad Pompeij ductũ applicauerunt.tuumq; simul promptũ animum & alacrem perspexi ad defendendã remp.mirificamq; cæpi uoluptatem ex hac tua diligentia,quòd in summis tuis occupationibus,mihi tamen reip.statum per te notum esse uoluisti.Nam augurales libros ad commune utriusq; nostrum otium serua.Ego enim à te cum tua promissa per literas flagitabam, ad urbẽ te otiosissimũ esse arbitrabar.nunc tamen,ut ipse polliceris,pro auguralibus


libris orationes tuas confectas omnes expectabo. Tullius, cui mandata ad me dedisti, non conuenerat me: nec erat iam quisquã mecum tuorum, præter omnes meos, qui sunt omnes tui. Stomachosiores meas literas quas dicas esse, nõ intelligo. Bis ad te scripsi, me purgans diligenter: te leuiter accusans in eo, quòd de me cito credidisses. quod genus querelę mihi quidem uidebatur esse amici: sin tibi displicet, non utar eo posthac. Sed si, ut scribis, hæ literæ nõ fuerunt disertæ, scito meas non fuisse. Vt enim Aristarchus Homeri uersum negat, quem non probat, sic tu (libet enim mihi iocari) quod disertum non erit, ne putaris meum. Vale, & in Censura, si iam es Censor, ut spero, de proauo multum cogitato tuo.

CICERO APPIO PVLCHRO S.


Ratulabor tibi prius (ita enim rerũ ordo postulat) deinde ad me conuertar. Ego uero uehemẽter gratulor de iudicio ambitus, neq; id, quod nemini dubium fuit, absolutũ esse te: sed illud, quod quo melior ciuis, quo uir clarior, quo fortior amicus es, quoq; plura uirtutis, industriæ ornamenta in te sunt, eo mirandũ est magis, nullã ne in tabellæ quidem latebra fuisse absconditam maleuolentiam, quæ te impugnare auderet. nõ horum temporũ, non horum hominũ atq; morum negotiũ. nihil iam sum pridẽ admiratus magis. De me autẽ suscipe paulisper partes meas, & cũ te esse finge, qui sum ego: si facile inueneris quid dicas, noli ignoscere hæsitationi meæ. Ego uero uelim mihi Tulliæq; meæ (sicut tu amicissime & suauissime optas) prospere euenire ea, quæ me insciente facta sunt à meis: sed ita cecidisse, ut agerentur eo tempore, spero omnino cũ aliqua felicitate, & opto. ueruntamen plus me in hac spe, tua sapientia & humanitas consolatur, quàm opportunitas temporis. Itaq; quemadmodũ expediam exitum huius institutæ orationis, non reperio. neq; enim tristius dicere quicquam debeo ea de re, quam tuipse ominibus optimis prosequeris: neq; non tamen me mordet aliquid: in quo unũ non uereor, ne tu parũ perspicias, ea quæ gesta sint, ab aliis esse gesta, quibus ego ita mandarã, ut cum tam longe absuturus essem, ad me ne referrent, agerent quod probassent. In hoc autẽ mihi illud occurrit, Quid tu igitur, si affuisses? rem probassem: de tempore nihil te inuito, nihil sine consilio egissem tuo. Vides sudare me, iamdudũ laborantem quomodo ea tuear, quæ mihi tuenda sunt, & te non offendam. Leua me igitur hoc onere, nunquam enim mihi uideor tractasse causam difficiliorem. Sic habeto tamen, nisi iam tunc omnia negotia cũ summa tua dignitate diligentissime confecissem, tametsi nihil uidebatur ad meum erga te pristinũ studium addi posse, tamen hac mihi affinitate nunciata, nõ maiore equidem studio, sed acrius, apertius, significantius dignitatẽ tuam defendissem. Decedenti mihi, & iam imperio annuo terminato, ante diẽ. iij. Non. Sext. cũ ad Sidam naui accederẽ, & mecũ Q. Seruilius esset, literæ à meis sunt redditæ. dixi statim Seruilio (etenim uidebatur esse commotus) ut omnia à me maiora expectaret. quid multa? beneuolentior tibi, q̃ fui, nihilo sum factus: diligentior ad declarandã beneuolentiam multò. nã ut uetus nostra simultas antea stimulabat me, ut cauerẽ, ne cui suspicionẽ ficte reconciliatę gratiæ darẽ: sic affinitas nouam curã mihi affert cauendi, ne quid de summo meo erga te amore detractum esse uideatur.

Cicero

CICERO APPIO PVLCHRO S.



Vasi diuinarem tali in officio fore mihi aliquando expetendũ studium tuũ, sic cum de tuis rebus gestis agebatur, inseruiebã honori tuo. Dicam tamen uere, plus, quàm acceperas, reddidisti. Quis enim ad me non perscripsit te, non solũ authoritate orationis, sententia tua, quibus ego à tali uiro contentus eram: sed etiã opera, consilio, domũ ueniendo, conueniendis meis, nullũ onus officij cuiquam reliquũ fecisse? Hæc mihi ampliora multo sunt, quàm illa ipsa, propter quæ hęc laborantur. Insignia enim uirtutis multi etiam sine uirtute assecuti sunt: talium uirorum tanta studia assequi sola uirtus potest. Itaque mihi propono fructũ amicitiæ nostræ ipsam amicitiã, qua nihil est uberius, presertim in his studijs, quibus uterq; nostrũ deuinctus est. Nam tibi me profiteor & in rep. socium, de qua idem sentimus: & in cotidiana uita coniunctũ, cum ijs artibus studijsq;, quæ colimus. Velim ita fortuna tulisset, quanti ego omnes tuos facio, uti tu meos facere posses: quod tamen ipsum, nescio, qua permotus animi diuinatione, non despero. Sed hoc nihil ad te: nostrum est onus. Illud uelim sic habeas, quod intelliges, hac re nouata additum potius aliquid ad meum erga te studium, cui nihil uidebatur addi posse, quàm quicquam esse detractum. Cum hæc scribebam, Censorem iam te esse sperabam. eo breuior est hæc epistola, &, ut aduersus magistrum morum, modestior.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD SER. SVLPITIVM ET CÆTEROS.

M. CICERO S. D. SER. SVLPITIO.



Aius Trebatius familiaris meus ad me scripsit: te ex se quæsisse, quibus in locis essem: molesteq; te ferre, quòd me propter ualetudinem tuã, cum ad urbem accesissem, nõ uidisses: & hoc tempore uelle te mecum, si propius accessissem, de officio utriusq; nostrũ communicare. Vtinam Serui saluis rebus (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos: profectò aliquid opis occidenti reipub. tulissemus. Cognoram enim iam absens, te hæc mala multo antè prouidentem, defensorem pacis, & in Consulatu tuo, & post Consulatum fuisse. Ego autem cum consiliũ tuum probarem: & idem ipse sentirem: nihil proficiebam. Sero enim ueneram: solus eram: rudis esse uidebar in causa: inciderã in hominum pugnandi cupidorum insanias. Nunc, quoniam nihil iam uidemur posse opitulari reip. si quid est in quo nobismetipsis consulere possimus: non ut aliquid ex pristino statu nostro retineamus: sed ut quamhonestissime lugeamus: nemo est omniũ, qui cum potius mihi, quàm tecum communicandũ putem. Nec enim claris-

simorum uirorum (quorũ similes esse debemus) exempla: neq; doctissimorum (quos semper coluisti) præcepta te fugiunt. Atque ipse antea ad te scripsissem, te frustra in Senatum, siue potius in conuentum Senatorũ esse uenturum: ni ueritus essem, ne eius animum offenderem: qui à me, ut te imitarer, petebat. Cui quidem ego, cum me rogaret ut adessem in Senatu: eadem omnia, quæ à te de pace & de Hispanijs dicta sunt, ostendi me esse dicturũ. Res uides, quo modo se habeat: orbem terrarum imperijs distributis ardere bello: urbem sine legibus, sine iudicijs, sine iure, sine fide, relictam dirreptioni & incendijs. Itaq; mihi uenire in mentem nihil potest, non modo quid sperem, sed uix iam quid audeam optare. Sin autem tibi homini prudentissimo uidetur utile esse, nos colloqui (quamquã longius etiam cogitabam ab urbe discedere, cuius iam etiam nomen inuitus audio:) tamen propius accedã. Trebatioq; mandaui, ut si quid tu eum uelles ad me mittere, ne recusaret: idq; ut facias uelim: aut si quem tuorum fidelium uoles, ad me mittas: ne aut tibi exire ex urbe necesse sit: aut mihi accedere. Ego tantum tibi tribuo, quantum fortasse mihi arrogo: ut exploratum habeam, quicquid nos communi sententia statuerimus, id omnes homines probaturos.

M. CICERO S.D. SER. SVLPITIO.


D.III.KL. Mai cũ essem in Cumano, accepi tuas literas: quibus lectis cognoui non satis prudenter fecisse Philotimum: qui cum abs te mandata haberet, ut scribis de omnibus rebus: ipse ad me non uenisset: literas tuas misisset, quas intellexi breuiores fuisse, quòd eum perlaturũ putasses. Sed tamen postquam tuas literas legi, Postumia tua me cõuenit, & Seruius noster. His placuit, ut tu in Cumanũ uenires: quod etiã mecum, ut ad te scriberem, egerunt. Quòd meum consilium exquiris, id est tale, ut capere facilius ipse possim, quàm alteri dare. quid enim est quod audeam suadere tibi homini summa authoritate, summaq; prudentia? Si quid rectissimum sit, quærimus: perspicuum est: si quid maxime expediat, obscurum: sin ij sumus, qui profecto esse debemus, ut nihil arbitremur expedire, nisi quod rectum honestumq; sit: non potest esse dubium, quid faciendum nobis sit. Quòd existimas meam causam coniunctam esse cum tua: certe similis in utroque nostrum, cum optime sentiremus, error fuit. Nam omnia utriusque consilia ad concordiã spectauerunt: qua cum ipsi Cæsari nihil esset utilius, gratiã quoq; nos inire ab eo, defendenda pace arbitrabamur. Quantum nos fefellerit, & quem in locum res deducta sit, uides. Neque solum ea perspicis, quæ geruntur, quæq; iam gesta sunt: sed etiam qui cursus rerum, qui exitus futurus sit. Ergo aut probare oportet ea, quæ fiunt: aut interesse, etiam si non probes. Quorum altera mihi turpis, altera etiam periculosa ratio uidetur. Restat, ut discedendum putem: In quo reliqua uidetur esse deliberatio, quod consilium in discessu, quæ loca sequamur. Omnino cum miserior res nunquam accidit: tum ne deliberatio quidem difficilior. Nihil enim constitui potest, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem. Tu, si uidebitur, ita censeo facias: ut si habes iam statutum quid tibi agendum putes, in quo non sit coniunctum consilium tuum cum meo, supersedeas hoc labore itineris: sin autem est quod mecum communicare uelis, ego te expectabo.

ctabo. Tu, quod tuo commodo fiat, quamprimum uelim uenias, sicut intellexi & Seruio & Postumiæ placere.

M. CICERO S. D. SER. SVLPICIO.



Ehementer te esse solicitum, & in communibus miserijs præcipuo quodam dolore angi, multi ad nos cotidie deferunt. Quod quamquam minime miror & meum quodammodo agnosco: doleo tamen te sapientia præditum, propè singulari, non tuis bonis delectari potius, quàm alienis malis laborare. Me quidem, etsi nemini concedo qui maiorẽ ex pernicie & peste reip. molestiam traxerit, tamen multa iam consolantur, maximeq́ conscientia consiliorum meorum. Multo enim antè, tanquam ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram: neque id solum mea sponte: sed multo etiam magis monente & denunciante te. Etsi enim abfui magnam partem Consulatus tui, tamen & absens cognoscebam, quæ esset tua in hoc pestifero bello cauendo & prædicendo sententia: & ipse affui primis temporibus tui Consulatus, cum accuratissime monuisti Senatũ collectis omnibus bellis ciuilibus, ut & illa timerent, quæ meminissent, & scirent, cum superiores nullo tali exemplo antea in rep. cognito, tam crudeles fuissent, quicunq́ postea remp. oppressisset armis, multo intolerabiliorem futurum. nam quòd exemplo fit, id etiam iure fieri putant: sed aliquid atque adeo multa addunt, & afferunt de suo. Quare meminisse debes eos, qui authoritatem & consilium tuum non sint secuti, sua stultitia occidisse, cum tua prudentia salui esse potuissent. Dices. Quid me ista res consolatur in tantis tenebris, & quasi parietinis reipub? Est omnino uix consolabilis dolor: tanta est omnium rerum amissio, & desperatio recuperandi, Sed tamen & Cæsar ipse ita de te iudicat, & omnes ciues sic existimant: quasi lumẽ aliquod extinctis cæteris elucere sanctitatem, & prudentiam, & dignitatem tuam. Hæc tibi ad leuandas molestias magna esse debent. Quòd autem à tuis abes, ideo leuius ferendũ est, quòd eodem tempore à multis & magnis molestijs abes: quas ad te omnes perscriberem, nisi uererer ne ea cognosceres absens: quæ quia nõ uides, mihi uideris meliore esse conditione, quàm nos, qui uidemus. Hactenus existimo nostram consolationem rectè adhibitam esse, quoad certior ab homine amicissimo fieres ijs de rebus, quibus leuari possent molestiæ tuæ. Reliqua sunt in teipso, neque mihi ignota, nec minima solatia, (ut quidẽ ego sentio) multo maxima, quæ ego experiens cotidie, sic probo, ut ea mihi salutem afferre uideantur. Te autem ab initio ætatis memoria teneo summe omnium doctrinarũ studiosum fuisse: omniaq́ quæ à sapientissimis ad bene uiuendum tradita essent, summo studio curaq́ didicisse: quæ quidem uel optimis rebus, & usui, & delectationi esse possent. His uerò temporibus habemus aliud nihil, in quo acquiescamus. Nihil faciam insolenter, neq́ te tali uel scientia uel natura præditum hortabor, ut ad eas te referas artes, quibus à primis temporibus ætatis studium tuũ dedisti. Tantũ dicam, quod te spero approbaturum, me postea quàm illi arti cui studueram, nihil esse loci neq́ in curia, neq́ in foro uiderem, omnem meã curam atq́ operam ad philosophiam contulisse. Tuæ scientię excellenti ac singulari non multo plus, quàm nostrę, relictum est loci. Quare non equidẽ te moneo; sed mihi ita persuasi, te quoq́

in ijsdem uersari rebus, quæ etiam si minus prodessent, animum tamen a sollicitudine abducerent. Seruius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primisq; in hac in qua ego me scripsi acquiescere, ita uersatur, ut excellat. A me uero sic diligitur, ut tibi uni concedam, præterea nemini: mihiq; ab eo gratia refertur: in quo ille existimat, quod facile appareat, cum me colat & obseruet, tibi quoque in eo se facere gratissimum.

M. CICERO S. D. SER. SVLPICIO.


Ccipio excusationem tuam, qua usus es, cur sæpius ad me literas uno exemplo dedisses. sed accipio ex ea parte, quatenus aut negligentia aut improbitate eorū qui epistolas accipiant, fieri scribis, ne ad nos perferantur: illam partem excusationis, qua te scribis orationis paupertate (sic enim appellas) ijsdem uerbis epistolas sæpius mittere, nec nosco, nec probo. & ego ipse, quem tu per iocum (sic enim accipio) diuitias orationis habere dicis, me non esse uerborum admodū inopem agnosco. (εἰρωνεύεσθαι enim nō necesse est) sed tamen idem (nec hoc εἰρωνευόμενος) facile cedo tuorum scriptorum subtilitati, & elegantiæ. Consilium tuum, quo te usum scribis, hoc Achaicum negotium non recusauisse, cum semper probauissem, tum multo magis probaui lectis tuis proximis literis. Omnes enim causæ, quas commemoras, iustissimæ sunt, tuaq; & auctoritate & prudentia dignissimæ. Quòd aliter cecidisse rem existimas atq; opinatus sis, id tibi nullo modo assentior. Sed quia tanta perturbatio & confusio est rerum, ita perculsa & prostrata fœdissimo bello iacent omnia, ut is cuiq; locus, ubi ipse sit, ut sibi quisq; miserrimus esse uideatur. propterea & tui consilij pœnitet te, & nos qui domi sumus, tibi beati uidemur. At contrà nobis, non tu quidem uacuus molestijs, sed præ nobis beatus: atq; hoc ipso melior est tua quàm nostra conditio, quòd tu, quid doleat scribere audes: nos ne id quidem tuto possumus: nec id uictoris uitio, quo nihil moderatius, sed ipsius uictoriæ, quæ ciuilibus bellis semper est insolens. Vno te uicimus, quòd de Marcelli Collegæ tui salute paulo antè quàm tu cognouimus: etiam mehercule, quòd quemadmodum ea res ageretur, uidimus. nam sic fac existimes, post has miserias, id est postquàm armis disceptari cœptum est de iure publico, nihil actum esse aliud cū dignitate. Nam & ipse Cæsar accusata acerbitate Marcelli (sic enim appellabat) laudataq; honorificentissime & æquitate tua & prudentia, repente præter spem dixit se Senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem causa negaturum. Fecerat autem hoc Senatus, ut cum à L. Pisone mentio esset facta de Marcello, & cum C. Marcellus se ad Cæsaris pedes abiecisset, cunctus consurgeret, & ad Cæsarem supplex accederet. Noli quærere: ita mihi pulcher hic dies uisus est, ut speciem aliquam uidere uiderer, quasi reuiuiscentis reip. Itaq; cum omnes ante me rogati gratias Cæsari egissent, præter Volcacium (is enim si eo loco esset, negauit se facturum fuisse) ego rogatus mutaui meum consilium. Nam statueram, non me hercule inertia, sed desiderio pristinæ dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium & Cæsaris magnitudo animi, & Senatus officium. Itaq; pluribus uerbis egi Cæsari gratias: meq; metuo, ne etiā in cæteris rebus honesto otio priuarim, quod erat unum solacium in malis. Sed tamen, quoniā effugi eius offensionē,

qui fortasse arbitraretur me hanc remp. non putare, si perpetuo tacerẽ, modi-ce hoc faciam, aut etiam intra modũ: ut & illius uoluntati, & meis studijs ser-uiam. Nam etsi à prima ætate me omnis ars & doctrina liberalis, & maxime philosophia delectauit: tamen hoc studium cotidie ingrauescit, credo, & æta-tis maturitate ad prudentiam, & his temporũ uitijs, ut nulla res alia leuare ani-mũ molestijs possit. A quo studio te abduci negotijs intelligo ex tuis literis: sed tamen aliquid iam noctes te adiuuabunt. Seruius tuus, uel potius noster, summa me obseruantia colit: cuius ego cũ omni probitate, summaq́ uirtute, tum studijs doctrinaq́ delector. Is mecũ sæpe de tua mansione aut decessione communicat. Adhuc in hac sum sententia, nihil ut faciamus, nisi quod maxi-me Cęsar uelle uideatur. Res sunt eiusmodi, ut si Romæ sis, nihil præter tuos delectare possit. De reliquis nihil melius ipso est. Cæteri, & cętera eiusmodi, ut si alterũ utrum necesse sit, audire ea malis q̃ uidere. Hoc nostrũ consilium nobis minime iucundũ est, q̃ te uidere cupimus: sed consulimus tibi. Vale.

SERVIVS CICERONI S.



Osteaquam mihi renunciatũ est de obitu Tulliæ filię tuæ, sane q̃ pro eo, ac debui, grauiter molesteq́ tuli, communemq́ eã calami-tem existimaui: qui si istic affuissem, neq́ tibi defuissem, coramq́ meum dolorẽ tibi declarassem. etsi genus hoc consolationis mise-rum, atq́ acerbũ est propterea, quia per quos ea confiteri debet, propinquos ac familiares id ipsi pari molestia afficiuntur, neq́ sine lacrimis multis id co-nari possunt: uti magis ipsi uideantur aliorum consolatione indigere, q̃ alijs posse suum officiũ pręstare. tamen quę in præsentia in mentẽ mihi uenerunt, decreui breui ad te perscribere: non quo ea te fugere existimẽ, sed quòd forsi-tan dolore impeditus minus ea perspicias, Quid est, quòd tanto opere te com-moueat tuus dolor intestinus? cogita quemadmodũ adhuc fortuna nobiscũ egerit: ea nobis erepta esse, quę hominibus non minus quàm liberi chara esse debent: patriã, honestatem, dignitatẽ, honores omnes. Hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adiungi potuit? aut qui nõ in illis rebus exercitatus animus callere iã debet, atq́ omnia minoris æstimare? An illius uicẽ (credo) doles? quoties in eam cogitationẽ necesse est & tu ueneris, & nos sępe incidi-mus, hisce temporibus non pessime cũ his esse actũ, quibus sine dolore licitũ est mortẽ cum uita commutare? Quid autẽ fuit, quod illam hoc tempore ad uiuendũ magnopere inuitare posset? quę res? quæ spes? quod animi solatiũ? Vt cum aliquo adolescente primario coniuncta ætatẽ gereret? licitũ est tibi, credo, pro tua dignitate ex hac iuuentute generũ deligere, cuius fidei liberos tuos te tuto committere putares? An ut ea liberos ex sese pareret: quos cũ flo-renteis uideret, lætaretur: qui rẽ à parente traditã per se tenere possent: hono-res ordinatim petituri essent in republica: in amicorum negotijs libertate sua uti? quid horũ fuit, quod non prius, quàm datum est, ademptum sit? At uero malum est liberos amittere. Malum, nisi hoc peius sit, hęc sufferre, & perpeti. Quę res mihi non mediocrẽ consolationem attulit, uolo tibi commemorare, si forte eadem res tibi dolorẽ minuere possit. Ex Asia rediens cum ab Aegi-na Megarã uersus nauigarẽ. cœpi regiones circumcirca prospicere. post me erat Aegina, ante Megara: dextra Piręeus, sinistra Corinthus: quæ oppida

quodã tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos iacent. cœpi egomet mecum sic cogitare, Hem nos homunculi indignamur, si quis nostrum interijt, aut occisus est. quorũ uita breuior esse debet: cum uno loco tot oppidûm cadauera proiecta iaceant? Visne tu te, Serui, cohibere, & meminisse hominẽ te esse natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi uidetur, fac ante oculos tibi proponas, Modo uno tempore tot uiri clarissimi interierunt, de imperio præterea tanta diminutio facta est, omnes prouinciæ conquassatę sunt: in unius mulierculæ animula si iactura facta est, tanto opere commoueris? quæ si hoc tempore non suũ diem obijsset, paucis post annis tamen ei moriendũ fuit, quoniã homo nata fuerat. Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationẽ tuam auoca: atq; ea potius reminiscere, quæ digna tua persona sunt: illã quamdiu ei opus fuerit, uixisse: unà cum rep. fuisse: te patrem suũ Prætorem, Consulẽ, Augurem uidisse: adolescentibus primarijs nuptam fuisse: omnibus bonis propè perfunctã esse: cũ respublica occideret, uita excessisse. Quid est quod tu aut illa cum fortuna hoc nomine queri possitis? deniq; noli te obliuisci, Ciceronẽ esse, & eum qui alijs consueris præcipere, & dare consiliũ: neq; imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere se medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potius quę alijs tute pręcipere soles, ea tute tibi subijce, atq; apud animum propone. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat. Hoc te expectare tempus, tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere. Quòd si qui etiam inferis sensus est, qui illius in te amor fuit, pietasq; in omnes suos, hoc certe illa te facere non uult. Da hoc illi mortuæ: da cæteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore mœrent: da patriæ, ut, si qua in re opus sit, opera & consilio tuo uti possit. Deniq; quoniam in eam fortunam deuenimus, ut etiam huic rei nobis seruiendũ sit: noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quàm reipublicæ tempora, & aliorum uictoriam lugere. Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne uidear prudentiæ tuæ diffidere. Quare si hoc unũ proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam, magnamq; ex ea re te laudem apisci. fac aliquando intelligamus, aduersam quoque te æque ferre posse, neque id maius, quàm debeat, tibi onus uideri: ne ex omnibus uirtutibus hæc una tibi uideatur deesse. Quod ad me attinet, cum te tranquilliorem animo esse cognoro, de ijs rebus, quæ hic geruntur, quemadmodumq; se prouincia habeat, certiorem faciam. Vale.

M. CICERO S.D. SER. SVLPICIO.



Go uero, Serui, uellem, ut scribis, in meo grauissimo casu affuisses. Quantum enim pręsens me adiuuare potueris, & consolando & propè æque dolendo, facile ex eo intelligo, quòd literis lectis, aliquantũ acquieui. Nam & ea scripsisti, quæ leuare luctum possent; & in me consolando, non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti. Seruius tamen tuus omnibus officijs, quæ illi tempori tribui potuerunt, declarauit, & quanti ipse me faceret, & quam suũ talem erga me animũ tibi gratum putaret fore. cuius officia iucundiora scilicet sæpe mihi fuerint, nunquã tamẽ gratiora. Me autẽ non oratio tua solum, & societas penè ægritudinis, sed etiã

authoritas consolatur. Turpe enim esse existimo, me nõ ita ferre casum meũ, ut tu tali sapientia prædítus ferendũ putas. Sed opprimor interdũ, & uix resisto dolori: quòd ea me solatia deficiunt, quæ cæteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt. Nam & Q. Maximus, qui filium Consularẽ clarum uirũ, & magnis rebus gestis amisit: & L. Paulus, qui duo septẽ diebus: & uester Gallus, & M. Cato, qui summo ingenio, summa uirtute filium perdidit ĳs temporibus fuerunt, ut eorum luctum ipsorum dignitas consolaretur ea, quã ex rep. consequebantur. Mihi autem amissis ornamentis his, quę ipse commemoras. quæq; eram maximis laboribus adeptus, unũ manebat illud solatiũ, quod ereptum est. Non amicorũ negotĳs, non reip. procuratione impediebantur cogitationes meæ: nihil in foro agere libebat: aspicere curiam non poterã: existimabã id, quod erat, omnes me & industrię meę fructus & fortunæ perdidisse. Sed cum cogitarẽ hæc mihi tecum, & cũ quibusdam esse communia: & cũ frangerem iam ipse me, cogeremq; illa ferre tolleranter: habebã quò confugerem, ubi conquiescerẽ, cuius in sermone & suauitate omneis curas doloresq; deponerẽ. Nunc autem hoc tã graui uulnere, etiam illa, quæ consanuisse uidebantur, recrudescunt. Non enim ut tum me à rep. mœstũ domus excipiebat, quę leuaret, sic nunc domo mœrens ad remp. confugere possum, ut in eius bonis adquiescã. Itaq; & domo absum, & foro: quòd nec eum dolorẽ, quem à rep. capio, domus iam consolari potest, nec domesticũ resp. Quo magis te expecto, teq; uidere quamprimũ cupio. Maior mihi leuatio afferri nulla potest, quàm cõiunctio consuetudinis sermonumq; nostrorũ: quamquam sperabã tuum aduentum (sic enim audiebam) appropinquare. Ego autẽ cum multis de causis te exopto quamprimũ uidere: tum etiam ut ante commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendũ sit hoc tempus, quod est totum ad unius uoluntatẽ accommodandum, & prudentis & liberalis. & ut perspexisse uideor, nec à me alieni, & tibi amicissimi. Quod cum ita sit, magnæ est tamen deliberationis, quę ratio sit ineunda nobis non agendi aliquid, sed illius concessu & beneficio quiescendi. Vale.

M. CICERO S. D. M. MARCELLO.



Tsi eo te adhuc consilio usum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipse dissentiam, sed quòd ea te sapientia esse iudicem, ut meum consilium non anteponam tuo: tamen & amicitiæ nostræ uetustas, & tua summa erga me beneuolentia, quæ mihi iam à pueritia tua cognita est, me hortata est, ut ea scriberem ad te, quæ & saluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem à dignitate. Ego eum te esse, qui horum malorum initia multo ante uideris, Consulatum magnificentissime atque optime gesseris, pręclare memini. sed idem etiã illa uidi, neque te consilium ciuilis belli ita gerendi, nec copias Cn. Pompeĳ, nec genus exercitus probare, semperq; summe diffidere. qua in sententia me quoque fuisse, memoria tenere te arbitror. Itaque neque tu multum interfuisti rebus gerendis: & ego id semper egi, ne interessem. Non enim ĳs rebus pugnabamus, quibus ualere poteramus, consilio, authoritate, causa, quæ erant in nobis superiora: sed lacertis & uiribus, quibus pares non eramus. Victi sumus igitur; aut si uinci dignitas non potest, fracti certe & abiecti.

In quo tuum consilium nemo potest non maxime laudare, quòd cum spe uin cendi simul abiecisti certandi etiam cupiditatem: ostendistiq́ʒ sapientem & bonum ciuem initia belli ciuilis inuitum suscipere, extrema libenter non persequi. Qui non idem consilium, quod tu, secuti sunt, eos uideo in duo genera esse distractos, aut enim renouare bellum conati sunt, hiq́ʒ se in Africam contulerunt: aut quemadmodum nos, uictori sese crediderunt. Medium quoddã tuum consilium fuit, qui hoc fortasse humilis animi duceres, illud pertinacis. Fateor à plerisq́ʒ, uel dicam ab omnibus, sapiens tuũ consilium: à multis etiã magni ac fortis animi iudicatum. Sed habet ista ratio, ut mihi quidem uidetur, quendam modum: presertim cum tibi nihil deesse arbitrer ad tuas fortunas omneis obtinendas, præter uoluntatem. Sic enim intellexi, nihil aliud esse quod dubitationem afferret ei, penes quem est potestas, nisi quod uereretur, ne tu illud beneficium omnino non putares. De quo quid sentiam, nihil attinet dicere: cum appareat, ipse quid fecerim. Sed tamen si iam ita constituisses, ut abesse perpetuo malles, quàm ea quæ nolles, uidere: tamen id cogitare deberes, ubicunque esses, te fore in eius ipsius, quem fugeres, potestate. qui si facile passurus esset, te carentem patria & fortunis tuis, quiete & libere uiuere: cogitandum tibi tamen esset, Romę ne & domi tuæ, cuiusmodi res esset: an Mytilenis, aut Rhodi malles uiuere. Sed cum ita late pateat eius potestas, quem ueremur, ut terrarum orbem complexa sit, nónne mauis sine periculo tuæ domi esse, quàm cum periculo alienæ? equidem etiã si oppetenda mors esset, domi atque in patria mallem, quàm in externis atque alienis locis. Hoc idem omnes, qui te diligunt, sentiunt: quorum est magna pro tuis maximis clarissimisq́ʒ uirtutibus multitudo. Habemus etiam rationem rei familiaris tuæ, quam dissipari nolumus. Nam etsi nullam potes accipere iniuriam, quæ futura perpetua sit, propterea quòd neque is, qui tenet remplicam, patietur, neque ipsa respublica, tamen impetum prædonum in tuas fortunas fieri nolo. Hi autem qui essent auderem scribere, nisi te intelligere confiderem. Hic te unius solicitudines, unius etiam multæ & assiduæ lachrymæ C. Marcelli fratris optimi deprecantur: nos cura & dolore proximi sumus, precibus tardiores, quòd ius adeundi, cum ipsi deprecatione eguerimus, non habemus. Gratia tantum possumus, quantũ uicti. Sed tamen consilio, studio, Marcello non desumus. A tuis, reliquis non adhibemur: ad omnia parati sumus.

M. CICERO S. D. M. MARCELLO.


Eque monere te audeo, præstanti prudentia uirum: nec confirmare. maximi animi hominem, unumq́ʒ fortissimum: consolari uero nullo modo. Nã si ea quæ acciderunt, ita fers, ut audio, gratulari magis uirtuti debeo, quàm consolari dolorem tuum: sin te tanta mala reip. frangunt, non ita abundo ingenio, ut te consoler, cum ipse me non possim. Reliquum est igitur, ut tibi me in omni re eum præbeam, præstemq́ʒ, ut ad omnia quæ tui uelint, ita sim præsto, ut me nõ solum omnia debere tua causa, sed ea quoque etiam quæ non possim putem. illud tamen uel tu me monuisse, uel censuisse puta, uel propter beneuolentiam tacere non potuisse: ut, quod ego facio, tu quoque animum inducas, si sit aliqua respub. in ea te esse

oportere iudicio hominũ,req́ principem necessitate cedentem tempori: sin autem nulla sit,hunc tamen aptissimũ esse etiam ad exulandũ locum. Si enim libertatẽ sequimur,qui locus hoc dominatu uacat? sin qualencunq́ locũ,quę est domestica sede iucundior? Sed mihi crede,etiam is qui omnia tenet, fauet ingenĳs: nobilitatẽ uero & dignitates hominum,quantũ ei res & ipsius causa concedit,amplectitur. Sed plura,quàm statueram, Redeo ergo ad unum illud,me tuũ esse fore cũ tuis,si modo erunt tui: si minus, me certe in omnibus rebus satis nostræ coniunctioni amoriq́ facturum.

M.CICERO S.D. M.MARCELLO.



Tsi perpaucis antè diebus dederam Q. Mutio literas ad te pluribus uerbis scriptas,quibus declarauerã, quo te animo censerem esse oportere,& quid tibi faciendũ arbitrarer: tamen cum Theophilus libertus tuus proficisceretur,cuius ego fidem erga te,beneuolentiamq́ perspexerã,sine meis literis eum ad te uenire nolui. Iisdẽ igitur de rebus etiam atq; etiã hortor,quibus superioribus literis hortatus sum: ut in ea republica,quæcunq́ est,quamprimũ uelis esse. Multa uidebis fortasse, quæ nolis: non plura tamen,quàm audis cotidie. Non est porrò tuũ,uno sensu solum oculorũ moueri,cum idem illud auribus percipias,quod etiã maius uideri solet,minus laborare. At tibi ipsi dicendũ erit aliquid, quod non sentias: aut faciendum,quod non probes. primum tempori cedere,id est necessitati parere,semper sapientis est habitũ: deinde non habet, ut nunc quidẽ est, id uitĳ res. dicere fortasse quæ sentias,non licet: tacere planè licet. omnia enim delata ad unum sunt. is utitur consilio,ne suorum quidem,sed suo. Quod nõ multo secus fieret,si is remp. teneret,quem secuti sumus. An qui in bello, cum omnium nostrũ coniunctum esse periculũ suo cerneret certorum hominum, minime prudentiũ consilio uteretur: eum magis communem censemus in uictoria futurum fuisse,quàm incertis in rebus fuisset: & qui nec te Consule tuũ sapientissimum consilium secutus esset,nec fratre tuo Consulatum ex authoritate tua gerente,uobis authoribus uti uoluerit: nunc omnia tenentem nostras sententias desideraturum censes fuisse? omnia sunt misera in bellis ciuilibus: quæ maiores nostri ne semel quidem,nostra ætas sæpe iam sensit. sed miserius nihil,quàm ipsa uictoria: quæ etiam si ad meliores uenit, tamen eos ipsos ferociores,impotentioresq́ reddit: ut etiam si natura tales non sint, necessitate esse cogantur. multa enim uictori eorum arbitrio, per quos uicit, etiam inuito, facienda sunt. An tu non uidebas mecum simul, quàm crudelis illa esset futura uictoria? igitur tunc quoque careres patria, ne quæ nolles,uideres? Non,inquies. ego enim ipse tenerem opes & dignitatem meam. At erat tuæ uirtutis,in minimis tuas res ponere: de republica uehementius laborare. Deinde,qui finis istius consilĳ est? nam adhuc & factum tuũ probatur: & (ut in tali re) etiam fortuna laudatur. factum, quòd & initium belli necessario secutus sis, & extrema sapienter persequi nolueris: fortuna, quòd honesto otio tenueris & statum & famam dignitatis tuæ. Nunc uero nec locus tibi ullus dulcior esse debet patria: nec eam diligere minus debes,quòd deformior est, sed misereri potius: nec eam multis claris uiris orbatam, priuare etiam aspectu tuo. Denique si fuit magni animi non esse

supplicem uictori, uide ne superbi sit, aspernari eiusdem liberalitatem. & si sapientis est carere patria, duri non desiderare: & si re publica non possis frui, stultum est nolle priuata. Caput est illud, ut si ista uita tibi commodior esse uideatur, cogitandum tamen sit, ne tutior non sit. magna gladiorũ est licentia: sed in externis locis minor etiam ad facinus uerecundia. Mihi salus tua tantæ curæ est, ut Marcello fratri tuo aut par, aut certe proximus sim. Tuũ est consulere temporibus, & incolumitati, & uitæ, & fortunis tuis.

CICERO MARCELLO S.


Tsi nihil noui, quod ad te scriberem, magisq́ literas tuas iam expectare incipiebam, uel te potius ipsum, tamen cum Theophilus proficisceretur, non potui nihil ei literarum dare. Cura igitur, ut quamprimum uenias. uenies enim, mihi crede, expectatus: neque solum nobis, id est tuis, sed prorsus omnibus. Venit enim mihi in mentem subuereri interdũ, ne te delectet tarda decessio. Quòd si nullum haberes sensum, nisi oculorum, prorsus tibi ignoscerem, si quosdam nolles uidere. sed cũ leuiora non multo essent, quæ audirentur quàm quæ uiderentur, suspicarer autem multum interesse rei familiaris tuæ, te quàm primũ uenire, idq́ in omnes partes ualeret, putaui ea de re te esse admonendum. Sed quoniam quod mihi placeret ostendi, reliqua tu pro tua prudentia considerabis. Me tamen uelim, quod ad tempus te expectemus certiorem facias.

MARCELLVS CICERONI S.


Lurimum ualuisse apud me tuam semper authoritatem, cum in omni re, tum in hoc maxime negotio potes existimare. Cum mihi C. Marcellus frater amantissimus mei non solum consilium daret, sed precibus quoq; me obsecraret, non prius mihi persuadere potuit, quàm tuis est effectum literis, ut uterer uestro potissimũ consilio. Res quemadmodũ sit acta, uestræ literæ mihi declarant. Gratulatio tua etsi est mihi probatissima, ꝙ ab optimo fit animo, tamen hoc mihi multo iucundius est & gratius, quòd in summa paucitate amicorũ, propinquorũ ac necessariorũ, qui uere meæ saluti fauerent, te cupidissimũ mei singularemq́ mihi beneuolentiam præstitisse cognoui. Reliqua sunt eiusmodi, quibus ego, quoniã hæc erant tempora facile & æquo animo carebã. Hoc uero eiusmodi esse statuo, ut sine talium uirorum & amicorũ beneuolentia, neq; in aduersa neque in secunda fortuna quisquã uiuere possit. Itaq; in hoc ego mihi gratulor. Tu uero ut intellgas, homini amicissimo te tribuisse officiũ, re tibi pr̨stabo. Vale.

SERVIVS CICERONI S.


Tsi scio non iucundissimum me nuntium uobis allaturum, tamen quoniam casus & natura in nobis dominatur, uisum est faciendũ, quoquomodo res se haberet, uos certiores facere. Ad X K. Iun. cũ ab Epidauro Piræeum naui aduectus essem, ibi Marcellũ Collegam nostrum conueni, eumq́ diem ibi consumpsi, ut cum eo essem. Postero die cum ab eo digressus essem eo consilio, ut ab Athenis in Bœotiam irẽ, reliquamq́ iurisdictionẽ absoluerem: ille, uti aiebat, supra Maias in Italiam uersus nauigaturus erat. Post diem tertium eius diei, cum ab Athenis profici sci in animo haberem, circiter hora decuma noctis P. Posthumius familiaris

eius

eius ad me uenit,& mihi nunciauit M.Marcellum Collegam nostrũ post cœnæ tempus à P.Magio Chilone familiari eius pugione percussum esse,& duo uulnera accæpisse:unum in stomacho,alterum in capite secundũ aurem: sperare tamen eũ uiuere posse.Magium seipsum interfecisse.postea se à Marcello ad me missum esse,qui hæc nunciaret,& rogaret uti cogerem medicos. Coegi,& è uestigio eò sum profectus prima luce.cũ non longe à Piræeo abessem,puer Acidini mihi obuiã uenit cum codicillis,in quibus erat scriptũ,paulo ante lucem Marcellũ diem suũ obijsse.Ita uir clarissimus ab homine deterrimo acerbissima morte est affectus:& cui inimici propter dignitatẽ pepercerant,inuentus est amicus,qui ei mortẽ afferret.Ego tamen ad tabernaculũ eius perrexi:inueni duos libertos,& pauculos seruos:reliquos aiebant profugisse metu perterritos,quòd dominus eorum ante tabernaculũ interfectus esset.Coactus sum in eadem illa lectica,qua ipse delatus eram,meisq; lecticarijs in urbẽ eum referre:ibiq; pro ea copia,quę Athenis erat,funus ei satis amplum faciendum curaui.Ab Atheniensibus locum sepulturæ intra urbem ut darent,impetrare non potui,quòd religione se impediri dicerent:neq; tamen id antea cuiquam concesserant.Quod proximũ fuit,ut in quo uellemus Gymnasio eũ sepeliremus,nobis permiserunt.Nos in nobilissimo orbis terrarum Gymnasio Academiæ,locũ delegimus,ibiq; eũ combussimus: posteaq; curauimus,ut ijdẽ Athenienses in eodem loco monimentũ ei marmoreũ faciendũ locarent.Ita,quę nostra officia fuerũt,pro collegio & pro propinquitate,& uiuo & mortuo,omnia ei pręstitimus. Vale D.Pr.K.Iun.Athenis.

M.CICERO S.D.P. FIGVLO.



Væerenti mihi iamdiu,quid ad te potissimum scriberem,non modo certa res nulla,sed ne genus quidem literarum usitatũ ueniebat in mentem.Vnam enim partẽ & consuetudinẽ earum epistolarũ, quibus secundis rebus uti solebamus, tempus eripuerat, perfeceratq; fortuna,ne quid tale scribere possem,aut omnino cogitare. Relinquebatur triste quoddã & miserum,& ijs temporibus consentaneũ genus literarũ. Id quoq; deficiebat me,in quo debebat esse aut promissio auxilij alicuius,aut consolatio doloris tui.Quid pollicerer,non erat.ipse enim pari fortuna abiectus,aliorum opibus casus meos sustentabã:sæpiusq; mihi ueniebat in mentem queri,quòd ita uiuerem,quàm gaudere quòd uiuerem. Quamquã enim nulla meipsum priuatim pepulit insignis iniuria,nec mihi quicquam tali tempore in mentẽ uenit optare,quod non ultro mihi Cæsar detulerit: tamen nihilominus eis conficior curis,ut ipsum quòd maneam in uita,peccare me existimem.careo enim cum familiarissimis multis,quos aut mors eripuit nobis, aut distraxit fuga:tum omnibus amicis,quorũ beneuolentiam nobis conciliarat per me quondã te socio defensa resp.uersorq; in eorum naufragijs & bonorũ direptionibus:nec audio solum,quod ipsum esset miserũ, sed etiam id ipsum uideo,quo nihil est acerbius,eorum fortunas dissipari, quibus nos olim adiutoribus illud incendium extinximus:& in qua urbe modo gratia, authoritate,gloria floruimus,in ea nunc his quidem omnibus caremus.Obtinemus ipsius Cæsaris summam erga nos humanitatẽ,sed ea plus non potest, quàm uis & mutatio omnium rerum atque temporum.Itaq; orbus ijs rebus omnibus,

omnibus,quibus & natura me & uoluntas & consuetudo assuefecerat: cum cæteris,ut quidem uideor,tum mihi ipse displiceo.Natus enim ad agendum semper aliquid dignum uiro,nunc non modo agendi rationem nullã habeo, sed ne cogitandi quidem.& qui antea aut obscuris hominibus,aut etiã fontibus opitulari poteram,nunc P.Nigidio uni omniũ doctissimo & sanctissimo,& maxima quondam gratia & mihi certe amicissimo, ne benigne quidem polliceri possim.Ergo hoc ereptum est literarum genus.Reliquum est, ut consoler,& afferam rationes,quibus te à molestijs coner abducere. At ea quidem facultas uel tui,uel alterius consolandi,in te summa est,si unquam in ullo fuit.Itaq; eam partem,quæ ab exquisita quadã ratione & doctrina proficiscitur,non attingam,tibi totam relinquam.Quid sit forti & sapienti homine dignum,quid grauitas,quid altitudo animi,quid acta tua uita,quid studia,quid artes,quibus à pueritia floruisti,à te flagitent,tu uidebis. Ego quod intelligere & sentire,quia sum Romæ,& quia curo, attendoq; possum,id tibi affirmo, te in istis molestijs,in quibus es hoc tempore,non diutius futurum,in his autem in quibus etiã nos sumus,fortasse semper fore.Videor mihi perspicere primũ ipsius animum,qui plurimũ potest, propensum ad salutem tuam. Non scribo hoc temere:quo minus familiaris sum,hoc sum ad inuestigandum curiosior. Quo facilius,quibus est iratior,respondere tristius possit,hoc est adhuc tardior ad te molestia liberandũ. Familiares uero eius, & ij quidem,qui illi iucundissimi sunt,mirabiliter de te & loquuntur,& sentiunt.accedit eodem uulgi uoluntas,uel potius consensus omnium: etiam illa,quæ minimum nunc quidem potest,sed possit necesse est,respublica quascunque uires habebit,ab ijs ipsis,quibus tenetur,de te propediem(mihi crede)impetrabit.Redeo igitur ad id,ut iam tibi etiam pollicear aliquid, quod primo omiseram. Nam & complectar eius familiarissimos, qui me admodum diligunt,multumq; mecum sunt:& in ipsius consuetudinem,quam adhuc meus pudor mihi clausit,insinuabo:& certe omnes uias persequar, quibus putabo ad id, quod uolumus peruenire posse. In hoc toto genere plura faciam,quàm scribere audeo.Cæteraq; quæ tibi à multis prompta esse certo scio, à me sunt paratissima. nihil in re familiari mea est, quod ego meum malim esse,quam tuum. Hac de re, & de hoc genere toto, hoc scribo parcius,quòd te, id quod ipse confido, sperare malo te esse usurum tuis. Extremum illud est, ut te orem & obsecrem, animo ut maximo sis: nec ea solum memineris,quæ ab alijs magnis uiris accæpisti,sed illa etiam, quæ ipse ingenio studioq; peperisti.quæ si colliges,& sperabis omnia optime,& quæ accident,qualiacunque erunt,sapienter feres.Sed hæc tu melius, uel optime omnium. Ego quæ pertinere ad te intelligam,studiosissime omnia diligentissimeq; curabo: tuorumq; tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conseruabo.

M.CICERO S.D.CN.PLANCIO.



Inas à te accępi literas Corcyrę datas,quarum alteris mihi gratulabare,quòd audisses meam me pristinam dignitatem obtinere: alteris dicebas te uelle,quæ egissem,bene & feliciter euenire.Ego autem,si dignitas est bene de repub.sentire,& bonis uiris probare quod

re quod ſentias, obtineo dignitatem meam. ſin autem in eo dignitas eſt quod ſentias, aut re efficere (ſi poſſis) aut denique libera oratione defendere, ne ueſtigium quidem ullum eſt reliquum nobis dignitatis: agiturq; præclare, ſi noſmetipſos regere poſſumus, ut ea, quæ partim iam adſunt, partim impendent, moderate feramus. quod eſt difficile in eiuſmodi bello, cuius exitus ex altera parte cædem oſtentat, ex altera ſeruitutē. Quo in periculo nonnihil me conſolatur, cum recordor hæc me tum uidiſſe, cum ſecundas etiam res noſtras, nonmodo aduerſas pertimeſcebam, uidebamq; quanto periculo de iure publico diſcæptaretur armis. Quibus ſi uiciſſent ij, ad quos ego pacis ſpe, non belli cupiditate adductus acceſſeram, tamen intelligebam & iratorum hominum & cupidorum & inſolentium, quàm crudelis eſſet futura uictoria: ſin autem uicti eſſent, quantus interitus eſſet futurus ciuium, partim ampliſſimorum, partim etiam optimorum, qui me hæc prædicentem, atque optime conſulentem ſaluti ſuæ, malebant nimium timidum, quàm ſatis prudentem exiſtimari. Quòd autem mihi de eo, quod egerim, gratularis, te ita uelle certo ſcio: ſed ego tam miſero tempore nihil noui conſilij cæpiſſem, niſi in reditu meo nihilo meliores res domeſticas, quàm rempublicam offendiſſem. Quibus enim pro meis immortalibus beneficijs chariſſima mea ſalus, & meæ fortunæ eſſe debent, cum propter eorum ſcelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil inſidijs uacuum uiderem: nouarum me neceſſitudinum fidelitate, contra ueterum perfidiam, muniendum putaui. Sed de noſtris rebus ſatis, uel etiam nimium multa. de tuis uelim ut eo ſis animo, quo debes eſſe, id eſt, ut ne quid tibi præcipue timendum putes. Si enim ſtatus erit aliquis ciuitatis, quicunque erit, te omnium periculorum uideo expertem fore. Nam alteros tibi iam placatos eſſe intelligo, alteros nunquam iratos fuiſſe. De mea autem in te uoluntate ſic uelim iudices, me quibuſcunque rebus opus eſſe intelligam, quamquam uideam qui ſim hoc tempore, & quid poſſim, opera tamen & conſilio, ſtudio quidem certe, rei, famæ, ſaluti tuæ præſto futurum. Tu uelim & quid agas, & quid acturum te putes, facias me quamdiligentiſſime certiorem. Vale.

M. CICERO S. D. CN. PLANCIO.



Ccæpi perbreueis tuas literas, quibus id quod ſcire cupiebam, cognoſcere non potui: cognoui autem id, quod mihi dubium non fuit. nam quàm fortiter ferres communes miſerias, non intellexi: quàm me amares, facile perſpexi. ſed hoc ſcieram: illud ſi ſciſſem, ad id meas literas accommodauiſſem. Sed tamen etſi antea ſcripſi, quæ exiſtimaui ſcribi oportere, tamē hoc tempore breuiter commonendū putaui, ne quo periculo te proprio exiſtimares eſſe: in magno omnes, ſed tamen in communi ſumus. Quare non debes aut propriā fortunam, aut præcipuā poſtulare, aut communē recuſare. Quapropter eo animo ſimus inter nos, quo ſemper fuimus. Quod de te ſperare, de me præſtare poſſum.

M. TVLLII CICERONIS LIBER EPISTOLARVM AD Q. METELLVM PROCOS. ET CÆTEROS.

Q. METELLVS Q. F. CELER PROCOS. S. D. M. T. CICERONI.



I uales, bene est. Existimarã pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, nec absentem ludibrio læsum iri, nec Metellum fratrem ob dictum capite ac fortunis per te oppugnatum iri. quem si parum pudor ipsius defendebat, debebat uel familiæ nostræ dignitas, uel meum studium erga uos remq; publicam satis subleuare. Nunc uideo illum circunuentum, me desertum, à quibus minime conueniebat. Itaque in luctu & squalore sum, qui prouinciæ, qui exercitui præsum, qui bellum gero. quæ quoniam nec ratione, nec maiorum nostrum clementia administrastis, non erit mirandum, si uos pœnitebit. Te tam mobili in me meosq; esse animo non sperabam. Me interea nec domesticus dolor, nec cuiusquam iniuria à republica abducet.

M. TVLLIVS M. F. CICERO Q. METELLO, Q. F. CELERI PROCOS. S. D.



I tu exercitusq; ualetis, bene est. Scribis ad me te existimasse pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia nunquam te à me ludibrio læsum iri. Quod cuiusmodi sit, satis intelligere non possum: sed tamen suspicor ad te esse allatum, me, in Senatu cum disputarem, permultos esse qui rempublicam à me conseruatam dolerent, dixisse: à te propinquos tuos, quibus negare nõ potuisses, impetrasse, ut ea quę statuisses tibi in Senatu de mea laude esse dicenda, reticeres. Quod cum dicerem, illud adiunxi, mihi tecum ita dispertitum officiũ fuisse in reipublicæ salute retinenda, ut ego urbem à domesticis insidijs, & ab intestino scelere: tu Italiam, & ab armatis hostibus, & ab occulta coniuratione defenderes: atq; hanc nostram tanti, & tam præclari muneris societatem à tuis propinquis labefactatam: qui cum tu à me rebus amplissimis atque honorificentissimis ornatus esses, timuissent nequæ mihi pars abs te uoluntatis mutuæ tribueretur. Hoc in sermone cum à me exponeretur, quæ mea expectatio fuisset orationis tuæ. quantoq; in errore uersatus essem: uisa est oratio non iniucunda, & mediocris quidam est risus consecutus: non in te, sed magis in errorem meum, & quòd me abs te cupisse laudari, aperte atq; ingenue confitebar. Iã hoc non potest in te nõ honorifice esse dictum, me in clarissimis meis atq; amplissimis rebus, tamen aliquod testimonium tuæ uocis habere uoluisse. Quòd autẽ ita scribis, pro mutuo inter nos animo: quid tu existimes esse in amicitia mutuũ, nescio: equidem hoc arbitror, cum par uoluntas accipitur & redditur. Ego si hoc dicam, me tua causa prętermisisse prouinciam, tibi ipse leuior uidear esse:

meæ

meæ enim rationes ita tulerunt, atq; eius mei consilij maiorem in dies singulos fructum uoluptatemq; capio. Illud dico, me ut primum in concione prouinciam deposuerim, statim quemadmodum eam tibi traderem, cogitare cœpisse. Nihil dico de sortitione uestra: tantum te suspicari uolo, nihil in ea re per Collegam meum me insciente esse factum. Recordare cætera, quàm cito Senatum illo die facta sortitione coegerim, quàm multa de te uerba fecerim, cum tu ipse mihi dixisti, orationem meam non solum in te honorificam, sed etiam in Collegas tuos contumeliosam fuisse. Iam illud S.C. quod eo die factum est, ea præscriptione est, ut dum id extabit, officium meum in te obscurum esse non possit. postea uero quàm profectus es, uelim recordere, quę ego de te in Senatu egerim, quæ in concionibus dixerim, quas ad te literas miserim. Quæ cum omnia collegeris, tu ipse uelim iudices, satisne uideatur his omnibus rebus tuus aduentus, cum proxime Romã uenisti, mutue respondisse. Quòd scribis de reconciliata nostra gratia, non intelligo cur reconciliatã esse dicas, quæ nunquam imminuta est. Quòd scribis, non oportuisse Metellum fratrem tuum ob dictum à me oppugnari: primum hoc uelim existimes, animum mihi istum tuum uehementer probari, & fraternã plenam humanitatis ac pietatis uoluntatem. deinde si qua ego in re fratri tuo reip. causa restiterim, ut mihi ignoscas. tam enim sum amicus reip. quàm qui maxime. Si uero meã salutem contra illius impetum in me crudelissimũ defenderim, satis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris iniuria conqueri. Quem ego cum comperissem omnem sui Tribunatus conatum in meam perniciem parare, atq; meditari, egi cum Claudia uxore tua, & cum uestra sorore Mutia, cuius erga me studium pro Cn. Pompeij necessitudine, multis in rebus perspexeram, ut eũ ab illa iniuria deterrerent. Atq; ille, quod te audisse credo, Pr. K. Ian. qua iniuria nemo unquam in annuo magistratu improbissimus ciuis affectus est, ea me Consulem affecit, cum remp. conseruassem: atq; abeuntẽ magistratu concionis habendæ potestate priuauit: cuius iniuria mihi tamen honori summo fuit. nam cum ille mihi nihil, nisi ut iurarem, permitteret, magna uoce iuraui uerissimum pulcherrimumq; iusiurandum, quod populus idem, magna uocę me uere iurasse, iurauit. Hac accæpta tam insigni iniuria, tamen illo ipso die misi ad Metellũ communes amicos, qui agerent cum eo, ut de illa mente desisteret. quibus ille respondit, sibi non esse integrum. etenim paulo antè in concione dixerat, ei, qui in alios animaduertisset indicta causa, dicendi ipsi potestatẽ fieri non oportere. Hominem grauem, & ciuem egregiũ, qui qua pœna Senatus, consensu bonorum omnium, eos affecerat, qui urbem incendere & magistratus ac Senatum trucidare, bellum maximum conflare uoluissent, eadem dignum iudicaret eum, qui curiam cæde, urbem incendijs, Italiam bello liberasset. Itaq; ego Metello fratri tuo præsenti restiti. nam in Senatu K. Ian. sic cum eo de repub. disputaui, ut sentiret sibi cum uiro forti & constanti esse pugnandum. Ad. iij. Non. Ian. cum agere cœpisset, tertio quoque uerbo orationis suæ me appellabat, mihi minabatur: neque illi quicquam deliberatius fuit, quàm me quacunq; ratione posset, non iudicio, neq; disceptatione, sed ui atque impressione euertere. Huius ego temeritati si uirtute atq; animo non restitissem: quis esset qui me in Consulatu non casu potius existimaret, quàm consilio fortem fuisse? Hæc si tu Metellum cogitare de me nescisti, debes exi-

ſtimare te maximis de rebus à fratre eſſe celatum: ſin autẽ aliquid impertiuit tibi ſui conſilij, lenis à te & facilis exiſtimari debeo, qui nihil tecũ de his ipſis rebus expoſtulem. Et ſi intelligis non me dicto Metelli (ut ſcribis) ſed conſilio eius animoq; in me inimiciſſimo eſſe commotum: cognoſce nunc humanitatem meã, ſi humanitas appellanda eſt in acerbiſſima iniuria, remiſſio animi ac diſſolutio. Nulla eſt à me unquam ſententia dicta in fratrẽ tuum. quotieſcunque aliquid eſt actum, ſedens ijs aſſenſi, qui mihi leniſſime ſentire uiſi ſunt. Addam illud etiam quod iam ego curare non debui, ſed tamen fieri nõ moleſte tuli, atque etiam, ut ita fieret, pro mea parte adiuui: ut Senatuſconſulto meus inimicus, quia tuus frater erat, ſubleuaretur. Quare non ego oppugnaui fratrem tuum, ſed fratri tuo repugnaui: nec in te, ut ſcribis, animo fui mobili, ſed ita ſtabili, ut in mea erga te uoluntate etiam deſertus ab officijs tuis permanerem. Atq; hoc ipſo tempore tibi penè minitanti nobis per literas, hoc reſcribo, atque reſpondeo: ego dolori tuo non ſolum ignoſco, ſed ſummã etiam laudem tribuo. meus enim me ſenſus, quanta uis fraterni ſit amoris, admonet. A te peto, ut tu quoque æquũ te iudicem dolori meo præbeas, ſi acerbe, ſi crudeliter, ſi ſine cauſa ſum à tuis oppugnatus: ut ſtatuas mihi non modo non cedendum, ſed etiam tuo atque exercitus tui auxilio in eiuſmodi cauſa utendum fuiſſe. Ego te mihi ſemper amicum eſſe uolui. me ut tibi amiciſſimũ eſſe intelligeres, laboraui. maneo in uoluntate, & quoad uoles tu, permanebo: citius amore tui fratrem tuum odiſſe deſinam, quàm illius odio quicquam de noſtra beneuolentia detraham.

Q. METELLVS NEPOS S. D. M. CICERONI.



Hominis importuniſſimi contumeliæ, quibus crebris concionibus me onerat, tuis erga me officijs leniuntur: & ut ſunt leues ab eiuſmodi homine, à me deſpiciuntur: libenterq; commutata perſona, te mihi fratris loco eſſe duco. De illo ne meminiſſe quidem uolo, tametſi bis eum inuitum ſeruaui. de meis rebus, ne uobis multitudine literarum moleſtior eſſem, ad Lollium perſcripſi, de rationibus prouinciæ quid uellem fieri, ut is uos doceret, & commonefaceret. Si poteris, uelim priſtinam tuam erga me uoluntatem conſerues.

M. CICERO S. D. Q. METELLO COS.



Literæ Q. Fratris, & T. Pomponij neceſſarij mei tantum ſpei dederant, ut in te non minus auxilij, quàm in tuo Collega mihi conſtitutum fuerit. Itaq; literas ad te ſtatim miſi, per quas, ut fortuna poſtulabat, & gratias tibi egi, & de reliquo tempore auxilium petij. Poſtea mihi non tam meorum literæ, quàm ſermones eorum, qui hac iter faciebant, animum tuum immutatum ſignificabant. quæ res fecit, ut tibi literis obſtrepere non auderem. Nunc mihi Q. frater meus mitiſſimam tuã orationem, quã in Senatu habuiſſes, perſcripſit. qua inductus, ad te ſcribere ſum conatus, & abs te, quantũ tua fert uoluntas, peto quæſoq;, ut tuos mecum ſerues potius, quàm propter arrogantem crudelitatem tuorum me oppugnes. Tu tuas inimicitias, ut reipub. donares, te uiciſti: alienas ut contra remp. confirmes, adduceris? Quòd ſi mihi tua clementia opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tua poteſtate tibi confirmo. Sin mihi neq; magiſtratum, neq;

Senatum,neque populum auxiliari propter eam uim,quæ me cum repub.uicit,licuerit,uide ne,cum uelis reuocare tempus omnium reseruandorũ,cum qui seruetur non erit,non possis. Vale.

M.CICERO S.D.C.ANTONIO M.F. IMP.



Tsi statuerã nullas ad te literas mittere,nisi commendatitias,non quòd eas intelligerem satis apud te ualere,sed ne ijs,qui me rogarent,aliquid de nostra coniunctione imminutũ esse ostenderem: tamen cum T.Pomponius homo omnium meorum in te studiorum & officiorum maxime conscius,tui cupidus,nostri amantissimus,ad te proficisceretur,aliquid mihi scribendũ putaui,presertim cum aliter ipsi Pomponio satisfacere non possem.Ego si abs te summa officia desiderem,mirum nemini uideri debet.omnia enim à me in te profecta sunt,quæ ad tuum commodum,quæ ad honorem,quæ ad dignitatem pertinerent.Pro ijs rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiam,tu es optimus testis. Contrà etiam esse aliquid abs te profectum,ex multis audiui.nam comperisse me non audeo dicere,ne forte idipsum uerbum ponã,quod abs te aiunt falsò in me solere conferri.Sed ea,quæ ad me delata sunt,malo te ex Pomponio,cui non minus molesta fuerunt,quàm ex meis literis,cognoscere.Meus in te animus quàm singulari officio fuerit,& Senatus & populus Romanus testis est. Tu quàm gratus erga me fueris,ipse existimare potes.quantum mihi debeas,cæteri existimant.ego quæ tua causa antea feci,uoluntate sum adductus,posteaq; constantia.Sed reliqua,mihi crede,multo maius meum studium,maioremq; grauitatem & laborem desiderant.Quæ ego si non profundere acperdere uidebor,omnibus meis uiribus sustinebo.sin autem ingrata esse sentiã,non committã,ut tibi ipse insanire uidear.Ea quæ sint,& cuiusmodi,poteris ex Pomponio cognoscere:atque ipsum tibi Pomponium ita commendo,ut quamquam ipsius causa confido te facturum esse omnia,tamen abs te hoc petam,ut si quid in te residet amoris erga me,id omne in Pomponij negotio ostendas.Hoc mihi nihil gratius facere potes.

M.CICERO S.D. P.SESTIO. L.F. PROQ.



Vm ad me Decius librarius uenisset,egissetq; mecum,ut operam darem,ne tibi hoc tempore succederetur: quamquam illum hominem frugi,& tibi amicum existimabam,tamen quòd memoria tenebam cuiusmodi ad me literas antea misisses,non satis credidi homini prudenti,tam ualde esse mutatam uoluntatem tuã. sed postea quàm & Cornelia tua Terentiam conuenit,& ego cum Q.Cornelio locutus sum,adhibui diligentiam,quotiescunque Senatus fuit,ut adessem:plurimumq; in eo negotij habui,ut Q.Fusium Trib.pl.& cæteros,ad quos tu scripseras,cogerem mihi potius credere,quàm tuis literis. Omnino res tota in mensem Ianuarium reiecta erat,sed facile obtinebatur. Ego tua gratulatione commotus,quòd ad me pridem scripseras uelle te bene euenire quòd de Crasso domum emissem:emi eam ipsam domum. xxxv. aliquanto post tuam gratulationem. Itaque nunc me scito tantum habere æris alieni,ut cupiam coniurare,si quisquam recipiat: sed partim odio inducti me excludunt,& aperte uindicem coniurationis oderunt: partim non credunt,

& à me insidias metuunt, nec putant ei numos deesse posse, qui ex obsidione fœneratores exemerit. Omnino semissibus magna copia est. ego autem meis rebus gestis hoc assecutus sum, ut bonum nomen existimer. Domum tuam atque ædificationẽ omnem perspexi, & uehementer probaui. Antoniũ, etsi eius in me officia omnes desiderant, tamẽ in Senatu grauissime ac diligentissime defendi; Senatumque uehementer oratione mea atque authoritate commoui. Tu ad me uelim literas crebrius mittas.

M. TVLLIVS M. F. CICERO S. D. CN. POMPEIO CN. F. MAGNO IMP.

SI T. E. Q. V. B. E. Ex literis tuis, quas publice misisti, cæpi unà cũ omnibus incredibilem uoluptatem. tantam enim spem otij ostendisti, quantam ego semper omnibus te uno fretus pollicebar. Sed hoc scito, tuos ueteres hosteis, nouos amicos, uehementer literis perculsos atque ex magna spe deturbatos iacere. Ad me autem literas, quas misisti, quamquam exiguam significationem tuæ erga me uoluntatis habebant, tamen mihi scito iucundas fuisse. nulla enim re tam lætari soleo, quàm meorum officiorum conscientia: quibus siquando non mutue respondetur, apud me plus officij residere facillime patior. Illud non dubito, quin si te mea summa erga te studia parũ mihi adiunxerint, resp. nos inter nos conciliatura coniuncturaque sit. Ac ne ignores, quid ego in tuis literis desiderarim, scribã aperte, sicut & mea natura, & nostra amicitia postulat. Res eas gessi, quarum aliquam in tuis literis & nostræ necessitudinis, & reip. causa gratulationẽ expectaui: quã ego abs te prætermissam esse arbitror, quòd uererere, ne cuius animum offenderes. Sed scito ea, quæ nos pro salute patriæ gessimus, orbis terræ iudicio ac testimonio comprobari. Quæ, cum ueneris, tanto consilio tantaque animi magnitudine à me gesta esse cognosces, ut tibi multo maiori quàm Aphricanus fuit, tamen non multo minorem quàm Lælium, facile & in rep. & in amicitia adiunctum esse patiare.

M. CICERO M. LICINIO P. F. CRASSO.

QVantum meum studium extiterit dignitatis tuæ uel tuendæ, uel etiam augendæ, non dubito quin ad te omnes tui scripserint. Nõ enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut eiusmodi, quod silentio posset præteriri. Nàm & cum Consulibus, & cũ multis Consularibus tanta contentione decertaui, quanta nunquam antea ulla in causa: susceptique mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis, ueterique nostræ necessitudini iamdiu debitum, sed multa uarietate temporum interruptum, officium cumulate reddidi. Neque mehercule unquam mihi tui aut colendi aut ornandi uoluntas defuit: sed quædam pestes hominum laude aliena dolentium, & te nonnunquam à me alienarunt, & me aliquando immutarunt tibi. Sed extitit tempus optatum mihi magis quàm speratum, ut florentissimis tuis rebus mea perspici posset & memoria nostræ uoluntatis, & amicitiæ fides. Sum enim consecutus non modo ut domus tua tota, sed ut cuncta ciuitas me tibi amicissimum esse cognosceret. Itaque & præstantissima omnium fœminarum uxor tua, & eximia pietate, uirtute, gratia, tui Crassi meis consilijs, monitis, studijs, actionibusque nituntur. & Senatus populusque R. intelligit tibi absenti nihil esse tam promptum, aut tam pa-

ratum,quàm in omnibus rebus,quæ ad te pertineant, operã,curam, diligentiam,authoritatem meam.Quæ sint acta,quæq; agantur,domesticorũ tibi literis declarari puto. De me sic existimes,ac tibi persuadeas uehementer uelim,non me repentina aliqua uoluntate,aut fortuito ad tuam amplitudinem meis officijs amplectendã incidisse:sed ut primũ forum attigerim, spectasse semper,ut tibi possem quàm maxime esse coniunctus.quo quidẽ ex tempore, memoria teneo,neq; meam tibi obseruantiã,neq; mihi tuam summã beneuolentiam ac liberalitatem defuisse.Siquæ interciderunt non tam re quàm suspitione uiolata,ea,cũ fuerint & falsa & inania,sint euulsa ex omni memoria,uitaq; nostra.Is enim tu uir es,& eum me esse cupio,ut quoniam in eadem reip. tempora incidimus,coniunctionẽ amicitiamq; nostram utriq; nostrum laudi sperem fore.Quamobrem tu quantũ tuo iudicio tribuendũ esse nobis putes,statues ipse,& ut spero, statues ex nostra dignitate. Ego uero tibi profiteor atq; polliceor eximium & singulare meum studiũ in omni genere officij,quod ad honestatem & gloriã tuam spectet.in quo etiã si multi mecũ contendent,tamen cũ reliquis omnibus,tum Crassis tuis iudicibus,omneis facile superabo.quos quidẽ ego ambo unice diligo.sed in Marco beneuolentia impari:hoc magis sum Publio deditus,quòd me,quamquam à pueritia sua semper,tamen hoc tempore maxime,sicut alterum parentem & obseruat & diligit.Has literas uelim existimes fœderis habituras esse uim,nõ epistolę: meq; ea quę tibi promitto ac recipio,sanctissime esse obseruaturũ,diligentissimeq; esse facturum.Quæ à me suscæpta defensio est te absente dignitatis tuæ,in ea iam ego,non solum amicitiæ nostrę,sed etiam constantiæ meæ causa,permanebo.Quamobrem satis esse hoc tempore arbitratus sum,hoc ad te scribere: me,siquid ipse intelligerem aut ad uoluntatem,aut ad commodũ, aut ad amplitudinem tuam pertinere,mea sponte id esse facturum:sin autem quippiam aut à te essem admonitus,aut à tuis,effecturũ ut intelligeres,nihil neq; te scripsisse,neq; quenquam tuorũ frustra ad me detulisse.Quamobrem uelim ita & ipse ad me scribas de omnibus minimis,maximis, mediocribus rebus, ut ad hominem amicissimũ:& tuis pręcipias,ut opera,consilio,authoritate,gratia mea sic utantur in omnibus publicis,priuatis,forensibus, domesticis, tuis, amicorum,hospitum,clientium tuorum negotijs, ut quoad eius fieri possit, præsentiæ tuæ desiderium meo labore minuatur. Vale.

VATINIVS IMP. CICERONI SVO S


I.V.B.E.E.V.Si tuam consuetudinem in patrocinijs tuendis seruas, P. Vatinius cliens aduenit, qui pro se causam dicier uult. Non puto repudiabis in honore,quem in periculo recępisti.Ego autem quem potius adoptem aut inuocem, quàm illum, quo defendente uincere didici? an uerear,ne qui potentissimorum hominum conspirationem neglexerit pro mea salute, is pro honore meo, pusillorum ac maleuolorum obtrectationes & inuidias non prosternat atq; obterat? Quare si me,sicut soles,amas,suscipe meme totum,atque hoc quicquid est oneris ac muneris pro mea dignitate tibi tuendum ac sustinendum puta.Scis meam fortunam nescio quo modo facile obtrectatores inuenire, non meo quidem mehercules merito:sed quanti id refert,si tamẽ fato nescio quo accidit? Siqui

forte fuerit, qui nostræ dignitati obesse uelit, peto à te, ut tuam consuetudinẽ & liberalitatem in me absente defendendo mihi prẹstes. Literas ad Senatum de rebus nostris gestis, quo exemplo miserã, infra tibi perscripsi. Dicitur mihi tuus seruus anagnostes fugitiuus cum Vardaeis esse, de quo tu mihi nihil mandasti: ego tamẽ terra mariq; ut conquireretur, præmandaui: & profecto tibi illum reperiam, nisi si in Dalmatiã aufugerit: & inde tamen aliquando eruam. Tu nos fac ames. Vale. ad. v. id. Quint. ex castris, Narona.

VATINIVS CICERONI SVO S.



S. I. V. B. E. Q. V. De Dionysio tuo adhuc nihil extrico: & eo minus, quòd me frigus Dalmaticũ, quod illinc eiecit, etiã hic refrigerauit. sed tamẽ non desistã, quin illum aliquando eruã. Sed tamen omnia mi dura imperas. De Catilio nescio quid ad me scripsisti deprecationis diligentissimẹ. Apagete cũ nostro Sex. Seruilio. nã mehercule ego quoq; illũ amo. sed huiuscemodi uos clientes, huiusmodi causas recipitis? hominẽ unum omnium crudelissimũ, qui tot ingenuos, matresfamilias, ciuis R. occidit, arripuit, disperdidit, regiones uastauit? Simius, nõ semissis homo contra me arma tulit, & cũ bello cæpi. Sed tamen mi Cicero quid facere possum? Omnia me hercule cupio, quẹ tu mi imperas. Meam animaduersionẽ & supplicium, quo usurus eram in eũ, quem cæpissem, remitto tibi & condono. Quid illis respondere possum, qui sua bona direpta, naueis expugnatas, fratres, liberos, parentes occisos, actiones expostulant? Si me hercules Appij os haberem, in cuius locũ suffectus sum, tamen hoc sustinere non possem. Quid ergo est? faciam omnia sedulo, quæ te sciam uelle. Defenditur à Q. Volusio tuo discipulo. si forte ea res poterit aduersarios fugare, in eo maxime spes est. Nos siquid erit istic opus, defendes. Cæsar adhuc mi iniuriam facit, de meis supplicationibus, & rebus gestis Dalmaticis adhuc non refert: quasi uero non iustissimi triumphi in Dalmatia res gesserim. Nam si hoc expectandum est, dum totum bellum conficiam, uiginti oppida sunt Dalmatiæ antiqua: quæ ipsi sibi asciuerunt, amplius sexaginta. hæc nisi omnia expugno, si mihi supplicationes non decernuntur, longe alia conditione ego sum, ac cæteri imperatores.

Ego post supplicationes mihi decretas in Dalmatiam profectus sum: sex oppida ui oppugnando cœpi: unum hoc, quod erat maximum, quater à me iam captum: quatuor enim turreis, & quatuor muros cæpi, & arcem eorum totam, ex qua me niues, frigora, imbres detruserunt: indigneq; mi Cicero oppidum captum, & bellum confectum relinquere sum coactus. Quare te rogo, si opus erit, ad Cẹsarem meã causam agas, meq; tibi in omneis parteis defendendum putes: hoc existimans, neminem te tui amantiorem habere. Vale. Data Non. Decemb. Narona.

M. C. VATINIO IMPER. S.



Grata tibi mea esse officia non miror: cognoui enim te gratissimum omnium, idq; nunquam destiti prædicare: nec enim tu mihi habuisti modo gratiã, uerum etiam cumulatissime retulisti. Quamobrẽ reliquis tuis rebus omnibus pari me studio erga te, & eadem uoluntate cognosces. Quòd mihi fœminam primariam Pompeiã uxorem

uxorem tuam commendas, cum Sura nostro statim tuis literis lectis locutus sum, ut ei meis uerbis diceret, ut quicquid opus esset, mihi denunciaret: me omnia, quæ ea uellet, summo studio curaq; facturũ: itaq; faciã, eamq;, si opus esse uidebitur, ipse conueniam. Tu tamen ei uelim scribas, ut nullam rem, neque tam magnam, neque tam paruam putet, quæ mihi aut difficilis, aut parũ me digna uideatur. Omnia quæ in tuis rebus agam, & non laboriosa mihi, & honesta uidebuntur. De Dionysio, si me amas, confice. quãcunq; ei fidem dederis, prestabo: si uero improbus fuerit, ut est, duces eum captiuum in triumpho. Dalmatis Dij male faciant, qui tibi molesti sunt. Sed ut scribis, breui capientur, & illustrabunt res tuas gestas. semper enim habiti sunt bellicosi.

M. CICERO S.D. L. LVCCEIO. Q. F.



Oràm me tecum eadem hæc agere sæpe conantẽ deterruit pudor quidam pene subrusticus, quæ nunc expromam absens audacius. epistola enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili, neque ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrũ scriptis illustretur & celebretur tuis. quod etsi mihi sępe ostendis te esse facturũ, tamen ignoscas uelim huic festinationi meæ. Genus enim scriptorum tuorũ, etsi erat semper à me uehementer expectatum, tamen uicit opinionem meam: meq; ita uel cæpit, uel incendit, ut cuperem quamcelerrime res nostras monumentis commendari tuis. Neq; enim me solũ commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit, sed etiam illa cupiditas, uel ut authoritate testimonij tui, uel indicio beneuolentiæ, uel suauitate ingenij, uiui perfruamur. Neq; tamen hæc cum scribebã, eram nescius quantis oneribus premerere susceptarum rerũ & iam institutarũ. sed quia uidebam Italici belli & ciuilis historiã iam à te pene esse perfectam (dixeras autẽ mihi te reliquas res ordiri) deesse mihi nolui, quin te admonerẽ, ut cogitares, coniunctẽne malles cum reliquis rebus nostra contexere: an, ut multi Græci fecerunt, Callisthenes Troicũ bellum, Timæus Pyrrhi, Polybius Numantinum, qui omnes à perpetuis suis historijs ea quæ dixi bella separauerunt: tu quoque item ciuilem coniurationem ab hostilibus externisq; bellis seiungeres. Equidem ad nostram laudem non multum uideo interesse: sed ad properationem meam quiddã interest, non te expectare dum ad locũ uenias, ac statim causam illam totã & tempus arripere. Et simul si uno in argumento, unaq; in persona mens tua tota uersabitur, cerno iam animo, quanto omnia uberiora atque ornatiora futura sint. Neq; tamen ignoro, quàm impudenter faciam, qui primum tibi tantum oneris imponam (potest enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam, ut ornes me, postulem. Quid si illa tibi non tanto opere uidentur ornanda? Sed tamen, qui semel uerecundiæ fineis transierit, eum bene & nauiter oportet esse impudentem. Itaque te planè etiam atque etiam rogo, ut & ornes ea uehementius etiam quàm fortasse sentis: & in eo leges historiæ negligas, gratiamq; illam, de qua suauissime quodam in procemio scripsisti, à qua te flecti non magis potuisse demonstras, quàm Herculem Xenophontium illum à uoluptate. ea si me tibi uehementius commendabit, ne aspernere: amoriq; nostro plusculum etiam, quàm concedet ueritas largiare. Quòd si te adducemus, ut hoc suscipias, erit (ut mihi persuadeo) materies

digna facultate & copia tua.à principio enim coniurationis usq; ad reditum nostrum, uidetur mihi modicum quoddam corpus confici posse. in quo & illa poteris uti ciuilium commutationum scientia, uel in explicandis causis rerum nouarum, uel in remedijs incommodorum, cum & reprehendes ea, quæ uituperanda duces: & quæ placebunt, exponendis rationibus comprobabis: & si liberius, ut consuesti, agendum putabis, multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis. Multam etiam casus nostri uarietatem tibi in scribendo suppeditabunt, plenam cuiusdam uoluptatis, quæ uehementer animos hominum in legendo scripto retinere possit. Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quàm temporum uarietates, fortunæq; uicissitudines. quæ etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundæ. habet enim præteriti doloris secura recordatio delectationē. cæteris uero nulla perfunctis propria molestia, casus autem alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est iucunda. Quem enim nostrū ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi auelli iubet spiculum, postea quàm ei percontanti dictum est, clypeum esse saluum, ut etiam in uulneris dolore æquo animo cum laude moreretur. Cuius studium in legendo non erectum Themistocli fuga redituq; retinetur? Etenim ordo ipse Annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastorum. At uiri sæpe excellentis ancipites, uarijq; casus habent admirationem, expectationem, lætitiam, molestiam, spem, timorem. si uero exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundissima lectionis uoluptate. Quo mihi acciderit optatius, si in hac sententia fueris, ut à continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum, euentorumq; nostrorum. Habet enim uarios actus, multasq; actiones & consiliorum & temporum. Ac non uereor, ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam uidear, cum hoc demonstrem, me à te potissimum ornari celebrariq; uelle. Neque enim tu is es, qui quid sis nescias: & qui nō eos magis, qui te non admirentur, inuidos, quàm eos, qui laudent assentatores arbitrere. Neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternæ gloriæ per eum commendari uelim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenij gloriam consequatur. Neq; enim Alexander ille gratiæ causa ab Apelle potissimum pingi, & à Lysippo fingi uolebat: sed quòd illorum artem cum ipsis tum etiā sibi gloriæ fore putabat. Atque illi artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant, quę uel si nulla sint, nihilo sint tamen obscuriores clari uiri. Nec minus est Spartiates Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam, neq; fictam imaginē suam passus est esse, quàm qui in eo genere laborarunt. Vnus enim Xenophontis libellus in eo Rege laudando facile omnes imagines omnium statuasq; superauit. Atque hoc præstantius mihi fuerit, & ad lætitiam animi, & ad memoriæ dignitatem, si in tua scripta peruenero, quàm si in cæterorum: quòd non ingenium mihi solum suppeditatum fuerit tuum sicut Timoleonti à Timæo, aut ab Herodoto Themistocli, sed etiam authoritas clarissimi & spectatissimi uiri & in reipub. maximis grauissimisq; causis cogniti, atque in primis probati: ut mihi non solum præconium, quod cum in Sigæum uenisset Alexander, ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiā

grauе

graue testimoniũ impertitum clari hominis magniq́ue uideatur. Placet enim Hector ille mihi Næuianus, qui non tantum laudari se lætatur, sed addit etiam, à laudato uiro. Quod si à te non impetro, hoc est, si quæ te res impedierit (neque enim fas esse arbitror quicquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortasse facere, quod nonnulli sæpe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamen exemplo & clarorum uirorum. Sed quod te non fugit, hæc sunt in hoc genere uitia, & ut uerecundius ipsi de sese scribant necesse est, si quid est laudandum: & prætereant, si quid reprehendendum est. accedit etiam, ut minor sit fides, minor authoritas, multi denique reprehendant, & dicant uerecundiores esse præcones ludorum gymnicorum: qui cum cæteris coronas imposuerint uictoribus, eorumq́ue nomina magna uoce pronunciarint, cum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium præconem adhibeant, ne sua uoce se ipsi uictores esse prædicent. Hæc nos uitare cupimus: & si recipis causam nostram, uitabimus: idq́ue ut facias, rogamus. Ac ne forte mirere, cur cum mihi sæpe ostenderis te accuratissime nostrorum temporum consilia atque euentus literis mandaturum, à te id nunc tanto opere, & tam multis uerbis petamus: illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi, festinationis, quòd alacres animo sumus, ut & cæteri uiuentibus nobis ex libris tuis nos cognoscant, & nosmetipsi uiui gloriola nostra perfruamur. His de rebus quid acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi uelim. Si enim suscipis causam, conficiam commentarios rerum omnium: sin autem differs me in tempus aliud, coràm tecum loquar. tu interea non cessabis, & ea quæ habes instituta, perpolies, nosq́ue diliges.

M. CICERO S. D. L. LVCCEIO. Q. F.



Qvamquam ipsa consolatio literarum tuarum mihi gratissima est, declarat enim summam beneuolentiam coniunctam pari prudentia, tamen illum fructum ex his literis uel maximum cæpi, quòd te præclare res humanas contemnentem, & optime contra fortunam paratum armatumq́ue cognoui. Quam quidem laudem sapientiæ statuo esse maximam, non aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene aut male uiuendi suspensas habere rationes. Quæ cogitatio cum mihi non omnino excidisset (etenim penitus insederat) ui tamen tempestatum, & concursu calamitatum erat aliquantum labefactata atque conuulsa: cui te opitulari & uideo, & id fecisse etiam proximis literis, multumq́ue profecisse sentio. Itaque hoc sæpius dicendum, tibiq́ue non significandum solum, sed etiam declarandum arbitror, nihil mihi esse potuisse tuis literis gratius. Ad consolandum autem cũ illa ualent, quæ eleganter copioseq́ue collegisti, tum nihil plus, quàm quod firmitudinem grauitatemq́ue animi tui perspexi: quam non imitari turpissimum existimo. Itaq́ue hoc etiam fortiorẽ me puto, quàm teipsum præceptorẽ fortitudinis, quòd tu mihi uidere spem nonnullã habere, hæc aliquando futura meliora. Casus enim gladiatorij, similitudinesq́ue eæ, tum rationes in ea disputatione à te collectæ, uetabant me reipublicæ penitus diffidere. Itaque alterum minus mirum, fortiorem te esse, cum aliquid speres: alterum mirum, spe ulla teneri. Quid est enim non ita affectum, ut id non deletum extinctumq́ue esse fateare? Circunspice omnia membra reipub. quę notissima sunt tibi: nul-

lum reperies profectò, quod non fractum debilitatúmue sit. quæ persequerer, si aut melius ea uiderem quàm tu uides, aut commemorare possem sine dolore. quamquam tuis monitis præceptisq́ omnis est abijciendus dolor. Ergo & domestica feremus, ut censes: & publica paulo etiam fortius fortasse quàm tu ipse, qui præcipis. Te enim aliqua spes consolatur, ut scribis: nos erimus etiam in omnibus desperatione fortes, ut tu tamen idem & hortaris & præcipis. das enim mihi iucundas recordationes conscientię nostræ, rerumq́ earum quas te in primis authore gessimus. Præstitimus enim patriæ non minus certe, quàm debuimus: plus profectò, quàm est ab animo cuiusquam, aut consilio hominis postulatum. Ignosces mihi de meipso aliquid prædicanti. quarum enim tu rerum cogitatione nos leuare ęgritudine uoluisti, earum etiam commemoratione lenimur. Itaque ut mones, quantum potero, me ab omnibus molestijs & angoribus abducam, transferamq́ animum ad ea, quibus secundę res ornantur, aduersæ adiuuantur: tecumq́ & ero tantum, quantum patietur utriusque ætas & ualetudo, & si esse unà minus poterimus, quàm uolemus, animorum tamē coniunctione ijsdemq́ studijs ita fruemur, ut nunquam non unà esse uideamur.

L. LVCCEIVS Q. F. S. D. M. TVLLIO M. F.


I. V. B. E. V. sicut soleo: paululo tamen etiam deterius, quàm soleo. Te requisiui sæpius, ut uiderem. Romæ quia postea non fuisti, quàm discesserat, miratus sum, quod item nunc miror. Nō habeo certum, quæ te res hinc maxime retrahat. si solitudine delectare, cum scribas, & aliquid agas eorum, quorum consuesti, gaudeo: neque reprehendo consilium tuum. nam nihil isto potest esse iucundius non modo miseris his temporibus & luctuosis, sed etiam tranquillis & optatis: presertim uel animo defatigato tuo, qui nunc requietem quærat ex magnis occupationibus: uel erudito, qui semper aliquid ex se promat, quod alios delectet, ipsum laudibus illustret. sin autem hic dum eras, lacrimis ac tristitiæ te tradidisti, doleo: quia doles & angere: nec possum te nō, si concedis quod sentimus, ut liberius dicamus accusare. quid enim, tu solus aperta non uidebis, qui propter acumen occultissima perspicis? tu non intelliges te querelis cotidianis nihil proficere? non intelliges duplicari solicitudines, quas eleuare tua te prudentia postulat? Quod si non possumus aliquid proficere suadendo, gratia contendimus, & rogando, si quid nostra causa uis, ut istis te molestijs laxes, & ad conuictum nostrum redeas, & ad consuetudinem, uel nostram communem uel tuam solius ac propriam. Cupio non obtundere te, si non delectare nostro studio. cupio deterrere, ne permaneas in incæpto: cū duæ res istæ contrariæ me conturbent, ex quibus aut in altera mihi uelim, si potes, obtemperes, aut in altera non offendas. Vale.

M. CICERO S. D. L. LVCCEIO Q. F.


Mnis amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in his literis, quas à te proxime accæpi: non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus & optatus: dicerem iucundus, nisi id uerbum in omne tempus perdidissem. Neque ob eam unam causam, quam tu suspicaris, & in qua me lenissimis & amantissimis uerbis utens, re grauiter accusas:

cusas: sed quòd illius tanti uulneris, quæ remedia esse debebant, ea nulla sunt. Quid enim? ad amicósne confugiam? quàm multi sunt? habuimus enim ferè communeis: quorũ alij occiderunt, alij nescio quo pacto obduruerunt. Tecũ uiuere possem, equidē & maxime uellem: uetustas, amor, consuetudo, studia paria. quod uinclũ quasi deest nostræ coniunctionis? Possumusne igitur esse unà nec mehercule intelligo, quid impediat, sed certe adhuc non fuimus, cum essemus uicini in Tusculano, in Puteolano. nã quid dicam in urbe? in qua, cũ forum commune sit, uicinitas non requiritur. Sed casu nescio quo in ea tempora nostra ætas incidit, ut cum maxime florere nos oporteret, tum uiuere etiam puderet. Quod enim esse poterat mihi perfugium spoliato & forensibus & domesticis ornamentis atq; solatijs? literæ, credo, quibus utor assidue. quid enim aliud facere possum? sed nescio quo modo ipsæ illæ excludere me à portu & perfugio uidentur, & quasi exprobrare, quòd in ea uita maneam, in qua nihil insit, nisi propagatio miserrimi temporis. Hic tu ea me abesse urbe miraris, in qua domus nihil delectare possit, summũ sit odium temporum, hominũ, fori, curiæ? Itaq; sic literis utor, in quibus consumo omne tempus, non ut ab his medicinam perpetuam, sed ut exiguam obliuionem doloris petam. Quod si id egissemus ego atq; tu, quod ne in mentē quidem nobis ueniebat propter cotidianos metus, omne tempus unà fuissemus: neque me ualetudo tua offenderet: neq; te mœror meus, quod quantum fieri poterit, consequamur. Quid enim est utriq; nostrum aptius? Propediem te igitur uidebo.

M. CICERO S. D. TITIO.



Tsi unus ex omnibus minime sum ad te consolandum accommodatus, quòd tantum ex tuis molestijs cæpi doloris, ut consolatione ipse egerem: tamen cũ longius à summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quàm tuus, statui nostræ necessitudinis esse, meæq; in te beneuolentię, non tacere tanto in tuo mœrore tamdiu: sed adhibere aliquam modicã consolationem, quę leuare dolorem tuũ posset, si minus sanare potuisset. Est autem consolatio peruulgata quidem illa maxime, quam semper in ore atque in animo habere debemus. Homines nos ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus telis fortunæ proposita sit uita nostra: neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus, condicione uiuamus: neue tã grauiter eos casus feramus, quos nullo consilio uitare possimus: euentisq; aliorum memoria repetendis, nihil accidisse noui nobis cogitemus. Neque hæ, neque cæteræ consolationes, quæ sunt à sapientissimis uiris usurpatę, memoriæq; literis proditæ, tantum uidentur proficere debere, quantum status ipse nostræ ciuitatis, & hæc perturbatio temporum perditorum, cum beatissimi sint, qui liberos non suscæperunt, minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quàm si eosdem, bona aut denique aliqua republica perdidissent. Quòd si tuum te desiderium mouet, aut si tuarũ rerum cogitatione mœres, non facile exhauriri tibi istum dolorem posse uniuersum puto: sin illa te res cruciat, quæ magis amoris est, ut eorum, qui occiderunt, miserias lugeas: ut ea non dicam, quæ sæpissime & legi & audiui, nihil mali esse in morte: in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius, quàm mors ducenda sit: sin sit amissus, nulla uideri miseria debeat, quæ non sentiatur: hoc tamen non dubitans

bitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendere reipublicæ, quæ qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse uideatur. Quid est enim iam non modo pudori, probitati, uirtuti, rectis studijs, bonis artibus, sed omnino libertati ac saluti loci? non mehercule quenquam audiui hoc grauissimo & pestilentissimo anno adolescentulum aut puerum mortuum, qui mihi nõ à dijs immortalibus ereptus ex his miserijs, atq; ex iniquissima condicione uitæ, uideretur. Quare si tibi unum hoc detrahi potest, ne quid his, quos amasti, mali putes contigisse, permultum erit ex mœrore tuo diminutum. Relinquetur enim simplex illa iam cura doloris tui, quæ non cum illis communicabitur, sed ad teipsum proprie referetur. in qua nõ est iam grauitatis & sapientiæ tuæ, quàm tu à puero præstitisti, ferre immoderatius casum incommodorum tuorum, qui sit ab eorum, quos dilexeris, miseria maloq; seiunctus. Etenim cum semper te, & priuatis in rebus, & publicis præstitisti, tuenda tibi ut sit grauitas, & constantiæ seruiendum. Nam quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus uetustate tollit, id nos præripere consilio prudentiaq; debemus. Etenim si nulla fuit unquam liberis amissis tam imbecillo mulier animo, quę non aliquando lugendi modũ fecerit: certe nos, quod est dies allatura, id consilio antè ferre debemus: neq; expectare temporis medicinã, quam repręsentare ratione possimus. His ego literis si quid profecissem, existimabam optandum quiddam me esse assecutum. sin minus forte ualuissent, officio tamen esse functum beneuolentissimi atq; amicissimi: quem me tibi & fuisse semper existimes uelim, & futurum esse confidas.

M. CICERO S. D. P. SESTIO P. F.


On obliuione amicitiæ nostræ, neque intermissione consuetudinis meæ, superioribus temporibus ad te nullas literas misi: sed quòd priora tempora in ruinis reipublicę nostrisq; iacuerunt, posteriora autem me à scribendo tuis iniustissimis atq; acerbissimis incommodis retardarunt. Cum uero & interuallũ iam satis longum fuisset, & tuam uirtutem animiq; mangitudinem diligentius essem mecum recordatus, non putaui esse alienum institutis meis, hęc ad te scribere. Ego te P. Sesti, & primis temporibus illis, quibus in inuidiam absens, & in crimen uocabare, defendi: & cum in tui familiarissimi iudicio ac periculo tuum crimen coniungeretur, ut potui accuratissime te tuamq; causam tutatus sum: & proxime recenti aduentu meo cum rem aliter institutam offendissem, ac mihi placuisset si affuissem, tamen nulla re saluti tuæ defui. cumq; eo tempore inuidia annonæ inimici non solum tui, uerumetiam amicorum tuorum, iniquitas totius iudicij, multaq; alia reipublicę uitia plus quàm causa ipsa ueritasq; ualuissent, Publio tuo neq; opera, neque consilio, neque labore, neq; gratia, neq; testimonio defui. Quamobrem omnibus officijs amicitiæ diligenter à me sanctęq; seruatis, ne hoc quidem prætermittendum esse duxi, te ut hortarer rogaremq;, ut & hominem te & uirum esse meminisses: id est ut & communem incertumq; casum, quem neque uitare quisquam nostrum, nec præstare ullo pacto potest, sapienter ferres: & dolori fortiter ac fortunæ resisteres. cogitaresq; & in nostra ciuitate, & in cæteris, quæ rerum potitæ sunt, multis fortissimis atque optimis uiris iniustis iudicijs taleis casus incidisse. Illud utinã ne

uere

uere scriberem,ea te republica carere,in qua neminem prudentem hominem res ulla delectet. De tuo autem filio uereor,ne si nihil ad te scripserim, debitū eius uirtuti uidear testimonium nō cæpisse:sin autem omnia quę sentio perscripserim,ne refricem meis literis desiderium ac dolorem tuum. Sed tamen prudentissime facies,si illius pietatem,uirtutem,industriam, ubicunque eris, tuam esse,tecum esse duces. Nec enim minus nostra sunt,quæ animo complectimur,quàm quæ oculis intuemur. Quamobrē & illius eximia uirtus, summusq; in te amor,magnæ tibi consolationi debet esse, & nos cæteriq; qui te non ex fortuna,sed ex uirtute tua pendimus,semperq; pendemus:& maxime animi tui conscientia,cum tibi nihil merito accidisse reputabis,& illud adiunges. Homines sapienteis turpitudine non casu, & delicto suo non aliorum iniuria commoueri. Ego & memoria nostræ ueteris amicitiæ,& uirtute atq; obseruantia filij tui monitus,nullo loco deero neque ad consolandum, neque ad leuandum fortunam tuam. Tu si quid ad me forte scripseris, perficiam, ne te frustra scripsisse arbitrere.

M. CICERO S.D. T. FADIO.



Tsi egomet,qui te consolari cupio,consolandus ipse sum,propterea,quòd nullam rem grauius tuli iamdu, quàm incommodum tuum:tamen te magnopere non hortor solum,sed etiam pro amore nostro rogo atq; oro,te colligas,uirumq; prębeas:& qua condicione omnes homines,& quibus temporibus nati simus,cogites. Plus tibi uirtus tua dedit,quàm fortuna abstulit. propterea quòd adeptus es,quod nō multi homines noui:amisisti quæ plurimi homines nobilissimi. Ea denique uidetur condicio impendere legum,iudiciorum,temporum, ut optime actū cum eo uideatur esse,qui quamleuissima pœna ab hac rep. discesserit. Tu uero,qui & fortunas & liberos habeas,& nos cæterosq; necessitudine & beneuolentia tecum coniunctissimos:quumq; magnam facultatem sis habiturus nobiscum & cum omnibus tuis uiuendi:& cum unū sit iudicium ex tam multis,quod reprehendatur,ut quod una sententia eaq; dubia, potentiæ alicuius condonatum existimetur: omnibus his de causis, debes istam molestiam quamlenissime ferre. Meus animus erit in te liberosq; tuos semper, quem tu esse uis,& qui esse debet.

CICERO RVFO.



Tsi mihi nunquam dubium fuit.quin tibi essem carissimus, tamē cotidie magis id perspicio:extatq; id,quod mihi ostenderas quibusdam literis hoc te studiosiorem in me colendo fore, quàm in prouincia fuisses(etsi meo iudicio nihil ad tuum prouinciale officium addi poteſt)quo liberius iudicium esse posset tuum. Itaque me & superiores literæ tuæ admodum delectauerunt,quibus & expectatum meum aduentum abs te amanter uidebā,& cum aliter res cecidisset ac putasses,te meo consilio magnopere esse lætatum:& his proximis literis magnum cæpi fructum & iudicij & officij tui. iudicij,quòd intelligo te, id quod omnes fortes ac boni uiri facere debent,nihil putare utile esse,nisi quod rectū honestumq; sit:officij,quòd te mecum,quodcunq; cæpissem consilij, polliceris fore. quo neq; mihi gratius,neq; ut ego arbitror,tibi honestius esse quicquam potest.

Mihi consilium captum iamdiu est, de quo ad te non quo celandus esses, nihil scripsi antea. sed quia communicatio consilij tali tempore, quasi quædam admonitio uidetur esse officij, uel potius efflagitatio ad coeundam societatē, uel periculi, uel laboris. Cum uero ea tua sit uoluntas, humanitas, beneuolentia erga me, libenter amplector talem animum: sed ita (non enim dimittā pudorem in rogando meum) si feceris id quod ostendis, magnam habebo gratiam: si non feceris, ignoscam. & alterum timori, alterum mihi te negare non potuisse arbitrabor. Est enim res profectò maxima. quid rectum sit apparet: quid expediat, obscurum est. ita tamen, ut si nos ij simus qui esse debemus, id est studio digni ac literis nostris, dubitare non possimus, quin ea maxime conducant, quæ sunt rectissima. Quare tu si simul placebit, statim ad me uenies: sin idem placebit, atque eodem, nec continuo poterit, omnia tibi ut nota sint, faciam. Quicquid statueris, te mihi amicum: sin id, quod opto, etiam amicissimum iudicabo.

CICERO RVFO.



Vo modo potuissem, te conuenissem, si eò, quo constitueras, ueni re uoluisses. Quare etsi mei commodi causa commouere me noluisti, tamen ita existimes uelim, me antelaturū fuisse, si ad me misisses, uoluntatem tuam commodo meo. Ad ea quæ scripsisti, commodius equidem possem de singulis ad te rebus scribere, si M. Tullius scriba meus adesset: à quo mihi exploratum est, in rationibus duntaxat referendis (de cæteris rebus affirmare non possum) nihil eum fecisse scientem, quod esset contra aut rem aut existimationem tuam. dein si rationum referendarum ius uetus, & mos antiquus maneret, me relaturū rationes, nisi tecum pro coniunctione nostræ necessitudinis contulissem confecissemq́, nō fuisse. Quod igitur fecissem ad urbem, si consuetudo pristina maneret: id (quum lege Iulia relinquere rationes in prouincia necesse erat, easdemq́ totidem uerbis referre ad ærarium) feci in prouincia. neq; ita feci, ut te ad meum arbitriū adducerem: sed tribui tibi tantum, quantum me tribuisse nunquam me pœnitebit. totum enim scribam meum, quem tibi uideo nunc esse suspectum, tibi tradidi: tu ei M. Mindium fratrem tuum adiunxisti. rationes confectæ me absente sunt tecum: ad quas ego nihil adhibui præter lectionem. Ita accæpi librum à meo seruo scriba, ut eundem accæperim à fratre tuo. Si honos is fuit, maiorem tibi habere non potui: si fides, maiorem tibi habui, quàm penè ipsi mihi. si prouidendum fuit, ne quid aliter ac tibi & honestum & utile esset, referretur. non habui, cui potius id negotij darem, quàm * darem. Illud quidē certe factum est, quod lex iubebat, ut apud duas ciuitates, Laodicensem & Apamensem, quę nobis maximæ uidebantur, quum ita necesse erat, rationes confectas & consolutas deponeremus. Itaque huic loco primum respondeo, me, quanquam iustis de causis rationes deferre properarim, tamen te expectaturū fuisse, nisi in prouincia relictas rationes pro latis haberem. Quamobrem de Volusio quod scribis, non est id rationum. docuerunt enim me periti homines, in his cum omnium peritissimus, tum mihi amicissimus C. Camillus, ad Volusium transferri nomen à Valerio non potuisse: prædes Valerianos teneri, neque id erat HS XXX, ut scribis, sed HS XIX. erat enim

curata

curata nobis pecunia Valerij mancipis nomine: ex qua reliquum quod erat in rationibus, retuli. Sed sic me & liberalitatis fructu priuas. & diligentiæ, &(quod minime tamen laboro)mediocris etiam prudentiæ. liberalitatis, quòd mauis scribæ mei beneficio, quàm meo, Legatum meum Præfectumq́. Q. Leptam maxima calamitate leuatos, cum presertim non deberēt esse obligati. diligentiæ, quòd existimas de tanto officio meo, tanto etiam periculo nec scisse me quicquam, nec cogitauisse: Scribam, quidquid uoluisset, cū id mihi ne recitauisset quidem, retulisse. prudentiæ, cum rem à me non insipiēter actam, ne cogitatam quidem putes. Nam & Volusij liberandi meum fuit consilium: & ut multa tam grauis Valerianis prædibus, ipsiq́ T. Mario depelleretur, à me inita ratio est, quam quidem omnes non solum probant, sed etiam laudant. & si uerum scire uis, hoc uni scribæ meo intellexi non nimium placere. sed ego putaui esse uiri boni, cum populus suum seruaret, consulere fortunis tot uel amicorum uel ciuium. Nam de Lucceio est ita actum, ut authore Cn. Pompeio, ista pecunia in fano poneretur. id ego agnoui meo iussu esse factum. qua pecunia Pompeius est usus ut tua, quam tum deposueras ex tuis. Sed hæc ad te nihil intelligo pertinere. Illud me non animaduertisse, moleste ferrem, ut adscriberem, te in fano pecuniam iussu meo deposuisse, nisi ista pecunia grauissimis esset certissimisq́ monimentis testata, cui data, quo. S.C. quibus tuis, quibus meis literis P. Sestio tradita esset. Quæ cum uiderem tot uestigijs impressa, ut in his errari non posset, non adscripsi id, quod tua nihil referebat. Ego tamen adscripsisse mallem, quum id te uideo desiderare. Sicut scribis tibi id esse referendum, idem ipse sentio: neque in eo quicquam à meis rationibus discrepabunt tuæ. Addes enim tu, meo iussu, quod ego quidem non addidi: nec causa est cur negem: nec si causa esset, & tu nolles, negarem. Nam de sestertijs nongentis millibus certe ita relatum est, ut tu, siue frater tuus referri uoluit. Sed si quid est, quum de logeio parum gratiosum est, quod ego in rationibus referendis etiam nunc corrigere possim, de eo mihi, quum. S.C. non sum usus, quod per leges liceat, considerandum est. te certe in pecunia exacta ita afferre ex meis rationibus relatis non oportuit, nisi quid me fallit. sunt enim alij peritiores. Illud caue dubites, quin ego omnia faciam, quæ interesse tua, aut etiam uelle te existimem, si ullo modo facere possim. Quod scribis de beneficijs, scito à me & Tribunos militares, & Præfectos, & contubernales duntaxat meos delatos esse. In quo quidem me ratio fefellit. liberum enim mihi tempus ad eos deferendos existimabam dari. postea certior sum factus, triginta diebus deferri necesse esse, quibus rationes retulissem. Sane moleste tuli non illa beneficia tuæ potius ambitioni reseruata esse, quàm meæ, qui ambitione nihil uterer. De Centurionibus tamen, & de Tribunorum militarium contubernalibus, res est in integro. genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat. Reliquum est de. HS. C. millibus, de quibus memini mihi a te Myrina literas esse allatas, non mei errati, sed tui: in quo peccatum uidebatur esse, si modo erat, fratris tui & Tullij. Sed cum id corrigi non posset, quòd iam depositis rationibus ex prouincia decessimus, credo me quidem tibi pro animi mei uoluntate, proq́ ea spe facultatum, quam

tũ habebamus, quã humanissime potuerim rescripsisse. Sed neq; tum me humanitate literarum mearum obligatum puto, neque me tuam hodie epistolam de. HS. C. sic accæpisse, ut ij accipiunt, quibus epistolæ per hæc tempora molestę sunt. Simul illud cogitare debes, me omnem pecuniam, quæ ad me saluis legibus peruenisset, Ephesi apud publicanos deposuisse: id fuisse. HS. XXII. eam omnem pecuniam Pompeium abstulisse. quod ego siue æquo animo, siue iniquo fero: tu de HS. C. æquo animo ferre debes, & existimare eo minus ad te, uel de tuis cibarijs, uel de mea liberalitate peruenisse. Quod si mihi expensa ista. HS. C. tulisses, tamen quæ tua est suauitas, quiq; in me amor, nolles a me hoc tempore æstimationem accipere: nam numeratũ si cuperem, non erat. Sed hæc iocatum me putato, ut ego te existimo. Ego tamen cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te, si quid ad rem putabis pertinere. Hanc epistolam cur non scindi uelim, causa nulla est. Vale.

M. CICERO .S. D. L. MESCINO.


Ratæ mihi tuæ fuerunt literæ: ex quibus intellexi, quod etiam sine literis arbitrabar, te summa cupiditate affectum esse uidendi mei. quod ego ita libenter accipio, ut tamen tibi non concedam. nam tecum esse, ita mihi omnia quæ opto contingant, ut uehementer uelim. Vt enim cum esset maior & uirorum & ciuium bonorum, & iucundorum hominum, & amantium mei copia, tamen erat nemo, qui cum essem libentius: quàm tecum, & pauci quibus cum essem æque libenter: hoc uero tempore, cum alij interierint, alij absint, alij mutati uoluntate sint, unum mediusfidius tecum diem libentius posuerim, quàm hoc omne tempus cum plerisque eorum, quibuscum uiuo necessario. Noli enim existimare, mihi solitudinem non iucundiorem esse, qua tamẽ ipsa uti non licet, quàm sermones eorum, qui frequentant domum meam, excæpto uno, aut summum altero. Itaque utor eodem perfugio, quo tibi utendum censeo, literulis nostris, præterea conscientia etiam consiliorum meorum. Ego enim is sum, quemadmodum tu facillime potes existimare, qui nihil unquam mea potius, quàm meorum ciuium causa fecerim: cui nisi inuidisset is, quem tu nunquam amasti (me enim amabas) & ipse beatus esset: & omnes boni. Ego sum qui nullius uim plus ualere uolui, quàm honestũ otium. idemq; cum illa ipsa arma, quæ semper timueram, plus posse sensi, quàm illum consensum bonorum, quem ego idem effeceram: qua uis tuta condicione pacem accipere malui, quàm uiribus cum ualentiore pugnare. Sed & hæc & multa alia coràm, breui tempore licebit. Neque me tamen ulla res alia Romæ tenet, nisi expectatio rerum Africanarum. uidetur enim mihi res in propinquum adducta discrimen. puto autem mea non nihil interesse: quanquam id ipsum quid intersit, non sane intelligo. Veruntamen quicquid illinc nunciatum sit, non longe abesse à consilijs amicorum. Est enim res iam in eum locum adducta, ut quanquam multum intersit inter eorum causas, qui dimicant, tamen inter uictorias non multum interfuturum putem. Sed plane animus, qui dubijs rebus forsitan fuerit infirmior, desperatis confirmatus est multum: quem etiam tuæ superiores literæ confirmarunt.

quibus

quibus ītellexi, quàm fortiter iniuriam ferres: iuuitq́ me, tibi cum summam humanitatem, tum etiam tuas literas profuisse. Verum enim scribam, teneriore mihi animo uidebare, sicut omnes ferè qui uita ingenua, in beata ciuitate & in libera uiximus. Sed ut illa secunda moderate tulimus, sic hanc non solum aduersam, sed funditus euersam fortunam fortiter ferre debemus: ut hoc saltem in maximis malis boni sequamur, ut mortem quam etiam beati contemnere debeamus, propterea ꝙ nullum sensum esset habitura, nunc sic affecti non modo contemnere debeamus, sed etiam optare. Tu si me diligis, fruere isto otio, tibiq́ persuade, præter culpam ac peccatum, qua semper caruisti & carebis, homini accidere nihil posse, quod sit horribile aut pertimescendum. Ego, si uidebitur recte fieri posse, ad te ueniam breui. si quid acciderit, ut mutādum consilium sit, te certiorem faciam statim. Tu ita fac cupidus mei uidendi sis, ut istinc te ne moueas tam īfirma ualetudine, nisi ex me prius quæsieris per literas quid te uelim facere. Me uelim, ut facis, diligas, ualetudiniq́ tuæ & tranquillitati animi seruias.

M. TVLLII CICERONIS LIBER EPISTOLARVM AD A. TORQVATVM ET CÆTEROS.

M. CICERO S.D. A. TORQVATO.



Tsi ea perturbatio est omnium rerum, ut suæ quemq́ fortunæ maxime pœniteat, nemoq́ sit, quin ubiuis, quàm ibi, ubi est, esse malit, tamen mihi dubium non est, quin hoc tempore, bono uiro Romæ esse miserrimum sit. Nam etsi quocūq́ in loco quisquis est, idem est ei sensus, & eadem acerbitas ex interitu rerum & publicarum & suarum, tamen oculi augent dolorem, qui ea quæ cæteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miserijs cogitationem sinunt. Quare etsi multarum rerum desiderio te angi necesse est, tamen illo dolore, quo maxime te confici audio, ꝙ Romæ non sis, animū tuū libera. Etsi enim cū magna molestia tuos tuaq́ desideras, tamen illa quidem, quæ requiris suum statum tenent, nec melius, si tu adesses, tenerent, nec sunt ullo in proprio periculo. Nec debes tu, cum de tuis cogitas, aut præcipuam aliquam fortunam postulare, aut communem recusare. De te autem ipso Torquate est tuum sic agitare animo, ut non adhibeas in consilium cogitationum tuarum desperationem aut timorem, nec enim is, qui in te adhuc iniustior, quàm tua dignitas postulabat, fuit, non magna signa dedit animi erga te mitigati. nec tamen is ipse, à quo salus petitur, habet explicatam aut exploratam rationem salutis suæ. Cumq́ omnium bellorū exitus incerti sint, ab altera uictoria tibi periculum nullum esse perspicio, quod quidē seiunctum sit ab omnium interitu: ab altera teipsum nunquam timuisse certo

ſcio. Reliquum eſt, ut te idipſum quod ego quaſi conſolationis loco pono, maxime excruciet, commune periculum reipu. cuius tanti mali, quamuis docti uiri multa dicant, tamen uereor, ne conſolatio nulla poſſit uera reperiri, præter illam quæ tanta eſt, quantum in cuiuſq; animo roboris eſt atq; neruorum. Si enim bene ſentire recteq; facere ſatis eſt ad bene beateq; uiuendum, non uereor, ne eum, qui ſe optimorum conſiliorum conſcientia ſuſtentare poſſit, miſerum eſſe nefas ſit dicere. Nec enim nos arbitror uictoriæ præmijs ductos patriam olim & liberos & fortunas reliquiſſe: ſed quoddam nobis officium iuſtum & pium & debitum reipub. noſtræq; dignitati uidebamur ſequi. Nec cum id faciebamus, tam eramus amentes, ut explorata nobis eſſet uictoria. Quare ſi id euenit, quod ingredientibus nobis in cauſam, propoſitum fuit accidere poſſe, non debemus ita cadere animis, quaſi aliquid euenerit, quod fieri poſſe nunquam putarimus. Simus igitur ea mente, quam ratio & ueritas præſcribit, ut nihil in uita nobis præſtandum præter culpam putemus: eaq; cum careamus, omnia humana placate & moderate feramus. Atq; hæc eò pertinet oratio, ut perditis rebus omnibus, tamen ipſa uirtus ſe ſuſtentare poſſe uideatur. Sed ſi eſt ſpes aliqua rebus communibus, ea tu, quicunq; ſtatus eſt futurus, carere non debes. Atque hæc mihi ſcribẽti ueniebat in mẽtem, me eſſe eum, cuius tu deſperationem accuſare ſolitus eſſes, quemq; authoritate tua cunctantem & diffidentem excitare. Quo quidem tempore non ego cauſam noſtram, ſed cõſilium improbabam. Sero enim nos ijs armis aduerſari uidebam, quæ multo ante confirmata per noſmetipſos erant. dolebamq; pilis & gladijs, non conſilijs, neque authoritatibus noſtris de iure publico diſceptari. Neque ego ea, quæ facta ſunt fore cum dicebam, diuinabam futura: ſed quod & fieri poſſe, & exitioſum fore, ſi eueniſſet, uidebam. id ne accideret timebam: preſertim cum ſi mihi alterum utrum de euentu atque exitu rerum promittendum eſſet, id futurum quod euenit, exploratius poſſem promittere. His enim rebus præſtabamus, quæ non prodeunt in aciem. uſu autem armorum, & militum robore inferiores eramus. Sed tu illum animum nunc adhibe quæſo, quo me tum eſſe oportere cenſebas. Hæc eò ſcripſi, quòd mihi Philargyrus tuus omnia de te requirenti fideliſſimo animo (ut mihi quidem uiſus eſt) narrauit, te interdum ſolicitum eſſe ſolere uehementius: quod facere non debes, nec dubitare, quin aut aliqua repub. ſis futurus qui eſſe debes: aut perdita, non afflictiore condicione, quàm cæteri. Hoc uero tempus, quo exanimati omnes, & ſuſpenſi ſumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quod & in urbe ea es, ubi nata & alta eſt ratio, ac moderatio uitæ: & habes Ser. Sulpicium, quem ſemper unice dilexiſti, qui te profecto & beneuolentia & ſapientia conſolatur. cuius ſi eſſemus & authoritatem & conſilium ſecuti, togati potius potentiam quàm armati uictoriam ſubiſſemus. Sed hæc longiora fortaſſe fuerunt, quàm neceſſe fuit: illa quæ maiora ſunt, breuius exponam. Ego habeo cui plus, quàm tibi debeam neminem: quibus tantum debebam, quantum tu intelligis, eos huius mihi belli caſus eripuit. qui ſim autem hoc tempore, intelligo. ſed quia nemo eſt tam afflictus, quin ſi nihil aliud ſtudeat, niſi id quod agit, poſſit nauare aliquid, & efficere: omne meum conſilium, operam, ſtudium certe uelim exiſtimes tibi, tuiſq; liberis eſſe debitum.

M. Cicero

M. CICERO S.D. A. TORQVATO.


Peto à te, ne me putes obliuione tui rarius ad te scribere, quàm solebam: sed aut grauitate ualetudinis, qua tamen iam paulum uideor leuari, aut quòd absim ab urbe, ut qui te proficiscatur, scire non possim. Quare uelim ita statutum habeas, me tui memoriam cum summa beneuolentia tenere, tuasq; omnes res non minori mihi curæ, quàm meas esse. Quòd maiore in uarietate uersata est adhuc tua causa, quàm homines aut uolebant, aut opinabantur, mihi crede, non est pro malis temporum, quod moleste feras. Necesse est enim aut armis urgeri remp. sempiternis, aut his positis recreari aliquando, aut funditus interire. Si arma ualebunt, nec eos à quibus recesseris uereri debes, nec eos quos adiuuisti: si armis aut condicione positis, aut defatigatione abiectis, aut uictoria detractis, ciuitas respirauerit, & dignitate tua frui tibi & fortunis licebit: sin omnino interierint omnia, fueritq; is exitus, quem uir prudentissimus M. Antonius iam tum timebat, cum tantum instare malorum suspicabatur: misera est illa quidem consolatio, tali presertim ciui & uiro, sed tamen necessaria, nihil esse præcipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat uniuersis. Quæ uis insit in his paucis uerbis (Plura enim committenda epistolæ non erant) si attendes, quod facis: profecto etiam sine meis literis intelliges te aliquid habere, quod speres. nihil quod aut hoc, aut aliquo reipublicæ statu timeas: omnia si interierint, cum superstitem te esse reipublicæ ne si liceat quidem, uelis, ferendam esse fortunam, presertim quæ absit à culpa. Sed hæc hactenus. Tu uelim scribas ad me quid agas, & ubi futurus sis, ut aut quò scribam, aut quo ueniam, scire possim.

M. CICERO S.D. A. TORQVATO.


Superioribus literis beneuolentia magis adductus, quàm quo res ita postularet, fui longior. Neque enim confirmatione nostra egebat uirtus tua: neque erat ea mea causa atque fortuna, ut cui ipsi omnia deessent, alterũ confirmarẽ. Hoc item tempore breuior esse debeo. siue enim nihil tũ opus fuit tã multis uerbis, nihilo magis nunc opus est: siue tum opus fuit, illud satis est, presertim cum accesserit nihil noui. Nã etsi cotidie aliquid audimus earũ rerũ, quas ad te perferri existimo, summa tamẽ eadẽ est, & idẽ exitus, quẽ ego tã uideo animo, quàm ea, quæ oculis cernimus. nec uero quicquã uideo, quod nõ idem te uidere certo scio. Nã etsi quem exitũ acies habitura sit, diuinare nemo potest, tamen & belli exitũ uideo: & si id minus, hoc quidẽ certe, cũ sit necesse alterũ utrũ uincere, qualis futura sit uel hæc uel illa uictoria. Idq; cum optime perspexi, tale uideo, nihil ut mali uideatur futurum, si id uel antè acciderit, quod uel maximum ad timorem proponitur. Ita enim uiuere, ut non sit uiuendum, miserrimum est. mori autem nemo sapiens miserum dixit, ne beato quidem. Sed in ea es urbe, in qua hæc uel plura & ornatiora parietes ipsi loqui posse uideantur. Ego tibi hoc confirmo, & si leuis est consolatio ex miserijs aliorum, nihilo te nunc maiore in discrimine esse, quàm quemuis aut eorum qui discesserint, aut eorum *qui remanserint, alteri dimicant, alteri uictorem timent. Sed hæc consola-

tio leuis est, illa grauior, qua te uti spero: ego certe utor. nec enim dum ero, angar ulla re, cum omni uacem culpa: & si non ero, sensu omnino carebo. Sed rursus γλαῦκ' εἰς ἀθήνας, qui ad te hæc. Mihi tu, tui, tua omnia maxime curæ sunt, & dum uiuam, erunt. Vale.

M. CICERO S. D. A. TORQVATO.


Oui, quod ad te scriberem, nihil erat: & tamen si quid esset, sciebam te à tuis certiorem fieri solere. De futuris autem rebus, etsi semper difficile est dicere, tamē interdum coniectura possis propius accedere, cum est res eiusmodi, cuius exitus prouideri possit. Nunc tantum uidemur intelligere, non diuturnum bellum, etsi idipsum nonnullis uideatur secus. Equidem cum hæc scribebam, aliquid iam actum putabam, non quo ego certo sciam, sed quòd haud difficilis erat coniectura. Nam cum omnis belli Mars communis, & cum semper incerti exitus * præliorum sunt: tum hoc tempore ita magnæ utrinque copiæ, ita paratæ ad depugnandum esse dicuntur, ut utercunque uicerit, non sit mirum futurum. Illa in dies singulos magis magisq; opinio hominum confirmatur, etiam si inter causas armorum aliquantum intersit, tamen inter uictorias, non multum interfuturum. alteros propemodum iam sumus experti: de altero nemo est quin cogitet, cum sit metuendus iratus uictor armatus. Hoc loco si uideor augere dolorem tuum, quem consolando leuare debeam, fateor me communium malorum consolationem nullam inuenire, præter illam, quæ tamen, si possis eam suscipere, maxima est, quaq; ego cotidie magis utor: conscientiam rectæ uoluntatis maximam esse consolationem rerum incommodarum: nec esse ullum magnum malum, præter culpam. A qua quum tantum absumus, ut etiam optime senserimus: euentusq; magis nostri consilij, quàm consilium reprehendatur: & quum præstitimus quod debuimus, moderate, quod euenit, feramus. Sed hoc mihi tamen non sumo, ut te consoler de communibus miserijs, quæ ad consolandum maioris ingenij, & ad ferendum singularis uirtutis indigent. Illud cuiuis facile est docere, cur præcipue tu dolere nihil debeas. Eius enim, qui tardior in te leuando fuit, quàm fore putaremus, non est mihi dubia de tua salute sententia: de alijs autem non arbitror te expectare quid sentiam. Reliquum est, ut te angat, quòd absis à tuis tandiu: res molesta, ab ijs presertim pueris, quibus nihil potest esse festiuius. Sed ut ad te scripsi antea, tempus est huiusmodi, ut suam quisque condicionem miserrimam putet: & ubi quisque sit, ibi esse minime uelit. Equidem nos quòd Romæ sumus, miserrimum esse duco, non solum quòd in malis omnibus acerbius est uidere quàm audire, sed etiam quòd ad omneis casus subitorum periculorum magis obiecti sumus, quàm si abessemus. etsi meipsum consolatorem tuum, non tantum literæ, quibus semper studui, quantum longinquitas temporis mitigauit. Quanto fuerim dolore, meministi. in quo prima illa consolatio est, uidisse me prius quàm cæteros, cum cupiebam quamuis iniqua condicione pacem. Quod etsi casu, non diuinatione mea factum est, tamen in hac inani prudentiæ laude delector. Deinde quod mihi ad consolationem commune tecum est, si iam uocer ad exitum uitæ, non ab ea rep. auellar, qua carendum esse doleam,

presertim

presertim cum id sine ullo sensu futurum sit. Adiuuat etiam ætas, & acta iam uita: quæ cum cursu suo bene confecto delectatur, tum uetat in eo uim timere, quo nos iam natura ipsa penè perduxerit. Postremo is uir, uel etiam ij uiri hoc bello occiderunt, ut impudentia uideatur eandem fortunam, si res cogat, recusare. Equidem mihi omnia propono: nec ullum est tantum malum, quod non putem impendere. Sed cum plus in metuendo mali sit, quàm in ipso illo quod timetur, desino. presertim cum id impendeat, in quo non modo dolor nullus, uerum finis etiam doloris futurus sit. Sed hæc satis multa, uel plura potius, quàm necesse fuit. facit autem non loquacitas mea, sed beneuolentia longiores epistolas. Seruium discessisse Athenis moleste tuli. non enim dubito, quin magnæ tibi leuationi solitus sit esse cotidianus congressus, & sermo cum familiarissimi hominis, tum optimi & prudentissimi uiri. Tu uelim te, ut debes & soles, tua uirtute sustentes. Ego quæ te uelle, quæq; ad te, & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiose diligenterq; curabo, quæ cum faciam, beneuolentiam tuam erga me imitabor: merita non assequar. Vale.

M. CICERO S.D. A. CAECINAE.



Votiescunque filium tuum uidi (uideo autem ferè cotidie) polliceor ei studium quidem meum & operam sine ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis: gratiam autem atq; authoritatem, cum hac exceptione, quantum ualeam, quantumq; possim. Liber tuus & lectus est, & legitur à me diligenter, & custoditur diligentissime. Res & fortunæ tuæ mihi maximæ curæ sunt. quæ quidem cotidie faciliores mihi & meliores uidentur, multisque uideo magnæ esse curæ: quorum de studio, & de sua spe filium ad te perscripsisse, certo scio. His autem de rebus, quas coniectura consequi possumus, non mihi sumo, ut plus ipse prospiciam, quàm te uidere atque intelligere mihi persuaserim. sed tamen quia fieri potest, ut tu ea perturbatiore animo cogites, puto esse meum, quid sentiam, exponere. Ea natura rerum est, & is temporum cursus, ut non possit ista, aut tibi aut cæteris fortuna esse diuturna: neque hærere in tam bona causa, & in tam bonis ciuibus tam acerba iniuria. Quare ad eam spem, quam extra ordinem de te ipso habemus, non solum propter dignitatem & uirtutem tuam (hæc enim ornamenta sunt tibi etiam cum alijs communia) accedunt tua præcipua propter eximium ingenium, summamq; uirtutem: cui mehercules hic, cuius in potestate sumus, multum tribuit. Itaque ne punctum quidem temporis in ista fortuna fuisses, nisi eo ipso bono tuo, quo delectatur, se uiolatum putasset. quod ipsum lenitur cotidie: significaturq; nobis ab ijs, qui simul cum eo uiuunt, tibi hanc ipsam opinionem ingenij apud illum plurimum profuturam. Quapropter primum fac animo forti atque magno sis. ita enim natus, ita educatus, ita doctus es, ita etiam cognitus, ut tibi id faciendum sit. deinde spem quoque habeas firmissimam propter eas causas, quas scripsi. à me uero tibi liberisq; tuis omnia paratissima esse confidas uelim. Id enim & uetustas nostri amoris, & mea consuetudo in meos, & tua multa erga me officia postulant.

M. CICERO .S.D.A. CAECINAE.

Vereor, ne desideres officium meum, quod tibi pro nostra & meritorum multorum & studiorum, & partium coniunctione, deesse non debet, sed tamen uereor, ne literarum à me officium requiras. quas tibi etiam pridem & saepe misissem: nisi cotidie melius expectans, gratulationem, quàm confirmationem animi tui cōplecti literis maluissem. Nunc, ut spero, breui gratulabimur. itaque in aliud tempus id argumentum epistolae differo. His autem literis animum tuum, quem minime imbecillum esse & audio & spero, etsi non sapientissimi, at amicissimi hominis authoritate confirmandum etiam atq; etiam puto. nec ijs quidem uerbis, quibus te consoler ut afflictum, & iam omni spe salutis orbatum, sed ut eum de cuius incolumitate non plus dubitem, quàm te memini dubitare de mea. Nā cum me ex repu. expulissent ij, qui illam cadere posse stante me non putarūt, memini me ex multis hospitibus, qui ad me ex Asia, in qua tu eras, uenerant, audire te de glorioso & celeri reditu meo cōfirmare. Si te ratio quaedam etruscae disciplinae, quam à patre nobilissimo atq; optimo uiro acceperas, non fefellit, ne nos quidem nostra diuinatio fallet: quam cum sapientissimorum uirorum monumentis atque praeceptis, plurimoq;, ut tu scis, doctrinae studio, tum magno etiam usu tractandae reipublicae, magnaq; nostrorum temporū uarietate consecuti sumus. Cui quidem diuinationi hoc plus cōfidimus, quòd ea nos nihil in his tam obscuris rebus, tamq; perturbatis unquam omnino fefellit. Dicerem quae ante futura dixissem, ni uererer, ne ex euentis fingere uiderer. Sed tamen plurimi sunt testes, me & initio ne coniungeret se cum Caesare monuisse Pompeium, & postea ne seiungeret. coniunctione frangi Senatus opes, diiunctione ciuile bellum excitari uidebam. Atque utebar familiarissime Caesare, Pompeium faciebam plurimi: sed erat meum consilium cum fidele Pompeio, tum salutare utrique. Quae praeterea prouiderim, praetereo, Nolo enim hunc de me optime meritum existimare, ea me suasisse Pompeio, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga & princeps: sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet. Eūdum in Hispaniam censui. quod si fecisset, ciuile bellum nullum omnino fuisset. Rationem haberi absentis non tam pugnaui, ut liceret, q̄ ut quum ipso Consule pugnante populus iusserat, haberetur. Causa orta belli est. quid ego praetermisi aut monitorum, aut querelarum? cum uel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem. Victa est authoritas mea, non tam à Pompeio (nam is mouebatur) quàm ab ijs, qui duce Pompeio freti, peropportunam & rebus domesticis, & cupiditatibus suis illius belli uictoriam fore putabāt. Susceptum bellum est, quiescente me, depulsum ex Italia manente me, quoad potui: sed ualuit apud me plus pudor meus, quàm timor. ueritus sum deesse Pompeii saluti, cum ille aliquando nō defuisset meae. Itaq; uel officio, uel fama bonorum, uel pudore uictus, ut in fabulis Amphiaraus, sic ego prudens & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus. Quo in bello nihil aduersi accidit non praedicente me. Quare quum, ut augures & astrologi solent, ego quoq; Augur publicus ex meis superioribus praedictis cōstitui apud te authoritatem augurij & diuinationis meae, debebit habere fidē nostra praedictio. Non igitur ex alitis

inuolatu

ſnuolatu,nec e cantu ſiniſtro oſcinis,ut in noſtra diſciplina eſt: nec ex tripudijs ſoliſtimis,aut ſoniuijs tibi auguror:ſed habeo alia ſigna,quæ obſeruem. quæ etſi non ſunt certiora illis,minus tamen habent uel obſcuritatis,uel erroris.Notantur autem mihi ad diuinandum ſigna duplici quadam uia.quarum alteram duco è Cæſare ipſo:alteram è temporum ciuilium natura atque ratione. In Cæſare hæc ſunt:mitis clemensq́ natura, qualis exprimitur præclare illo libro querelarum tuarum.accedit, quòd mirifice ingenijs excellentibus, quale eſt tuum,delectatur.præterea cedit multorum iuſtis,& officio incēſis, non inanibus aut ambitioſis uoluntatibus.In quo uehementer eum conſentiēs Etruria mouebit. Cur hæc igitur adhuc parum profecerunt? quia nō putat ſe ſuſtinere cauſas poſſe multorum,ſi tibi,cui iuſtius uidetur iraſci poſſe, cōceſſerit. Quæ eſt igitur,inquies,ſpes ab irato? Eodem fonte ſe hauſturum intelligit laudes ſuas,è quo ſit leuiter aſperſus. Poſtremo homo ualde eſt acutus,& multum prouidens.intelligit te hominem in parte Italiæ minime contemnēda facile omnium nobiliſſimum,& in communi republica cuiuis ſummorum tuæ ætatis,uel ingenio,uel gratia, uel fama populi Romani parem, nō poſſe prohibere republica diutius.nolet hoc temporis potius eſſe aliquãdo beneficium,quàm iam ſuum. Dixi de Cæſare:nunc dicam de temporum rerumq́ natura. Nemo eſt tam inimicus ei cauſæ, quam Pompeius animatus melius quàm paratus ſuſceperat,qui nos malos ciueis dicere,aut homines improbos audeat.In quo admirari ſoleo grauitatem & iuſtitiam & ſapientiam Cæſaris.nunquam niſi honorificentiſſime Pompeium appellat. At in eius perſonam multa fecit aſperius: Armorum iſta & uictoriæ ſunt facta,nō Cæſaris. At nos quemadmodum eſt complexus? Caſſium ſibi legauit, Brutum Galliæ præfecit. Sulpicium Græciæ, Marcellum,cui maxime ſuſcenſebat,cum ſumma illius dignitate reſtituit. Quò igitur hæc ſpectant? Rerum hoc natura,& ciuilium temporū nō patietur:nec manens,nec mutata ratio feret,primum,ut non in cauſa pari eadem ſit & condicio & fortuna omnium: deinde ut in eã ciuitatem boni uiri,& boni ciues nulla ignominia notati non reuertantur,in quam tot nefariorum ſcelerum condemnati reuerterunt. Habes augurium meum,quo ſi quid addubitarem,non potius uterer, quàm illa conſolatione,qua facile fortem uirum ſuſtentarem. Te ſi explorata uictoria arma ſumpſiſſes pro republica(ita enim tum putabas)non nimis eſſe laudãdum:ſin propter incertos exitus euentusq́ bellorum,poſſe accidere ut uinceremur,putaſſes,non debere te ad ſecundam fortunam bene paratū fuiſſe,aduerſam ferre nullo modo te poſſe. Diſputarem etiam,quanto ſolatio tibi conſcientia tui facti, quantæ delectationi in rebus aduerſis literæ eſſe deberent. Commemorarem non ſolum ueterum,ſed horum etiam recentium, uel ducum,uel comitum tuorum grauiſſimos caſus. Etiam externos multos claros uiros nominarem. Leuat enim dolorem communis quaſi legis & humanæ condicionis recordatio. Exponerem etiam,quemadmodum hic,& quanta in turba,quantaq́ in cōfuſione rerum omnium uiueremus.neceſſe eſt enim minore deſiderio perdita republica carere,quàm bona. Sed hoc genere nihil opus eſt:incolumē te cito,ut ſpero,uel potius,ut perſpicio, uidebimus. interea tibi abſenti,& huic,qui adeſt,imagini animi et corporis tui, conſtantiſſimo atq́ optimo filio tuo,ſtudium,officiū,operam,laborē meum iampridem

& pollicitus sum,& detuli. Nunc hoc amplius, quòd me amicissime cotidie magis Cęsar amplectitur: familiares quidem eius, sicuti neminem. Apud quē quicquid ualebo uel authoritate uel gratia, ualebo tibi. Tu cura, ut cum firmitudine te animi, tum etiam spe optima sustentes.

CAECINA CICERONI PLVR. SAL.



Vòd tibi non tam celeriter liber est redditus, ignosce timori nostro,& miserere temporis. Filius, ut audio pertimuit, neq; iniuria si liber exisset: quum nō tam interest quo animo scribatur, quàm quo accipiatur, ne ea res inepte mihi noceret, cum presertim adhuc stili pœnas dem. Qua quidem in re, singulari sum fato. Nam cum mendum scripturæ litura tollatur, stultitia fama multetur, meus error exilio corrigitur: cuius summa criminis est, quòd armatus aduersario maledixi. Nemo nostrum est, ut opinor, quin uota uictoriæ suæ fecerit: nemo quin etiam cum de alia re immolaret, tamen eo quidem ipso tēpore, ut quamprimum Cæsar superaretur, optaret. hoc si non cogitat, omnibus rebus felix est: si scit,& persuasus est, quid irascitur ei, qui aliquid scripsit contra suam uoluntatem: cum ignorit omnibus, qui multa deos uenerati sint contra eius salutem? Sed ut eodem reuertar, causa hæc fuit timoris: scripsi de te parce mediussidius & timide, non reuocans me ipse, sed pene refugiens. Genus autem hoc scripturæ nō modo liberum, sed incitatum atque latum esse debere quis ignorat? Solutum existimatur esse, alteri maledicere: tamen cauendum est, ne in petulātiam incidas. Impeditum, seipsum laudare, ne uitium arrogantiæ subsequatur. Solū uero liberum, alterum laudare. de quo quicquid detrahas, necesse est aut infirmitati aut inuidiæ assignetur. Ac nescio, an tibi gratius opportuniusq; acciderit. Nam quod præclare facere non poteram, primum erat non attingere: secundum beneficium, q̄ parcissime facere. sed tamē ego quidem me sustinui, multa minui, multa sustuli, complura ne posui quidem. Quemadmodum igitur scalarum gradus si alios tollas, alios incidas, nonnullos male hærentes relinquas, ruinæ periculum struas, non ascensum pares: sic tot malis cum uinctum, tum fractum studium scribendi, quid dignum auribus aut probabile potest afferre? Cum uero ad ipsius Cæsaris nomen ueni, toto corpore contremesco, non pœnæ metu, sed illius iudicij. totum enim Cæsarem nō noui. quē putas animum esse, ubi secum loquitur? hoc probabit: hoc uerbum suspiciosum est. Quid si hoc muto? at uereor, ne peius sit. Age uero, laudo aliquem, num offendo? cum porrò offendam, quid si non uult? armati stylum persequitur, uicti & nondum restituti quid faciet? Auges etiam tu mihi timorem, qui in Oratore tuo caues tibi per Brutum,& ad excusationem socium quæris. Vbi hoc omnium patronus facit, quid me ueterem tuum, nunc omnium clientem sentire oportet? In hac igitur calumnia timoris,& cæcæ suspicionis tormento, cum plurima ad alieni sensus coniecturam, non ad suum iudicium scribantur, quàm difficile sit euadere, si minus expertus es, q̄ te ad omnia summum atque excellens ingenium armauit, nos sentimus. Sed tamen ego filio dixeram, librum tibi legeret & auferret: aut ea condicione daret, si reciperes te correcturum: hoc est, si totum alium faceres. De asiatico itinere, quanquā summa necessitas premebat, ut imperasti feci. Te pro me quid horter? uides

tempus

tempus uenisse,quo necesse sit de nobis constitui.Nihil est mi Cicero, ꝙ filiũ meum expectes:adolescens est,omnia excogitare uel studio,uel ætate,uel me tu non potest.Totũ negotium tu sustineas oportet:in te mihi omnis spes est. tu pro tua prudentia, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Cæsar, tenes. à te omnia proficiscantur,& per te ad exitum perducantur,necesse est. apud ipsum multum,apud eius omneis plurimum potes. unum tibi si persuaseris, non hoc esse tui muneris, si quid rogatus fueris,ut facias(quanquam id magnum & amplum est)sed totum tuum esse onus,perficies.nisi forte aut in mi seria nimis stulte, aut in amicitia nimis impudenter tibi onus impono. Sed utrique rei excusationem, tuæ uitæ consuetudo dat. nam ꝙ ita consuesti pro amicis laborare, non iam sic sperant abs te, sed etiam sic imperant tibi familiares. Quod ad librum attinet, quem tibi filius dabit, peto à te ne exeat: aut ita corrigas, ne mihi noceat.

CICERO CAECINAE.



Vm esset mecum Largus,homo tui studiosus,locutus, Kl.Ian. tibi præfinitas esse, quòd omnibus rebus perspexeram, quæ Balbus & Oppius absente Cæsare egissent, ea solere illi rata esse, egi uehementer cum his,ut hoc mihi darent,tibi in Sicilia,quoad uellemus, esse uti liceret, qui mihi consuessent, aut libenter polliceri, si quid esset eiusmodi,quod eorum animos non offenderet,aut etiam negare, & afferre rationem cur negarent: huic meæ rogationi potius non continuo respõderunt,eodem die tamen ad me reuerterunt,mihi hoc dederunt,ut esses in Sicilia, quoad uelles: se præstaturos, nihil ex eo te offensionis habiturum. Quũ quid tibi permittatur cognosti,quid mihi placeat,puto te scire oportere. Actis his rebus literæ à te mihi redditæ sunt,quibus à me consilium petis, quid sim tibi author,in Sicilia ne subsidas,an ut ad reliquias Asiaticæ negotiationis proficiscare. Hæc tua deliberatio non mihi conuenire uisa est cũ oratione Largi. Ille enim mecum,quasi tibi non liceret in Sicilia diutius cõmorari,ita locutus erat:tu autẽ quasi concessum sit,ita deliberas. Sed ego,siue hoc, siue illud est,in Sicilia censeo cõmorandũ. Propinquitas locorũ uel ad impetrandũ adiuuat crebris literis & nuncijs,uel ad reditus celeritatem,re aut impetrata(quod spero)aut aliqua ratione confecta. Quamobrem censeo magno opere cõmorandũ. T. Fursano Postumo familiari meo, Legatisꝙ; eius, item meis familiaribus,diligentissime te commendabo, cum uenerint. erant enim omnes Mutinæ:uiri sunt optimi,& tui similium studiosi,& mei necessarij. Quæ mihi uenient in mentem,quæ ad te pertinere arbitrabor, ea mea sponte faciam:si quid ignorabo,de eo admonitus, omnium studia uincam. Ego etsi coràm de te cum Fursano ita loquar,ut tibi literis meis ad eum nihil opus sit,tamen quum tuis placuit te habere meas literas,quas ei redderes,morẽ his gessi.earum literarum exemplum infra scriptum est.

M. CICERO FVRFANO PROCOS. SAL.



Vm A. Cæcina tanta mihi familiaritas consuetudoꝙ; semper fuit, ut nulla maior esse possit. Nam & patre eius claro homine & forti uiro plurimum usi sumus:& hunc à puero, ꝙ & spem magnam mihi afferebat summæ probitatis,summæꝙ; eloquentiæ, & uiue-

bat mecum coniunctissime, nõ solum officijs amicitiæ, sed etiam studijs communibus, sic semper dilexi, ut non ullo cum homine coniunctius uiuerem. Nihil attinet me plura scribere, quàm mihi necesse est eius salutem & fortunas, quibuscunq; rebus possim, tueri uides. Reliquum est, ut cum cognorim pluribus rebus, quid tu & de bonorum fortuna, & de reip. calamitatibus sentires, nihil à te petam, nisi ut ad eam uoluntatem, quam tua sponte erga Cæcinam habiturus esses, tantus cumulus accedat commẽdatione mea, quanti me à te fieri intelligo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

M. CICERO TREBIANO SAL.


EGo quanti te faciam, semperq; fecerim, quanti me à te fieri intellexerim, sum mihi ipse testis. Nam & consilium tuum, uel casus potius diutius in armis ciuilibus commorandi, semper mihi magno dolori fuit: & hic euentus, q tardius quàm est æquũ, & quàm ego uellem, recuperas fortunam & dignitatem tuam, mihi non minori curæ est, quàm tibi semper fuerunt casus mei. Itaq; & Postumuleno, & Sestio, & sæpissime Attico nostro, proximeq; Theudæ liberto tuo totum me patefieri, & hæc his singulis sæpe dixi, quacunq; re possem, me tibi & liberis tuis satisfacere cupere, idq; tu ad tuos uelim scribas: hæc quidem certe, quæ in potestate mea sunt, ut operam, consilium, rem, fidem meam, sibi ad omneis res paratam putent. Si authoritate & gratia tantum possem, quantum in ea repub. de qua ita meritus sum, posse deberem: tu quoq; is esses, qui fuisti, cum omni gradu amplissimo dignissimus, tũ certe ordinis tui facile princeps. Sed quũ eodem tempore, eademq; de causa nostrum uterq; cecidit, tibi & illa polliceor, quæ supra scripsi, quæ sunt adhuc mea: & ea, quæ præterea uideor mihi ex aliqua parte retinere tanquam ex reliquijs pristinæ dignitatis. Neq; enim ipse Cæsar, ut multis rebus intelligere potui, est alienus à nobis: & omnes ferè familiarissimi eius casu deuincti magnis meis ueteribus officijs me diligenter obseruant & colunt. Itaq; si qui mihi erit aditus de tuis fortunis, id est de tua incolumitate, in qua sunt omnia, agendi, quod quidem cotidie magis ex eorum sermonibus adducor ut sperem, agam per me ipse, & moliar. singula persequi non est necesse: uniuersum studium meum & beneuolentiam ad te defero. Sed magni mea interest, hoc tuos omneis scire, quod tuis literis fieri potest, ut intelligãt oĩa Ciceronis patere Trebiano. Hoc eò pertinet, ut nihil existiment esse tã difficile, quod non pro te mihi susceptũ, iucũdũ sit futurũ.

M. CICERO TREBIANO SAL.


ANtea misissem ad te literas, si genus scribẽdi inuenirem. tali enim tempore, aut consolari amicorum est, aut polliceri. Consolatione nõ utebar, q ex multis audiebam, quàm fortiter sapiẽterq; ferres iniuriam temporũ, quamq; te uehementer consolaretur conscientia factorum, & cõsiliorum tuorum. quod quidem si facis, magnum fructum studiorum optimorum capis, in quibus te semper scio esse uersatum: idq; ut facias, etiam atq; etiam te hortor. Simul & illud tibi homini peritissimo rerum, & exemplorũ, & omnis uetustatis, ne ipse quidem rudis, sed in studio minus fortasse quàm uellem, & in rebus atq; usu plus etiam quàm uellẽ uersatus, spondeo tibi istam acerbitatem & iniuriam non diuturne fore. Nam

& ipse

& ipse qui plurimũ potest, cotidie mihi delabi ad æquitatẽ, et ad rerũ naturã uidetur: & ipsa causa ea est, ut iã simul cum rep. quæ in perpetuũ iacere nõ potest, necessario reuiuescat atq; recreetur, cotidieq; aliquid fit lenius & liberalius q̃ timebamus. Quæ quũ in temporum inclinationibus sæpe paruis posita sunt, omnia momenta obseruabimus, neq; ullum prætermittemus tui iuuãdi et leuandi locum. Itaq; illud alterum, quod dixi, literarũ genus cotidie mihi, ut spero, fiet procliuius, ut etiam polliceri possim, id te q̃ uerbis faciã libentius. Tu uelim existimes, & plureis te amicos habere, q̃ qui in isto casu sint ac fuerint, quantum quidem ego intelligere potuerim: & me concedere eorum nemini. Fortem fac animum habeas & magnum: quod est in uno te. quę sunt in fortuna, temporibus regentur, & consiliis nostris prouidebuntur.

M. CICERO. S. D. TREBIANO.



Olabellam antea tãtummodo diligebã: obligatus ei nihil erã: nec enim acciderat mihi opus esse: & ille mihi debebat, q; non defueram eius periculis. Nunc tanto sum deuinctus eius beneficio, q; & antea in re, & hoc tẽpore in salute tua cumulatissime mihi satisfecit, ut nemini plus debeã. Qua in re tibi gratulor ita uehementer, ut te quoq; mihi gratulari, q̃ gratias agere malim. alterum omnino nõ desidero. alterum uere facere poteris. Quod reliquum est, quũ tibi uirtus & dignitas tua reditum ad tuos aperuit, est tuæ sapientiæ, magnitudinisq; animi. quid amiseris obliuisci: quid recuperaris cogitare. uiues cum tuis, uiues nobiscum. plus adquisisti dignitatis, quàm amisisti rei familiaris: quæ ipsa tum esset iucundior, si ulla res esset publica. Vestorius noster familiaris ad me scripsit, te mihi maximas gratias agere. Hæc prædicatio tua mihi ualde grata est: eaq; te uti facile patior, cum apud alios, tum me hercule apud Sironem amicum nostrum. Quæ enim facimus ea prudentissimo cuiq; maxime probata esse uolumus. Te cupio uidere quamprimum.

CICERO AMPIO SAL. PLVR.



Ratulor tibi mi Balbe, uereq; gratulor: nec sum tam stultus, ut te usura falsi gaudii frui uelim. deinde frangi repente atq; ita cadere, ut nulla res te ad æquitatem animi possit postea extollere. Egi tuã causam apertius, q̃ mea tempora ferebant. Vincebatur enim fortuna ipsa debilitate gratiæ nostræ, tui caritate, & meo perpetuo erga te amore, culto à te diligentissime, omnia promissa, confirmata, certa & rata sunt, quæ ad reditum & ad salutem tuam pertinent. uidi, cognoui, interfui. etenim omneis Cæsaris familiareis satis opportune habeo implicatos consuetudine & beneuolentia: sic, ut cum ab illo discesserint, me proximum habeant. Hoc Pansa Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Postumius planè ita faciunt, ut me unice diligant. Quòd si mihi pro me efficiendum fuisset, non me pœniteret pro ratione temporum ita esse molitum. sed nihil est à me inseruitum temporis causa. ueteres mihi necessitudines cum his omnibus intercedunt, quibuscum ego agere de te non destiti. Principem tamen habuimus Pansam, tui studiosissimum, mei cupidum, qui ualeret apud illum non minus auctoritate quàm gratia. Cimber autem Tullius mihi planè satisfecit. Valẽt tamen apud Cæsarem non tam ambitiosæ rogationes, quàm necessariæ. quã

quia Cimber habebat plus ualuit quàm pro ullo alio ualere potuisset. Diploma statim non est datum, quod mirifica est improbitas in quibusdam, qui tulissent acerbius tibi ueniam dari, quam illi appellabant tubam belli ciuilis, multaque ita dicunt, quasi non gaudeant id bellum incidisse. Quare uisum est occultius agendum, neque ullo modo diuulgandum, de te iam esse perfectum: sed id erit perbreui. nec dubito, quin legente te has literas confecta iam res futura sit. Pansa quidem mihi grauis homo & certus, non solum confirmauit, uerum etiam recepit perceleriter se ablaturum diploma. Mihi tamen placuit hæc ad te perscribi, minus enim te firmũ sermo Eppuleię tuæ, lacrimæque Ampiæ declarabant, quàm significant tuæ literæ, atque illæ arbitrabantur, cum à te abessent ipsæ, multo in grauiore te cura futurũ. Quare magno opere putaui angoris & doloris tui leuandi causa, pro certis ad te ea quæ essent certa perscribi. Scis me antea sic solitum esse scribere ad te, magis ut consolarer, fortem uirum atque sapientem, quàm ut exploratam spem salutis ostenderẽ: nisi eam, quam ab ipsa repub. cum hic ardor extinctus esset, sperari oportere censerem, Recordare tuas literas, quibus & magnum animum mihi semper ostẽdisti, & ad omnes casus ferendos constantem ac paratum. quod ego non mirabar, cum recordarer te & à primis temporibus ætatis in repub. esse uersatum, & tuos magistratus in ipsa discrimina incidisse salutis fortunarumque cõmunium: & in hoc ipsum bellum esse ingressum, non solum uti uictor beatus, sed etiam, ut si ita accidisset, uictus ut sapiens esses. Deinde, cum studium tuum consummas in uirorũ fortium factis memoriæ prodendis, considerare debes nihil tibi esse committendum, quamobrem eorum, quos laudas te non simillimum præbeas. Sed hæc oratio magis esset apta, ad illa tempora quæ iam effugisti. Nunc uerò tantum te para ad hæc nobiscum ferenda, quibus ego si quam medicinam inuenirem, tibi quoque eandem traderem. sed est unũ perfugium, doctrina ac literæ, quibus semper usi sumus, quæ secundis rebus delectationem modo habere uidebantur, nunc uero etiam salutem. Sed ut ad initiũ reuertar, caue dubites, quin omnia de salute ac reditu tuo perfecta sint.

CICERO LIGARIO.



ET si tali tuo tempore, me aut consolandi aut iuuandi tui causa scribere ad te aliquid pro nostra amicitia oportebat, tamen adhuc id non feceram, quia neque lenire uidebar oratione, neque leuare posse dolorem tuum. Postea uero quàm magnam spem habere cœpi, fore ut te breui tempore incolumem haberemus, facere non potui, quin tibi & sententiã & uoluntatẽ declararem meam. Primũ igitur scribam, quod intelligo & perspicio, nõ fore in te Cæsarẽ duriorem. nam & res eũ cotidie, & dies & opinio hominũ, & ut mihi uidetur, etiã sua natura mitiorẽ facit: idque cũ de reliquis sentio, tũ de te etiã audio ex familiarissimis eius, quibus ego ex eo tẽpore, quo primũ ex Africa nuncius uenit, supplicare unà cũ fratribus tuis nõ destiti: quorum quidem et uirtus et pietas & amor in te singularis, et assidua & perpetua cura salutis tuæ tantum proficit, ut nihil sit, quod nõ ipsum Cæsarẽ tributurũ existimem: sed si tardius fit, q̃ uolumus magnis occupationibus eius, à quo oĩa petuntur aditus ad eũ difficiliores fuerunt. & simul Africanæ causæ iratior, diutius uelle uidetur eos habere solicitos à quibus se putat diuturnioribus

turnioribus esse molestijs conflictatum. sed hoc ipsum intelligimus eum co-tidie remissius & placatius ferre. quare mihi crede, & memoriæ manda me tibi id affirmasse, te in istis molestijs diutius non futurum. Quum quid sentirem exposui, quid uellem tua causa, re potius declarabo, quàm oratione. Et si tantum possem quantum in ea republica, de qua ita sum meritus, ut tu existimas, posse debebam, ne tu quidem in istis incommodis esses. Eadem enim causa opes meas fregit, quæ tuam salutem in discrimen adduxit. Sed tamen quicquid imago ueteris meæ dignitatis, quicquid reliquiæ gratię ualebunt, studium, consilium, opera, gratia, fides mea, nullo loco deerit tuis optimis fratribus. Tu fac habeas fortem animum, quem semper habuisti: primum ob eas causas, quas scripsi: deinde, quòd ea de repu. semper uoluisti atque sensisti, ut non modo cũ secunda sperare debeas, sed etiã si omnia aduersa essent, tamen conscientia & factorum & consiliorum tuorum, quæcunque acciderent, fortissimo & maximo animo ferre deberes.

CICERO LIGARIO.



ME scito omnem meum laborem, omnem operam, curam, studium in tua salute consumere. nam cum te semper maxime dilexi, tum fratrum tuorum, quos æque atque te, summa beneuolentia sum complexus, singularis pietas amorq́ fraternus, nullum me patitur officij erga te, studijq́ munus aut tempus prætermittere. sed quæ faciam, fecerimq́ pro te, ex illorum te literis, quàm ex meis, malo cognoscere. Quid autem sperem, aut confidam, & exploratum habeam de salute tua, id tibi à me declarari uolo. Nam si quisquam est timidus in magnis periculosisq́ rebus, semperq́ magis aduersos rerum exitus metuens, quam sperans secundos, is ego sum: & si hoc uitium est, eo me non carere confiteor. Ego idem tamen cum ad. V. Kl. Intercalareis priores, rogatu fratrum tuorum uenissem mane ad Cæsarem, atq́ omnem adeundi, & conueniendi illius indignitatem & molestiam pertulissem, cum fratres, & propinqui tui iacerent ad pedes, & ego essem locutus, quæ causa, quæ tuum tempus postulabat: non solum ex oratione Cæsaris, quæ sanè mollis & liberalis fuit, sed etiam ex oculis & uultu, ex multis præterea signis, quæ facilius perspicere potui, quàm scribere: hanc in opinionem discessi, ut mihi tua salus dubia non esset. Quamobrem fac animo magno fortiq́ sis: & si turbidissima sapienter ferebas, tranquilliora læte feras. Ego tamen tuis rebus sic adero, ut difficillimis: neque Cæsari solum, sed etiam amicis eius omnibus, quos mihi amicissimos esse cognoui, pro te, sicut adhuc feci, libentissime supplicabo. Vale.

CICERO BASILIO. SAL.

TIbi gratulor, mihi gaudeo, te amo, tua tueor: à te amari, & quid agas, quidque agatur, certior fieri uolo.

BITHYNICVS CICERONI. SAL.



SI mihi tecũ non & multæ & iustæ causæ amicitiæ priuatim essent, repeterẽ initia amicitiæ ex parentibus nostris. quod faciendum ijs existimo, qui paternam amicitiã nullis ipsi officijs prosecuti sunt. Itaque contentus ero nostra ipsorum amicitia, cuius fiducia peto

à te, ut absentem me, quibuscunque in rebus opus fuerit, tueare, si nullum officium tuum apud me intermoriturum existimas. Vale.

M. CICERO BITHYNICO. S.


Vm cæterarum rerum causa cupio esse aliquando rempublicam constitutam, tum uelim mihi credas, accedere id etiam, quo magis expetam promissum tuum, quo in literis uteris. scribis enim, si ita sit, te mecum esse uicturum. Gratissima mihi tua uoluntas est: facisque nihil alienum necessitudine nostra, iudicijsque patris tui de me, summi uiri. Nam sic habeto, beneficiorum magnitudine, eos qui temporibus ualuerunt, aut ualeant, coniunctiores tecum esse, quàm me necessitudine neminem. Quamobrem grata mihi est & memoria tua nostræ coniunctionis, & eius etiam augendæ uoluntas.

CICERO LEPTAE.


Imul ac accæpi à Seleuco tuo literas, statim quæsiui è Balbo per codicillos, quid esset in lege. Rescripsit, eos, qui facerent præconium, uetari esse in Decurionibus: qui fecissent, non uetari. Quare bono animo sint & tui, & mei familiares: neque enim erat ferendum, cum qui hodie aruspicinam facerent, in Senatu Romæ legerentur, eos, qui aliquando præconium fecissent, in municipijs Decuriones esse non licere. De Hispanis noui nihil: magnum tamen exercitum Pompeium habere constat. nam Cæsar ipse ad uos misit exemplum Paciaeci literarum, in quo erat illi. XI. esse legiones: scripserat etiam Messala Q. Salasso, P. Curtium fratrem eius, iussu Pompeij, inspectante exercitu interfectum, quod consensisset cum Hispanis quibusdam, si in oppidum nescio quod Pompeius rei frumentariæ causa uenisset, eum comprehendere, ad Cæsaremque deducere. De tuo negotio quòd sponsor es pro Pompeio, si Galba consponsor tuus redierit, homo in re familiari non parum diligens, non desinam cum illo communicare, si quid expediri possit, quod uidebatur mihi ille confidere. Oratorem meum tantopere à te probari uehementer gaudeo. Mihi quidem sic persuadeo, me, quicquid habuerim iudicij de dicendo, in illum librum contulisse. Qui si est talis, qualem tibi uideri scribis, ego quoque aliquid sum: sin aliter, non recuso, quin quantum de illo libro, tantundem de mei iudicij fama detrahatur. Leptam nostrum cupio delectari iam talibus scriptis: & si abest maturitas ætatis, tamen personare aures eius huiusmodi uocibus non est inutile. Me Romæ tenuit omnino Tulliæ meæ partus. Sed cum ea, quemadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum à Dolabellæ procuratoribus exigam primam pensionem. & me hercule non tam sum peregrinator iam, quàm solebam. ædificia mea me delectabant, & otium domus est, quæ nulli mearum uillarum cedat, otium omni desertissima regione maius. Itaque ne literæ quidem meæ impediuntur, in quibus sine ulla interpellatione uersor. Quare, ut arbitror, prius hic te nos, quàm istic tu nos uidebis. Lepta suauissimus edíscat Hesiodum, & habeat in ore,

τῆς δ᾽ ἀρετῆς ἱδρῶτα,


CICERO LEPTAE.


Aculam officio functum esse gaudeo: eius Falernum mihi semper idoneum uisum est diuersorio, si modo tecti satis est ad comitatum nostrum recipiendum. Cæteroqui mihi locus non displicet, nec ea re Petrinum tuum deseram. Nam & uilla & amœnitas illa, commorationis est, non diuersorij. De curatione aliqua munerum regiorum cum Oppio locutus sum. nam Balbum, postea quàm tu es profectus, nõ uidi. tantis pedum doloribus afficitur, ut se conueniri nolit. Omnino de tota re, ut mihi uideris, sapientius faceres, si non curares. quod enim eo labore asse qui uis, nullo modo assequere. tanta est enim intimorum multitudo, ut ex his aliquis potius effluat, quàm nouo sit aditus: presertim qui nihil afferat præter operam, in qua ille se dedisse beneficium putabit, si modo ipsum sciet non accæpisse. Sed tamen aliquid uidebimus, in quo sit species, aliter quidem non modo non appetendum, sed etiam fugiendum puto. Ego me Asturę diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoq; ueniat. Vale.

CICERO TORANIO. SAL.


Ederam triduo ante pueris Cn. Plancij literas ad te: eo nunc ero breuior, teq; ut antea consolabar, hoc tempore monebo. Nihil puto tibi esse utilius, quàm ibidẽ operiri, quoad scire possis, quid tibi agendum sit. Nam præter nauigationis longæ & hyemalis, & minime portuosæ periculum, quod uitaueris, ne illud quidem non quantiuis, subito cum certi aliquid audieris, te istinc posse proficisci. Nihil est præterea, cur aduentibus te offerre gestias. Multa præterea metuo, quæq; cum Chilone nostro communicaui. quid multa? Loco opportuniore in his malis nullo esse potuisti, ex quo te quocunque opus erit, facillime & expeditissime conferas. quòd si recipiet ille se ad tempus, aderis: sin (quum multa accidere possunt) aliqua res eum uel impediet, uel morabitur, tu ibi eris, ubi omnia scire possis. hoc mihi prorsus ualde placet. De reliquo ut te sæpe per literas hortatus sum, ita uelim tibi persuadeas, te in hac causa nihil habere, quod tibi timendum sit, præter communem casum ciuitatis: qui etsi est grauissimus, tamen ita uiximus. & id ætatis iam sumus, ut omnia, quæ non nostra culpa nobis accidant, fortiter ferre debeamus. Hic tui omnes ualent, summaq; pietate te desiderant, & diligunt & colunt. Tu cura ut ualeas, & te istinc ne temere commoueas.

CICERO TORANIO.


T si cum hæc ad te scribebam, aut appropinquare exitus huius calamitosissimi belli, aut iam aliquid actum & confectum uidebatur, tamen cotidie commemorabam te unum in tanto exercitu mihi fuisse assensorem, & me tibi: solosq; nos uidisse, quantum esset in eo bello mali, in quo spe pacis exclusa, ipsa uictoria futura esset acerbissima: quæ aut interitum allatura esset, si uictus esses, aut si uicisses, seruitutem. Itaque ego, quem tum fortes illi uiri, & sapientes

Domitij & Lentuli timidum esse dicebant(etiam plane, timebã enim.ne euenirent ea,quæ acciderunt)idem nunc nihil timeo,& ad omnem euentum paratus sum.Cum aliquid uidebatur caueri posse, tum id negligi dolebam.nũc uero euersis omnibus rebus,cum consilio profici nihil possit,una ratio uidetur,quicquid euenerit,ferre moderate:præsertim cum omnium rerũ mors sit extremum:& mihi sim conscius, me quoad licuerit,dignitati reipublicæ consuluisse,& hac amissa,salutem retinere uoluisse.Hæc scripsi,non ut de me ipse dicerem,sed ut tu,qui coniunctissima fuisti mecum & sententia & uoluntate, eadem cogitares.Magna enim consolatio est,cum recordare,etiam si secus acciderit,te tamen recte uereq; sensisse. Atque utinam liceat aliquando aliquo reipu.statu nos frui,inter nosq; conferre solicitudines nostras, quas pertulimus tum,cum timidi putabamur,quia dicebamus ea futura, quæ facta sunt. De tuis rebus nihil esse quod timeas,præter uniuersæ reip.interitum,tibi cõfirmo.de me autem sic uelim iudices,quantum ego possim,me tibi,saluti tuæ, liberisq; tuis,summo cum studio præsto semper futurum. Vale.

CICERO DOMITIO.


NOn ea res me deterruit,quò minus postea quàm in Italiã uenisti, literas ad te mitterem,quòd tu ad me nullas miseras: sed quia nec quid tibi pollicerer,ipse egẽs rebus omnibus,nec quid suaderem, cum mihimet ipsi consilium deesset, nec quid consolationis afferrem in tantis malis, reperiebam. Hæc quanquam nihilo meliora sunt, nunc etiam atque etiam multo desperatiora,tamen inaneis esse meas literas,quàm nullas malui. Ego si te intelligerem plus conatum esse suscipere reipublicæ causa muneris,quàm quantum præstare potuisses,tamen quibuscunq; rebus possem,ad eam condicionem te uiuendi,quæ daretur, quæq; esset, hortarer. Sed cum consilij tui bene fortiterq; suscæpti,eum tibi finem statueris, quem ipsa fortuna terminum nostrarum contentionũ esse uoluisset:oro obtestorq; te pro uetere nostra coniunctione ac necessitudine,proq; summa mea in te beneuolentia,& tua in me pari,te ut nobis parenti,coniugi,tuisq; omnibus quibus es fuistiq; semper carissimus,saluum cõserues:incolumitati tuæ tuorũq;, qui ex te pendent,consulas,quæ didicisti,quæq; ab adolescẽtia pulcherrime à sapientissimis uiris tradita memoria & scientia comprehẽdisti,his hoc tempore utare.quos coniunctos summa beneuolẽtia plurimisq; officijs amisisti, eorum desiderium, si non æquo animo,at forti feras. Ego quid possim,nescio: uel potius me parum posse sentio: illud tamen tibi polliceor, me quæcunque saluti dignitatiq; tuæ conducere arbitrabor,tanto studio esse facturum,quanto semper tu & studio & officio in meis rebus fuisti. Hanc meam uoluntatem ad matrem tuam optimam fœminam,tuiq; amantissimam detuli.Si quid ad me scripseris,ita faciam,ut te uelle intellexero: sin autem tu minus scripseris, ego tamen omnia,quæ tibi utilia esse arbitrabor,summo studio diligenterq; curabo. Vale.

M.Tullij

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD M. MARIVM ET CÆTEROS.

M. CICERO S. D. M. MARIO.



I te dolor aliqui corporis aut infirmitas ualetudinis tuæ tenuit, quo minus ad ludos uenires, fortunæ magis tribuo quàm sapientiæ tuæ. Sin hæc, quæ cæteri mirantur, contemnenda duxisti, & cum per ualetudinem posses uenire, tamen noluisti, utrunq; lætor, & sine dolore corporis te fuisse, & animo ualuisse, cum ea, quæ sine causa mirantur alij, neglexeris: modo ut tibi constiterit fructus otij tui, quo quidem tibi perfrui mirifice licuit, cum esses in ista amœnitate pene solus relictus. Neq; tamē dubito, quin tu ex illo cubiculo tuo, ex quo tibi Stabianum perforasti, & patefecisti Seianum, per eos dies matutina tempora lectiunculis consumpseris: cum illi interea, qui te istic reliquerunt, spectarent communeis mimos semisomni. Reliquas uero partes diei tu consumebas his delectationibus, quas tibi ipsi ad arbitrium tuum compararas. nobis autem erant ea perpetienda, quæ scilicet P. Mæcius ꝓbauisset. Omnino, si quæris, ludi apparatissimi, sed non tui stomachi. coniecturam enim facio de meo. nam primum honoris causa in scenam redierant ij, quos ego honoris causa de scena decesse arbitrabar. delitiæ uero tuæ noster Æsopus eiusmodi fuit, ut ei desinere per omneis homines liceret. is iurare cum cœpisset, uox eum defecit in illo loco. Si sciens fallo, quid tibi ego alia narrem? nosti enim reliquos ludos. quid? ne id quidem leporis habuerunt, quod solent mediocres ludi. Apparatus enim spectatio tollebat omnem hilaritatem: quo quidē apparatu nō dubito, quin animo æquissimo carueris. quid enim delectationis habēt sexcēti muli in Clytemnestra? aut in equo Troiano craterrarum tria millia? aut armatura uaria peditatus, & equitatus in aliqua pugna? quæ popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attulissent. Quod si tu per eos dies operam dedisti Protogeni tuo, dummodo is tibi quiduis potius, quàm orationes meas legerit: næ tu haud paulo plus, quàm quisquam nostrum delectationis habuisti. Non enim te puto Græcos aut Oscos ludos desiderasse: præsertim cū Oscos ludos uel in Senatu uestro spectare possis, Græcos ita non ames, ut ne ad uillam quidem tuam uia Græca ire soleas. Nam quid ego te Athletas putem desiderare, qui gladiatores cōtempseris? in quibus ipse Pompeius cōfitetur se, & operam & oleū perdidisse. Reliquæ sunt uenationes binæ per dies quinq;, magnificæ, nemo negat: sed quæ potest homini esse polito delectatio, cum aut homo imbecillus à ualentissima bestia laniatur, aut præclara bestia uenabulo transuerberatur? quæ tamen si uidenda sint, sæpe uidisti: neque nos qui hæc spectamus, quicquam noui uidimus. Extremus elephantorū dies fuit: in quo admiratio magna uulgi atq; turbæ, delectatio nulla extitit: quin etiam mise-

ricordia quædam consecuta est, atque opinio eiusmodi, esse quandam illi beluæ cum genere humano societatem. His ego tamen diebus, ludis scenicis, ne forte uidear tibi non modo beatus, sed liber omnino fuisse, dirupi me penè in iudicio Galli Caninij familiaris tui. qꝫ si tam facilem populum haberē, quàm Aesopus habuit, libenter me hercule artem desinerem, tecumqꝫ & cum similibus nostri uiuerem. Nam me cum antea tędebat, cum & ętas & ambitio me hortabatur, & licebat deniqꝫ, quem nolebam, non defendere: tum uero hoc tempore uita nulla est. Neque enim fructum ullum laboris ex his expecto, et cogor nonnunquam homines non optime de me meritos, rogatu eorum qui bene meriti sunt, defendere. Itaque quęro causas omneis aliquando uiuendi arbitratu meo: teqꝫ, & istam rationem otij tui & laudo uehementer & probo: quodqꝫ nos minus interuisis, hoc fero animo æquiore. quòd si Romæ esses, tamen neque nos lepôre tuo, neque te siqui est in me, meo frui liceret, propter molestissimas occupationes meas: quibus si me relaxaro (nam ut planè exoluam, non postulo: te ipsum qui id multos annos nihil aliud commentaris) docebo profectò quid sit humaniter uiuere. Tu modo istam imbecillitatem ualetudinis tuæ sustenta, & tuere, ut facis: ut nostras uillas obire, & mecum simul lecticula cōcursare possis. Hæc ad te pluribus uerbis scripsi, quàm soleo, non otij abundantia, sed amoris erga te. quod me quadam epistola subinuitaras, si memoria tenes, ut ad te aliquid eiusmodi scriberem, quo minus te prætermisisse ludos pœniteret. Quod si assecutus sum, gaudeo: sin minus, hoc me tamē consolor, quòd posthac ad ludos uenies: nosqꝫ uises: neqꝫ in epistolis relinques meis spem aliquam delectationis tuæ. Vale.

M. CICERO .S.D. M. MARIO


Andatum tuum curabo diligenter. Sed homo acutus ei mandasti potissimum, cui expediret illud uęnire quàm plurimo. Sed eo uidisti multum, quòd præfinisti, quo ne pluris emerem. Quod si mihi permisisses, qui meus amor in te est, confecissem cum cohæredibus. nūc quum tuum precium noui inlicitatorem potius ponam, quàm illud minoris uæneat. sed de ioco satis est. Tuum negotium agam, sicuti debeo diligenter. De Bursa te gaudere certo scio, sed nimis uerecūde mihi gratularis. Putas enim: ut scribis, propter hominis sordes minus me magnam illam lætitiam putare. Credas mihi uelim, magis me iudicio hoc, quàm morte inimici lætatum. Primū enim iudicio malo, quàm gladio: deinde gloria potius amici, quàm calamitate. In primisqꝫ me delectauit, tantum studium bonorum in me extitisse contra incredibilem contentionem clarissimi & potentissimi uiri. Postremo, uix uerisimile fortasse uideatur, oderā multo peius hunc, quàm illum ipsum Clodium, Illum enim oppugnaram, hunc defenderam. Et ille cū omnis respublica in meo capite discrimen esset habitura, magnum quiddam spectauit: nec sua sponte, sed eorum auxilio, qui me stante stare non poterant. hic simiolus animi causa, me in quem inueheretur, delegerat: persuaseratqꝫ nonnullis inuidis meis, se in me emissarium semper fore. Quamobrem ualde iubeo gaudere te: magna res gesta est, nunquam ulli fortiores ciues fuerunt, quàm qui ausi sunt eum contra tantas opes eius, à quo ipsi lecti iudices erant, condēnare. Quod fecissent nunquā, nisi ijs dolori meus fuisset dolor.

Nos

Nos hic in multitudine & celebritate iudiciorum, & nouis legibus ita distinemur, ut cotidie uota faciamus ne intercaletur, ut q̃primũ te uidere possimus.

M. CICERO S.D. M. MARIO.



Ersæpe mihi cogitanti de communibus miserijs, in quibus tot annos uersamur, & (ut uideo) uersabimur, solet in mentem uenire illius tẽporis, quo proxime fuimus unà, quin etiã ipsum diẽ memoria teneo. Nam ad. III. Id. Mai. Lentulo & Marcello Coss. cum in Pompeianum uesperi uenissem, tu mihi solicito animo præsto fuisti. Solicitum autem te habebat cogitatio cum officij, tum etiam periculi mei. Si manerem in Italia, uerebare, ne officio deessem: si proficiscerer ad bellũ, periculum te meum commouebat. Quo tempore uidisti profectò me quoq; ita conturbatum, ut non explicarem, quid esset optimum factu. Pudori tamen malui famæq; cedere, quàm salutis meæ rationem ducere. Cuius me mei facti pœnituit, non tam propter periculum meum, quàm propter uitia multa quæ ibi offendi, quò ueneram. primum neq; magnas copias, neq; bellicosas. deinde extra ducem, paucosq; præterea (de principibus loquor) reliqui primum in ipso bello rapaces: deinde in oratione ita crudeles, ut ipsam uictoriam horrerem. maximum autem æs alienum amplissimorum uirorum. quid quęris? nihil boni præter causam. Quæ cum uidissem, desperans uictoriam, primũ cœpi suadere pacem, cuius fueram semper author: deinde, cum ab ea sententia Pompeius ualde abhorreret, suadere institui, ut bellum duceret. Hoc interdũ probabat, & in ea sententia uidebatur fore: & fuisset fortasse, nisi quadam ex pugna cœpisset suis militibus confidere. Ex eo tempore uir ille summus, nullus Imperator fuit. Signa tirone & collectitio exercitu cum robustissimis legionibus contulit. uictus turpissime, amissis etiam castris, solus fugit. Hunc ego mihi belli finem feci: nec putaui, cum integri pares nõ fuissemus, fractos superiores fore. Discessi ab eo bello, in quo aut in acie cadendũ fuit, aut in aliquas insidias incidendum, aut deueniẽdum in uictoris manus, aut ad Iubam confugiendum, aut capiendus tanquam exilio locus, aut consciscẽda mors uoluntaria. Certe nihil fuit præterea, si te uictori nolles, aut nõ auderes committere. Ex omnibus autem ijs, quæ dixi, incommodis, nihil tolerabilius exilio; presertim innocenti, ubi nulla adiuncta est turpitudo. addo etiam cum ea urbe careas, in qua nihil sit, quod uidere possis sine dolore. Ego cum meis (si quicquam nunc cuiusquam est) etiam in meis esse malui. quæ acciderũt omnia dixi futura. Veni domum, non quo optima uiuendi condicio esset, sed tamen, si esset aliqua forma reipublicæ, tanquam in patria ut essem: si nulla, tanquam in exilio. Mortem mihi cur consciscerem, causa non uisa est: cur optarem, multæ causæ. Vetus est enim, ubi non sis qui fueris, non esse, cur uelis uiuere. Sed tamen uacare culpa magnum est solatium, presertim cum habeam duas res, quibus me sustentem, optimarum artium scientiam, & maximarum rerum gloriam: quarum altera mihi uiuo nunquam eripietur, altera ne mortuo quidem. Hæc ad te scripsi uerbosius, & tibi molestus fui, q; te, cum mei, tum reip. cognoui amantissimum. Notum tibi omne meum cõsilium esse uolui, ut primum scires me nunquam uoluisse plus quenquam posse, quàm uniuersam rempu. Postea aũt quàm alicuius culpa tantũ ualeret unus, ut obsisti

non posset, me uoluisse pacem amisso exercitu, & eo duce, in quo spes fuerat uno, me uoluisse etiam, reliquis omnibus postquam non potuerim, mihi ipse finem fecisse belli. nunc autem, si hæc ciuitas est, ciuem esse me: si non, exulem esse non incommodiore loco, quàm si Rhodum aut Mytilenas contulissem. Hæc tecum coràm malueram: sed quia lõgius fiebat, uolui per literas eadem: ut haberes quid diceres, siquãdo in uituperatores meos incidisses. Sũt enim, qui cum meus interitus nihil fuerit reipub. profuturus, criminis loco putant esse, quòd uiuam. Quibus ego certo scio non uideri satis multos perisse: qui si me audissent, quamuis iniqua pace, honeste tamen uiuerent. Armis enim inferiores, non causa fuissent. Habes epistolam uerbosiorem fortasse quàm uelles: quod tibi ita uideri putabo, nisi mihi longiorem remiseris. Ego si quæ uolo, expediero, breui tempore, te ut spero, uidebo.

M. CICERO S. D. M. MARIO.



D. VIIII. Kl. in Cumanum ueni cum Libone tuo, uel nostro potius: in Pompeianum statim cogito. Sed faciam ante te certiorem. Te cum semper ualere cupio, tum certe, dum hic sumus. Vides enim quanto post unà futuri simus. Quare si quod constitutũ cum podagra habes, fac ut in aliũ diem differas. Cura igitur ut ualeas, & me hoc biduo aut triduo expecta.

CICERO CAESARI IMP. S. D.



Ide quàm mihi persuaserim, te me esse alterum, non modo in his rebus, quæ ad meipsum, sed etiam in his, quæ ad meos pertinent. C. Trebatium cogitaram, quocunque exirem, mecum ducere, ut eum meis omnibus studijs, beneficijs q̃ ornatissimũ, domum reducerem. Sed postea quàm & Pompeij commoratio diuturnior erat quàm putaram, & mea quædam tibi non ignota dubitatio, aut impedire profectionẽ meam uidebatur, aut certe tardare, uide quid mihi sumpserim. Cœpi uelle ea Trebatium expectare à te, quæ sperasset à me. Neq; me hercule minus ei prolixe de tua uoluntate promisi, quàm eram solitus de mea polliceri. Casus uero mirificus quidam interuenit, quasi uel testis opinionis meæ, uel spõsor humanitatis tuæ. Nã cũ de hoc ipso Trebatio cum Balbo nostro loquerer accuratius domi meæ, literæ mihi dãtur à te, quibus in extremis scriptũ erat, M. ORFIVM, QVEM MIHI COMMENDAS, VEL REGEM GALLIÆ FACIAM, VEL HVNC LEPTÆ DELEGA. SI VIS TV, AD ME ALIVM MITTE, QVEM ORNEM. Sustulimus manus & ego & Balbus: tanta fuit opportunitas, ut illud nescio quod non fortuitum, sed diuinum uideretur. Mitto igitur ad te Trebatium, atque ita mitto, ut initio mea sponte, post autem inuitatu tuo mittendum duxerim. Hunc mi Cæsar sic uelim omni tua comitate complectare, ut omnia quæ per me possis adduci, ut in meos conferre uelis, in unum hunc conferas. de quo tibi homine hæc spondeo, non illo uetere uerbo meo, quod cum ad te de Milone scripsissem, iure lusisti: sed more Romano, quomodo homines non inepti loquuntur, probiorem hominem, meliorem uirum, pudentiorem esse neminem. Accedit etiam, quòd familiam ducit in iure ciuili: singularis memoria, summa scientia. Huic ego neque Tribunatum, neque Præfecturam, neq; ullius beneficij certum nomen peto: be-

neuolentiam tuam & liberalitatem peto: neq; impedio, quo minus, si tibi ita placuerit, etiam hisce eum ornes gloriolæ insignibus. totum denique hominem tibi ita trado de manu (ut aiunt) in manum tuam istam & uictoria & fide præstantem. Simus enim putidiusculi, quàm per te uix licet. uerum, ut uideo, licebit. Cura ut ualeas, & me ut amas, ama.

CICERO S.D. TREBATIO.



IN omnibus meis epistolis, quas ad Cæsarem aut ad Balbum mitto, legitima quædam est accessio commendationis tuæ: nec ea uulgaris, sed cum aliquo insigni indicio meæ erga te beneuolẽtiæ. Tu modo ineptias istas, & desideria urbis & urbanitatis depone: & quo consilio profectus es, id assiduitate & uirtute consequere. Hoc tibi tam ignoscemus nos amici, quàm ignouerunt Medeæ, quæ Corinthum arcem altam habebant matronæ opulentæ, optimates: quibus illa manibus cypsatissimis persuasit, ne sibi uitio illæ uerterẽt, quòd abesset à patria.

Nam multi suam rem bene gessere & publicam patria procul:
Multi qui domi ætatem agerent, propterea sunt improbati.

Quo in numero tu certe fuisses, nisi te extrusissemus. Sed plura scribemus aliàs. Tu qui cæteris cauere didicisti, in Britannia ne ab essedarijs decipiaris, caueto. & quum Medeam agere cœpi, illud semper memento,

Qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, nequicquã sapit. Cura ut ualeas.

CICERO TREBATIO.



EGo te commendare non desisto, sed quid proficiam, ex te scire cupio. Spem maximam habeo in Balbo, ad quem de te diligentissime & sæpissime scribo. Illud soleo mirari, non me toties accipere tuas literas, quoties à Q. fratre mihi adferantur. In Britannia nihil esse audio neque auri neque argenti. Id si ita est, essedum aliquod capias suadeo, & ad nos quamprimum recurras. Sin autem sine Britannia tamen assequi, quod uolumus, possumus, perfice ut sis in familiaribus Cæsaris: multum te in eo frater adiuuabit meus, multum Balbus, sed mihi crede tuus pudor, & labor plurimum. Imperatorem liberalissimum, ætatem opportunissimam, commendationem certe singularem habes, ut tibi unum timendum sit, ne ipse tibi defuisse uideare.

CICERO TREBATIO.



SCripsit ad me Cæsar perhumaniter, nondum te sibi satis esse familiarem, propter occupationes suas, sed certe fore. cui quidem ego rescripsi, quàm mihi gratum esset futurum, si quamplurimum in te studij, officij, liberalitatis suæ cõtulisset. Sed ex tuis literis cognoui præproperam quãdam festinationem tuam: & simul sum admiratus, cur Tribunatus commoda, dempto presertim labore militiæ, contempseris. Querar cum Vacerra & Manilio: nam Cornelio nihil audeo dicere, cuius tu periculo stultus es, quum te ab eo sapere didicisse profiteris. quin tu urges istam occasionem & facultatem, qua melior nunquam reperietur? Quod scribis de illo Præciano Iureconsulto, ego te ei non desino commẽdare. scribit enim ipse mihi, te sibi gratias agere debere. De eo, quid sit, cura ut sciam. Ego uestras Britannicas literas expecto.

CICERO TREBATIO


Andiu ignoro quid agas: nihil enim scribis. Neque ego ad te his duobus mensibus scripseram, quod cũ Q. fratre meo nõ eras: quò mitterem, aut cui darẽ, nesciebam. Cupio scire quid agas, & ubi sis hyematurus. Equidem uelim cũ Cæsare, sed ad eum propter eius occupationes nihil sum ausus scribere: ad Balbum tamẽ scripsi. tu deesse tibi noli. serius potius ad nos dum plenior. quid huc properes, nihil est, presertim Battara mortuo: sed tibi consilium non deest. Quid constitueris, cupio scire. Cn. Octauius est an. Cn. Cornelius quidem tuus familiaris, summo genere natus, Terræ filius, is me, quia scit tuum familiarem esse, crebro ad cenam inuitat, adhuc non potuit perducere, sed mihi tamen gratum est. *

M. CICERO S. D. TREBATIO.


Egi tuas literas, ex quibus intellexi te Cæsari nostro ualde iurecõsultum uideri. Est quod gaudeas, te in ista loca uenisse, ubi aliquid sapere uidercre. Quòd si in Britanniã quoq; profectus esses, profecto nemo in illa tãta insula peritior te fuisset. Verũtamen, rideamus licet, sum enim à te inuitatus, subinuideo tibi ultro te etiã accersitum ab eo, ad quẽ cæteri, non propter superbiã eius, sed propter occupationem aspirare nõ possunt. Sed tu in ista epistola nihil mihi scripsisti de tuis rebus, quæ me hercule mihi non minori curæ sunt quàm meæ. Valde metuo, ne frigeas in hybernis: quamobrem camino luculento utẽdum censeo. Idem Mucio & Manilio placebat, presertim qui sagis non abundares: quanquam uos nunc istic satis calere audio: quo quidem nuncio ualde me hercule de te timueram, sed tu in re militari multo es cautior, q̃ in aduocationibus: qui neq; in Oceano natare uolueris studiosissimus homo natandi, neque spectare essedarios, quem antea ne Andabatam quidem defraudare poteramus. Sed iã satis iocati sumus. Ego de te ad Cæsarẽ quàm diligenter scripserim, tute scis: quàm sępe, ego. Sed me hercule iam intermiserã, ne uiderer liberalissimi hominis, meiq; amantissimi uoluntati erga me diffidere. Sed tamen his literis, quas proxime dedi, putaui, esse hominem cõmonendum. id feci. quid profecerim, facias me uelim certiorem, & simul de toto statu tuo consilijsq; omnibus. Scire enim cupio, quid agas, quid expectes, quàm longum istũ tuum discessum à nobis futurum putes. Sic enim tibi persuadeas uelim, unum mihi esse solatium: quare facilius possem pati te esse sine nobis, si tibi esse id emolumento sciam. sin autem id non est, nihil duobus nobis est stultius: me qui te non Romam attraham: te, qui non huc aduoles. Vna me hercule nostra uel seuera uel iocosa cõgressio pluris erit, q̃ non modo hostes, sed etiam fratres nostri Hedui. Quare oĩbus de rebus fac ut q̃primũ sciã: aut cõsolando, aut cõsilio, aut re iuuero.

CICERO TREBATIO.


Isi antè Roma profectus esses, nunc eam certe relinqueres. quis enim tot interregnis iureconsultum desiderat? Ego omnibus, unde petitur, hoc consilij dederim, ut à singulis Interregibus binas aduocationes postulent. Satisne tibi uideor abs te ius ciuile didicisse? Sed heus tu quid agis, ecquid fit? uideo enim te iam iocari per literas. Hęc signa meliora sunt, quàm in meo Tusculano, Sed quid sit, scire cupio. Cõsuli

quidem

quidē te à Cęsare scribis,sed ego tibi ab illo cōsuli mallem.quod si aut fit,aut futurū putas,perfer istā militiā,et permane.Ego enim desideriū tui,spe tuorū cōmodorū cōsolabor.Sin autē ista sunt inaniora,recipe te ad nos.Nā aut erit hic aliquid aliquando:aut si minus,una mehercule collocutio nostra pluris erit q̄ omnes Samarobrinæ. Denique si cito te retuleris,sermo nullus erit:si diutius frustra abfueris,non modo Laberiū,sed etiam sodalem nostrū Valerium pertimesco. Mira enim persona induci potest Britannici iurecōsulti. Hæc ego nō rideo,q̄uis tu rideas:sed de re seuerissima tecum,ut soleo,iocor. Remoto ioco tibi hoc amicissimo animo præcipio,ut si istic mea commendatione tuā dignitatē obtinebis,perferas nostri desideriū,honestatē, & facultates tuas augeas:sin autē ista frigebunt,recipias te ad nos. Omnia tamen,quæ uis,& tua uirtute profecto,& nostro summo erga te studio consequere.

CICERO. TREBATIO.



Mirabar,quid esset ꝙ tu mihi literas mittere intermisisses. Indicauit mihi Pansa meus Epicureū te esse factū. O castra præclara: quid tu fecisses,si te Tarentū,& nō Samarobriuā misissem? Iā tū mihi non placebas,cum idē intuebare,quod & Titius familiaris meus. Sed quonā modo ius ciuile defendes,cū omnia tua causa facias,non ciuium? Vbi porro illa erit formula fiduciæ ut inter bonos bene agier oportet? Quis enim est,qui facit nihil,nisi sua causa? Quod ius statues communi diuidēdo, cum commune nihil possit esse apud eos, qui omnia uoluptate sua metiuntur? Quomodo autem tibi placebit Iouem lapidem iurare,cū scias Iouē iratum esse nemini posse? Quid porro fiet populo Vlubrano, si tu statueris πολιτεύεσθαι non oportere? Quare si plane à nobis deficis, moleste fero, sin Pansæ assentari commodū est,ignosco,modo scribe aliquando ad nos, quid agas: & à nobis,quid fieri,aut curari uelis.

M. CICERO S. D. TREBATIO.



Adeo ne me iniustū esse existimasti, ut tibi irascerer, ꝙ parū mihi cōstans,et nimiū cupidus decedēdi uiderere,ob eamq́ꝫ causam me arbitrarere literas ad te iamdiu nō misisse? Mihi pturbatio animi tui,quā primis literis perspiciebā,molestiā attulit. Neqꝫ alia ulla fuit causa intermissionis epistolarū,nisi ꝙ ubi esses,plane nesciebā. Hic tu me etiam insimulas,nec satisfactionem meam accipis. Audi Testa mi,utrum superbiorem te pecunia facit,an ꝙ te Imperator consulit? Moriar,ni (quæ tua gloria est) puto te malle à Cæsare consuli,q̄ inaurari. Si uero utrūqꝫ est, quis te feret præter me,qui omnia ferre possum? Sed ut ad rem redeā,te istic inuitū non esse uehemēter gaudeo: & ut illud erat molestū,sic hoc est iucundum. Tantum metuo,ne artificium tuum tibi parū prosit. Nam ut audio,istic.

Non ex iure manu consertum,sed magis ferro
Rem repetunt. Et tu soles ad uim faciundam adhiberi?

Neqꝫ est ꝙ illā exceptionē in interdicto pertimescas,ꝙ tu prior ui,hominibus armatis nō ueneris.scio enim te nō esse procacē in lacessendo. Sed ut ego quoqꝫ te aliquid admoneā de uestris cautionibus,Treuiros uites censeo: audio capitales esse, mallem auro,ære,argēto essent.sed aliàs iocabimur. Tu ad me de istis rebus omnibus scribas uelim q̄ diligētissime. D. IIII. Non. Mar.

CICERO TREBATIO.

CHrysippus Vettius Cyri architecti libertus fecit, ut te non immemorem putarem mei. salutem enim uerbis tuis mihi nunciarat. Valde iam lautus es, qui grauere literas ad me dare, homini presertim propè domestico. Quod si scribere oblitus es, minus multi iam te aduocato, causa cadēt: si nostri oblitus es dabo operam, ut istuc ueniam antè, quàm plane ex animo tuo effluo: sin æstiuorum timor te debilitat, aliquid excogita, ut fecisti de Britannia. Illud quidem perlibenter audiui ex eodem Chrysippo, te esse Cæsari familiarem. Sed me hercule mallem id, quod erat æquius, de tuis rebus, ex tuis literis quàm sæpissime cognoscere. Quod certe ita fieret, si tu maluisses beneuolentiæ quàm litium iura perdiscere. Sed hæc iocati sumus, & tuo more, & nonnihil etiam nostro. Te ualde amamus, nosq; à te amari cum uolumus, tum etiam confidimus.

CICERO TREBATIO.

QVàm sint morosi qui amant, uel ex hoc intelligi potest, moleste ferebam antea te inuitum istic esse: pūgit me rursus, quòd scribis esse te istic libenter. neque enim mea commendatione te non delectari facile patiebar: & nunc angor, quicquam tibi sine me esse iucundum. Sed hoc tamen malo ferre nos desiderium, quàm te non ea, quæ spero, consequi. Quum uero in C. Matij suauissimi doctissimiq; hominis familiaritatem uenisti, non dici potest, quàm ualde gaudeam: qui fac ut te quàm maxime diligat. mihi crede, nihil ex ista prouincia potes, quod iucundius sit, deportare. Cura ut ualeas.

M. CICERO S. D. TREBATIO.

IN equo Troiano scis esse in extremo, Sero sapiunt. Tu tamen mi uetule non sero: primas, illas rabiosulas sat fatuas dedisti, deinde quòd in Britannia non nimis Philotheoron te præbuisti, plane non reprehendo: nunc uero in hybernis iniectus mihi uideris: itaque te commouere non curas. Vsquequaque sapere oportet: id erit telum acerrimum. Ego si foris cenitarem, Cn. Octauio familiari tuo non defuissem. cui tamen dixi, cum me aliquoties inuitaret, Oro te, quis tu es? Sed mehercules extra iocum, homo bellus est, uellem eum tecum abduxisses. Quid agatis, & ecquid in Italiam uenturi sitis hac hyeme, fac plane sciam. Balbus mihi confirmauit te diuitem futurum: id utrum Romano more locutus sit, bene nummatum te futurum: an quomodo Stoici dicunt, omnes esse diuites, qui cœlo & terra frui possint, postea uidero. Qui istinc ueniunt, superbiam tuam accusant, q; negent te percontantibus respondere: sed tamen est quod gaudeas: constat enim inter omneis, neminem te uno Samarobriuæ iuris peritiorem esse.

CICERO TREBATIO SAL.

EX tuis literis, et Q. fratri gratias egi, et te aliquādo collaudare possum, q; iam uideris certa aliqua in sententia constitisse. Nā primorum mēsium literis tuis uehemēter cōmouebar, q; mihi interdum (pace tua dixerim) leuis in urbis urbanitatisq; desiderio. interdū

piger,

piger, interdum timidus in labore militari, sæpe autem etiam, quod à te alienissimum est, subimpudens uidebare: tanquam enim syngrapham ad Imperatorem, non epistolam attulisses, sic pecunia ablata, domum redire properabas. nec tibi in mentem ueniebat, eos ipsos, qui cum syngraphis uenissent Alexandream, nummum adhuc nullum auferre potuisse. Ego si mei commodi rationem ducerem, te mecum esse maxime uellem. Non enim mediocri afficiebar uel uoluptate ex consuetudine nostra, uel utilitate ex consilio atque opera tua. Sed cum te ex adulescentia tua in amicitiam & fidem meam contulisses, semper te non modo tuendum mihi, sed etiam augendum atque ornandum putaui. Itaque quoad opinatus sum me in prouinciam exiturum, quæ ad te ultro attulerim, meminisse te credo. posteaquàm mea mutata ratio est, cum uiderem me à Cæsare honorificentissime tractari & unice diligi, hominisq; liberalitatem incredibilem & singularem fidem nossem, sic ei te commendaui, & tradidi, ut grauissime diligentissimeq; potui. Quod ille ita & accepit, & mihi sæpe literis significauit: & tibi & uerbis & re ostendit, mea commendatione sese ualde esse commotum. Hunc tu uirum nactus, si me, aut sapere aliquid, aut uelle tua causa putas, ne dimiseris. & siquæ te forte res aliquando offenderit, cum ille aut occupatione aut difficultate tardior tibi erit uisus, perferto, & ultima expectato, quæ ego tibi iucunda & honesta præstabo. Pluribus te hortari non debeo: tantum moneo, neque amicitiæ confirmandæ clarissimi ac liberalissimi uiri, neque uberioris prouinciæ, neque ætatis magis idoneum tempus, si hoc amiseris, te esse ullum unquam reperturum. Hoc quemadmodum uos scribere soletis in uestris libris, idem Q. Cornelio uidebatur. In Britanniam te profectum non esse gaudeo, quòd & labore caruisti, & ego te de rebus illis non audiam. Vbi sis hybernaturus, & qua spe aut condicione, ad me perscribas uelim.

CICERO TREBATIO. SAL.



Ccepi à te aliquot epistolas uno tempore, quas tu diuersis temporibus dederas: in quibus me cætera delectarunt. significabant enim te istam militiam iam firmo animo ferre, & esse fortem uirum & constantem. Quæ ego paulisper in te ita desideraui, non imbecillitate animi tui, sed magis, ut desiderio nostri te æstuare putarem. Quare perge ut cœpisti: forti animo istam tolera militiam. Multa mihi crede assequere: ego enim renouabo commendationem, sed tempore. Sic habeto, non tibi maiori esse curæ, ut iste tuus à me discessus tam fructuosissimus tibi sit, quàm mihi. Itaque quum uestræ cautiones infirmæ sunt, græculam tibi misi cautionem chirographi mei. Tu me uelim de ratione Gallici belli certiorem facias. ego enim ignauissimo cuique maximam fidem habeo. Sed ut ad epistolas tuas redeam, cætera belle: illud miror, quis solet eodem exemplo plureis dare, qui sua manu scribit? Nã quòd in palimsesto, laudo equidem parsimoniã: sed miror quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris, quàm hæc scribere: nisi forte tuas formulas. Nõ enim puto te meas epistolas delere, ut reponas tuas. An hoc significas, nihil fieri, frigere te, ne chartam quidẽ tibi suppeditari? Iã ista tua culpa est, qui uerecundiã tecũ extuleris, & nõ hic

nobiscũ reliqueris. Ego te Balbo,cũ ad uos proficiscetur, more Romano cõmendabo. Tu,si interuallum longius erit mearum literarum, ne sis admiratus. eram enim absuturus mense Aprili. Has literas scripsi in Pomptino,cũ ad uillam Metrilij Philemonis deuertissem, ex qua iam audieram fremitũ clientium meorum,quos quidem tu mihi conciliasti. Nam Vlubris honoris mei causa uim maximam ranunculorum se commosse constabat. Cura ut ualeas. VI. Id. Apriles de Pomptino.

Epistolam tuam,quam accępi ab L. Arruntio,conscidi innocẽtem. nihil enim habebat,quod non uel in concione recte legi posset. Sed & Arruntius ita te mandasse aiebat,& tu adscripseras. Verum illud esto.nihil te ad me postea scripsisse demiror,presertim tam nouis rebus.

CICERO. TREBATIO. SAL.


Ide quanti apud me sis, etsi iure id quidem, non enim te amore uinco. Veruntamen quod pręsenti tibi propè subnegarem, non tribuerem certe,id absenti debere non potui. Itaque ut primum Velia nauigare cœpi,institui Topica Aristolea conscribere, ab ipsa urbe commonitus amantissima tui. Eum librum tibi misi Rhegio, scriptum quàm plenissime res illa scribi potuit. Sin tibi quędam uidebuntur obscuriora,cogitare debebis, nullam artem literis sine interprete,et sine aliqua exercitatione percipi posse. Non longe abieris. num ius ciuile uestrum ex libris cognosci potest? qui quanquam plurimi sunt,doctorem tamen unumq; desiderant. quanquam tu si attente leges,si sępius per te omnia consequere, ut certe intelligas. Vt uero etiam ipsi tibi loci proposita quęstione occurrãt, exercitatione consequere. In qua quidem nos te cõtinebimus,si & salui redierimus,& salua ista offenderimus. V. Kal. Sextil. Rhegio.

CICERO TREBATIO. SAL.


Mabilior mihi Velia fuit, quòd te ab ea sensi amari. Sed quid ego dicam te, quem quis non amat? Rufio mediusfidius tuus ita desiderabatur, ut si esset unus è nobis. Sed te ego non reprehendo,qui illum ad ędificationem tuam traduxeris. Quanquam enim Velia non est uilior, quàm Lupercal,tamen istuc malo,quàm hęc omnia. Tu si me audies,quem soles,has paternas possessiones tenebis (nescio quid enim Velienses uerebantur) neque Halethem nobilem amnem relinques, nec Papirianam domum deseres. quanquam illa quidem habet lotum à quo etiam aduenę teneri solent. quem tamen si excideris, multum prospexeris. Sed in primis opportunum uidetur,his presertim temporibus habere perfugium,primum eorum urbem, quibus carus sis: deinde tuam domum, tuosq; agros, eaq; remoto salubri, amœno loco: idq; etiam mea interesse mi Trebati arbitror. Sed ualebis, meaq; negotia uidebis, meq;, Dijs iuuantibus ante brumam expectabis. Ego à Sext. Fadio Niconis discipulo librum abstuli, Νίκωνος περὶ πολυφαγίας. O medicum suauem, méque docilem ad hanc disciplinam. Sed Bassus noster me de hoc libro celauit: te quidem non uidetur. Ventus increbrescit. Cura ut ualeas. XIII. Kal. Sext. Velia.

Cicero

CICERO TREBATIO SAL.

Illi causam te docui. is postea fuit apud me, cum ei dicerem, tibi uideri sponsionē illam nos sine periculo facere posse. Si bonorum Turpiliæ possessionem Q. Cæpio Prætor ex edicto suo mihi dedit, negare aiebat Seruium tabulas testamenti esse eas, quas instituisset is, qui factionem testamenti non habuerit: hoc idem Offilium dicere, tecum se locutum negabat: meq; rogauit, ut se & causam suam tibi commendarem. Nec uir melior mi Testa, nec mihi amicior P. Silio quisquam est, te tamen excæpto. Gratissimum mihi igitur feceris, si ad eum ultro ueneris, eiq; pollicitus eris: sed si me amas, quamprimum hoc te uehementer etiam atque etiam rogo.

CICERO TREBATIO. SAL.

Illuseras heri inter scyphos, quòd dixerā controuersiam esse, possetne hæres, quod furtū antea factum esset, furti recte agere. Itaq; etsi domum bene potus, seroq; redieram, tamen id caput, ubi hæc controuersia est, notaui, & descriptum tibi misi, ut scires id, quod tu neminem sensisse dicebas, Sex. Aelium, M. Manilium, M. Brutum sensisse. Ego tamen Scæuolæ & Testæ assentior.

CICERO S.D.M. FABIO GALLO.

Tantum quod ex Arpinati ueneram, cum mihi à te literæ redditæ sunt, ab eodemq; accæpi Auianij literas, in quibus hoc inerat liberalissimum, nomina se facturum, cum uenisset, qua ego uellē die. Fac quæso, qui ego sum, esse te. estne aut tui pudoris, aut nostri, primū rogare de die: deinde plus annua postulare? Sed essent mi Galle omnia facilia, si & ea mercatus esses, quæ ego desiderabam, & ad eam summam, quam uolueram. Attamen ista ipsa quæ te emisse scribis, non solum rata mihi erunt, sed etiam grata. plane enim intelligo, te non modo studio, sed etiam amore usum, quæ te delectarint hominem (ut ego semper iudicaui) in omni iudicio elegantissimum, quæ me digna putaris, coemisse. Sed uelim maneat Damasippus in sententia: prorsus enim ex istis emptionibus nullam desidero. Tu autem ignarus instituti mei, quanti ego genus omnino signorum omnium non æstimo, tanti ista quatuor aut quinq; sumpsisti. Bacchas istas cum Musis Metelli comparas: quid simile? primum ipsas ego Musas nunquam tāti putassem: atq; id fecissem Musis omnibus approbātibus. sed tamen erāt aptū bibliothecæ studijsq; nostris congruens. Bacchis uero ubi est apud mē locus? At pulchellæ sunt: noui optime, & sępe uidi. nominatim tibi signa mihi nota mandassem, si probassem. Ea enim signa ego emere soleo, quę ad similitudinem gymnasiorum exornent mihi in palæstra locum. Martis uero signum quò mihi pacis authori? Gaudeo nullū Saturni signū fuisse. hæc enim duo signa putarem mihi æs alienum attulisse. Mercurij mallem aliquod: fuisset felicius puto, cum Auianio trāsigere possemus. Quod tibi destinaras Trapezophoron, si te delectat, habebis, sin autem sententiam mutasti, ego habebo. Scilicet ista quidem summa, næ ego multo libentius emerim diuersorium Tarracinæ, ne semper hospiti molestus sim. Omnino liberti mei uideo esse culpam, cui plane res certas mādaram: itemq; Iunij, quem puto tibi notū esse

Auianij familiarem. Exhedria quædam mihi noua sunt instituta in porticula Tusculani, ea uolebam tabellis ornare. etenim siquid generis istiusmodi me delectat, pictura delectat. Sed tamen si ista mihi sunt habenda, certiorem uelim me facias, ubi sint, quãdo arcessantur, quo genere uecturæ. Si enim Damasippus in sententia non manebit, aliquem pseudodamasippũ uel cum iactura reperiemus. Quod ad me de domo scribis iterum, iam id ego proficiscens mandabam meæ Tulliæ. Ea enim ipsa hora acceperam tuas literas: egeram etiam cum tuo Nicia, qꝫ is utitur, ut scis, familiariter Cassio. Vt redij autem, prius quàm tuas legi has proximas literas, quæsiui de mea Tullia quid egisset. per Licinium se egisse dicebat. sed opinor Cassium uti non ita multũ sorore. eã porrò negare se audere, cum uir abesset (est enim profectus in Hispaniam Dexius) illo & absente & insciente migrare. Est mihi gratissimum tanti à te æstimatũ consuetudinẽ uitæ uictusqꝫ nostri: primum, ut eam domũ sumeres, ut non modo propè me, sed plane mecum habitare posses: deinde, ut migrare tanto opere festines. Sed ne uiuam, si tibi concedo, ut eius rei tu cupidior sis q̃ ego sum. Itaqꝫ omnia experiar. Video enim quid mea intersit, quid utriusqꝫ nostrum. si quid egero, faciam ut scias. Tu & ad omnia rescribes, & quando te expectem, facies me, si tibi uidetur, certiorem.

M. CICERO S.D. M. FABIO GALLO.


Amoris quidem tui, quoquo me uerti, uestigia, uel proxime de Tigellio. sensi enim ex literis tuis ualde te laborasse. Amo igitur uoluntatem. Sed pauca de re: Capius (opinor) olim, Non omnibus dormio sic ego non omnibus mi Galle seruio. Etsi quæ est hæc seruitus? Olim cum regnare existimabamur, non tam ab ullis quàm hoc tempore obseruor à familiarissimis Cæsaris omnibus, præter istũ. Id ego in lucris pono non ferre hominem pestilentiorem patria sua: eumqꝫ addictum iam tũ puto esse Calui Licinij hipponacteo præconio. At uide quid suscenseat. Phameæ causam receperam: ipsius quidem causa. erat enim mihi sane familiaris. Is ad me uenit, dixitqꝫ iudicem sibi operam dare constituisse eo ipso die, quo de P. Sestio in consilium iri necesse erat. respondi nullo modo me facere posse. quũ uellẽ, alium diem si sumpsisset, me ei non defuturũ. Ille aũt qui sciret se nepotẽ bellũ tibicinẽ habere, & sat bonũ unctorem, discessit à me, ut mi uidebatur, iratior. Habes Sardos uenaleis, alium alio nequiorem. Cognosti meã causam, & istius Salaconis iniquitatẽ. Catonẽ tuum mihi mitte, cupio enim legere: me adhuc non legisse, turpe utriqꝫ nostrum est.

CICERO S.D. M. FABIO GALLO.


Qvòd epistolam cõscissam doles, noli laborare: salua est domi: petes, cum libebit. Quod autem me mones, ualde gratũ est: idqꝫ ut semper facias, rogo. Videris enim mihi uereri, ne, si istum habuerimus, rideamus γέλωτα σαρδόνιον. Sed heus tu, manum de tabula: magister adest citius, quàm putaramus. Vereor ne in Catonium Catoninos. Mi Galle caue putes quicquam melius, quàm epistolæ tuæ partem ab eo loco, cætera labuntur. Secreto hoc audi. tecum habeto, ne Apellæ quidem liberto tuo dixeris. præter duo nos, loquitur isto modo nemo: bene malène, uidero: sed quidquid est, nostrum est. Vrge igitur, nec transuersum unguem

unguem (quod aiunt) à ſtylo. is enim eſt dicendi opifex. atque equidem aliquantum iam etiam noctis aſſumo.

CICERO. S. D. GALLO.



Vm decimum iam diem grauiter ex inteſtinis laborarem, neque ijs, qui mea opera uti uolebant, me probarem non ualere, quia febrim nõ haberem, fugi in Tuſculanum, cum quidem biduum ita ieiunus fuiſſem, ut ne aquam quidem guſtarem. Itaque confectus languore & fame, magis tuum officium deſideraui, quàm à te requiri putaui meum. Ego autem cum omneis morbos reformido, tum ꝙ Epicurum tuum Stoici male accipiũt, quia dicat δυσουρικὰ, καὶ δυσεντερικὰ πάθη ſibi moleſta eſſe: quorum alterum, morbum edacitatis eſſe putant, alterum etiam turpioris intemperantiæ. Sane δυσεντερίαν pertimuerã. Sed uiſa eſt mihi uel loci mutatio, uel animi etiã relaxatio, uel ipſa fortaſſe iam ſeneſcentis morbi remiſſio profuiſſe. Attamen ne mirere, unde hoc acciderit, quomodóue commiſerim: lex ſumptuaria, quæ uidetur λιτότητα attuliſſe, ea mihi fraudi fuit. Nam dum uolũt iſti lauti terra nata, quæ lege excepta ſunt, in honorem adducere, fungos, heluellas, herbas omneis ita condiunt, ut nihil poſſit eſſe ſuauius. in eas cũ incidiſſem in cena augurali apud Lẽtulum, tanta me διάῤῥοια arripuit, ut hodie primum uideatur cœpiſſe conſiſtere. Ita ego, qui me oſtreis & murenis facile abſtinebã, à beta & à malua deceptus ſum. Poſthac igitur erimus cautiores. tu tamen cum audiſſes ab Anitio (uidit enim me nauſeantem) non modo mittendi cauſam iuſtam habuiſti, ſed etiam uiſendi. Ego hic cogito commorari, quoad me reficiam. nam & uireis & corpus amiſi. Sed ſi morbum depulero, facile (ut ſpero) illa reuocabo. Vale.

M. CICERO S. D. GALLO.



Iror cur me accuſes, cum tibi id facere non liceat: quòd ſi liceret, tamen nõ debebas. Ego enim te in Conſulatu obſeruaram: & ais fore, ut te Cæſar reſtituat. Multa tu quidem dicis, ſed tibi nemo credit. Tribunatum pl. dicis te mea cauſa petiſſe: utinam ſemper eſſes Tribunus, interceſſorem non quæreres. Negas me audere, quod ſentiam dicere: quaſi tibi, cũ impudenter me rogares, parũ fortiter reſpõderim. Hæc tibi ſcripſi, ut iſto ipſo in genere, in quo aliquid poſſe uis, te nihil eſſe cognoſceres. Quod ſi humaniter mecum queſtus eſſes, libẽter tibi me & facile purgaſſem. Non enim ingrata mihi ſunt quæ feciſti, ſed quæ ſcripſiſti moleſta. Me autem propter quem cæteri liberi ſunt, tibi liberum non uiſum demiror. Nã ſi falſa fuerunt, quæ tu ad me, ut ais, detuliſti, quid tibi ego debeo? ſi uera, tu es optimus teſtis, quid mihi populus Romanus debeat.

M. CICERO S. D. CVRIO.



Emini quum mihi deſipere uidebare ꝙ cum iſtis potius uiueres quàm nobiſcum. Erat enim multo domicilium huius urbis (cum quidem hæc urbs) aptius humanitati & ſuauitati tuæ, quàm tota Peloponneſus, nedum Patræ. Nunc contra & uidiſſe mihi multum uideris, cum prope deſperatis his rebus, te in Grǽciam contuliſti, & hoc tempore non ſolum ſapiens, qui hinc abſis, ſed etiam beatus. q̃q̃ quis, qui aliquid ſapiat, nunc eſſe beatus poteſt? Sed ꝙ tu cui licebat, pedibus es cõſecu-

tus,ut ibi esses,ubi nec Pelopidarũ:nosti cætera,nos idem propemodũ conse: quimur alia ratione.Cũ enim salutationi nos dedimus amicorum,quę fit hoc etiã frequẽtius,q̃ solebat,q quasi auem albam uidentur bene sentientem ciuẽ uidere:abdo me in bibliothecam.Itaq; opera efficio tanta,quanta fortasse tu senties.Intellexi enim ex tuo sermone quodã cum meã mœstitiam & desperatione accusares domi tuæ,dicere te,ex meis libris animum meum desiderare. sed me hercule & tum rempu.lugebam,quæ non solum suis erga me,sed etiã meis erga se beneficijs erat mihi carior.& hoc tempore,q̃q̃ me non ratio solum consolatur,quæ plurimum debet ualere,sed etiam dies,quæ stultis quoque mederi solet:tamen doleo ita rem communem esse dilapsam,ut ne spes quidem melius aliquando fore relinquatur.Nec uero nunc quidem culpa in eo est,in cuius potestate omnia sunt(nisi forte id ipsum esse non debuit) sed alia casu,alia etiam nostra culpa sic acciderunt,ut de præteritis non sit querendum.Reliquam spem nullam uideo:quare ad prima redeo. Sapienter hæc reliquisti,si consilio:feliciter,si casu.

CVRIVS M. CICERONI SVO. S.

SI.V.B.Sum enim χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici nostri.ergo fructus est tuus,mancipiũ illius: quod quidem,si inter senes coemptionaleis uænale proscripserit,egerit non multum. At illa nostra prædicatio quanti est? nos quod simus,quod habeamus,quod homines existimemur,id omne abs te habere. Quare Cicero mi persevera constanter nos conseruare,& Sulpicij successori nos de meliore nota commẽda,quo facilius tuis præceptis obtemperare possimus,teq; ad uer lubentes uidere,& nostra defigere,deportareq; tuto possimus,Sed amice magne noli hanc epistolam Attico ostendere:sine eũ errare,& putare me uirum bonum esse,nec solere duo parietes de eadem fidelia dealbare.Ergo patrone mi bene uale,Tironemq; meum saluta nostris uerbis.Dat.ad.IIII.Kal.Nou.

CICERO CVRIO. S.D.

EGo uero iam te nec hortor,nec rogo,ut domum redeas:quin hinc ipse euolare cupio,& aliquò peruenire,ubi nec Pelopidarum nomen,nec facta audiam.Incredibile est q̃ turpiter mihi facere uideor,qui his rebus intersim. Næ tu uideris multo antè prouidisse, quid,impenderet,tum cum hinc profugisti.quãquam hæc etiam auditu acerba sunt,tamen audire tolerabilius est,quàm uidere.In campo certe nõ fuisti, cum.H.II.comitijs quęstorijs institutis,sella Q.Maximi,quem illi Consulẽ esse dicebant,posita esset.quo mortuo nũciato,sella sublata est.Ille aũt qui comitijs tributis esset auspicatus,centuriata habuit,Cos.H.VII.renunciauit, qui usq; ad Kl.Ian.esset,quæ erant futuræ mane postridie. Ita Caninio Cos. scito neminem prandisse.nihil tamen eo Cos. mali factum est.fuit enim mirifica uigilãtia,qui suo toto Consulatu somnum non uiderit.Hæc tibi ridicula uidentur.non enim ades.quæ si uideres,lacrimas non teneres.Quid si cætera scribam? Sunt enim innumerabilia generis eiusdem,quæ quidem ego nõ ferrem,nisi me in philosophiæ portum contulissem,& nisi haberem socium studiorum meorum Atticum nostrum.cuius quum proprium te esse scribis mãcipio & nexu,meũ autem usu & fructu,cõtentus isto sum.Id enim est cuiusq; proprium

proprium,quo quisq; fruitur atq; utitur.Sed hæc aliàs pluribus. Acilius qui in Græciam cũ legionibus missus est,maximo meo beneficio est.bis enim est à me iudicio capitis rebus saluis defensus,& est homo non ingratus,meq; ue heměter obseruat,Ad eũ de te diligẽtissime scripsi.eãq; epistolã cũ hac cõiunxi:quã ille quomõ accæperit,& quid tibi pollicitus sit,uelim ad me scribas.

CICERO CVRIO. S. D.


Acile perspexi ex tuis literis,quòd semper studui & me à te plurimi fieri,& te intelligere q̃ mihi carus esses.Quod quũ uterq; nostrũ consecutus est,reliquum est,ut officijs certemus inter nos,quibus æquo animo uel uincam te,uel uincar abs te.Acilio non fuisse necesse meas dari literas,facile patior.Sulpicij tibi operam,intelligo ex tuis literis,non multum opus fuisse,propter tuas res ita contractas,ut,quemadmodum scribis,nec caput nec pedes.Equidem uellem uti pedes haberent,ut aliquando redires.Vides enim exaruisse iam ueterem urbanitatem:ut Pomponius noster suo iure possit dicere,nisi nos pauci retineamus gloriam antiquã Atticam.Ergo is tibi,nos ei succedimus.Veni igitur quæso,ne tamen semen urbanitatis unà cum repub.intereat.

M. CICERO S. D. VOLVMNIO.


Vòd sine prænomine familiariter,ut debebas,ad me epistolã misisti,primũ addubitaui, num à Volumnio Senatore esset, quocũ mihi est magnus usus: deinde ἐυτραπελία literarum fecit,ut intelligerem tuas esse.Quibus in literis omnia mihi periucũda fuerunt: præter illud,q; parum diligenter possessio salinarum mearum à te procuratore defenditur.Ais enim,ut ego discesserim,omnia omnium dicta, in his etiã Sestiana,in me conferri.quid? tu id pateris? nonne defendis? nõ resistis? equidem sperabam ita notata me reliquisse genera dictorum meorum, ut cognosci sua spõte possent.Sed quum tanta fex est in urbe,ut nihil tã sit ἄκυρον,quod non alicui uenustum esse uideatur:pugna,si me amas.nisi acuta ἀμφιβολία,nisi elegãs ὑπερβολὴ,nisi παράγραμμα bellũ,nisi ridiculũ παρὰ προσδοκίαν.nisi cætera, quæ sunt à me in secundo libro de Oratore per Antonij personam disputata de ridiculis,ἔντεχνα & arguta apparebunt,ut sacramento contendas mea non esse.Nã de iudicijs q; quereris,multo laboro minus:trahãtur per me pedibus omnes rei,sit uel Selius tã eloquẽs,ut possit probare se liberum: non laboro. Vrbanitatis possessionẽ amabo,quibusuis interdictis defendamus:in qua te unũ metuo,contẽno cæteros.Derideri te putas:nũc demum intelligo te sapere.Sed me hercule extra iocum,ualde mihi tuæ literæ facetæ elegantesq; uisæ sunt.illa quãuis ridicula essent,sicut erant,mihi tamẽ risum nõ mouerunt.Cupio enim nostrũ illum amicũ in tribunatu q̃plurimum habere grauitatis.id cum ipsius causa(est mihi,ut scis,in amoribus)tum me hercule etiam reipu. quã quidẽ:quis in me ingrata sit,amare non desinã.Tu mi Volumni,& quũ instituisti,& mihi uides esse gratum,scribe ad me quamsępissime de rebus urbanis,de repub.Iucundus est mihi sermo literarum tuarum. Præterea Dolabellam,quem ego perspicio & iudico cupidissimum esse atq; amantissimum mei cohortare,& cõfirma,& redde plane meum.Non mehercule,quo quicquam desit,sed quia ualde cupio,non uideor nimium laborare.

M. CICERO S. D. VOLVMNIO.


Vod declamationibus nostris cares, dãni nihil facis. Quod Hirtio inuideres, nisi eũ amares, nõ erat causa inuidẽdi: nisi forte ipsius eloquentiæ magis, q̃ q̄ me audiret, inuideres. Nos enim plane mi suauissime Volumni, aut nihil sumus, aut nobis quidẽ ipsis displicemus, gregalibus illis, quibus te plaudente uigebamus, amissis: ut etiam si quãdo aliquid dignũ nostro nomine emisimus, ingemescamus, quod hæc pinnigero, non armigero in corpore tela exerceãtur: ut ait Philoctetes apud Accium abiecta gloria. Sed tamen omnia mihi erunt, si tu ueneris, hilariora. quanq̃ uenis, ut ipse intelligis, in maximarũ quasi concursum occupationum. quas, si ut uolumus, exceperimus, ego uero multã salutẽ & foro dicam & curiæ: uiuamq; tecum multũ, & cum cõmunibus nostris amatoribus. Nam & Cassius tuus, & Dolabella noster, uel potius uterq; noster, studijs ijsdem tenẽtur, & meis æquissimis utuntur auribus. Opus est huc limatulo & polito tuo iudicio, & illis interioribus literis meis, quibus sæpe uerecundiorem me in loquendo facis. Mihi enim iudicatum est, si modo hoc Cæsar aut patietur, aut uolet, deponere illam iam personã, in qua me sæpe illi ipsi probaui: ac me totum in literas abdere, tecumq; & cum cæteris earũ studiosis honestissimo otio perfrui. Tu uellem ne ueritus esses, ne perinuitus legerem tuas literas, si mihi (quemadmodũ scribis) lõgiores forte misisses: ac uelim posthac sic statuas, tuas mihi literas longissimas quasq; gratissimas fore.

M. CÆLII EPISTOLARVM LIBER AD M. TVLLIVM CICERONEM.

CAELIVS CICERONI. S.


Vod tibi decedẽs pollicitus sum, me omneis res urbanas diligẽtissime tibi perscripturũ, data opera paraui qui sic omnia persequeretur, ut uerear, ne tibi nimiũ arguta hæc sedulitas uideatur. Tãetsi tu scio, q̃ sis curiosus, et q̃ omnibus peregrinãtibus gratũ sit, minimarũ quoq; rerum, quę domi gerantur, fieri certiores: tamẽ in hoc te deprecor, ne meum hoc officium arrogantiæ condemnes, quod hunc laborem alteri delegaui: non quin mihi suauissimum sit, & occupato, & ad literas scribendas, ut tu nosti, pigerrimo, tuæ memoriæ dare operam. Sed ipsum uolumen, quod tibi misi, facile, ut ego arbitror, me excusat. Nescio cuius otij esset non modo perscribere hęc, sed omnino animaduertere. Omnia enim sunt tibi. S. C. edicta, fabulæ, rumores. quod exemplum si forte minus te delectarit, ne molestiam tibi cum impensa mea exhibeam, fac me certiorem. Si quid in repu. maius actum erit, quod isti operarij minus cõmode persequi possint: & quemadmodum actũ

sit &

sit, & quæ existimatio secuta, quæq; de eo spes est, diligenter tibi perscribemus. Vt nūc est, nulla magnopere expectatio est. Nam & illi rumores de comitijs Transpadanorū, Cumarū tenus caluerunt. Romā cum uenissem, ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accæpi. Præterea Marcellus quod adhuc nihil retulit de successione prouinciarum Galliarum. & in Kal. Iun. ut mihi ipse dixit, eam distulit relationem, sanè quàm eos sermones expressit, qui de eo tum fuerant, cum Romæ nos essemus. Tu si Pompeium, ut uolebas, offendisti, qui tibi uisus sit, & quā orationem habuerit tecum, quamq; ostenderit uoluntatem (solet enim aliud sentire, & loqui: neque tantum ualere ingenio, ut non appareat, quid cupiat) fac mihi perscribas. Quòd ad Cæsarem, crebri & non belli de eo rumores, sed susurratores duntaxat ueniunt: alius equitem perdidisse, quod opinor certe factum est: alius septimam legionem uapulasse, ipsum apud Bellouacos circunsederi interclusum ab reliquo exercitu: neque adhuc certi quicquam est, neque hec incerta, tamen uulgo iactantur, sed inter paucos, quos tu nosti palàm, secreto narrantur. at Domitius, cū manus ad os apposuit. Te ad. IX. Kal. Iun. subrostrani (quod illorum capiti sit) dissiparant perijsse, ita ut in urbe ac foro toto maximus rumor fuit te à Q. Pompeio in itinere occisum. Ego, qui scirem Q. Pompeium Baulis embæneticam facere, & usque eo, ut ego misererer eius esuriei, nō sum commotus: & hoc mendacio, si qua pericula tibi impenderent, ut defungeremur optaui. Plācus quidē tuus Rauēnæ est, & magno cōgiario donatus à Cęsare, nec beatus, nec bene īstructus est. Tui Politici libri omnibus uigēt.

CAELIVS CICERONI SAL.



Erte inquam absolutus est: me repræsentante pronunciatum est, & quidem omnibus ordinibus, & singulis in unoquoque ordine sententijs. Vide modo inquis. non mehercules. nihil unquam enim tam præter opinionem, tam quod uideretur omnibus indignum, accidit. quin ego quum pro amicitia ualidissime fauerem ei, & me iam ad dolēdum præparassem, postquam factum est obstipui, & mihi uisus sum captus esse. Quid alios putas? clamoribus scilicet maximis iudices corripuerunt, & ostenderunt plane esse, quod ferri non posset. Itaque relictus lege Licinia maiore esse periculo uidetur. Accessit huc, quod postridie eius absolutionem in theatrum Curionis Hortensius introijt, puto ut suum gaudium gauderemus. Hic tibi strepitus, fremitus, clamor, tonitruum, & rudentum sibilis. Hoc magis animaduersum est, q intactus à sibilo peruenerat Hortensius ad senectutem. Sed tum ita bene, ut in totam uitam, cuiuis satis esset, & pœniteret eum iam uicisse. De repu. quid tibi scribam, nihil habeo. Marcelli impetus resederunt, non inertia, sed (ut mihi uidebatur) consilio. De comitijs consularibus incertissima est existimatio. Ego incidi in competitorem nobilem, & nobilem agentem. Nam M. Octauius Cn. filius, & C. Hirrus mecum petit. Hoc ideo scripsi, quòd scio te acriter propter Hirrum, nuncium nostrorum comitiorum expectaturum. Tu tamen simul ac me designatum audieris, ut tibi curæ sit. quod ad pantheras attinet rogo. pyngrapham Sittianam tibi commendo. Commentarium rerum urbanarū Srimum dedi L. Castrinio Pæto: secundum ei, qui has literas tibi dedit.

CAELIVS CICERONI S.


St ne`uici,& tibi sæpe,quod negaras discedens curaturum tibi literas mitto:`est,si quidem perferuntur,quas do. Atque hoc eo diligentius factito, ꝙ cum otiosus sum, plane ubi delectem otiolum meum,non habeo. Tu cum Romæ eras,hoc mihi certum ac iucundissimum uacanti negotium erat, tecum id otij tempus consumere, idꝗ; non mediocriter desidero,ut non modo mihi solus esse,sed Romæ,te profecto,solitudo uideatur facta: & qui(quæ mea negligentia est) multos sæpe dies ad te,cum hic eras,non accedebam,nunc cotidie nõ esse te,ad quem cursitem discrucior. Maxime uero,ut te dies noctesꝗ; quæram, cõpetitor Hirrus curat. Quomodo illum putas Auguratus tuum cõpetitorem dolere & dissimulare me certiorem,ꝗ se,candidatum:`de quo ut quem optas, quamprimũ nũcium accipias,tua mediusfidius magis,quàm mea causa cupio. Nam mea,si fio,forsitan cum locupletiore referam: sed hoc usꝗ; eò suaue est,quod,si acciderit,tota uita risus nobis deesse non poterit. Sed tanti me hercule non multum M. Octauius eorum odia, quæ Hirrum premunt, quæ permulta sunt,subleuat. Quòd ad Philotimi liberti officium,& bona Milonis attinet,dedimus operam,ut & Philotimus ꝗ honestissime Miloni absenti eiusꝗ; necessarijs satisfaceret,& secundum eius fidem & sedulitatem existimatio tua cõseruaretur. Illud nunc à te peto,si eris(ut spero)otiosus,aliquid ad nos,ut intelligamus nos tibi curæ esse,syntagma cõscribas. Quid tibi istuc,inquis,in mentẽ uenit homini non inepto aliquid:`ex tã multis tuis monimẽtis extare,quod nostræ amicitię memoriam posteris quoque prodat. Cuiusmodi uelim, puto quæris. Tu citius, qui omnem nosti disciplinam,quod maxime conuenit,excogitabis. Genere tamen,quod ad nos pertineat, & διδασκαλίαν quandam, ut uersetur inter manus,habeat,

CAELIVS CICERONI S.


Nuideo tibi,tam multa cotidie,quæ mirere,istòc perferuntur. Primum illud absolutum Messalam,deinde eũdem condẽnatum. C. Marcellũ Cos.factum,M. Claudiũ à repulsa,postulatum à Gallis duobus,P. Dolabellã Quindecimuirum factum. Hoc tibi nõ inuideo caruisse te pulcherrimo spectaculo, & Lentuli cruris repulsi uultum non uidisse. At qua spe:`quàm certa opinione descẽderat:`quàm ipso diffidẽte Dolabella:`& Hercules,nisi nostri equites acutius uidissent, penè concedẽte aduersario superasset. Illud te non arbitror miratum, Seruium designatũ Trib.pl.cõdemnatũ: cuius locum C. Curio petijt.saneꝗ incutit multis,qui eũ facilitatemꝗ; eius non norunt,magnum metum. Sed ut spero & uolo,& ut se fert,ipse bonos et senatũ malet: totus,ut nunc est,hoc scaturit. Huius autẽ uoluntatis initium & causa inest,quòd eum nõ mediocriter Cæsar,qui solet infimorum hominum amicitias sibi qualibet impensa adiungere,ualde contẽpsit. Qua in re mihi uidetur illud perquã uenuste cecidisse, ꝙ à reliquis quoque usꝗ; eo est animaduersum,ut Curio,qui nihil cõsilio facit,ratione & insidijs usus uideretur,in euitandis ijs consilijs, qui se intenderant aduersarios in eius Tribunatum. Lælios & Antonios,& id genus ualẽteis dico. Has ego tibi literas eo maiore misi interuallo, ꝙ comitiorũ dilationes occupatiorem

me habebant, & expectare in dies exitum cogebant, ut confectis omnibus te facerem certiorem. Ad Kal. Sext. usque expectaui. Praetorijs morae quaedam inciderunt. Mea porro comitia, quem euentum sint habitura, nescio: opinionem quidem, quod ad Hirrum attinet, incredibilem Aed. pl. comitijs nacta sunt. Nam M. Caelium Vicinianum mentio illa fatua, quam deriseramus olim, & promulgatio de Dictatore subito deiecit, & deiectum magno clamore insecuta est. inde Hirrum cuncti an non faciendum flagitare. Spero te celeriter, & de nobis quod sperasti, & de illo quod uix sperare ausus es, auditurum. De repub. iam noui quicquam expectare desieramus. Sed cum Senatus habitus esset ad Apollinis ad XI. Kal. Sext. & referretur de stipendio Cn. Pompeij, mentio facta est de legione ea, quam expensam tulit C. Caesari Pompeius, quo numero esset, quo appeteretur, cum ex Gallia coactus esset dicere Pompeius se legionem abducturum, sed non statim sub mentionem & conuicium obtrectatorum. Inde interrogatus de successione C. Caesaris, de qua, hoc est de prouincijs, placitum est, ut cum primum ad urbem reuerteretur Cn. Pompeius ut coram eo de successione prouinciarum ageretur. Nam Ariminum ad exercitum Pompeius erat iturus, & statim ijt, puto Idib. Sext. de ea re factum iri: profecto aut transigeretur aliquid, aut turpiter intercederetur. Nam in disputando conìecit illam uocem Cn. Pompeius, Omneis oportere Senatui dicto audienteis esse. Ego tamen sic nihil expecto, quomodo Paulum Consulem designatum primum sententiam dicentem. Saepius te admoneo de syngrapha Sittiana. cupio enim te intelligere eam rem ad me ualde pertinere. Item de pantheris, ut Cibyratas accersas curésque ut mi uehantur. Praeterea nunciatum nobis, & pro certo iam habetur, Regem Alexandrinum mortuum. quid mihi suadeas, quo modo regnum illud se habeat, quis procuret, diligenter mihi perscribas. Kal. Sext.

CAELIVS CICERONI S AL.



Qua tu cura sis, quod ad pacem prouinciae tuae finitimarumque regionum attinet, nescio: ego quidem uehementer animi pendeo. Nam si hoc moderari possemus, ut prouiribus copiarum tuarum belli quoque existeret magnitudo, & quantum gloriae triumphóque opus esset assequeremur, periculosam & grauem illam dimicationem euitaremus, nihil tam esset optandum. Nunc si Parthus mouet aliquid, scio non mediocrem fore contentionem. tuus porro exercitus uix unum saltum tueri potest. Hanc autem nemo ducit rationem, sed omnia desiderantur ab eo (tanquam nihil denegatum sit ei, quo minus quàm paratissimus esset) qui publico negotio praepositus est. Accedit huc, quòd successionem futuram propter Galliarum controuersiam non uideo. Tametsi hac de re puto te constitutum, quid facturus esses, habere: tamen quo maturius constitueres, cum hunc euentum prouidebam, uisum est, ut te facerem certiorem. Nosti enim haec tralatitia: de Gallis constituetur, erit qui intercedat: deinde alius existet, qui, nisi libere liceat de omnibus prouincijs decernere Senatui, reliquas impediat. sic multum ac diu ludetur, atque ita diu, ut plus bienniũ in his tricis moretur. Si quid noui de republica quod tibi

scriberem,haberem,usus essem mea consuetudine,ut diligenter & quid actũ esset,& quid ex eo futurum sperarem,perscriberem. Sane tanquam in quodam silice iam omnia adhæserunt. Marcellus idem illud de prouincijs urget, neq; adhuc frequẽtem Senatum efficere potuit. Hoc sic pręterito anno Curio Tribunus,& eadẽ actio de prouincijs introiuit,ut q̃ facile nũc sit omnia impedire:& q̃ hoc Cæsari,qui sua causa remp.nõ curet,superet,non te fallit.

CAELIVS CICERONI.'S.



On dubito,quin perlatum ad te sit, Appium à Dolabella reum factum,sanequam non ea,quam existimaueram,inuidia. Neq; enim stulte Appius,qui simulatq; Dolabella accessit ad tribunal,introierat in urbem,triũphiq; postulationem abiecerat. Quo facto retudit sermones:paratiórque uisus est,quàm sperauerat accusator. Is nunc in te maximam spem habet. Scio tibi eum non esse odio,quàm uelis eum obligare,in tua manu est:cum quo simultas tibi non fuisset, liberius tibi de tota re esset. Nunc si ad illam summam ueritatem legitimum ius exegeris, cauendum tibi erit, ne parum simpliciter & candide posuisse inimicitias uidearis. In hanc partem porro tutum tibi erit. si quid uolueris gratificari. nemo enim necessitudine, & amicitia te deterritum ab officio dicet. Illud mihi occurrit, q; inter postulationem & nominis delationem, uxor a Dolabella discessit. Quid mihi discedens mandaris,memini:quid ego tibi scripserim, te non arbitror oblitum. Non est iam tempus plura narrandi. Vnum illud monere te possum, si res tibi non displicebit, tamen hoc tempore nihil de tua uoluntate ostendas, & expectes quemadmodum exeat ex hac causa. Denique inuidiosum tibi sit, si emanarit. Porrò significatio ulla si intercesserit, clarius q̃ deceat, aut expediat, fiat.neq; ille tacere eam rem poterit,quæ suæ spei tam opportuna acciderit: quæq; in negocio conficiendo tanto illustrior erit:cum presertim is sit, qui, si perniciosum sciret esse loqui de hac re, uix tamen se contineret. Pompeius dicitur ualde pro Appio laborare, ut etiam putent alterum utrum de filiis ad te missurum. Hic nos omnes absoluimus:& hercule confecta omnia fœda & inhonesta sunt. Consules autem habemus summa diligentia:adhuc S.C. nisi de feriis Latinis, nullum facere potuerunt. Curioni nostro Tribunatus conglaciat. Sed dici non potest, quomodo hic omnia iaceant. Nisi ego cum tabernariis & aquariis pugnarem, ueternus ciuitatem occupasset. Si Parthi uos nihil calfaciunt, nos hic frigore frigescimus. Tamen quoquo modo hic omnia iaceant, potuit sine Parthis. Bibulus in Amano nescio quid cohorticularum amisit. hoc sic nunciatum est. Quod tibi suprà scripsi, Curionem ualde frigere, iam calet. nam feruentissime concerpitur. Leuissime enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit, legemq; Viariam non dissimilem agrariæ Rulli, & Alimentariam, quas iubet Aedileis metiri iactauit. hoc nondum fecerat,cum priorem partem epistolę scripsi. Amabo te. si quid quod opus fuerit, Appio facies, ponito me in gratia. De Dolabella, integrum tibi referues, suadeo. & huic rei,de qua loquor, & dignitati tuæ, æquitatisq; opinioni hoc ita facere expedit. Turpe tibi erit pantheras Græcas me non habere.

CAELIVS CICERONI. S.



Vàm cito tu istinc decedere cupias, nescio. ego quidem eo magis, quo adhuc felicius res gessisti. Dũ istic eris, de belli Parthici periculo cruciabor, ne hunc risum meum metus aliqui perturbet. Breuiores has literas properanti publicanorum tabellario subito dedi: tuo liberto pluribus uerbis scriptas pridie dederam. Res autem nouæ nullæ sane acciderunt, nisi hæc uis tibi scribi, quæ certe uis. Cornificius adolescẽs Orestillæ filiam sibi despondit. Paula Valeria soror Triarij diuortium sine causa, quo die uir è prouincia uenturus erat, fecit. Nuptura est D. Bruto: nondum retulerat. Multa in hoc genere incredibilia te absente acciderunt. Seruius Ocella nemini persuasisset se mœchum esse, nisi triduo bis deprehensus esset. quæres ubi? ubi hercules ego minime uellẽ. relinquo tibi, quod ab alijs quæras. neque enim displicet mihi Imperatorem singulos percontari, cum qua sit aliqui deprehensus.

CAELIVS CICERONI. S.



ET si de republica quæ tibi scribã, habeo: tamẽ nihil, quo magis gauisurũ te putẽ, habeo, q̃ hoc. Scito C. Semproniũ Rufum, Rufum mel ac delicias tuas, calumniã maximo plausu tulisse, quæris qua in causa? M. Tucciũ accusatorẽ suũ post ludos Romanos reũ lege Plotia de ui fecit, hoc consilio, quòd uidebat, si extraordinarius reus nemo accessisset, sibi hoc anno causam esse dicendã. Dubiũ porro illi nõ erat q̃d futurũ esset. Nemini hoc deferre munusculũ maluit, q̃ suo accusatori. Itaq; sine ullo subscriptore descendit, & Tucciũ reũ fecit. At ego simulatq; audiui, inuocatus ad subsellia rei occurro: surgo, neq; uerbũ de re facio. Totũ Semproniũ usq; eo perago, ut Vestoriũ quoq; interponam, & illam fabulam narrẽ, queãdmodum tibi pro beneficio dederit, si quid iniurijs suis esset, ut Vestorius teneretur. Hęc quoq; magna nũc cõtentio forũ tenet M. Seruilius postq̃ ut cœperat, omnibus in rebus turbarat, ne quod nõ uenderet, cuiquã reliquerat: maximeq; nobis traditus erat inuidiæ. Neq; Laterensis, Prætore postulante Pausania, nobis patronis, quo ea pecunia peruenisset, recipere uoluit. Quòd Pilius necessarius Attici nostri de repetundis eũ postulauit, magna illico fama surrexit, & de damnatione feruenter loqui est cœptũ. Quo uento projicitur Appius Minor, ut implicet pecuniam ex bonis patris peruenisse ad Seruiliũ, præuaricationisq; causa diceret depositũ HS. LXXXI. Admiraris amentiã, imo si actiones stultissimas, quid si nefarias patris cõfessiones audisses? Mittit in consiliũ eosdẽ illos, qui liteis æstimarãt, iudices. Cũ æquo numero sentẽtiæ fuissent, Laterẽsis leges ignorãs pronunciauit, quid singuli ordines iudicassent: & ad extremũ, ut solent, nõ redigam. Postq̃ discessit, & pro absoluto Seruilius haberi cœptus, legisq; unum et centesimũ caput legit, in quo ita erat, QVOD EORVM IVDICVM MAIOR PARS IVDICARIT, ID IVS RATVMQVE ESTO, in tabulas absolutũ nõ retulit, ordinũ iudicia perscripsit. postulãte rursus Appio, cũ L. Lollio trãsegisset, relaturũ dixit. Sic nunc neq; absolutus, neq; dãnatus Seruilius de repetũdis saucius Pilio tradetur. Nã de diuinatione Appius, cũ calũniã iurasset, cõtendere ausus nõ est, Pilioq; cessit, & ipse de pecunijs repetũdis à Seruilijs est postu-

latus,& preterea de ui reus à quodā suo emissario est factus. Recte hoc par habet. Quod ad rēpublicā pertinet, omnino multis diebus expectatione Galliarum actū nihil est. Aliquando tamen sæpe re dilata & grauiter acta, & planè perspecta Cn. Pompeij uoluntate in eam partem, ut eum decedere post Kal. Mart. placeret. S.C. quod tibi misi, factum est, authoritatesq; perscriptæ. S. C. auctoritas. Pr. Kal. Oct. in æde Apollinis. Scrib. adfuerunt L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cælius, Q. F. Metellus, Pius Scipio, L. Iul. L. F. Pom. Annalis. C. Septimus T. F. Quirina, C. Lucius C. F. Puphirrus, C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Ateius L. F. Ancapito. M. oppius M. F. Ter. Quod M. Marcellus Coss. V. F. de prouincijs cōsularibus. D. E. R. I. C. uti C. Paulus, C. Marcellus Coss. cum magistratum inissent ad ex Kal. Mart. quæ in suo magistratu futuræ essent, de consularibus prouincijs ad Senatum referrent, néue quid prius ex Kal. Mart. ad Senatum referrent, néue quid coniunctim de ea re referretur à Coss. utiq; eius rei causa per dies comitiales Senatum haberēt. S.q; C. facerent: & cū de ea re ad Senatū referretur à Coss. qui eorū in CCC. Iudicibus essent, sex adducere liceret. Si quidea re ad populū, plebémue opus esset, ut Ser. Sulpicius. M. Marcellus Coss. Prætt. Tribb. q; pl. quibus eorū uideretur ad P. pl. ue. referrēt, quod ij nō tulissent, uti quicūq; deinceps essent, ad P. pl. ue ferrēt. L. V. pr. Kal. Oct. in æde Apollinis. Scrib. adfuerunt, L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Metellus. q. f. Pius Scipio, L. Iulius L. F. Pom. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Scribonius C. F. Pom. Curio, L. Atilius L. F. An. Capito, M'. Oppius M. F. Terentina. Quod M. Marcellus Cos. de prouincijs. D. E. R. I. C. Senatum existimare neminem eorum, qui potestatem habent intercedendi, impediendi, moram afferre oportere, quo minus de repub. Q. P. ad Senatum referri, Senatiq; C. fieri possit. qui impedierit prohibuerit eum Senatum existimare contra rempublicam fecisse. Si quis huic. S. C. intercesserit, Senatui placere auctoritatem perscribi, & de ea re ad Senatum populumq; referri. Huic. S. C. intercessit C. Cælius, L. Vicinius, P. Corn. C. Vibius Pansa. Item Senatui placere de militibus, qui in exercitu C. Cæsaris sunt: qui eorum stipendia, emerita, aut causas, quibus de causis missi fieri debeant, habeant ad hunc ordinem referre, ut eorum ratio habeatur, causæq; cognoscantur. Si quis huic. S. C. intercessisset, Senatui placere authoritatem perscribi, & de ea re placere ad hunc ordinem referri. Huic Senato. C. intercessit Cælius, C. Pansa Tribb. pl. Itemq; Senatui placere in Ciliciam prouinciam, in. VIII. reliquas prouincias, quas Prætorij pro Prætore obtinerent, eos qui Prætores fuerunt, neque in prouincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex. S. C. cum imperio in prouincias pro Prætore mitti oporteret, eos sortito in prouincias mitti placere, si ex eo numero, quos S. C. in prouincias ire oporteret, ad numerum non essent qui in eas prouincias proficiscerentur: tum uti quodque collegium primum. P. R. fuisset. neque in prouincias profecti essent, ita sorte in prouinciam proficiscerentur. si ij ad numerum non essent, tunc deinceps proximi cuiusque collegij, qui Prætores fuissent, neque in prouincias profecti essent, in sortē conijcerētur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in prouincias mitti oporteret. Si quis huic S. C. intercessisset,

fisset, authoritas perscriberetur. Huic S.C. intercessit C. Cælius, C. Pansa Tribb. pl. Illa præterea Cn. Pompeij sunt animaduersa, quæ maxime cōfidētiam attulerunt hominibus, ut diceret se ante Kal. Mart. nō posse sine iniuria de prouincijs Cęsaris statuere, post Kal. Mart. se non dubitaturum. Cum interrogaretur, si qui tum intercederent, dixit hoc nihil interesse, utrum C. Cæsar Senatui dictoaudiens futurus non esset, an pararet, qui Senatum decernere non pateretur, Quid si, inquit alius, & Cōsul esse, & exercitum habere uolet? At ille quàm clementer. Quid si filius meus fustem mihi impingere uolet? His uocibus ut existimarent homines Pompeio cum Cæsare esse negotium, effecit. Itaque iam, ut uideo, alteram utram ad condicionem descendere uult Cæsar, ut aut maneat, neque hoc anno sui ratio habeatur, aut si designari poterit, decedat. Curio se cōtra eum totum parat: quid assequi possit, nescio. Illud uideo, bene sentientem, & si nihil effecerit, cadere nō posse. Me tractat liberaliter Curio, & mihi suo munere negotium imposuit. Nam si mihi non dedisset eas, quę ad ludos ei aduectæ erāt Africanæ, potuit supersederi. Nūc quum dare necesse est, uelim tibi curæ sit, quod à te semper petij, ut aliquid istinc bestiarum habeamus: Sittianamq́ syngrapham tibi cōmendo. Libertum Philonem istuc misi. & Diogenem Græcum, quibus mandata & literas ad te dedi, eos tibi & rem, de qua misi, uelim curæ habeas. nam q̄ uehementer ad me pertineat, in ijs, quas tibi illi reddent, literis descripsi.

CAELIVS CICERONI. S.



SIc tu inquis Hirrum tractasti? Immo si scias quàm facile, quam ne cōtentionis quidem minimę fuerit, pudeat te, ausum illum unquā esse incedere tanquā tuum competitorem. Post repulsam uero risus facit: ciuem bonum ludit, & contra Cęsarem sentētias dicit: expectationē corripit, Curionē prorsus non mediocriter obiurgatus hac repulsa se mutauit. Præterea qui nunq̄ in foro apparuerit, non multum in iudicijs uersatus sit, agit causam liberaliter, sed raro post meridiem. De prouincijs quod tibi scripserā Id. Sext. actum iri, interpellat Iudicium Marcelli Cos. desig. in Kal. reiectum ne frequentiam quidem efficere potuerant. Has literas ad. IIII. Non. Sept. dedi, cum ad eam diem ne profligatum quidē quicquam erat. Vt uideo, causa hæc integra in proximum annum transferetur, & quantum diuino, relinquendus tibi erit, qui prouinciam obtineat. Nam non expeditur successio, quum Galliæ, quæ habent intercessorem, in eandem condicionem, quam cæteræ prouinciæ, uocantur. Hoc mihi non est dubium: quo tibi magis scripsi, ut ad hunc euentum te parares. Fere literis omnibus tibi de pantheris scripsi: turpe tibi erit Patischum Curioni decem pantheras misisse, te non multis partibus plureis: quas ipsas Curio mihi & alias Africanas decem donauit, ne putes illum tantum prædia rustica dare scire. Tu, si modo memoria teneres, & Cibyratas arcessieris, itemq́ in Pamphiliam literas miseris (nam ibi plureis capi aiunt) quod uoles, efficies. Hoc uehementius laboro nunc, quod seorsum à Collega puto mihi omnia paranda. Amabo te, impera ibi: hoc cura. Soles libenter, ut ego, maiorem partem nihil curare. In hoc negocio nulla tua, nisi loquendi, cura est, hoc est imperandi & mandandi. Nam simulatq́ erūt

captæ,qui alant eas & deportent,habes eos,quos ad Sittianam ſyngrapham miſi.puto etiam,ſi ullam ſpem mihi literis oſtēderis,me iſtò miſſurum alios. M.Feridium Eq.R.amici mei filium,bonum & ſtrenuum adoleſcentem,qui ad ſuum negotium iſtuc uenit,tibi commendo,& te rogo,ut eum in tuorum numero habeas. Agros,quos fructuarios habēt ciuitates, uult tuo beneficio, quod tibi facile & honeſtum factu eſt,immuneis eſſe:gratos & bonos uiros tibi obligaris. Nolo te putare Fauonium à columnarijs pręteritum:optimus quiſque eum non fecit. Pompeius tuus aperte Cæſarem & prouinciam tenere cum exercitu,& Conſulem eſſe. tamen hanc ſententiam dixit, Nullum hoc tempore S.C. faciendum. Scipio hanc, Vt Kal. Mart. de prouincijs Gallijs, neu quid coniunctim referretur. Contriſtauit hæc ſententia Balbum Cornelium:& ſcio eum queſtum eſſe cum Scipione. Calidius in defenſione ſua fuit diſertiſſimus,in accuſatione ſatis frigidus.

CAELIVS CICERONI S.



SAne quàm literis C.Caſſij & Deiotari ſumus commoti. Nam Caſſius cis Euphraten copias Parthorum eſſe ſcripſit: Deiotarus profectas per Commagenem in prouinciam noſtram. Ego quidem præcipuum metum,quod ad te attinebat,habui,qui ſcirem,quàm paratus ab exercitu eſſes,ne quod hic tumultus dignitati tuæ periculum afferret. Nam de uita,ſi paratior ab exercitu eſſes,timuiſſem: nunc hæc exiguitas copiarum receſſum,non dimicationem mihi tuam præſagiebat. Hoc quomodo acciperent homines,quàm probabilis neceſſitas futura eſſet,uereor etiam nunc:neque prius deſinam formidare,quàm tetigiſſe te Italiam audiero. Sed de Parthorum tranſitu,nuncij uarios ſermones excitarunt. alius enim Pompeium mittēdum,alius ab urbe Pompeium non remouendum, alius Cæſarē cum ſuo exercitu,alius Coſs. nemo tamen ex S.C. priuatos. Conſules autem, quia uerentur ne illud S.C. fiat,ut paludati exeant, & contumelioſe præter eos ad alium res transferatur,omnino Senatum haberi nolunt: uſque eò, ut parum diligentes in repub. uideantur: ſed honeſte,ſiue negligentia,ſiue inertia eſt,ſiue ille,quem propoſui,metus latet ſub hac temperantiæ exiſtimatione,nolle prouinciam. A te literæ nō uenerunt:& niſi Deiotari ſubſecutæ eſſent,in eam opinionem Caſſius uenerat,quæ diripuiſſet ipſe,ut uiderētur ab hoſte uaſtata,finxiſſe bellum,& Arabas in prouinciam īmiſiſſe, eosque Parthos eſſe,Senatui renunciaſſe. Quare tibi ſuadeo,quicunque eſt iſtic ſtatus rerū,diligenter & caute perſcribas,ne aut uelificatus alicui dicaris,aut aliquid, quod referret ſcire, reticuiſſe. Nunc exitus eſt anni: nam ego has literas ad XIIII. Kal. Decemb. ſcripſi. Plane nihil uideo ante Kal. Ian. agi poſſe. Noſti Marcellum,quàm tardus & parum efficax ſit: itemque Seruius quàm cunctator. Cuiuſmodi putas hoc eſſe: aut qui,id quod nolint,conficere poſſe,qui quæ cupiunt tamen ita frigide agunt,ut nolle exiſtimentur? Nouis magiſtratibus autem,ſi Parthicum bellum erit, hæc cauſa primos menſes occupabit. Sin autem aut non erit iſtic bellum,aut tum erit,ut uos aut ſucceſſores paruis additis copijs ſuſtinere poſſint,Curionē uideo ſe dupliciter iactaturum: primū,ut aliquid Cæſari adimat: inde,ut aliquid Pompeio tribuat,quiduis quā libet tenue munuſculum. Paulus porro non humane de prouincia loquitur.

huius

huius cupiditati occursurus est Furnius noster: plures suspicari non possum. hæc noui.alia, quæ possunt accidere, nõ cerno. multa tempus afferre, & præparata multa esse scio, sed intra fines hos, quæcũq; acciderint uertẽtur. Illud addo ad actiones C. Curionis de agro Cãpano, de quo negãt Cæsarẽ laborare: sed Pompeium ualde nolle, ne uacuus aduenienti Cæsari pateat. Quod ad tuum decessum attinet, illud tibi non possum polliceri me curaturũ, ut tibi succedatur: illud certe præstabo, ne amplius prorogetur. Tui cõsilij est, si tẽpus, si Senatus coget, si honeste à nobis recusari non poterit, uelisne perseuerare: mei officij est, meminisse, qua obtestatione decedens mihi, ne paterer fieri, mandaris.

CAELIVS CICERONI. S.



On diu, sed acriter nos tuæ supplicationes torserũt. Incideramus enim in difficilem nodum. Nam Curio tui cupidissimus, cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur, negabat se ullo modo pati posse decerni supplicationes, ne quod furore Pauli adeptus esset boni, sua culpa uideretur amisisse: & præuaricator causæ publicæ existimaretur. Itaque ad pactionem descendimus: & confirmarunt Cõsules se his supplicationibus in hunc annum non usuros. Plane quod utrisque Consulibus gratias agas, est: Paulo magis certe. nam Marcellus sic respõdit ei, spem in istis supplicationibus non habere. Paulus se omnino in hunc annum non edicturum. Renunciatum nobis erat Hirrum diutius dicturum: prendimus eum: non modo non fecit, sed cum de hostijs ageretur, & posset rem impedire, si ut numeraretur, postularet, tacuit. Tantum Catoni assensus est, qui & locutus honorifice non decrerat supplicationes. Tertius ad hos Fauonius accessit. Quare pro cuiusq; natura & instituto gratiæ sunt agendæ: His, q̃ tãtum uoluntatem ostẽderunt, pro sententia, cum impedire possent, non pugnarũt: Curioni uero, quòd de suarũ actionum cursu tua causa deflexit. Nam Furnius & Lentulus, ut debuerunt, quasi eorum res esset, una nobiscum circumierunt. & laborarunt. Balbi quoque Cornelij operam & sedulitatem laudare possum. Nam cum Curione uehementer locutus est, & eum, si aliter fecisset, iniuriam Cæsari facturum dixit. tum eius fidem in suspicionem adduxit. Nõ deerant quidem qui neq; transigi uolebant, Domitij, Scipiones. quibus hac re ad intercessionem euocandam interpellantibus, uenustissime Curio respõdit, se eo libentius non intercedere, q̃ quosdam, qui decernerent, uideret confici nolle. Quod ad rempublicam attinet, in unam causam omnis cõtentio cõiecta est: de prouincijs in quam adhuc incubuisse cum Senatu Pompeius uidetur, ut Cæsar Id. Nou. decedat. Curio omnia potius subire cõstituit, quàm id pati: cæteras suas abiecit actiones. Nostri porro, quos tu bene nosti, ad extremum certamen rem deducere non audent. Scena rei totius hæc. Pompeius tanquam Cæsarem non impugnet, sed quod illi æquum putet, constituat, ait Curionem quærere discordias. Valde autem non uult, & plane timet Cæsarem Cos. Desig. prius, quàm exercitum & prouinciam tradiderit. Accipitur satis male à Curione: & totus eius secundus Consulatus exagitatur. Hoc tibi dico: si omnibus rebus prement Curionem, Cæsar defendetur. si intercessorẽ (quod uidentur) reformidarint, Cęsar, quoad uolet, manebit. Quam quisq;

ſententiam dixerit, in Cōmentario eſt rerum urbanarum, ex quo tu quæ digna ſunt, ſelige, multa tranſi. in primis ludorum exploſiones, & funerum & ineptiarū cæterarū. plura habet utilia. Denicꝫ malo in hanc partem errare, ut quę nō deſideres, audias, quàm quicquam, quod opus eſt, prætermittatur. Tibi curæ fuiſſe de Sittiano negotio, gaudeo. Sed quum ſuſpicaris minus certa fide eos tibi uiſos, tanquam procurator ſic agas, rogo. Vale.

CAELIVS CICERONI. S.


PVdet me tibi confiteri, & queri de Appiȷ̄ hominis ingratiſſimi iniuriȷ̄s, qui me odiſſe, quia magna mihi debebat beneficia, cœpit: et cum homo auarus, ut ea solueret, ſibi imperare non poſſet, occultum bellum mihi indixit: ita occultum tamen, ut multi mihi renunciarēt, & ipſe facile animaduerterem. male eum de me cogitare. Poſteaquàm uero comperi eum collegium tentaſſe, deinde aperte cum quibuſdam locutū, cum L. Domitio, ut nunc eſt, mihi inimiciſſimo homine deliberare, uelle hoc munuſculum deferre Cn. Pompeio: ipſum reprehenderē, et ab eo deprecarer iniuriam, quem uitam mihi debere putaram, impetrare à me nō potui. Quid ergo eſt? Tum quidem aliquot amicis, qui teſtes erant meorum in illum meritorū, locutus ſum. poſteaquàm illum, ne cui ſatisfaceret quidem, me dignū habere ſenſi: malui Collegæ eius homini alieniſſimo mihi, & propter amicitiam tuā non æquiſſimo me obligare, q̄ illius ſimiæ uultum ſubire. Id poſtq̄ reſcȷ̄t, exſcanduit, & me cauſam inimicitiarū quęrere clamitauit: ut ſi mihi in pecunia minus ſatisfeciſſet, per hanc ſpeciem ſimultatis eum conſectarer. Poſtea non deſtitit accerſere palam Seruium accuſatorem, inire cum Domitio conſilia: quibus cum parum procederet, ut ulla lege mihi poneret accuſatorē, compellari ea lege me uoluerunt, qua dicere non poterant. inſolentiſſimi homines ſummis Circenſibus ludis meis poſtulādum me lege Scantinia curāt. Vix hoc erat prælocutus, cum ego Appium Cenſorem eadem lege poſtulaui. Quod melius caderet, nihil uidi. Nam ſic eſt à populo. & non infimo quoque approbatum, ut maiorē Appio dolorē fama q̄ poſtulatio attulerit. Præterea cœpi ſacellum, in domo quod eſt, ab eo petere. Conturbat me mora ſerui huius, qui tibi literas attulit. nā accæptis prioribus literis amplius quadraginta manſit. Quid tibi ſcribam, neſcio. Scis Domitio diem timori eſſe: te expecto ualde, & quamprimum uidere cupio. A te peto, ut meas iniurias proinde doleas, ut me exiſtimas & dolere, & ulciſci tuas ſolere.

CAELIVS CICERONI SAL.


GRatulor tibi affinitate uiri mediusfidius optimi. nam hoc ego de illo exiſtimo. cætera porro, quibus adhuc ille ſibi parū utilis fuit, & ætate iam ſunt decurſa, & conſuetudine atque authoritate tua: pudore Tulliæ, ſi qua reſtabunt, confido celeriter ſublatū iri. Nō eſt enim pugnax in uitȷ̄s, neque hebes ad id, quod melius ſit, intelligendum. Deinde (quod maximum eſt) ego illum ualde amo. Velles C. Curionem noſtrum lautum interceſſionis de prouincȷ̄s exitum habuiſſe. Nam cum de interceſſione referretur, quæ relatio fiebat ex. S. C. primaq́ꝫ M. Marcelli ſententia pronunciata eſſet, qui agendum cum Tribb. pl. cenſebat, frequēs Senatus in alia omnia ȷ̄t. Stomacho eſt ſcilicet Pompeius magnus nunc ita languēti, ut uix

ut uix id, quod sibi placeat, reperiant. Transierant illuc, ut nec ratio esset eius habenda, qui neque exercitum, neque prouincias traderet. Quemadmodum hoc Pompeius laturus sit, cum cognoscat quidnam reipu. futurum sit, si aut non possit, aut non curet, uos senes diuites uideritis. Q. Hortensius, cum has lite ras scripsi, animam agebat.

CAELIVS CICERONI S.




Anti non fuit Arsacen capere, Seleuciam expugnare, ut earum rerum, quæ hic gestæ sunt, spectaculo careres. nunquam tibi ocu li doluissent, si in repulsa, Domitij uultum uidisses. magna illa cō mitia fuerunt: & plane studia ex partium sensu apparuerunt. per pauci necessitudinem secuti, officium præstiterunt. Itaque mihi est Domitius inimicissimus, ut ne familiarem quidem suum quenquam tam oderit, quàm me: atque eò magis quod per iniuriam sibi putat ereptum, cuius ego author fue rim. Nunc furit tam gauisos homines suum dolorem, unumque me studiosio rem Antonij. Nam Cn. Saturninum adolescentem ipse Cn. Domitius re um fecit, sanequàm superiore uita inuidiosum. quod iudicium nunc in expe ctatione, inest etiam in bona spe, post Sex. Peducei absolutionem. De sum ma repu. sæpe tibi scripsi, me annum pacem non uidere, & quo propius ea cō tentio, quam fieri necesse est, accedit, eo clarius id periculum apparet. Propo situm hoc est, de quo qui rerum potiuntur, sunt dimicaturi, quò Cn. Pom peius constituit non pati C. Cæsarem Cos. aliter fieri, nisi exercitum & pro uincias tradiderit: Cæsari autem persuasum est, se saluum esse non posse, si ab exercitu recesserit. fert illam tamen condicionem, ut ambo exercitus tra dant. Sic illi amores, & inuidiosa coniunctio, non ad occultam recedit ob trectationem, sed ad bellum erupit: neque mearum rerum quod consilij ca piam, reperio, quod non dubito quin te quoque hæc deliberatio sit perturbā tura. Nam mihi cum hominibus his & gratia & necessitudo est: tum causam illam, non homines odi. Illud te non arbitror fugere, Quin homines in dis sensione domestica debeant, quamdiu ciuiliter sine armis cernetur, hone stiorem sequi partem: ubi ad bellum & castra uentum sit, firmiorem: & id melius statuere, quod tutius sit. In hac discordia, uideo Cn. Pompeium, Senatum, quique res iudicant, secum habiturum: ad Cæsarem omnes, qui cum timore aut mala spe uiuant, accessuros: exercitum conferendum non esse omnino. satis spatij sit, ad considerandas utriusque copias, & eligendam partem. Propè oblitus sum, quod maxime fuit scribendum. Scis Appium Censorem hic ostenta facere, de signis & tabulis, de agris modo, de ære alieno acerrime agere. Persuasum est ei, Censuram, lomentum, aut nitrum esse: errare mihi uidetur. Nam sordes eluere uult, uenas sibi omneis, & uisce ra aperit. Curre per deos atque homines, & quamprimum hæc risum ueni, legis Scantiniæ iudicium apud Drusum fieri, Appium de tabulis et signis agere: crede mihi est properandum. Curio noster sapienter id, quod re misit de stipendio Pompeij, fecisse existimatur. Ad summam quæris, quid putem futurum: si alteruter eorum ad Parthicum bellum non eat, uideo magnas impendere discordias, quas ferrum & uis iudicabit: uterque &

animo & copijs eſt paratus. Si ſine tuo periculo fieri poſſet, magnum & iucundum tibi fortuna ſpectaculum parabat.

CAELIVS CICERONI. S.


Cquando tu hominem ineptiorem, quàm tuum Cn.Pompeium uidiſti, qui tantas turbas, qui tam nugax eſſet, commorit? Ecquem autem Cæſare noſtro acriorem in rebus gerendis: eodem in uictoria temperatiorem aut legiſti aut uidiſti? Quid eſt? nūc tibi noſtri milites, qui duriſſimis & frigidiſſimis locis teterrima hyeme bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis eſſe paſti uidentur? Quid iam inquis? gloriose omnia, ſi ſcias, quàm ſolicitus ſum, tum hanc meam gloriam, quæ ad me nihil pertinet, derideas, quæ tibi exponere, niſi coràm non poſſum, idque celeriter fore ſpero. Nam me, cum expuliſſet ex Italia Pompeiū, conſtituit ad urbem uocare, id quod iam exiſtimo confectum, niſi ſi maluit Pompeium Brundiſii circunſedere. Peream ſi minima cauſa eſt properandi iſtò mihi, quòd te uidere, & omnia intima conferre diſcupio. habeo autē quàm multa? Hui uereor (quod ſolet fieri) ne cum te uidero, omnia obliuiſcar. Sed tamen quodnam ob ſcelus iter mihi neceſſarium retro ad Alpeis uerſus incidit? adeo quòd Intimelij in armis ſunt, neque de magna cauſa. Bellienus uerna Demetrij, qui ibi cum præſidio erat, Domitium quendam nobilem illic Cæſaris hoſpitem à contraria factione nummis accæptis comprehendit, & ſtrangulauit. ciuitas ad arma ijt. eo cum cohortibus mihi per niueis eundum eſt. Vſquequaque, inquies Domitij mali dant. Vellē quidem Venere prognatus tantum animi habuiſſet in ueſtro Domitio, quātum ipſe catenatus in hoc habuit Ciceroni F.S.D.

CAELIVS M. CICERONI. S. D.


Xanimatus ſum tuis literis, quibus te nihil niſi triſte cogitare oſtendiſti, neque id quid eſſet perſcripſiſti. Non enim quale eſſet quod cogitares, aperuiſti. Has ad te ilico literas ſcripſi. Per fortunas tuas Cicero, per liberos oro, obſecro, ne quid grauius de ſalute & incolumitate tua conſulas. Nam deos, hominesq́ꝫ, amicitiamq́ꝫ noſtram teſtificor, me neque temere prædixiſſe, neque temere monuiſſe. ſed poſtquam Cæſarem conuenerim, ſententiamq́ꝫ eius, qualis futura eſſet, parta uictoria cognouerim, te certiorem feciſſe. Si exiſtimas eandem rationem fore Cæſari in dimittendis aduerſarijs & condicionibus ferendis, erras. Nihil niſi atrox & ſæuum cogitat, atque etiam loquitur. Iratus Senatui exijt. his interceſſionibus planè incitatus eſt: non erit deprecationi locus. Quare ſi tibi tu, ſi filius unicus, ſi domus, ſi ſpes tuæ reliquæ tibi caræ ſunt, ſi aliquid apud te nos, ſi uir optimus gener tuus ualet, quorum fortunam non debes uelle conturbare, ut eam cauſam, in cuius uictoria ſalus noſtra eſt, odiſſe, aut relinquere cogamur, aut impiam cupiditatem cōtra ſalutem tuam habeamus. Denique illud cogita: quod offenſæ fuerit, in iſta cunctatione te ſubiſſe: nunc te contra uictorem facere, quem dubijs rebus lædere noluiſti: & ad eos fugatos accedere, quos reſiſtenteis ſequi nolueris, ſummæ ſtultitiæ eſt. Vide, ne dum pudet te parum optimatem eſſe, parum diligenter, quid optimum ſit eligas.

Quod

Quod si totũ tibi persuadere nõ possum, saltẽ dũ quid de Hispanĳs agamus, scitur, expecta, quas tibi nuncio aduẽtu Cæsaris fore nostras. Quã isti spẽ ha beãt amissis Hispanĳs, nescio. Quod porro tuũ cõsiliũ sit ad desperatos acce dere, nõ mediusfidius reperio. Hoc quod tu nõ dicẽdo mihi significasti, Cæsar audierat: ac simulatq; haue mihi dixit, statim quid de te audisset, exposuit. negaui me scire: sed tamẽ ab eo petĳ, ut ad te litteras mitteret, quibus maxime ad remanẽdũ cõmoueri posses. Me secũ in Hispaniã ducit. Nam nisi ita face ret, ego prius, q̃ ad urbẽ accederẽ, ubicũq; esses, ad te percurrissem: & hoc à te præsens cõtendissem, atq; omni ui te retinuissem. Etiã atq; etiã Cicero cogita, ne te tuosq; omneis funditus euertas: ne te sciẽs prudensq; eò demittas, un de exitũ uides nullũ esse. Quòd si te aut uoces optimatũ cõmouẽt, aut nõnul lorũ hominũ insolentiã & iactationẽ ferre nõ potes, eligas cẽseo aliquod oppidum uacuum à bello, dum hæc decernuntur. quæ cum confeceris, & ego te sapienter fecisse iudicabo, & Cæsarem non offendes.

CAELIVS CICERONI. S.



Rgo me potius in hispania fuisse tum, q̃ Formĳs, quum tu profe ctus es ad Pompeiũ: quod utinã ut Appius Claudius in ista parte C. Curio, cuius amicitia me paulatim in hanc perditam causam im posuit. nã mihi sentio bonã mentẽ iracundia & amore ablatã. Tũ tu porrò, cũ ad te proficiscens noctu Ariminũ uenissem, dũ mihi pacis mãda ta das ad Cæsarẽ, & mirificũ ciuem agis, amici officium neglexisti, neq; mihi cõsuluisti. Neq; hæc dico, q; diffidam huic causæ: sed crede mihi, perire satius est, q̃ hos uidere. Quòd si timor uestræ crudelitatis nõ esset, eiecti iampridẽ hinc essemus. Nam hic nunc præter fœneratores paucos, nec homo, nec ordo quisquã est, nisi Põpeianus. Equidẽ iã effeci, ut maxime plebs, et qui antea no ster fuit populus, uester esset. Cur hoc inquis? ĩmo reliqas expectãt. Vos inui tos uincere coegero: irritaui in me Catonẽ. Vos dormitis, nec hęc adhuc mihi uidemini intelligere, q̃ nos pateamus, & q̃ simus ĩbecilli. Atq; hoc nullius pmĳ spe faciã, sed quod apud me plurimũ solet ualere, doloris atq; indignita tis causa. Quid istic facitis? pliũ expectatis, qđ firmissimũ est? Vestras copias nõ noui: nostri ualde depugnare, et facile algere, et esurire cõsuerunt. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM

Liber ad M. Varronem & Cæteros.

CICERO M. VARRONI. SAL.



X his literis, quas Atticus à te missas mihi legit, quid ageres, & ubi esses, cognoui: quando autem te uisuri essemus, nihil sanè ex ĳsdem literis potui suspicari. In spem tamen uenio appropinquare tuum aduentum, qui mihi utinam solatio sit. etsi tot tantisq; rebus urgemur, ut nullam alleuationem quisquam non stultissimus sperare debeat. Sed tamẽ aut tu potes me, aut ego te fortasse aliqua re iuuare. Scito enim me, postea q̃ in urbem uenerim, redĳsse cum ueteribus amicis, id est, cum libris nostris in gratiam: etsi non idcirco eorum usum dimiseram, q; ĳs suscẽserem, sed q; eorum

me suppudebat. Videbar enim mihi, cum me in res turbulentissimas infidelissimis socijs demisissem, pręcæptis illorum non satis paruisse. Ignoscũt mihi, & reuocant in consuetudinem pristinam: teq; quòd in eo permanseris, sapientiorem, q̃ me dicunt fuisse. Quamobrem quum placatis his utor, uideor sperare debere, si te uiderim, & ea, quæ premant, & ea quæ impendeant, me facile trãsiturum. Quamobrem siue in Tusculano, siue in Cumano ad te placebit, siue (quod minime uelim) Romæ, dummodo simul simus, perficiã profecto ut id utriq; nostrum commodissimum esse diiudicetur.

CICERO VARRONI.



Aninius idem, & idem noster, cum ad me peruesperi uenisset, & se postridie mane ad te iturum esse dixisset, dixi ei me daturum aliquid mane, ut peteret, rogaui. Conscripsi epistolam noctu, nec ille ad me redijt, oblitum credidi. Attamen eam ipsam tibi epistolam misissem per meos, nisi audissem ex eodẽ, postridie te mane è Tusculano exiturum. At tibi repente paucis pòst diebus, cum minime expectarem, uenit ad me Caninius mane: proficisci ad te statim dixit, & si erat ἕωλος illa epistola, presertim tantis postea nouis rebus allatis, tamen perire lucubrationem meã nolui, & eam ipsam Caninio dedi: sed cum eo & cum homine docto & tui amantissimo loquutus ea sum, quæ pertulisse illum ad te existimo. Tibi autem idem consilij do, quod mihimetipsi, ut uitemus oculos hominum, si linguas minus facile possimus. Qui enim uictoria se efferunt, quasi uictos nos intuentur: qui autem uictos nostros moleste ferunt, nos dolent uiuere. Quæres fortasse, cur cum hæc in urbe sint, nõ absim, quemadmodum tu? Tu enim ipse, qui & me & alios prudẽtia uincis, omnia credo uidisti: nihil te omnino fefellit. Quis est tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat? ac mihi quidem iam pridem uenit in mẽtem, bellum esse aliquò exire, ut ea quæ agebantur hic, quæq; dicebantur, nec uiderem nec audirem. Sed calumniabar ipse: putabam, qui obuiam mihi uenisset, ut cuique commodum esset, suspicaturum aut dicturum etiam, si non suspicaretur. Hic aut metuit, & ea re fugit, aut aliquid cogitat, & habet nauem paratam. Denique leuissime qui suspicaretur, & qui fortasse me optime nouisset, putaret me idcirco discedere, quòd quosdam homines oculi mei ferre non possunt. Hæc ego suspicans adhuc Romæ maneo: & tamen λελεθότως consuetudo diuturna callum iam obduxit stomacho meo. Habes rationem mei consilij. Tibi igitur hoc cẽseo, latendum tantisper ibidem, dum efferuescit hæc gratulatio, et simul dum audiamus, quemadmodum negotium confectũ sit. confectũ enim esse existimo. Magni autem intererit, qui fuerit uictoris animus, qui exitus rerum: quãquam quo me ducat coniectura, habeo: sed expecto tamẽ. Te uero nolo, nisi ipse rumor iam raucus erit factus ad Baias uenire. Erit enim nobis honestius etiam, cum hinc discesserimus, uideri uenisse in illa loca ploratũ potius, quàm natatum. Sed hæc tu melius. Modo stet nobis illud, unà uiuere in studijs nostris, à quibus antea delectationem modo petebamus, nunc uero etiam salutem. Non deesse, siquis adhibere uolet, nõ modo ut architectos, uerum etiam ut fabros ad ædificãdam rempu. & potius libenter accurrere. Si nemo utetur opera, tamen & scribere & legere πολιτείας: & si minus in curia atq; in foro,

at in

at in literis & libris,ut doctiſſimi ueteres fecerunt,nauare reipub.& de moribus ac legibus quærere.Mihi hæc uidentur.Tu quid ſis acturus,& quid tibi placeat,pergratum erit ſi ad me ſcripſeris.

CICERO VARRONI.



T ſi quid ſcriberem non habebam,tamen Caninio ad te eunti nō potui nihil dare.Quid ergo potiſſimū ſcribam?quod uelle te puto,cito me ad te eſſe uenturum.Et ſi uide quæſo,ſatiſne rectum ſit,nos hoc tanto incendio ciuitatis in iſtis locis eſſe.Dabimus ſermonem ijs,qui neſciunt,nobis,quocunqꝫ in loco ſimus,eūdem cultum,eundem uictum eſſe.Quid refert?tamen in ſermonem incidemus.Valde id credo,laborandum eſt,ne cum omnes in omni genere & ſcelerum & flagitiorū uolutentur,noſtra nobiſcū,aut inter nos ceſſatio uituperetur.Ego uero neglectā barbarorū inſcitia te perſequar.quāuis enim ſint hæc miſera,quæ ſunt miſerrima,tamē artes noſtræ neſcio quo mō,nūc uberiores fructus ferre uidētur,ꝙ olim ferebāt:ſiue quia nulla nunc in re alia acquieſcimus,ſiue quod grauitas morbi facit,ut medicinæ egeamus:eaqꝫ nūc appareat,cuius uim non ſentiebamus,cū ualebamus.Sed quid ego nūc hęc ad te,cuius domi naſcūtur γλαῦκ' εἰς ἀθήνας?nihil ſcilicet,niſi ut reſcriberes aliquid:me expectares.ſic igitur facies.

CICERO VARRONI.



ερὶ δυνατῶν me ſcito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. Quapropter ſi uenturus es,ſcito neceſſe eſſe te uenire.Sin aūt nō es τῶν ἀδυνάτων eſt te uenire.Nūc uide utra te κρίσις magis delectet,χρυσιππεία ne,an hæc quā noſter Diodotus non concoquebat. Sed de his etiam rebus otioſi cum erimus loquemur.hoc etiam eſt κατὰ χρύσιππον δυνατόν eſt.De Coctio mihi gratum eſt.Nam id etiam Attico mādaram.Tu ſi minus ad nos,nos accurremus ad te:ſi hortum in bibliotheca habes,deerit nihil.

CICERO VARRONI.



Ihi uero ad Non.bene maturum uidetur fore,neqꝫ ſolum propter reipublicæ,ſed etiā propter anni tēpus.Quare iſtū diem probo,itaqꝫ eundem ipſe ſequar,conſilij noſtri,niſi eos quidem qui id ſequuti nō ſunt,pœniteret,nobis pœnitendū putarē.Sequuti enim ſumus nō ſpem,ſed officium,reliquimus autē non officiū,ſed deſperationem.Ita uerecundiores fuimus:ꝙ qui ſe domo non commouerunt:ſaniores:ꝙ qui amiſſis opibus domū non reuerterūt.Sed nihil minus fero,ꝙ ſeueritatē otioſorū,& quoquo modo ſe res haberet,magis illos uereor qui in bello occiderunt,ꝙ hos curo,quibus non ſatisfacimus,quia uiuimus.Mihi ſi ſpatiū fuerit in Tuſculanum ante Nonas ueniendi,iſtic te uidebo:ſin minus,perſequar in Cumanum,& antè te certiorem faciam,ut lauatio parata ſit.

CICERO VARRONI.



Aninius noſter me tuis uerbis admonuit,ut ſcriberē ad te,ſi quid eſſet,quod putarem te ſcire oportere.Eſt igitur aduentus in expectatione,neqꝫ tu id ignoras.Sed tamen cum ille ſcripſiſſet,ut opinor,ſe in Alſienſe uenturum:ſcripſerunt ad eū ſui,ne id faceret,multos ei moleſtos fore,ipſumqꝫ multis oſtiæ uideri cōmodius eū exire poſſe.Id ego non intelligebam quid intereſſet.Sed tamē Hirtius mihi dixit,et ſe

ad eum,& Balbum,& Oppium scripsisse,ut ita faceret homines,ut cognoui, amantes tui. Hoc ego idcirco nosse te uolui,ut scires hospitium tibi ubi parares,uel potius utrobique.quid enim ille facturus sit incertum est.et simul ostẽtaui tibi me istis esse familiarem,& consilijs eorum interesse. Quod ego cur nolim,nihil uideo. Non enim est idem ferre,si quid ferendum est:& probare, si quid non probandum est. & si quid non probem? Quid enim iam scio præter initia rerum? Nam hæc in uoluntate fuerunt, Vidi enim (nam tu aberas) nostros amicos cupere bellum.hunc autem nõ tam cupere, quàm nõ timere.Ergo hæc consilij fuerunt:reliqua necessaria. Vincere autem aut hos, aut illos necesse esse. Scio te semper mecum in luctu fuisse, cum uideremus, quàm illud ingens malum alterius utrius exercitus & ducum interitu: tum uero extremum malorum omnium esse ciuilis belli uictoriam.quam quidem ego etiam illorum timebam,ad quos ueneramus.Crudeliter enim otiosis minabantur:eratq; ijs & tua inuisa uoluntas,& mea oratio.Nunc uero si essent nostri potiti, ualde intemperãtes fuissent. Erant enim nobis perirati: quasi quicquam de nostra salute decreuissemus, quod non idem illis censuissemus:aut quasi utilius reipub. fuerit, eos etiam ad bestiarum auxilium confugere,quàm uel emori,uel cum spe,si non optima,at aliqua tamen uiuere. At in perturbata repub.uiuimus:quis negat? Sed hoc uiderint ij, qui nulla sibi subsidia ad omneis uitæ status parauerunt.huc enim ut uenirem, superior longius, quàm uolui, fluxit oratio. Cum enim te semper magnum hominem duxi, tum quòd his tempestatibus es prope solus in portu,fructúsque doctrinæ percipis eos,qui maximi sunt,ut ea consideres, eáque tractes quorum & usus & delectatio est omnibus istorum & actis & uoluptatibus anteponenda. Equidem hos tuos Tusculanenses dies instar esse uitæ puto, libenterq; omnibus omneis opes concesserim, ut mihi liceat ui nulla interpellante,isto modo uiuere.Quod nos quoque imitamur ut possumus,& in nostris studijs libentissime conquiescimus. Quis enim hoc non dederit nobis, ut cum opera nostra patria siue non possit uti,siue nolit,ad eam uitam reuertamur,quam multi docti homines,fortasse non recte,sed tamen multi,etiam reipub. præponendam putauerunt? Quæ igitur studia magnorum hominum sententia uacationem habent,eadem publici muneris,ijs concedẽte rep. cur non abutamur? Sed plus facio,quàm Caninius mandauit. Is enim si quid ego scirẽ,rogarat,quod tu nescires.ego tibi ea narro quæ tu melius scis quàm ipse qui narro. Faciam ergo illud quod rogatus sum,ut eorum, quæ temporis huius sint,quæ ue audiero,ne quid ignores.

CICERO VARRONI.



Cenabam apud Seium,cum utrique nostrum redditæ sunt à te literæ. Mihi uero iam maturum uidetur. Nam quòd antea te calũniatus sum,indicabo malitiam meam. Volebam propè alicubi esset,si quid bonę salutis,σύντε δύ᾽ ἐρχομένω.nunc quũ confecta sunt omnia, dubitandum non est,quin æquis uiris. Nam ut audiui de L. Cæsare filio,mecum ipse, Quid hic mihi faciet patri?

Itaq; non desino apud istos,qui nunc dominantur,cenitare. Quid faciã? tempori seruiendũ est. Sed ridicula missa,præsertim cũ sit nihil,quod rideamus,

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

Itaque nullum est ἀπροσποιούμενον,quod non uerear. Sed quod quæris, quando, quà,quò,nihil adhuc scimus. Istuc ipsum de Baijs,nonnulli dubitant, an per Sardiniam ueniat. Illud enim adhuc prædium suum non inspexit:nec ullum habet deterius,sed tamen non contēnit. Ego omnino magis arbitror per Siciliam,uel iam sciemus.aduentat enim Dolabella:eum puto magistrū fore.

πολλοὶ μαθηταὶ κρείσσονες διδασκάλων.

Sed tamen si sciam quid tu constitueris,meum consilium accōmodabo potissimum ad tuum: Quare expecto tuas literas.

CICERO VARRONI.



ETsi munus flagitare,quamuis quis ostenderit, ne populus quidem solet,nisi concitatus: tamen ego expectatione promissi tui moueor: ut admoneam te, non ut flagitem. Misi autem ad te quatuor admonitores non nimis uerecundos. Nosti enim profecto os eius adolescentioris academiæ.Ex ea igitur media excitatos misi:qui me tuo ne te forte flagitent:ego autem mandaui, ut rogarent. Expectabam omnino iamdiu,meque sustinebam,ne ad te prius ipse quid scriberem, quàm aliquid accæpissem,ut possem te remunerari quàm simillimo munere. Sed cum tu tardius faceres,id est,ut ego interpretor,diligentius,teneri nō potui, quin coniunctionem studiorum, amorisque nostri, quo possem literarum genere, declararem. Feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano, cum esset unà Pomponius:tibi dedi parteis Antiochinas,quas à te probari intellexisse mihi uidebar:mihi sumpsi Philonis.puto fore,ut cum legeris,mirere nos id locutos esse inter nos,quod nunquam locuti sumus.sed nosti morem dialogorum. Post hæc autem mi Varro quàm plurima si uidetur, & de nobis inter nos: sero fortasse,sed superiorum temporum fortuna reipu. causam sustineat. Hæc ipsi præstare debemus,atque utinam quietis temporibus,atque aliquo si non bono,at saltem certo statu ciuitatis hæc inter nos studia exercere possemus. Quanquam tum quidem uel aliæ quæpiam rationes honestas nobis & curas & actiones darent:nunc autem quid est,sine his cur uiuere uelimus? Mihi uero cum his ipsis uix:his autem detractis,ne uix quidem. Sed hæc coràm, & sæpius. Migrationem & emptionem feliciter euenire uolo, tuumque in ea re consilium probo. Cura ut ualeas.

DOLABELLA. S. D. CICERONI.



SI.V.G.V.& Tullia nostra recte.V. Terentia minus belle habuit, sed certum scio iam conualuisse eam. Præterea rectissime sunt apud te omnia. Et si nullo tempore in suspicionem tibi debui uenire, partium causa potius, quàm tua, tibi suadere, ut te aut cum Cæsare nobiscúmque coniungeres, aut certe in otium referres: præcipue nunc iam inclinata uictoria:ne possum quidem in ullam aliam incidere opinionem, nisi in eam,in qua scilicet tibi suadere uidear,quod pie tacere nō possum. Tu autē mi Cicero,sic hęc accipies,ut siue probabūtur tibi, siue nō probabūtur,ab optimo certe animo ac deditissimo tibi & cogitata et scripta esse iudices. Animaduertis Cn. Pompeiū,nec nominis sui,nec rerū gestarū gloria,neque etiam Regū ac nationū clientelis quas ostentare crebro so-

tunæ ſuccumbendum putem: ſed tamen hilaritas illa noſtra, & ſuauitas, quæ te præter cæteros delectabat, erepta mihi omnis eſt. Firmitatem tamen & cõſtantiam, ſi modo fuit aliquando in nobis, eandem cognoſces, quam reliquiſti. Quòd ſcribis, prælia te mea cauſa ſuſtinere, non tam id laboro, ut ſi qui mihi obtrectent, à te refutentur: quàm intelligi cupio, quod certe intelligitur, me à te amari. quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Ignoſcasq́ breuitati literarum mearum. nam & celeriter unà futuros nos arbitror, et nondũ ſatis confirmatus ad ſcribendum.

CICERO DOLABELLAE.



Ratulor Baijs noſtris, ſiquidem, ut ſcribis, ſalubres repente factæ ſunt. niſi forte te amant, & tibi aſſentantur: & tandiu, dum tu ades, ſunt oblitæ ſui. Quod quidem ſi ita eſt, minime miror, cœlum etiam & terras uim ſuam, ſi tibi ita conueniat, dimittere. Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum, quod non putaram. Itaque eam tibi miſi. quam uelim ſic legas, ut cauſam tenuem et inopẽ, nec ſcriptione magno opere dignam. ſed ego hoſpiti ueteri, & amico munuſculum mittere uolui leuidenſe craſſo filo, cuiuſmodi ipſius ſolent eſſe munera. Tu uelim animo ſapienti fortiq́ ſis: ut tua moderatio & grauitas aliorum infamet iniuriam.

Baiis insalubres

CICERO DOLABELLAE. SAL.



. Subernius Calenus, & meus eſt familiaris, & Leptę noſtri familiariſſimi perneceſſarius. Is cũ uitandi belli cauſa profectus eſſet in Hiſpaniã cũ M. Varrone ante bellũ, ut in ea prouincia eſſet, in qua nemo noſtrũ poſt Afraniũ ſuperatũ, bellum ullum fore putarat, incidit in ea ipſa mala, quę ſummo ſtudio uitauerat. Oppreſſus eſt enim bello repentino, quod bellum cõmotum à Scapula, ita poſtea confirmatũ eſt à Pompeio, ut nulla ratione ab illa miſeria ſe eripere poſſet. Eadem cauſa ferè eſt M. Planij hęredis, qui eſt itẽ Calenus, Leptæ noſtri familiariſſimus. Hoſce igitur ambo tibi ſic commendo, ut maiore cura, ſtudio, ſolicitudine animi cõmendare non poſſim. Volo ipſorum cauſa: meq́ in eo uehementer, & amicitia mouet & humanitas. Lepta uero cũ ita laboret, ut eius fortunæ uideantur in diſcrimen uenire, non poſſum ego non aut proxime atq́ ille: aut etiam æque laborare. Quapropter etſi ſępe expertus ſum, quantũ me amares: tamẽ ſic uelim tibi perſuadeas, id me in hac re maxime iudicaturũ. Peto igitur à te, uel ſi pateris oro, ut homines miſeros, & fortuna, quã uitare nemo poteſt, magis q̃ culpa calamitoſos, conſerues incolumeis, uelisq́ per te me hoc muneris cũ ipſis amicis hominibus, tum municipio Caleno, quocũ mihi magna neceſſitudo eſt, tum Leptæ, quem omnibus antepono, dare. Quod dicturus ſum, puto equidẽ non ualde ad rem pertinere, ſed tamen nihil obeſt dicere: res familiaris alteri eorũ ualde exigua eſt, alteri uix equeſtris. Quapropter quum his Cæſar uitã ſua liberalitate cõceſſit: nec eſt quod ijs præterea magnopere poſſit adimi: reditũ, ſi me tantũ amas, quantũ certe amas, hominibus confice. In quo nihil eſt, præter uiã longã, quam idcirco non fugiunt, ut & uiuant cũ ſuis, & moriantur domi. Quod ut enitare contẽdasq́, uel potius ut perficias (poſſe enim te mihi perſuaſi) uehementer te etiam atq́ etiam rogo.

ti tuæ: sed contigit magnitudine cum animi, tum etiam ingenij atque consilij. Legi enim concionem tuam: nihil illa sapientius: ita pedetentim & gradatim, tum accessus à te ad causam facti, tum recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animaduertendi omnium concessu daret. Liberasti igitur & urbem periculo, & ciuitatem metu. neque solum ad tempus maximam utilitatem attulisti. sed etiam ad exemplum facti. Intelligere debes in te positam esse rempublicam: tibiq; non modo tuendos, sed etiam ornandos esse illos uiros, à quibus initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coràm plura propediem, ut spero. Tu, quum rempublicam nosq; conseruas, fac ut diligentissime teipsum mi Dolabella custodias.

CICERO PAETO. S.



Vabus tuis epistolis respondebo: uni, quam triduo antè accæperam à Zetho: alteri, quam attulerat Philero s tabellarius. Ex prioribus tuis literis intellexi pergratam tibi * esse gaudeo. Sed mihi crede non perinde, ut est reapse ex literis perspicere potuisti. Nam cum à satis multis (non enim possum aliter dicere) & coli me uideam & diligi: nemo est illorum omnium mihi te iucundior. Nam quòd me amas, quòd id etiam pridem & constãter facis, est id quidem magnum, atque haud scio an maximum: sed tibi cõmune cum multis: quòd tu ipse tam amandus es, tãq; dulcis, tamq; in omni genere iucundus, id est proprie tuum. Accedũt nõ Attici, sed salsiores q̃ illi Atticorum, Romani ueteres atq; urbani sales. Ego autem (existimes licet, quidlubet) mirifice capior facetijs maxime nostratibus, præsertim cum eas uideam primum oblitas Latio, tum, cum in urbem nostram est infusa peregrinitas: nunc uero etiam Bracatis & Transalpinis nationibus, ut nullum ueteris lepòris uestigium appareat. Itaque te cum uideo, omneis mihi Granios, omneis Lucilios, uere ut dicam, Crassos quoque & Lælios uidere uideor. Moriar, si præter te quenquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquæ & uernaculæ festiuitatis agnoscere. Ad hos lepòres cum amor erga me tãtus accedat, miraris me tanta perturbatione ualetudinis tuæ tam grauiter exanimatum fuisse? Quòd autem altera epistola purgas te, non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanæ fuisse, sed authorem moderationis urbanæ, neque ego aliter accæpi: intellexi tamen idem, quod his intelligo literis, non existimasse te mihi licere id quod ego arbitrabar, res has non omnino quidem, sed magnam partem relĩquere. Catulum mihi narras, & illa tempora? quid simile? ne mi quidem ipsi tũc placebat diutius abesse ab reipublicæ custodia. sedebamus enim in puppi, & clauum tenebamus: nunc autem uix est in sentina locus. An minus multa. S.C. futura putas, si ego sim Neapoli? Romæ cum sum, & urgeo forum. S.C. scribuntur apud amatorem tuum familiarem meum. Et quidem cum in mentem uenit, ponor ad scribendum: & antè audio. S.C. in Armeniam & Syriam esse perlatum, quod in meam sententiam factum esse dicatur, quàm omnino mentionem ullam de ea re esse factam. Atque hoc nolim me iocari putes. Nam mihi scito iam à Regibus ultimis allatas esse literas, quibus mihi gratias agant, quòd se mea sententia Reges appellauerim: quos ego non modo Reges appellatos, sed omnino natos nesciebam. Quid ergo est? tamen

uirtutis tenere, Nihil esse sapientis præstare, nisi culpam, qua mihi uideor dupliciter carere: & q ea senserim, quæ rectissima fuerunt: & quia cum uiderē præsidij non satis esse ad ea obtinenda, uiribus certandum cum ualētioribus non putarim. Ergo in officio boni ciuis certe non sum reprehendendus. Reliquum est, ne quid stultè, ne quid temere dicam aut faciam contra potenteis. Id quoque puto esse sapientis. cætera uero, quid quisque me dixisse dicat, aut quomodo ille accipiat, aut qua fide mecum uiuant ij, qui me assidue colunt & obseruant, præstare non possum. Ita fit, ut & consiliorum superiorum conscientia, & præsentis temporis moderatione me consoler: & illam Accij similitudinem non modo iam ad inuidiam, sed ad fortunam transferam: quam existimo leuem & imbecillam ab animo firmo & graui, tanquam fluctum à saxo frangi oportere. Etenim cum plena sint monimenta Græcorum, quemadmodum sapientissimi uiri regna tulerint, uel Athenis uel Syracusis, cum seruientibus suis ciuitatibus fuerint ipsi quodammodo liberi: ego me non putem tueri meum statum sic posse, ut neque offendam animum cuiusquam, nec frangam dignitatem meam? Nunc uenio ad iocationes tuas, quum tu secundum Oenomaum Accij, non, ut olim solebat Atellanum: sed, ut nunc fit, Mimum introduxisti. Quem tu mihi Popilium, quem Denarium narras? quam Tyrotarichi patinam? facilitate mea ista ferebantur antea: nunc mutata res est. Hirtium ego & Dolabellam dicendi discipulos habeo, cenandi magistros. Puto enim te audisse (si forte ad uos omnia perferuntur) illos apud me declamitare, me apud eos cenitare. Tu autem, quòd mihi bonam copiam eiures, nihil est: tum enim cum rem habebas, quæsticulis te faciebam attentiorem: nunc cum tam æquo animo bona perdas, non eo sis consilio, ut cum me hospitio recipias, æstimationem te aliquam putes accipere. etiam hæc leuior est plaga ab amico, quàm à debitore. Nec tamen eas cenas quæro, ut magnæ reliquiæ fiāt: quod erit, magnificum sit & lautum. Memini te mihi Phameæ cenam narrare: temperius fiat, cætera eodem modo. Quòd si perseueras me ad matris tuæ cenam reuocare, feram id quoque. Volo enim uidere animum, qui mihi audeat ista quæ scribis, apponere: aut etiam Polypum Miniani Iouis similem. Mihi crede, non audebis. Ante meum aduentum fama ad te de mea noua lautitia ueniet: eam extimesces. Neque est, quòd in promulside spei ponas aliquid, quam totam sustuli. Solebam enim antea delibitari oleis, & lucanicis tuis. Sed quid hæc loquimur? liceat modo istò uenire. Tu uero (uolo enim abstergere animi tui metum) ad Tyrotarichum antiquum redi. Ego tibi unum sumptum afferam, quòd balneum calefacias oportebit: cætera more nostro, superiora illa lusimus. De uilla Seliciana, & curasti diligenter, & scripsisti facetissime. Itaque puto me prætermissurum. salis enim satis est, sannionum parum. Vale.

CICERO L. PAPIRIO PAETO.


On tu homo ridiculus es qui cum Balbus noster apud te fuerit, ex me quæras, quid de istis municipijs & agris futurum putē? quasi aut ego quicquam sciam, quod iste nesciat: aut si quid aliquando scio, non ex isto soleam scire. Immo uero si me amas, tu fac ut

sciam, quid de nobis futurum sit. Habuisti enim in tua potestate, ex quo uel ex sobrio, uel certe ex ebrio scire posses. Sed ego ista mi Pæte nō quæro: primum, quia de lucro prope iam quadriennium uiuimus: si aut hoc lucrum est, aut hæc uita, superstitem reipu. uiuere. Deinde quòd scire quoque mihi uideor, quid futurum sit. fiet enim, quodcunque uolent qui ualebūt: ualebunt autem semper arma. Satis igitur nobis esse debet, quicquid conceditur. hoc si qui pati non potuit, mori debuit. Veientem quidem agrum & Capenatem metiuntur: hoc non longe abest à Tusculano. Nihil tamen timeo: fruor dū licet: opto, ut semper liceat. Si id minus contigerit, tamen quum ego uir fortis, idem quod philosophus uiuere pulcherrimum duxi, non possum eum non diligere, cuius beneficio id consecutus sum. qui si cupiat esse rempu. qualem fortasse & ille uult, & omnes optare debemus, quid faciat tamen non habet: ita se cum multis colligauit. Sed longius progredior. scribo enim ad te. Hoc tamen scito, non modo me, qui consilijs non intersum, sed ne ipsum quidem principem scire quid futurum sit. Nos enim illi seruimus: ipse temporibus. ita nec ille quid tempora postulatura sint: nec nos quid ille cogitet, scire possumus. Hæc tibi antea non rescripsi, non quo cessator esse solerem, præsertim in literis: sed cum explorati nihil haberem, nec tibi solicitudinem ex dubitatione mea, nec spem ex affirmatione afferre uolui. Illud tamen adscribam, quod est uerissimum, me his temporibus adhuc de isto periculo nihil audisse. Tu tamen pro tua sapientia debebis optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcunque erunt.

CICERO S.D. L. PAPIRIO PAETO.


Vm essem otiosus in Tusculano, propterea quòd discipulos obuiam miseram, ut ijdem me quàm maxime conciliarent familiari suo, accepi tuas literas plenissimas suauitatis: ex quibus intellexi probari tibi meum consilium, quod ut Dionysius tyrannus, cum Syracusis pulsus esset, Corinthi dicitur ludum aperuisse: sic ego sublatis iudicijs, amisso regno forensi, ludum quasi habere cœperim. Quid quæris? me quoque delectat consilium. multa enim consequor: primum id, quod maxime nunc opus est: munio me ad hæc tempora. Id cuiusmodi sit, nescio: tantum uideo nullius adhuc consilia me huic anteponere. nisi fortè mori melius fuit in lectulo fateor: sed non accidit: in acie non fui. Cæteri quidem, Pompeius, Lentulus tuus, Scipio, Afranius fœde perierunt: at Cato præclare. Iam istuc quidem cum uolemus, licebit. Demus modo operam, ne tam necesse nobis sit, quàm illi fuit, id quod agimus. Ergo hoc primum. Sequitur illud: ipse melior fio, primum ualetudine, quam intermissis exercitationibus amiseram: deinde ipsa illa, si qua fuit in me facultas orationis, nisi me ad has exercitationes retulissem, exaruisset. Extremum illud est, quod tu nescio an primum putes, pluris iam pauones confeci, quàm tu pullos columbinos. Tu istic te Atheriano iure delectato: ego me hic Hirtiano. Veni igitur, si uir es, & disce τὰ προλεγόμενα, quas quæris: etsi sus Mineruā. Sed quando, ut uideo, æstimationes tuas uendere non potes, neque ollam denariorum implere, Romam tibi remigrandum est. Satius est hic cruditate, quàm istic fame. Video te bona perdidisse: spero idem istuc familiareis tuos. Actum igitur de te est,

nisi

nisi prouides.potes mulo isto,quem tibi reliquum dicis esse,quum cantherium comedisti,Romam peruehi.Sella tibi erit in ludo, tanquã hypodidascalo proxima:eam puluinus sequetur.

CICERO S.D. L. PAPIRIO PAETO.

TAmen à malitia non discedis:tenuiculo apparatu significas Balbum fuisse contentum:hoc uideris dicere,cum Reges tam sint cõtinentes,multo magis Consulareis esse oportere.nescis me ab illo omnia expiscatum? recta enim à porta domum meam uenisse:neque hoc admiror,ꝙ nõ ad tuam potius:sed illud,quòd non ad suam. Ego autem tribus primis uerbis,quid noster Pætus? at ille adiurans,nusquam se unquam libentius.Hoc si uerbis assecutus es,aureis ad te afferam non minus eleganteis.Sin autem obsonio,peto à te,ne pluris esse balbos,quam disertos putes.Me cotidie aliud ex alio impedit.Sed si me expediero,ut in ista loca uenire possim,non cõmittam,ut te sero à me certiorem factũ putes.

CICERO PAETO.

VPliciter delectatus sum tuis literis:& quòd ipse risi, & ꝙ te intellexi iam posse ridere.Me autem à te,ut scurram uelitem, malis oneratum esse,nõ moleste tuli:illud doleo,in ista loca uenire me, ut constitueram,non potuisse. habuisses enim non hospitem, sed cõtubernalem.At quẽ uirum? non eum,quem tu es solitus promulside conficere.Integram famem ad ouum affero:itaque usque ad assum uitulinum opera perducitur.Illa mea,quæ solebas antea laudare,ô hominem facilem,ô hospitem non grauem,abierunt.Nam omnem nostram de republica curam,cogitationem de dicenda in Senatu sententia,cõmentationem causarum,abiecimus.In Epicuri nos aduersarij nostri castra cõiecimus:nec tamẽ ad hanc insolentiam,sed ad illam tuam lautitiam,ueterem dico, cum in sumptus habebas:etsi nunquam plura prædia habuisti.Proinde te para:cũ homine & edaci tibi res est,& qui iam aliquid intelligat. ὀψιμαθεῖς autẽ homines scis quàm insolentes sint:dediscendæ tibi sunt sportellæ & artolagani tui. Nos iam & artis tantum habemus,ut Verrium tuum & Camillum,qua munditia homines? qua elegantia? uocare sæpius audeamus.Sed uide audaciam, etiam Hirtio cenam dedi sine pauone: tamen in ea cena cocus meus præter ius feruens nihil potuit imitari. Hæc igitur est nunc uita nostra. mane salutamus domi & bonos uiros multos,sed tristeis:et hos lætos uictores,qui me quidem perofficiose & peramanter obseruãt.Vbi salutatio defluxit, literis me inuoluo, aut scribo,aut lego. Veniunt etiam,qui me audiunt,quasi doctum hominem, quia paulo sum,quàm ipsi, doctior.Inde corpori omne tempus datur. Patriam eluxi iam & grauius & diutius, quàm ulla mater unicum filium. Sed cura,si me amas,ut ualeas:ne ego te iacente,bona tua comedim.Statui enim tibi ne ægroto quidem parcere.

CICERO PAETO. S.



AIn' tandem? insanire tibi uideris,quòd imitere uerborum meorũ, ut scribis,fulmina? tum insanires,si consequi non posses. cum uero etiam uincas,me prius irrideas,quàm te, oportet. Quare nihil tibi opus est illud à Trabea,sed potius ἀπότευγμα meum. Verun-

tamen quid tibi ego in epistolis uideor? nonne plebeio sermone agere tecũ? nec enim semper eodem modo. Quid enim simile habet epistola aut iudicio, aut concioni? quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare uno modo. Priuatas causas, et eas tenues, agimus subtilius: capitis aut famę scilicet ornatius. Epistolas uero, cotidianis uerbis texere solemus. Sed tamen mi Pæte, qui tibi uenit in mentem, negare Papirium quenquam unquam nisi plebeium fuisse? fuerunt enim patricij minorum gentium: quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui Consul cum L. Sempronio Atratino fuit, cum antea Censor cum eodem fuisset annis post. R.C.CCC.XII. Sed tum Papisii dicebantur. Post hunc. XIII. fuerunt sella curuli ante L. Papiriũ Crassum, qui primum Papisius est uocari desitus. Is Dictator cum L. Papirio Cursore magistro equitũ factus est, annis post. R.C.CCCCXV. & quadriēnio pòst Cõsul cum C. Duillo. Hunc secutus est Cursor homo ualde honoratus: deinde L. Masso Aedilicius: inde multi Massones. quorum quidem tu omnium patriciorum imagines habeas uolo. Deinde Carbones & Turdi insequuntur. Hi plebeij fuerunt. quos contemnas censeo. Nam præter hũc. C. Carbonem, quem Damasippus occidit, ciuis è republica Carbonum nemo fuit. Cognouimus Cn. Carbonē & eius fratrem scurram, quid his improbius? de hoc amico meo Rubriæ. F. nihil dico. Tres illi fratres fuerunt, C. Cn. M. Carbones. Marcus. P. Flacco accusante cõdemnatus: fur magnus ex Sicilia: Caius accusante L. Crasso cantharidas sumpsisse dicitur. Is & Trib. pl. seditiosus, & P. Africano uim attulisse existimatus est, Hoc uero, qui Lilybei à Pompeio nostro est interfectus, improbior nemo meo iudicio fuit. Iam pater eius accusatus à M. Antonio, sutorio atramento absolutus putatur. Quare ad Patres cēseo reuertare: plebeij quàm fuerint importuni, uides.

CICERO PAETO.



Mo uerecundiam, uel potius libertatem loquendi. atqui hoc Zenoni placuit homini me hercule acuto, etsi academiæ nostræ cum eo magna rixa est. Sed ut dico, placet Stoicis suo quanque rem nomine appellare. Sic enim disserũt, Nihil esse obscœnum, nihil turpe dictu. Nam si quod sit in obscœnitate flagitium, id aut in re esse, aut in uerbo: nihil esse tertium. In re non est, itaq; non modo in comœdijs res ipsa narratur, ut ille in Demiurgo modo (forte nosti cãticum: meministi Roscium) ita me destituit nudum: totus est sermo uerbis tectus, re impudētior: sed etiã in tragœdijs. quid est enim illud? Quæ mulier una? quid inquam est? Vsurpata duplex cubile? Quid? huius Pherei hic cubile inire est ausus. Quid est? Virginem me quõdam inuitam per uim uiolat. Iupiter bone, uiolat? Atqui idem significat, sed alterũ nemo tulisset, Vides igitur, cum eadem res sit, quia uerba non sint, nihil uideri turpe. ergo in re non est, multo minus in uerbis. Si enim quod uerbo significatur, id turpe nõ est: uerbum quod significat, turpe esse non potest. Anũ appellas alieno nomine, cur suo potius? Si turpe est, ne alieno quidem: si non est, suo potius. Caudam antiqui penum uocabãt, ex quo est propter similitudinē penicillus. at hodie penis est in obscœnis. At uero Piso ille frugi in annalibus suis queritur, adolescenteis peni deditos esse. Quod tu in epistola appellas suo nomine, ille tectius penem. sed quia multi,

factum

factũ eſt tam obſcœnum,q̃ id uerbum,quo tu uſus es. Quid quod uulgo dicitur,cũ nos te uoluimus conuenire,num obſcœnũ eſt? Memini in Senatu diſertũ Conſularem ita eloqui,Hanc culpã maiorem,an illã dicam? potuit obſcœnius? non inquis. Nõ enim ita ſenſit. Nõ ergo in uerbo eſt:docui autem in re nõ eſſe:nuſquã igitur eſt. Liberis dare operã,q̃ honeſte dicitur:etiam patres rogãt filios,eius operæ nomen nõ audent dicere. Socratẽ fidibus docuit nobiliſſimus fidicen,is Connus uocitatus eſt. num id obſcœnũ putas? Cum loquimur terni,nihil flagitij dicimus. at cum bini,obſcœnũ eſt. Græcis quidem inquies:nihil eſt ergo in uerbo,quũ & ego græce ſcio,& tamen tibi dico bini, idq; tu facis,quaſi ego græce,nõ latine dixerim. Ruta & menta recte utruq;. Volo mentã puſillã ita appellare,ut rutulã:nõ licet. Bella tectoriola:dic ergo etiã pauimẽta iſto modo:non potes. Viden igitur nihil eſſe,niſi ineptias:turpitudinẽ nec in uerbo eſſe,nec in re:itaq; nuſquam eſſe. Igitur in uerbis honeſtis obſcœna ponimus. Quid enim,non honeſtũ uerbũ eſt diuiſor? At ineſt obſcœnũ:cui reſpondet intercapedo. num hæc ergo obſcœna ſunt? Nos autẽ ridicule:ſi dicimus,ille patrẽ ſtrangulauit,honorẽ non præfamur,ſin de Aurelia aliquid aut Lollia,honos præfandus eſt. Et quidẽ iam non etiã obſcœna uerba,pro obſcœnis ſunt. battuit inquit impudenter,depſit multo impudentius. Atqui neutrum eſt obſcœnum. Stultorũ plena ſunt omnia. Teſtes, uerbũ honeſtiſſimũ in iudicio:alio loco nõ nimis:at honeſti,colei Lanuini: Cliternini,nõ honeſti. Quid? ipſa res modo honeſta,modo turpis? ſuppedit, flagitium eſt. iam erit nudus in balneo,non reprehendes. Habes ſcholã Stoicã ὁ σοφὸς εὐθυρρήμων ἐστι. quàm multa ex uno uerbo tuo. Te aduerſus me omnia audere gratum eſt. Ego ſeruo & ſeruabo (ſic enim aſſueui) Platonis uerecundiam. Itaque tectis uerbis ea ad te ſcripſi,quæ apertiſſimis agunt Stoici. Sed illi etiam crepitus aiunt æque liberos,ac ructus eſſe oportere. Honorem igitur. Kal. Mart. Tu me diliges & ualebis.

CICERO PAETO.



Eri ueni in Cumanũ,cras ad te fortaſſe. Sed cũ certum ſciam, faciã te paulo antè certiorem. Etſi M. Ceparius,cũ mihi in ſylua Gallinaria obuiam ueniſſet, quæſiſſemq; quid ageres, dixit te in lecto eſſe,quòd ex pedibus laborares:tuli ſcilicet moleſte,ut debui: ſed tamen conſtitui ad te uenire,ut & uiderem te & uiſerem,& cenarẽ etiã. Non enim arbitror cocum etiam te arthriticum habere. Expecta igitur hoſpitem cum minime edacem,tum inimicum cenis ſumptuoſis.

CICERO PAETO.



Vfum iſtum amicum tuum, de quo iterum iam ad me ſcribis, adiuuarem quantum poſſem, etiam ſi ab eo læſus eſſem, cum te tantopere uiderem eius cauſą laborare. cum uero & ex tuis literis & ex illius ad me miſſis intelligam, & iudicem magnæ curæ ei ſalutem meam fuiſſe,non poſſum ei non amicus eſſe:neq; ſolum tua commendatione,quæ apud me:ut debet,ualet plurimum,ſed etiam uoluntate ac iudicio meo. Volo enim te ſcire mi Pæte,initium mihi ſuſpicionis & cautionis & diligentiæ fuiſſe literas tuas. quibus literis cõgruentes fuerũt aliæ poſtea multorum. Nam & Aquini & Fabrateriæ conſilia ſunt inita de me,quę te uideo

inaudiſſe. et quaſi diuinarēt, quàm his moleſtus eſſem futurus, nihil aliud egerunt, niſi me ut opprimerent. Quod ego non ſuſpicans, incautior fuiſſem, niſi à te admonitus eſſem. quamobrem iſte tuus amicus apud me non eget commendatione. Vtinam ea fortuna reipublicæ ſit, ut ille me quamgratiſſimum poſſit cognoſcere. Sed hæc hactenus. Te ad cenas itare deſiſſe moleſte fero. magna enim te delectatione & uoluptate priuaſti. Deinde etiam uereor (licet enim uerum dicere) ne, neſcio quid illud quod ſolebas, dediſcas & obliuiſcare cenulas facere. nam ſi tum, cum habebas, quos imitarere, non multum proficiebas, quid nunc te facturum putem? Spurinna quidem, cum ei rem demonſtraſſem, & uitam tuam ſuperiorem expoſuiſſem, magnum periculum ſummæ reipub. demonſtrabat, niſi ad ſuperiorem conſuetudinem tum, cum Fauonius flaret, reuertiſſes. hoc tempore ferri poſſe, ſi forte tu frigus ferre non poſſes. Sed mehercule mi Pæte extra iocum, moneo te, quod pertinere ad beate uiuendum arbitror, ut cum uiris bonis iucundis, amantibus tui uiuas. Nihil eſt aptius uitæ: nihil ad beate uiuendum accommodatius. Nec id ad uoluptatem refero, ſed ad cōmunitatem uitæ atque uictus, remiſſionemq́ animorum, quæ maxime ſermone efficitur familiari, qui eſt in conuiuijs dulciſſimus: ut ſapientius noſtri, quàm Græci: illi συμπόσια aut σύνδειπνα, id eſt compotationes aut concenationes: nos conuiuia, quòd tum maxime ſimul uiuitur. Vides ut te philoſophando reuocare coner ad cenas? Cura ut ualeas: id foris cenitando facillime conſequere. Sed caue, ſi me amas, exiſtimes me, quòd iocoſius ſcribam, abieciſſe curam reipublicæ. Sic tibi mi Pæte perſuade, me dies & noctes nihil aliud agere, nihil curare, niſi ut mei ciues ſalui liberíque ſint. Nullum locum prætermitto monendi, agendi, prouidendi. Hoc denique animo ſum, ut ſi in hac cura atque adminiſtratione uita mihi ponenda ſit, præclare actum mecum putem etiam atq; etiam. Vale.

CICERO IMP. PAETO.

SVmmum me ducem literæ tuæ reddiderunt. planè neſciebam te tam peritum eſſe rei militaris. Pyrrhi te libros & Cineæ uideo lectitaſſe. Itaque obtemperare cogito præceptis tuis. hoc amplius, nauicularum habere aliquid in ora maritima: contra equitem Parthum negant ullam armaturam meliorem inueniri poſſe. Sed quid ludimus? neſcis quo cum Imperatore tibi negotium ſit? παιδείαν κύρου quam contrieram legendo, totam in hoc imperio explicaui. Sed iocabimur aliàs coràm, ut ſpero breui tempore. Nunc ades ad imperandum uel ad parendum potius. ſic enim antiqui loquebātur. Cum M. Fabio (quod ſcire te arbitror) mihi ſummus uſus eſt: ualdeq; eum diligo, cum propter ſummam probitatem eius ac ſingularē modeſtiā, tum q; in his controuerſiis, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis, optima opera eius uti ſoleo. Is cum ad me Laodiceam ueniſſet, mecumq; ego eum eſſe uellem, repente percuſſus eſt atrociſſimis literis: in quibus ſcriptum erat fundum Herculanenſem à Q. Fabio fratre proſcriptum eſſe, qui fundus cum eo cōmunis eſſet. Id M. Fabius pergrauiter tulit, exiſtimauitq; fratrem ſuū hominē non ſapiētem impulſu inimicorum ſuorum eò progreſſum eſſe. Nunc ſi me amas, mi Pæte, negotium totum

ſuſcipe:

ſuſcipe: & moleſtia Fabium libera. Authoritate tua nobis opus eſt, & conſilio, & etiam gratia. Noli pati litigare fratres, & iudicijs turpibus conflictari. Mathonem & Pollionem inimicos habet Fabius: quid multa? non me hercule tam perſcribere poſſum, quàm mihi gratum feceris, ſi otioſum Fabium reddideris. Id ille in te poſitum eſſe putat, mihíque perſuadet.

CICERO PAETO. S. D.



Accubueram. H. VIIII. cum ad te harum exemplum in codicillis exaraui. dices, ubi? apud Volumnium Eutrapelum: & quidem ſupra me Atticus, infra Verrius, familiares tui. Miraris tam exhilaratam eſſe ſeruitutem noſtram? Quid ergo faciam? te conſulo, qui philoſophum audis. Angar? excruciémne me? Quid aſſequar? Deinde quem ad finem? Viuas inquis in literis. An quicquam me aliud agere cenſes? Aut poſſem uiuere, niſi in literis uiuerem? Sed eſt earum etiam non ſatietas, ſed quidam modus. A quibus cum diſceſſi, & ſi minimum mihi eſt in cena, quod tu unum ζήτημα Dioni philoſopho poſuiſti: tamen quid potius faciam, priuſquam me dormitum conferam, non reperio. Audi reliqua. Infra Eutrapelum Cyteris accubuit. In eo igitur inquis conuiuio Cicero ille, quem aſpectabam? cuius ob os Graij ora obuertebant ſua? Non me hercule ſuſpicatus ſum illam affore. ſed tamen ne Ariſtippus quidem ille Socraticus erubuit, cum eſſet obiectum habere eum Laida. Habeo, inquit, non habeor à Laide. Græce hoc melius: tu ſi uoles, interpretabere. Me uero nihil iſtorum, ne iuuenem quidem mouit unquam, ne nunc ſenem. conuiuio delector: ibi loquor, quod in ſolum, ut dicitur, & gemitum & in riſus maximos transfero, An tu id melius, qui etiam in philoſophum irriſeris? Cum ille ſiquis quidquid quæreret, dixiſſet, cenam te quærere à mane dixeris. Ille baro te putabat quæſiturum, unum cœlum eſſet, an innumerabilia. Quid ad te? At hercule cena nunquid ad te? ibi preſertim. Sic igitur uiuitur: cotidie aliquid legitur aut ſcribitur. dein, ne amicis nihil tribuamus, epulamur unà non modo non contra legē (ſi ulla nunc lex eſt) ſed etiam intra legem, & quidem aliquanto. quare nihil eſt, quod aduentum noſtrum extimeſcas. Non multi cibi hoſpitem accipies, multi ioci. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD L. PLANCVM ET CÆTEROS LIBER.

CICERO PLANCO.



T absfui proficifcens in Græciam: & poftea quàm de meo curfu reipublicæ fum uoce reuocatus, nunquam per M. Antonium quietus fui: cuius tanta eft non infolentia (nam id quidem uulgare uitium eft) fed immanitas: non modo ut uocem, fed ne uultum quidem liberum poffit ferre cuiufquam. Itaque mihi maxime curæ eft non de mea quidem uita, cui fatisfeci uel ætate, uel factis, uel (fi quid etiã hoc ad rem pertinet) gloria: fed me patria folicitat, in primisq; mi Plance expectatio Confulatus tui: quæ ita longa eft, ut optandum fit, ut poffimus ad id tempus reipublicæ fpiritum ducere. Quæ poteft enim fpes effe in ea republica, in qua hominis impotentiffimi atque intemperantiffimi armis oppreffa funt omnia? & in qua nec Senatus, nec populus uim habet ullã? nec leges ullæ funt, nec iudicia, nec omnino fimulacrum aliquod, ac ueftigium ciuitatis? Sed quum, quoniã acta omnia mitti ad te arbitrabar, nihil erat, quod fingulis de rebus fcriberem. Illud autem erat amoris mei, quem à tua pueritia fufceptum nõ feruaui folum, fed etiam auxi: monere te atque hortari, ut in rempublicam omni cogitatione curaq; incumberes. Quæ fi ad tuum tempus perducitur, facilis gubernatio eft: ut perducatur autem, magnæ cum diligentiæ eft, tum etiam fortunæ. Sed & te aliquanto ante (ut fpero) habebimus: & præter quàm quòd reipublicæ confulere debemus, tamen tuæ dignitati ita fauemus, ut omne noftrum confilium, ftudium, officium, operam, laborem, diligentiam, ad amplitudinem tuam conferamus. Ita facillime & reipublicæ, quę mihi cariffima eft: & amicitiæ noftræ, quam fanctiffime nobis colendam puto, me intelligo fatiffacturum. Furnium noftrum tanti à te fieri, quantum ipfius humanitas & dignitas poftulat, nec miror & gaudeo: teq; hoc exiftimare uolo, quicquid in eum iudicij officij que contuleris, id ita me accipere, ut in meipfum te putem contuliffe.

CICERO PLANCO. SAL.



Eum ftudium honori tuo pro neceffitudine noftra non defuiffet, fi aut tuto in Senatum, aut honefte uenire potuiffem. Sed nec fine periculo quifquam de rep. libere fentiens uerfari poteft in fumma impunitate gladiorum: nec noftræ dignitatis uidetur effe, ibi fententiam de rep. dicere, ubi me & melius & propius audiant armati, quàm Senatores. Quapropter in priuatis rebus nullum neque officium neque ftudium meum defiderabis: ne in publicis quidem, fi quid erit, in quo me intereffe neceffe fit, unquam deero, ne cum periculo quidem meo, dignitati tuæ. In ijs autem rebus, quæ nihilominus ut ego abfim, cõfici poffunt, peto à te, ut me rationem habere uelis & falutis & dignitatis meæ.

Cicero

CICERO PLANCO. SAL.



Vm ipſum Furnium per ſe uidi libentiſſime, tum hoc libentius, quòd illum audiens te uidebar audire. Nam & in re militari uirtutem, & in adminiſtranda prouincia iuſtitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam expoſuit: & præterea mihi non ignotam, in conſuetudine & familiaritate ſuauitatem tuam adiunxit: præterea ſummam erga ſe liberalitatem. Quæ omnia mihi iucunda: hoc extremum etiam gratum fuit. Ego Plance neceſſitudinem conſtitutam habui cum domo ueſtra, antè aliquanto, quàm tu natus es: amorem autem erga te ab ineunte pueritia tua, confirmata iam ætate familiaritatem, cum ſtudio meo, tum iudicio tuo conſtitutam. His de cauſis mirabiliter faueo dignitati tuæ: quam mihi tecum ſtatuo eſſe communem. Omnia ſumma es cõſecutus, uirtute duce, comite fortuna, eaq́ adeptus es adoleſcens, multis inuidentibus, quos ingenio induſtriaq́ fregiſti. Nunc me amantiſſimum tui nemini concedentem, qui tibi uetuſtate neceſſitudinis potior poſſit eſſe, ſi audies: omnem tibi reliquæ uitæ dignitatem ex optimo reipublicæ ſtatu adquires. Scis profectò (nihil enim te fugere potuit) fuiſſe quoddam tempus, cum homines exiſtimarent, te nimis ſeruire temporibus: quod ego quoque exiſtimarem te, ſi ea quæ patiebare, probare etiam arbitrarer. Sed cum intelligerē quid ſentires, te arbitrabar uidere quid poſſes. Nunc alia ratio eſt, omnium rerum tuum iudicium eſt, idq́ liberum. Conſul es deſignatus, optima ætate, ſumma eloquentia, maxima orbitate reipublicæ uirorum talium. incumbe per deos immortaleis in eam curam & cogitationem, quæ tibi ſummam dignitatem & gloriam afferat. Vnus autem eſt, hoc preſertim tempore, per tot annos repub. deuexata, reipublicæ bene gerendæ curſus ad gloriam. Hæc amore magis impulſus ſcribenda ad te putaui, quàm quo te arbitrarer monitis, & præceptis egere. Sciebam enim ex iiſdem te hæc haurire fontibus, ex quibus ipſe hauſeram. Quare modum faciam. Nunc tantum ſignificandum putaui, ut potius amorem tibi oſtenderem meum, quàm oſtentarem prudentiam. Interea quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, ſtudioſe diligenterq́ curabo.

PLANCVS CICERONI.



Ratiſſimæ mihi tuæ literæ fuerũt, quas ex Furnij ſermone te ſcripſiſſe animaduerti. Ego autē præteriti tēporis excuſationem affero, ꝙ te profectũ audierã: nec multo antè rediiſſe ſciui, q̃ ex epiſtola tua cognoui. Nullũ enim in te officiũ, ne minimũ quidem, ſine maxima culpa uideor poſſe præterire: in quo tuēdo habeo cauſas plurimas, uel paternæ neceſſitudinis, uel meæ à pueritia obſeruãtiæ, uel tui erga me mutui amoris. Quare mi Cicero, quod mea tuaq́ patitur ætas, perſuade tibi te unũ eſſe, in quo ego colēdo patriã mihi conſtituerim ſanctitatem. Omnia igitur tua conſilia mihi nõ magis prudentiæ plena, quæ ſumma eſt, uidentur, q̃ fidelitatis, quam ego ex mea conſcientia metior. Quare ſi aut aliter ſentirem, certe admonitio tua me reprimere: aut ſi dubitarē, hortatio impellere poſſet, ut id ſequerer, quod tu optimũ putares. Nũc uero quid eſt, quod me in aliã partē trahere poſſit? Quæcũq́ in me bona ſũt, aut fortunę beneficio tributa

aut meo labore parta, etsi à te propter amorem carius sunt æstimata: tamen uel inimicissimi iudicio tanta sunt, ut præter bonã famã nihil desiderare uideantur. Quare hoc unum tibi persuade: quantũ uiribus eniti, consilio prouidere, authoritate mouere potuero, hoc omne reip. semper futurũ. Non est ignotus mihi sensus tuus: neq; si facultas optabilis mihi quidẽ tui præsentis esset, unq̃ à tuis consiliis discreparẽ: nec nunc cõmittam, ut ullum meum factum reprehendere iure possis. Sum in expectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe mense Ianuario geratur, ut sciam. Interim maximam hic solicitudinem curamq; sustineo, ne inter aliena uitia hæ gentes nostra malã suam putent occasionem. Quod si proinde, ut ipse mereor, mihi successerit: certe & tibi cui maxime cupio, & omnibus uiris bonis satisfaciam. Fac ualeas, meq; mutuo diligas.

CICERO PLANCO. SAL.

Binas à te accæpi literas eodem exemplo: quod ipsum argumento mihi fuit diligentiæ tuæ. Intellexi enim te laborare, ut ad me mihi expectatissimæ literæ perferrentur. Ex quibus cæpi fructum duplicem, mihiq́ue in comparatione difficilem ad iudicandum, amorémne erga me tuum, an animũ in rempublicam pluris æstimandum putarẽ. Est omnino patriæ caritas meo quidem iudicio maxima: sed amor uoluntatisq; coniunctio plus certe habet suauitatis. Itaq; cõmemoratio tua paternæ necessitudinis beneuolentiæq; eius, quam erga me à pueritia contulisses, cæterarumq; rerum, quæ ad eam sententiam pertinebant, incredibilem mihi lætitiã attulerũt. Rursus, declaratio animi tui quẽ haberes de republica: quemq; habiturus esses, mihi erat iucundissima: eoq; maior erat hæc lætitia, q̃ ad illa superiora accedebat. Itaq; te non hortor solũ mi Plance, sed plane etiam oro, quod feci his literis, quibus tu humanissime respondisti, ut tota mẽte omniq; animi impetu in rempublicam incumbas. Nihil est, quod tibi maiori fructui gloriçq; esse possit: nec quicquam ex omnibus rebus humanis est pręclarius aut præstãtius, q̃ de republica bene mereri. Adhuc enim (patitur tua summa humanitas & sapientia, me, quod sentiam, libere dicere.) Fortuna suffragante uideris res maximas consecutus: quod quanq̃ sine uirtute non potuisses, tamen ex maxima parte ea, quæ es adeptus, fortunæ temporibusq; tribuuntur. His temporibus difficillimis reipublicæ quicquid subueneris, id erit totũ & proprium tuum. Incredibile est omniũ ciuium, latronibus exceptis, odiũ in Antoniũ. Magna spes in te & in tuo exercitu, magna expectatio. Cuius per deos gratiæ gloriæq; caue tempus amittas. Sic moneo ut filium: sic faueo, ut mihi: sic hortor, ut & pro patria & amicissimum.

CICERO PLANCO.

Quæ locutus est Furnius noster de animo tuo in rempublicam, ea gratissima fuerũt Senatui, Populoq; Romano ꝓbatissima. Quę autem recitatæ literæ sunt in Senatu, nequaquam consentire cum Furnii oratione uisæ sunt. Pacis enim auctor eras, cum Collega tuus uir clarissimus à fœdissimis latronibus obsideretur. qui aut positis armis pacem petere debent: aut si pugnantes eam postulant, uictoria pax, non pactione parienda est. Sed de pace literæ uel Lepidi, uel tuæ, quam in partem

accæptæ

acceptæ sint, ex uiro optimo fratre tuo, & ex C. Furnio poteris cognoscere. Me autem impulit tui caritas, ut quanquam nec tibi ipsi consilium deesset, & fratris Furnijq; beneuolentia, fidelisq; prudētia tibi præsto esset futura: uellem tamē meæ quoq; authoritatis pro plurimis nostris necessitudinibus præceptum ad te aliquod peruenire. Crede igitur mihi Plance, omnes, quos adhuc gradus dignitatis consecutus sis (es autem adeptus amplissimos) eos honorum uocabula habituros, non dignitatis insignia, nisi te cum libertate Populi R. & cum Senatus authoritate coniunxeris. Seiunge te quæso aliquando ab ijs, cum quibus te nō tuum iudicium, sed tēporum uincla coniunxerūt. Complures in perturbatione reip. Coss. dicti, quorum nemo Consularis habitus, nisi qui animo extitit in remp. consularis. Talem igitur te esse oportet, qui primum te ab impiorum ciuium tui dissimillimorum societate seiungas: deinde & Senatui bonisq; omnibus auctorem, principem, ducem præbeas: postremo, ut pacem esse iudices, non in armis positis: sed in abiecto armorū & seruitutis metu. Hæc si & ages & senties, tum eris non modo Cos. & Consularis, sed magnus etiam Cos. & Consularis. sin aliter, tua in istis amplissimis nominibus honorū, non modo dignitas nulla erit, sed erit summa deformitas. Hæc impulsus beneuolētia scripsi paulo seuerius, quæ tu in experiendo in ea ratione, quæ te digna est, uera esse cognosces. D. XIII. Kal. Apr.

PLANCVS CICERONI.



Lura tibi de meis consilijs scriberem, rationemq; omnium rerū redderem uerbosius, quo magis iudicares omnia me reip. præstitisse, quæ & tua exhortatione excæpi, & mea affirmatione tibi recæpi (non minus enim à te probari quàm diligi semper uolui: nec te magis in culpa defensorem mihi paraui, q̄ prædicatorē meritorum meorū esse uolui) sed breuiorē me duæ res faciunt: una, quòd publicis literis omnia sum persecutus: altera, quòd M. Varisidiū Eq. R. familiarem meū ipsum ad te transire iussi, ex quo omnia cognoscere posses. Non mediusfidius mediocri dolore afficiebar, cum alij occupare possessionem laudis uiderentur: sed usq; mihi temperaui, dum perducerem eò rem, ut dignum aliquid & Consulatu meo, & uestra expectatione efficerem. Quod spero, si me fortuna non fefellerit, me consecuturum: ut maximo præsidio reipu. nos fuisse, & nunc sentiant homines, & in posterum memoria teneant. A te peto, ut dignitati meæ suffrageris, & quarum rerum spe ad laudem me uocasti, harum fructu in reliquum facias alacriorem. Non minus posse te, quàm uelle, exploratum mihi est. Fac ualeas, meq; mutuo diligas.

PLANCVS IMP. COS. DES. S. D. COSS. PRAET. TRIBB. PL. S.P. PL. Q. R.



I cui forte uideor diutius & hominum expectationē & spem reip. de mea uoluntate tenuisse suspensam, huic prius excusandum me esse arbitror, quàm de insequenti officio quicquam ulli pollicendum. Non enim præteritam culpam uideri uolo redemisse: sed optimæ mentis cogitata iampridem maturo tempore enunciare. Nō me præteribat in tanta solicitudine hominum, & tam perturbato statu ciuitatis, fru-

ctuosissimam esse professionem bonæ uolũtatis: magnosq; honores ex ea re complureis consecutos uidebam. sed cum in eum casum me fortuna demisisset, ut aut celeriter pollicendo magna in spe ad proficiendum impedimenta opponerem: aut si in eo mihi temperauissem, maiores occasiones ad opitulandum haberem: expeditius iter communis salutis, quàm meæ laudis esse uolui. Nam quis in ea fortuna, quæ mea est: & ab ea uita, quam in me cognitam hominibus arbitror: & cum ea spe, quam in manibus habeo, aut sordidum quicquam pati, aut perniciosum concupiscere potest? Sed aliquantum nobis temporis & magni laboris, & multæ impensæ opus fuerunt, ut quæ reipub. bonisq; omnibus polliceremur, exitu præstaremus: neq; ad auxilium patriæ nudi cum bona uoluntate, sed cum facultatibus accederemus. Confirmandus erat exercitus nobis, magnis sæpe præmijs solicitatus, ut ab republica potius moderata, quàm ab uno, infinita speraret. Cõfirmandæ complures ciuitates, quæ superiore anno largitionibus concessionibusq; præmiorum, erant obligatæ: ut & illa uana putarent, & eadem à melioribus auctoribus petenda existimarent. Eliciendæ etiam uoluntates reliquorum, qui finitimis prouincijs exercitibusq; præfuerunt: ut potius cum pluribus societatem defendendæ libertatis iniremus, quàm cum paucioribus funestam orbi terrarum uictoriã partiremur. Muniendi uero nosmetipsi fuimus aucto exercitu auxilijsq; multiplicatis: ut cum præferremus sensus aperte, tum etiam inuitis quibusdam, sciri quid defensuri essemus, non esset periculosum. Ita nunquam diffitebor multa me, ut ad effectum horum consiliorum peruenirem, & simulasse inuitum, & dissimulasse cum dolore: quòd præmatura denunciatio boni ciuis imparati, q̃ periculosa esset, ex casu Collegæ uidebam. Quo nomine etiam C. Furnio Legato uiro forti atq; strenuo plura etiam uerbo quàm scriptura mãdata dedimus: ut & tectius ad uos perferrentur, & nos essemus tutiores: quibusque rebus & communem salutem muniri, & nos armari conueniret, præcepimus. Ex quo intelligi potest curam reipublicæ summè defendundæ iam pridem apud nos excubare. Nunc cum Deûm benignitate ab omni re sumus paratiores, non solum bene sperare de nobis homines, sed explorate iudicare uolumus. Legiones habeo quinque sub signis, & sua fide uirtuteq; reipublicæ coniunctissimas, & nostra liberalitate nobis obsequenteis. Prouinciã omnium ciuitatum consensu paratissimam, & summa contentione ad officia certantem: equitatus auxiliorumq; tantas copias, quantas hæ gentes ad defendendam suam salutem libertatemq; conficere possunt. Ipse ita sum animo paratus, uel prouinciam tueri, uel ire quò respu. uocet, uel tradere exercitum, auxilia, prouinciãq;: ut uel omnẽ impetũ belli in me cõuertere non recusem, si modo meo casu aut cõfirmare patriæ salutẽ, aut periculum possim morari. Hæc si iã expeditis omnibus rebus, tranquilloq; statu ciuitatis polliceor, in damno meæ laudis, reipu. commodo lætabor: sin ad societatem integerrimorum & maximorum periculorum accedam, consilia mea æquis iudicibus ab obtrectatione inuidorum defendẽda commendo. Mihi quidem ipsi fructus meritorum meorum in reipublicæ incolumitate satis magnus est paratus. Eos uero, qui meam auctoritatem & multo magis uestram fidem secuti, nec ulla spe decipi, nec ullo metu terreri potuerunt, ut commẽdatos uobis habeatis, petendum uidetur.

Plancus

PLANCVS CICERONI SAL.



Nihil me tibi temere, aut te cæteris de me frustra recæpiſſe lætor. Certe hoc maius habes teſtimonium amoris mei, quo maturius tibi quàm cæteris conſilia mea uolui eſſe nota. In dies uero meritorum meorum fieri acceſſiones peruidere te ſpero, cogniturum magis recipio. Quod ad me attinet mi Cicero, ita ab imminentibus malis reſpublica me adiuuante liberetur: ſic honores præmiaq́ ueſtra ſuſpicio, conferenda certe cum immortalitate, ut ſine his nihil de meo ſtudio perſeuerãtiaq́ ſim remiſſurus. Niſi in multitudine optimorum ciuium impetus animi mei fuerit ſingularis, & opera pręcipua, nihil ad meam dignitatem accedere uolo ſuffragatione ueſtra. concupiſco autem nihil mihi: contrà quod ipſe pugno, & temporis & rei te moderatorem facile patior eſſe. Nihil aut ſero, aut exigue à patria ciui tributum poteſt uideri. Exercitum ad. VI. Kal. Mai. Rhodanum traieci magnis itineribus. Viẽna equites mille uia breuiore præmiſi. ipſe ſi à Lepido non impediar, celeritate ſatisfaciam: ſi autem itineri meo ſe oppoſuerit, ad tempus conſiliũ capiam. Copias adduco & numero & genere & fidelitate firmiſſimas. Te ut diligas me, ſi mutuo te facturum ſcis, rogo. Vale.

CICERO PLANCO.



Et ſi ſatis ex Furnio noſtro cognoram, quæ tua uoluntas, quod cõſilium de rep. eſſet: tamen tuis literis lectis, liquidius de toto ſenſu tuo iudicaui. Quamobrem quanquam in uno prælio omnis fortuna reip. diſceptat: quod quidem cum hæc legeres, iam decretum arbitrabar fore: tamen ipſa fama, quæ de tua uoluntate percrebuit, magnam es laudem conſecutus. Itaque ſi Conſulem Romæ habuiſſemus, declaratum eſſet à Senatu cum tuis magnis honoribus, quàm gratus eſſet conatus & apparatus tuus. Cuius rei nõ modo non pręterijt tempus, ſed ne maturum quidem etiam nunc meo quidem iudicio fuit. Is enim deniq́ honos mihi uideri ſolet, qui non propter ſpem futuri beneficij, ſed propter magna merita claris uiris defertur et dãtur. Quare, ſit modo aliqua reſp. in qua honos elucere poſſit: omnibus, mihi crede, ampliſſimis honoribus abundabis. Is autem, qui uere appellari poteſt honos, non inuitamentum ad tempus, ſed perpetuæ uirtutis eſt præmium. Quamobrem mi Plance incumbe toto pectore ad laudem, ſubueni patriæ, opitulare Collegę, omnium gentium conſenſum & incredibilem conſpirationem adiuua. Me tuorum cõſiliorum adiutorem, dignitatis fautorem, omnibus in rebus tibi amiciſſimũ fideliſſimũq́ cognoſces. Ad eas enim cauſas, quibus inter nos amore ſumus, officijs, uetuſtate coniuncti, patriæ caritas acceſſit: eaque effecit, ut tuam uitam anteferrem meæ. III. Kal. Apri.

PLANCVS CICERONI.



Immortaleis ago tibi gratias, agamq́ dum uiuam: nam relaturũ me affirmare non poſſum. Tantis enim tuis officijs nõ uideor mi reſpõdere poſſe: niſi forte (ut tu grauiſſime diſertiſſimeq́ ſcripſiſti) ita ſenſurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo. Si de filij tui dignitate eſſet actũ, amabilius certe nihil facere potuiſſes. Primæ tuæ ſententiæ infinitis cũ muneribus, poſteriores ad tẽpus arbitriũq́

amicorum meorum compositæ: oratio assidua & perpetua de me, iurgia cum obtrectatoribus propter me, notissima mihi sunt. non mediocris adhibenda mihi est cura, ut reipu. me ciuem dignum tuis laudibus præstem: in amicitia tua memorem atq; gratum. Quod reliquum est, tuum munus tuere: & me, si quem esse uoluisti, eum exitu rebusq; cognoscis, defende ac suscipe. Cũ Rhodanum copias traiecissem, fratremq; cum tribus milibus equitum præmisissem, ipse iter ad Mutinam dirigerem, in itinere de prælio facto, Brutoq; & Mutina obsidione liberatis, audiui. Animaduerti nullum alium receptũ Antonium, reliquiasq;, quæ cũ eo essent, habere nisi in his partibus. duasq; ei spes esse propositas: unam Lepidi, ipsius alteram exercitus. Quòd quædã pars exercitus non minus furiosa est, quàm qui cum Antonio fuerunt, equitatum reuocaui. Ipse in Allobrogibus constiti, ut proinde ad omnia paratus essem, ac res me moneret. Si nudus huc se Antonius confert, facile mi uideor per me sustinere posse, remq; pu. ex uestra sentẽtia administrare, quamuis ab exercitu Lepidi recipiatur: si uero copiarum aliquid secum adducet, & si decima legio ueterana, quæ nostra opera reuocata, cum reliquis est, ad eundem furorem redierit: tamen ne quid detrimenti fiat, dabitur opera à me: idq; me præstaturum spero, dum istinc copiæ traijciantur, coniunctęq; nobiscum facilius perditos opprimant. Hoc tibi spondeo mi Cicero, neq; animum, nec diligentiam mihi defuturam. Cupio mehercules nullam residuam solicitudinẽ esse. Sed si fuerit, nec animo, nec beneuolentiæ, nec patientiæ cuiusquam pro uobis cedam. Do quidem ego operam, ut etiam Lepidum ad huius rei societatem incitem, omniaq; ei obsequia polliceor, si modo remp. respicere uolet. Vtor in hac re adiutoribus interpretibusq;, fratre meo & Laterense, & Furnio nostro. Non me impedient priuatæ offensiones, quo minus pro reipu. salute, etiam cum inimicissimo consentiam. Quod si nihil profecero, nihilominus maximo sum animo, & maiore fortasse, cum mea gloria uobis satisfaciã. Fac ualeas, meq; mutuo diligas.

CICERO PLANCO.

ETsi reipu. causa maxime gaudere debeo, tantum ei te præsidij, tantum opis attulisse extremis penè temporibus: tamen ita te uictorem complectar repu. recuperata, ut magnam partem mihi lætitię tua dignitas afferat: quam & esse iam, & futuram amplissimam intelligo. Caue enim putes ullas unquam literas grauiores, quàm tuas, in Senatu esse recitatas. Idq; contigit, cum meritorũ tuorum in remp. eximia quadam magnitudine, tum uerborum sentẽtiarumq; grauitate. Quod mihi quidem minime nouum qui & te nossem: & tuarum literarum ad me missarum promissa meminissem, & haberem à Furnio nostro tua penitus cõsilia cognita: sed Senatui maiora uisa sunt, quàm erant expectata, non quo unquam de tua uoluntate dubitasset: sed nec quantum facere posses, nec quoad progredi uelles, exploratum satis habebat. Itaque cum ad. VII. Id. Apri. mane mihi tuas literas M. Varisidius reddidisset, easq; legissem, incredibili gaudio sum elatus. Cumq; magna multitudo optimorum uirorum & ciuium me domo deduceret, feci cõtinuo omneis participes meæ uoluptatis. Interim ad me uenit Munatius noster, ut cõsuerat, at ego ei literas tuas: nihildum enim sciebat

nam

nam ad me primum Variſidius, idq́ ſibi à te mãdatū eſſe dicebat. paulopoſt idem mihi Munatius eas literas legendas dedit, quas ipſi miſeras, & eas quas publice. Placuit nobis, ut ſtatim ad Cornutū Pr. urb. literas deferremus: qui, ꝙ Conſules aberant, Conſulare munus ſuſtinebat more maiorū. Senatus eſt continuo conuocatus, frequensq́ conuenit propter famam atq; expectatio- nem tuarum literarum. Recitatis literis oblata religio Cornuto eſt, pullario- rū admonitu, non ſatis diligẽter eum auſpicijs operam dediſſe. Idq; à noſtro collegio comprobatū eſt. Itaq; res dilata eſt in poſterum. Eo autẽ die magna mihi pro tua dignitate contentio cum Seruilio: qui cū gratia effeciſſet, ut ſua ſententia prima pronunciaretur, frequẽs eum Senatus reliquit, & in alia om- nia diſceſſit, meæq́ ſentẽtiæ, quæ ſecunda pronunciata erat, cum frequenter aſſentiretur Senatus, rogatu Seruilij P. Titius interceſſit. Res in poſterum dilata. Venit paratus Seruilius Ioui ipſi iniquus, cuius in templo res age- batur. Hunc quemadmodū fregerim, quantaq́ contentione Titium interceſ- ſorem abiecerim, ex aliorū te literis malo cognoſcere: unū hoc ex meis, Sena- tus grauior, cõſtantior, amicior tuis laudibus eſſe non potuit, ꝗ̃ tum fuit. nec uero tibi Senatus amicior, ꝗ̃ cūcta ciuitas. Mirabiliter enim Populus R. uni- uerſus, & omniū generū ordinumq́ conſenſus ad liberandam remp. conſpi- rauit. Perge igitur, ut agis, nomenq́ tuum commenda ĩmortalitati, atq; hæc omnia, quæ habent ſpeciem gloriæ, collecta inaniſſimis ſplendoris inſigni- bus, cõtemne: breuia, fugacia, & caduca exiſtima. Verum decus in uirtute po- ſitum eſt, quæ maxime illuſtratur magnis in remp. meritis. Eam facultatem habes maximam. quam quū complexus es & tenes, perfice, ut ne minus reſp. tibi, ꝗ̃ tu reip. debeas. Me tuæ dignitatis non modo fautorem, ſed etiam am- plificatorem cognoſces. id cum reipub. quæ mihi uita eſt mea carior: tum no- ſtræ neceſſitudini debere me iudico. Atque in his curis, quas contuli ad di- gnitatem tuam, cæpi magnam uoluptatem, quòd bene cognitã mihi T. Mu- natij prudentiam & fidem, magis etiam perſpexi in eius incredibili erga te beneuolentia & diligentia. III. Id. Apr. Vale.

CICERO PLANCO.

VT primū poteſtas data eſt augendæ dignitatis tuæ, nihil prætermi- ſi in te ornãdo, quod poſitū eſt aut in præmio uirtutis, aut in hono- re uerborum. Id ex ipſo S.C. poteris cognoſcere: ita enim eſt per- ſcriptum, ut à me de ſcripto dicta ſententia eſt, quam Senatus fre- quẽs ſecutus eſt ſummo ſtudio magnoq́ cõſenſu. Ego quanquam ex tuis li- teris, quas mihi miſiſti, perſpexeram te magis iudicio bonorum, quàm inſi- gnibus gloriæ delectari: tamen conſiderandum nobis exiſtimaui, etiam ſi tu nihil poſtulares, quantū tibi à republica deberetur. Tu contexes extrema cū primis. Qui enim M. Antoniū oppreſſerit, is bellū confecerit. Itaq; Home- rus non Aiacẽ nec Achillẽ. ſed Vlyſſem appellauit πτολίπορθον. Vale.

CICERO PLANCO. SAL.



Gratam famam biduo ante uictoriam, de ſubſidio tuo, de ſtudio, de celeritate, de copijs, atq; etiam hoſtibus fuſis. Spes omnis eſt in te. Fugiſſe enim ex prælio Mutinenſi dicuntur notiſſimi latronū duces. Eſt autem non minus gratum extrema delere, quàm prima

depellere. Equidem expectabā iam tuas literas, idq; cum multis. Sperabāq; etiam Lepidum reip. temporibus admonitum, tecum & reip. satis esse facturum. In illam igitur curam incumbe mi Plance, ut nequæ scintilla teterrimi belli relinquatur. Quod si erit factum, & rempublicam diuino beneficio affeceris, & ipse æternam gloriam consequere. D. III. N. Mai.

PLANCVS CICERONI.



His literis scriptis, quæ postea accidissent, scire te, ad rempu. putaui pertinere. Sedulitas mea (ut spero) & mihi & reip. tulit fructum. Nanque assiduis internunciis cum Lepido egi, ut omissa omni cōtentione, reconciliataq; uoluntate nostra, communi consilio reip. succurreret: se, liberos, urbemq;, pluris quàm unum perditum abiectumq; latronem putaret: obsequioq; meo, si ita faceret, ad omneis res abuteretur. Profeci itaq; per Laterensem internuncium: fidem mihi dedit se, Antonium si prohibere prouincia sua non potuisset, bello persecuturum. Me, ut uenirem copiasq; coniungerem, rogauit: eoq; magis quòd & Antonius ab equitatu firmus esse dicebatur: & Lepidus ne mediocrem quidem equitatū habebat. Nam etiam ex paucitate eius, non multis antè diebus, decem qui optimi fuerant, ad me transierunt. Quibus rebus ego cognitis, cūctatus non sum in cursu bonorum consiliorum: Lepidum adiuuandum putaui. Aduentus meus quid profecturus esset, uidi: uel q equitatu meo persequi, atque opprimere equitatum eius possem: uel q exercitus Lepidi eam partē, quæ corrupta est, & ab repu. alienata, & corrigere & coercere præsentia mei exercitus possem. Itaq; in Hisara flumine maximo, quod in finibus est Allobrogum, pōte uno die facto, ad. IIII. Id. Mai. exercitum traduxi. Cum uero mihi nunciatum esset L. Antonium præmissum cum equitibus & cohortibus, ad Forum Iulii uenisse: fratrem cum equitū quatuor millibus, ut occurreret ei, misi ad. V. Id. Mai. Ipse maximis itineribus cum. IIII. legionibus expeditis, & reliquo equitatu subsequar. Si nos mediocris modo fortuna reip. adiuuerit, & audaciæ perditorum, & nostræ solicitudinis hic finem reperiemus. Quòd si latro præcognito nostro aduentu, rursus in Italiam se recipere cœperit, Bruti erit officium occurrere ei: cui scio nec consilium, nec animum defuturum. Ego tamen, si id acciderit, fratrem cum equitatu mittam, qui sequatur, Italiam à uastatione defendat. Fac ualeas, meq; mutuo diligas.

CICERO PLANCO.



Nihil post hominum memoriā gloriosius, nihil gratius, ne tempore quidem ipso opportunius accidere uidi, quàm tuas Plance literas. Redditæ sunt enim frequēti Senatu Cornuto, cum is frigidas sanè & inconstanteis recitasset literas Lepidi, sub eas statim recitatæ sunt tuæ, non sine magnis quidem clamoribus. Cum rebus enim ipsis essent & studiis beneficiisq; in rempu. gratissimæ, tum erant grauissimis uerbis ac sententiis. Flagitare Senatus institit Cornutū, ut referret statim de tuis literis: ille se considerare uelle. Cum ei magnum conuicium fieret cuncto à Senatu, quinq; Tribb. Pl. retulerunt. Seruilius rogatus rem distulit. Ego eam sententiam dixi, cui sunt assensi ad unum. Ea quæ fuerit, ex. S. C. cognosces. Tu quanquam consilio non eges, uel abundas potius, tamen hoc animo esse debes,

debes,ut nihil huc reijcias: neue in rebus tam subitis, tamq; angustis, à Senatu consilium petendum putes. Ipse tibi sis Senatus. quocunque te ratio reip. ducet, sequare. Cures, ut ante factum aliquod à te egregium audiamus, q̃ futurum putarimus. Illud tibi promitto: quicquid erit à te factũ, id Senatũ non modo ut fideliter, sed etiam ut sapienter factum, comprobaturum.

PLANCVS CICERONI.


Ntonius Id. Mai. ad Forum Iulij cum primis copijs uenit: Ventidius bidui spatio abest ab eo: Lepidus ad Forum Voconij castra habet, qui locus à Foro Iulij quatuor &.XX. milia passus abest. ibiq; me expectare constituit, quemadmodum ipse mihi scripsit. Quòd si omnia mihi integra, & ipse, & fortuna seruarit, recipio uobis celeriter me negotium ex sententia confecturum. Fratrem meum assiduis laboribus, concursationibusq; confectum grauiter se habuisse antea tibi scripsi. sed tamen cum primum posse ingredi cœpit, non magis sibi, quàm reipub. se conualuisse existimans, ad omnia pericula princeps esse non recusabat. Sed ego eum non solum hortatus sum, uerum etiam coegi istò proficisci: quòd & illa ualetudine magis conficere se, quàm me iuuare posset in castris, & q̃ acerbissimo interitu consulum rempub. nudatam, tali ciue Prætore in urbanis officijs indigere existimabam. Quod siqui uestrum non probabit, mihi prudentiam in consilio defuisse sciat, non illi erga patriam fidelitatem. Lepidus tamen, quod ego desiderabam, fecit, ut Apellam ad me mitteret: quo obside fidei illius & societatis in repub. administranda uterer. Studium mihi suum L. Gellius, de tribus fratribus Segauiano probauit, quo ego interprete nouissime ad Lepidum sum usus. amicum eum reipub. cognosse uideor, libenterq; ei sum testimonio, & omnibus ero, qui bene merẽtur. Fac ualeas, meq; mutuo diligas, dignitatemq; meam, si mereor, tuearis, sicut adhuc singulari cum beneuolentia fecisti.

PLANCVS CICERONI.


Vid in animo habuerim cum Læuus Neruaq; discesserunt à me, & ex literis, quas ei dedi, & ex ipsis cognoscere potuisti, qui omnibus rebus consilijsq; meis interfuerũt. Accidit mihi, quod homini pudẽti, & cupido satisfaciendi reipub. bonisq; omnibus accidere solet: ut cõsilium sequerer periculosum magis, dum me probarem, q̃ tutũ, quod habere posset obtrectationem. Itaq; post discessum Legatorum cum binis continuis literis & Lepidus me, ut uenirem rogaret, & Laterensis multo etiam magis, prope implorans obtestaretur, nõ ullam rem aliam extimescens, quàm eandem quæ mihi quoq; facit timorem, uarietatem atque infidelitatem exercitus eius, non dubitãdum putaui, quin succurrerem, meq; cõmuni periculo offerrem. Sciebam enim, & cautius illud erat consilium, expectare me ad Hisaram, dum Brutus traijceret exercitum, & cum Collega consentiente sicut milites faciunt, hostibus obuiam ire. Tamen si quid Lepidus bene sentiens, detrimẽti cæpisset, hoc omne assignatum iri aut pertinaciæ meæ, aut timori uidebam, si aut hominem offensum mihi, coniunctum cum rep. nõ subleuassem: aut ipse à certamine belli tã necessarij me remouissem. Itaq; potius periclitari uolui, si posset mea præsentia & Lepidũ tueri & exercitũ fa-

cere meliorem,q̃ nimis cautus uideri. Solicitiorem certe hominem non fuis contractis,neminem puto fuisse.Nam quæ res nullam habebat dubitationẽ, si exercitus Lepidi absit,ea nunc magnam affert solicitudinem, magnumq́ habet casum.Mihi enim si cõtigisset,ut prior occurrerem Antonio, non mehercules horam constitisset. tantũ ego & mihi confido:& sic perculsas illius copias,Ventidiiq́ Mulionis castra despicio.Sed nõ possum non exhorrescere,si quid intra cutem subest uulneris:quod prius nocere potest, quàm sciri curariq́ possit.Sed certe nisi uno loco me tenerem, magnum periculum ipse Lepidus,magnum ea pars exercitus adiret,quę bene de rep.sentit. Magnam etiã perditi hostes accessionẽ sibi fecissent,si quas copias a Lepido abstraxissent. Quæ si aduentus meus repressérit,agam gratias fortunæ constantiæq́ meæ,quæ ad hanc experientiam excitauit.Itaque ad. XII.K.Iun. ab Hisara castra moui:pontem tamẽ, quẽ in Hisara feceram,castellis duobus ad capita positis reliqui : præsidiaq́ ibi firma posui,ut uenienti Bruto exercituiq́ eius sine mora transitus esset paratus.Ipse ut spero,diebus. VIII,quibus has literas dabam,cum Lepidi copijs me coniungam.

CICERO PLANCO.


VAnq̃ gratiarũ actionẽ à te nõ desiderabã,cum te re ipsa atq́ animo scire esse gratissimũ,tamen(fatendũ est enim)fuit ea mihi periucunda. Sic enim uidi,quasi ea quę oculis cernũtur,me à te amari. Dices,quid antea? Semper equidẽ,sed nunq̃ illustrius. Literæ tuæ mirabiliter gratæ sunt Senatui cũ rebus ipsis quæ erant grauissimæ,& maxime fortissimi animi,summiq́ cõsilij:tũ etiã grauitate sententiarũ,atq́ uerborũ.Sed mi Plãce incũbe,ut belli extrema perficias.in hoc erit summa & gratia et gloria.Cupio omnia reip.causa:sed mehercules in ea cõseruãda iã defatigatus,nõ multo plus patriæ faueo,q̃ tuæ gloriæ:cuius maximã facultatẽ tibi Dij ĩmortales,ut spero,dedere,quam complectere obsecro. Qui enim Antoniũ oppresserit,is hoc bellũ teterrimũ periculosissimũq́ cõfecerit. Vale.

CICERO PLANCO.


ITa erant omnia, quæ istinc afferebantur,incerta,ut quid ad te scriberem,non occurreret. modo enim, quæ uellemus, de Lepido: modo contrà, nunciabantur. de te tamen fama constans, nec decipi posse,nec uinci:quorum alterius fortuna partem habet quandam,alterum proprium est prudentiæ tuæ. Sed accepi literas à Collega tuo datas Idib.Mai,in quibus erat te adscripsisse, à Lepido nõ recipi Antoniũ. Quod erit certius,si tu ad nos idem scripseris, sed minus audes fortasse propter inanem lætitiam literarum superiorum.Verũ ut errarem,id Plance uoluisti(quis enim id effugerit?)sic decipi te non potuisse,quis nõ uidet? Nũc uerò etiam iam erroris causa sublata est.Culpa enim illa,bis ad eundem, uulgari reprehensa prouerbio est.Sin,ut scripsisti ad Collegam,ità se res habet, omni cura liberati sumus : nec tamen erimus prius,quàm ita esse,tu nos feceris certiores. Mea quidem,ut ad te sæpius scripsi,hæc sententia est,Qui reliquias huius belli oppresserit,eum totius belli confectorem fore : quem te & opto esse,& confido futurum.Studia mea erga te,quibus certe nulla esse maiora potuerunt, tibi tam grata esse,q̃ ego putaui fore,minime miror, uehementerq́

hementerq́ lætor. Quæ quidem tu, si recte istic erit, maiora & grauiora cognosces. IIII. K. Iun.

PLANCVS CICERONI.


Vderet me inconstantiæ mearum literarum, si non hæc ex aliena leuitate penderent. Omnia feci, quare Lepido coniuncto ad rempub. defendundam minore solicitudine uestra perditis resisterem. Omnia ei & petenti recæpi, & ultro pollicitus sum: scripsiq́ tibi biduo ante: confidere me bono Lepido esse usurum, communiq́ consilio bellum administraturum. Credidi chirographis eius, affirmationi præsentis Laterensis, qui tum apud me erat, reconciliaremq́ me Lepido, fidemq́ haberem, orabat. Non licuit diutius bene de eo sperare. Illud certè caui, & cauebo, ne mea credulitate reipu. summa fallatur, Cum Hisaram flumen uno die, ponte effecto, exercitum traduxissem, pro magnitudine rei celeritatem adhibens, quòd petierat per literas ipse, ut maturarem uenire: præsto mihi fuit stator eius cum literis, quibus ne uenirem, denunciabat: se posse per se conficere negotium: interea ad Hisaram expectarem. Indicabo temerarium meum cōsilium tibi, nihilominus ire decreram, existimans eum socium gloriæ uitare. Putabam posse me nec de laude ieiuni hominis delibare quicquam, & subesse tamen propinquis locis, ut si durius aliquid esset, succurrere celeriter possem. Ego non malus homo hoc suspicabar. At Laterensis uir sanctissimus suo chirographo mittit mihi literas, meisq́ desperans de se, de exercitu, de Lepidi fide, querensq́ se destitutum. In quibus aperte denunciat, uideam ne fallar: suam fidem solutam esse, reipub. ne desim. exemplar eius chirographi Titio misi. Ipsa chirographa omnia, & quibus credidi, & ea quibus fidem non habendā putaui, Læuocispio dabo perferenda, qui omnibus his interfuit rebus. Accessit eò, ut milites eius, cum Lepidus cōcionaretur, improbi per se, corrupti etiam per eos, qui præsunt Canidios, Rufrenosq́, & cæteros, quos, cum opus erit, scietis, conclamarint uiri boni pacem se uelle, neque esse cum ullis pugnaturos, duobus iam Consulibus singularibus occisis, tot ciuibus pro patria amissis, hostibus denique omnibus iudicatis, bonisque publicatis: neque hoc aut uindicarat Lepidus, aut sanarat. Huc me uenire, & duobus exercitibus coniunctis obiicere exercitum fidelissimum, auxilia maxima, principes Galliæ, prouinciam cunctam, summæ demētiæ & temeritatis esse uidi: mihiq́, si ita oppressus essem, remq́ publicam mecum prodidissem, mortuo nō modo honorem, sed misericordiam quoq́ defuturum. Itaq́ rediturus sum, nec tanta munera perditis hominibus dari posse sinam: ut exercitum locis habeam opportunis, prouinciam tuear: etiam si ille exercitus descierit, omniaq́ integra seruem, dabo operam, quoad exercitus huc summitatis, pariq́ felicitate rempu. hic uindicetis. Nec depugnare, si occasio tulerit: nec obsideri, si necesse fuerit: nec mori, si casus inciderit pro uobis, paratior fuit quisq̄. Quare hortor te mi Cicero, exercitum huc traijciēdum q̄primum cures, & matures prius, q̄ hostes magis corroborentur, & nostri perturbentur. In quo si celeritas erit adhibita, respub. in possessione uictoriæ deletis sceleratis permanebit. Fac ualeas, meq́ diligas. Fratrem meum tibi, fortissimum ciuem, et ad omnia paratissimum excusem literis, qui ex

labore in febriculam incidit assiduam & satis molestam. Cum primum poterit istuc recurrere, non dubitabit, ne quo loco reipu. desit. Meam dignitatem cõmendatam habeas, rogo. Concupiscere me nihil oportet: habeo te & amãtissimum mei, & quod optaui, summæ auctoritatis. Tu uideris, quantum, & quãdo tuum munus apud me uelis esse. Tantum te rogo, in Hirtij locum me subdas, & ad tuum amorem, & ad meam obseruantiam.

CICERO PLANCO.

IN te & in Collega omnis spes est, Dijs approbantibus. Cõcordia uestra, quæ Senatui declarata literis uestris est, mirifice & Senatus et cũcta ciuitas delectata est. Quod ad me scripseras de re agraria, si consultus Senatus esset, ut quisq; honorificentissimam de te sententiam dixisset, eam secutus essem, qui certe ego fuissem. sed propter tarditatem sententiarum moramq; rerum, cum ea quæ consulebantur, ad exitũ non peruenirent, cõmodissimum mihi, Plãcoq; fratri uisum est, uti eo, quod ne nostro arbitratu componeretur, quis fuerit impedimento, arbitror te ex Planci literis cognouisse. Sed siue in. S.C. siue in cæteris rebus desideras aliquid: sic tibi persuade, tantũ esse apud omneis bonos tui caritatẽ, ut nullũ genus amplissimæ dignitatis excogitari possit, quod tibi nõ paratũ sit. Literas tuas uehementer expecto, & quidem taleis, qualeis maxime opto. Vale.

PLANCVS CICERONI.

NVnquam mehercules mi Cicero me pœnitebit maxima pericula pro patria subire, dum si quid acciderit mihi, à reprehẽsione temeritatis absim. Confiterer imprudentia me lapsum, si unquam Lepido ex animo credidissem. Credulitas enim error est magis, quàm culpa: et quidem in optimi cuiusque mentem facillime irrepit. Sed ego non hoc uitio pene sum deceptus. Lepidum enim pulchre noram. Quid ergo est? Pudor me, qui in bello maxime est periculosus, hũc casum coegit subire. Nam si uno loco essem, uerebar, ne cui obtrectatorum uiderer & nimium pertinaciter Lepido offensus, & mea patientia etiam alere bellum. Itaque copias prope in conspectum Lepidi Antonijq; adduxi, quadragintaq; milliũ passuum spatio relicto consedi: eo consilio, ut uel celeriter accedere, uel salutariter recipere me possem. Adiunxi hæc in loco eligendo, flumen oppositum ut haberem, in quo mora trãsitus esset: Vocontij sub manu ut essent, per quorum loca fideliter mihi pateret iter. Lepidus desperato aduentu meo, quem non mediocriter captabat, se cum Antonio coniunxit ad. IIII. K. Iun. eodemq; die ad me castra mouerunt. uiginti millia passuum cum abessent, res mihi nunciata est. Dedi operam Deûm benignitate, ut & celeriter me reciperẽ, & hic discessus nihil fugæ simile haberet, non miles ullus, non eques, non quicquam impedimentorum amitteretur, aut ab illis feruentibus latronibus interciperetur. Itaq; prid. Non. Iun. omnes copias Hisaram traieci, pontesq; quos feceram, interrupi, ut spatium ad colligendum se homines haberent: & ego me interea cum Collega coniungerem, quem triduo, cum has dabam literas, expectabã. Laterensis nostri & fidem & animum in rempublicã singularẽ semper fatebor. Sed certe nimia eius indulgẽtia in Lepidũ, ad hęc pericula perspicienda fecit eũ minus sagacẽ. Qui quidẽ cum in fraudem se deductum

uideret

uideret, manus quas iustius in Lepidi perniciem armasset, sibi afferre conatus est. In quo casu tamen interpellatus & adhuc uiuit, & dicitur uicturus. Sed tamen de hoc parum mihi certũ est. magno cum dolore parricidarum elapsus sum his: ueniebant enim eodem furore in me, quo in patriam incitati. Iracundias autem harum rerum recenteis habebant: quòd Lepidum castigare non destiteram, ut extingueret bellum: quòd colloquia facta improbabam: quòd Legatos fide Lepidi missos ad me in conspectum uenire uetaueram: quòd C. Catium Vestinum Trib. mil. missum ab Antonio ad me cum literis, excæperam. In quo hanc capio uoluptatem, quòd certe quo magis me petiuerunt, tanto maiorem his frustratio dolorem attulit. Tu mi Cicero, quod adhuc fecisti, idem præsta: ut uigilanter neruoseq; nos, qui stamus in acie, subornes. Veniat Cæsar cũ copiis, quas habet firmissimas: aut si ipsum aliqua res impedit, exercitus mittatur, cuius ipsius magnũ agitur periculum. Quicquid aliquando futurũ fuit in castris perditorũ contra patriam, hoc omne iam conuenit. Pro urbis uero salute cur nõ omnibus facultatibus, quas habemus, utamur? Quòd si uos istic non defueritis, profecto quod ad me attinet, omnibus rebus abunde reip. satisfaciam. Te quidem mi Cicero in dies mehercules habeo cariorem: solicitudinesq; meas cotidie magis tua merita exacuunt, ne quid aut ex amore aut ex iudicio tuo perdam. Opto ut mihi liceat iam præsenti pietate meorum officiorum tua beneficia tibi facere iucundiora. VIII. Id. Iun. Cuiarone ex finibus Allobrogum.

PLANCVS IMP. COS. DESIG. S. D. CICERONI.



FAcere non possum, quin in singulas res, meritaq; tua tibi gratias agã. Sed me hercule facio cum pudore. Neq; enim tanta necessitudo, quantam tu mihi tecum esse uoluisti, desiderare uidetur gratiarum actionem. Neq; ego lubẽter pro maximis tuis beneficiis tam uili munere defungor orationis: & malo præsens obseruantia, indulgentia, assiduitate memorem me tibi probare. Quòd si mihi uita contigerit, omneis gratas amicitias, atque etiam pias propinquitates, in tua obseruantia, indulgentia, assiduitate uincam. Amor enim tuus ac iudicium de me, utrum mihi plus dignitatis in perpetuum an uoluptatis cotidie sit allaturus, non facile dixerim. De militum commodis fuit tibi curæ: quos ego non potentiæ meæ causa (nihil enim me non salutariter cogitare scio) ornari uolui à Senatu: sed primum quòd ita meritos iudicabã: deinde quod ad omneis casus cõiunctiores reipub. esse uolebam: nouissime: ut ab omni omniũ solicitatione auersos eos, taleis uobis præstare possem, quales adhuc fuerunt. Nos adhuc hic omnia integra sustinuimus. Quod consilium nostrum, etsi quanta sit auiditas hominum, (non sine causa) talis uictoriæ, scio: tamen uobis probari spero. Non enim si quid in his exercitibus sit offensum, magna subsidia respub. habet expedita, quibus subito impetu ac latrocinio parricidarum resistat. Copias uero nostras notas tibi esse arbitror. In castris meis legiones sunt ueteranæ tres: tyronum uel lucul ẽtissima ex omnibus una. in castris Bruti una ueterana legio: altera bima: octo tyronum. Ita uniuersus exercitus numero amplissimus est, firmitate exiguus. Quantũ autẽ in acie tyroni sit cõmittendũ, nimium sæpe expertum habemus. Ad hoc robur nostrorum exercituum, siue

Africanus exercitus, qui est ueteranus, siue Cæsaris accessisset, æquo animo summam rempu. in discrimen deduceremus. Aliquanto autem propius esse, quod ad Cæsarem attinet, uidebamus. Nihil destiti eum literis hortari, necp ille intermisit affirmare se sine mora uenire, cum interim auersum illum ab hac cogitatione ad alia consilia uideo se contulisse. Ego tamen ad eum Furnium nostrum cum mandatis literisq; misi, si quid forte proficere posset. Scis tu mi Cicero, quod ad Cæsaris amorem attinet, societatem mihi esse tecum, uel quòd in familiaritate Cæsaris uiuo illo, iam tueri eum, & diligere fuit mihi necesse: uel quòd ipse, quoad ego nosse potui, moderatissimi atq; humanissimi fuit sensus: uel quòd ex tam insigni amicitia mea atque Cæsaris, hunc filij loco & illius & uestro iudicio substitutum non proinde habere, turpe mihi uidetur. Sed quicquid tibi scribo, dolenter mehercule magis quàm inimice facio. Quòd uiuit Antonius hodie, cp Lepidus unà est, cp exercitus habent non contemnendos, cp sperant, quòd audent, id omne Cæsari acceptum referre possunt. Neque ego superiora repetam. sed ex eo tempore, quo ipse mihi professus est se uenire, si uenire uoluisset, aut oppressum iam bellum esset, aut in auersissimam illi Hispaniam cum detrimento eorum maximo detrusum. Quæ mens eum, aut quorum consilia à tanta gloria, sibi uero etiam necessaria ac salutari auocarit, & ad cogitationem Consulatus bimestris summo cum terrore hominum, & insulsa cum efflagitatione transtulerit, exputare non possum. Multum in hac re mihi uidentur necessarij eius & reipub. & ipsius causa proficere posse. plurimum, ut puto, tu quoque: cuius ille tanta merita habet, quanta nemo præter me, Nunquam enim obliuiscar maxima ac plurima me tibi debere. De his rebus ut exigeret cũ eo, Furnio mandaui. Quod si quãtum debeo, habuero apud eum authoritatem, plurimum ipsum iuuero. Nos interea duriore condicione bellum sustinemus, quòd neque expeditissimam dimicationem putamus: neque tamen refugiendo commissuri sumus, ut maius detrimentum resp. accipere possit. Quod si aut Cæsar se respexerit, aut Africanæ legiones celeriter uenerint, securos uos ab hac parte reddemus. Tu, ut instituisti, me diligas rogo, proprieq; tuũ esse tibi persuadeas. V.K.Sext. ex castris.

CICERO S.D. FVRNIO.



SI interest, id quod homines arbitrantur, reipublicæ te, ut instituisti atque fecisti, nauare operam, rebusq; maximis, quæ ad extinguendas reliquias belli pertinent, interesse: nihil uideris melius neque laudabilius, neque honestius facere posse. Istamq; operam tuam, nauitatem, animum in rempu. celeritati Preturæ anteponendam censeo. Nolo enim te ignorare, quantam laudem consecutus sis. mihi crede, proximam Planco, idq; ipsius Planci testimonio, præterea fama scientiaq; omnium. Quamobrem si quid etiam operis tibi nunc restat, id maximo opere censeo persequendum. Quid enim honestius? aut quid honesto anteponendum? Sin autem satisfactum reipub. putas, celeriter ad comitia, quum mature futura sunt, ueniendum censeo. dummodo ne quid hæc ambitiosa festinatio aliquid imminuat eius gloriæ, quam consecuti sumus. Multi clarissimi uiri cum reipub. darent operam, annum petitionis suæ non obierunt.

Quod

Quod eo facilius nobis est, quòd non est annus hic tibi destinatus: ut si Aedilis fuisses, post biennium tuus annus esset. Nunc nihil prætermitte re uidebere usitati & quasi legitimi temporis ad petendum. Video autem Planco Consule, & si etiam sine eo rationes expeditas haberes, tamen splendidiorem petitionem tuam, si modo ista ex sententia confecta essent. Omnino plura me scribere, cum tuum tantum consilium iudiciumque sit, arbitrabar non ita necesse: sed tamen sententiam meam tibi ignotam esse nolebam. Cuius hæc est summa, ut omnia te metiri dignitate malim, quàm ambitione: maioremque fructum ponere in perpetuitate laudis, quàm in celeritate Præturæ. Hæc eadem locutus sum domi meę adhibito Q. fratre meo. & Cecina & Caluisio studiosissimis tui, cum Dardanus libertus tuus interesset: omnibus probari uidebatur oratio mea: sed tu optime iudicabis.

M. CICERO. S. D. C. FVRNIO.



Lectis tuis literis, quibus declarabas aut omittendos Narbonēses, aut cum periculo dimicandum, illud magis timui, quod uitatum non moleste fero. Quod de Planci & Bruti concordia scribis, in eo uel maximam spem pono uictoriæ. De Gallorum studio, nos aliquando cognoscemus, ut scribis, cuius id opera maxime excitatum sit. Sed iam (mihi crede) cognouimus. Itaque iucundissimis tuis literis stomachatus sum in extremo. Scribis enim, si in Sextilem comitia, cito te: sin iam confecta, citius, ne diutius cum periculo fatuus sis. O mi Furni, quàm tu tuam causam non nosti, qui alienas tam facile discas? Tu nunc candidatum te putas, & id cogitas. ut aut ad comitia curras, aut si iam confecta, domi tuæ sis, ne cum maximo periculo, ut scribis, stultissimus sis? Non arbitror te ita sentire. omneis enim tuos ad laudem impetus noui. Quod si, ut scribis, ita sentis, non magis te, quàm de te iudicium reprehendo meum. Te adipiscendi magistratus leuissimi & diuulgatissimi, si ita adipiscare, ut pleriq;, pręproperа festinatio abducet à tantis laudibus, quibus te omnes in cœlum iure et uere ferunt? Scilicet id agitur, utrum hac petitione, an proxima Pr. fias, non ut ita de repu. mereare, omni honore ut dignissimus iudicere? Vtrum nescis quàm alte ascenderis? an pro nihilo id putas? Si nescis, tibi ignosco: nos in culpa sumus. Sin intelligis: ulla tibi est Prætura, uel officio, quod pauci: uel gloria, quam omnes sequuntur, dulcior? Hac de re & ego & Caluisius homo magni iudicij, tuique amantissimus, te accusamus cotidie. Comitia tamen, quum ex his pendes, quātum facere possumus, quod multis de causis reipub. arbitramur cōducere, in Ianuarium mensem protrudimus. Vince igitur & uale.

CICERO LEPIDO. SAL.



Quod mihi pro summa erga te beneuolentia magnæ curæ est, ut quàm amplissima dignitate sis, moleste tuli, te Senatui gratias non egisse, cum esses ab eo ordine ornatus summis honoribus. Pacis inter ciues conciliandæ te cupidum esse lætor. eam si à seruitute seiungis, consules & reipu. & dignitati tuæ: Sin ista pax perditum hominem in possessionem impotētissimi dominatus restitutura est, hoc animo scito omnes sanos, ut mortem seruituti anteponant. Itaque sapientius meo quidē iudicio facies, si te in istā pacificationē non interpones, quę neq; Sena-

tui, neq; Populo, neq; cuiquã bono probatur. Sed hæc audies ex alijs aut certior fies literis. Tu pro tua prudentia, quid optimũ factu sit, uidebis.

CICERO TREBONIO. SAL.


Vàm uellem ad illas pulcherrimas epulas me Id. Mart. inuitasses: reliquiarũ nihil haberemus. At nunc cum his tantum negotij est, ut uestrũ illud diuinum in rempublicam beneficium nonnullã habeat querelam. Quòd uero à te uiro optimo seductus est, tuoq; beneficio adhuc uiuit hæc pestis, interdum, quod mihi uix fas est, tibi subirascor. Mihi enim negotij plus reliquisti uni, q̃ præter me omnibus. Vt enim primum post Antonij fœdissimum discessum Senatus haberi libere potuit, ad illum animum meum reuerti pristinum, quem tu cum ciui acerrimo patre tuo in ore & amore semper habuisti. Nam cum Senatum ad. XIII. K. Ian. Tribb. pl. uocauissent, deq; alia re referrent, totam rempub. sum complexus, egiq; acerrime, Senatumq; iam languentem & defessum ad pristinam uirtutem consuetudinemq; reuocaui, magis animi quàm ingenij uiribus. Hic dies meaq; contentio atque actio spem primum populo R. attulit libertatis recuperandæ. Nec uero ipse postea tempus ullum intermisi de repub. non cogitãdi solum, sed etiam agendi. Quòd nisi res urbanas actaq; omnia ad te perferri arbitrarer, ipse perscriberem: quãquam eram maximis occupationibus impeditus. Sed illa cognosces ex alijs: à me pauca, & ea sũmatim. Habemus fortem Senatum: Consulares partim timidos, partim male sentiẽtes: Magnum damnum factum est in Seruio: L. Cæsar optime sentit: sed quòd auunculus est, nõ acerrimas dicit sententias: Consules egregij, præclarus D. Brutus: egregius puer Cæsar, de quo spero equidẽ reliqua. hoc uero certũ habeto, nisi ille ueteranos celeriter cõscripsisset, legionesq; duæ de exercitu Antonij ad eius se auctoritatẽ contulissent, atq; is oppositus esset terror Antonio, nihil Antoniũ sceleris, nihil crudelitatis præteriturũ fuisse. Hæc tibi, etsi audita esse arbitrabar, uolui tamen notiora esse. Plura scribam, si plus otij habuero.

CICERO APPIO. SAL.


E meo studio erga salutem & incolumitatem tuã, credo te cognosse ex literis tuorũ, quibus me cumulatissime satisfecisse certo scio, nec his concedo, quanquam sunt singulari in te beneuolentia, ut te saluum malint, quàm ego. Illi mihi necesse est concedant, ut tibi plus, quàm ipsi hoc tempore prodesse possim: quod quidem nec destiti facere, nec desistam: & iam in maxima re feci, & fundamenta ieci salutis tuæ. Tu fac bono animo magnóque sis, meq; tibi nulla re defuturum esse confidas. Pr. Non. Quint.

GALBA CICERONI. SAL.


Ecimoseptimo. K. Mai, quo die Pansa in castris Hirtij erat futurus, cum quo ego eram (nam ei obuiam processeram millia passus centũ, quo maturius ueniret) Antonius legiones eduxit duas, secundam & quintamtrigesimã, & cohortes prætorias duas, unã suam, alteram Silani, euocatorum partem. Ita obuiam uenit nobis, quòd nos quatuor legiones tironum habere solum arbitrabatur. Sed noctu, quo tutius uenire in castra possemus, legionem Martiam, cui ego præesse solebam, & duas

duas cohorteis prætorias miserat Hirtius nobis. Cum equites Antonij apparuissent. contineri necque legio Martia, neque cohortes prætoriæ potuerunt: quas sequi cœpimus coacti, quum eas retinere non poteramus. Antonius ad Forum Gallorum suas copias continebat, neque sciri uolebat, se legiones habere: tantum equitatum & leuem armaturam ostendebat. Posteaquam uidit se inuito legionē ire Pansa, sequi se duas legiones iussit tironū. posteaquàm angustias paludis & siluarum transijmus, acies est instructa à nobis. XII. cohortium. Nondum uenerant legiones. II. repente Antonius in aciem suas copias de uico produxit, & sine mora concurrit. Primo ita pugnatū est, ut acrius nō posset ex utraque parte pugnari. & si deterius cornu, in quo ego eram cum Martiæ legionis cohortibus octo, impetu primo fugauerat legionem. XXXV. Antonij, ut amplius passus * ultra aciem quo loco steterat, processerit. Itacque cum equites nostrum cornu circuire uellent, recipere me cœpi, & leuem armaturam opponere Maurorum equitibus, ne auersos nostros aggrederentur. Interim uideo me esse inter Antonianos, Antoniumque post me esse aliquanto: repente equum immisi ad eam legionem Tironum, quę ueniebat ex castris, scuto reiecto. Antoniani me insequi: nostri pila conijcere uelle. Ita nescio quo fato sum seruatus, quòd sum cito à nostris cognitus. In ipsa Aemilia, ubi cohors Cæsaris prætoria erat, diu pugnatum est. Cornu sinisterius, quod erat infirmius, ubi Martiæ legionis duæ cohortes erant, & cohors prætoria pedem referre cœperunt, quòd ab equitatu circuibantur, quo uel plurimum ualet Antonius. Cum omnes se recępissent nostri ordines, recipere me nouissimus cœpi ad castra. Antonius tanquam uictor, castra putauit se posse capere. Quo cum uenit, complureis ibi amisit, nec egit quidquam. Audita re Hirtius cum cohortibus. XX. ueteranis redeunti Antonio in sua castra occurrit, copiasque eius omnes deleuit, fugauit eodemque loco ubi erat pugnatum ad Forum Gallorum. Antonius cum equitibus hora noctis quarta, se in castra sua ad Mutinam recępit. Hirtius in ea castra redijt, unde Pansa exierat, ubi duas legiones reliquerat, quæ ab Antonio erant oppugnatæ. Sic partem maiorem suarum copiarum Antonius amisit ueteranarum. Nec id tamen sine aliqua iactura cohortium prætorianarum nostrarum, & legionis Martiæ fieri potuit. Aquilę duæ, signa. LX. sunt relata Antonii. Res bene gesta est. Ad. XII. K. Mai ex castris.

C. ASINIVS POLLIO CICERONI. S. D.


Minime mirum tibi debet uideri nihil me scripsisse de repub. posteaquàm itum est ad arma. Nam saltus Castulonensis, qui semper tenuit nostros tabellarios, etsi nunc frequentioribus latrocinijs infestior factus est: tamen nequaquam tanta in mora est, quanta qui locis omnibus dispositi ab utracque parte scrutātur tabellarios, & retinēt. Itacque nisi naue perlatæ literę essent, omnino nescirē, quid istic fieret. Nunc uero nactus occasionem, posteaquàm nauigari cœptum est, cupidissime, et quàm creberrime potero, scribam ad te. Ne moueare eius sermonibus, quem tametsi nemo est qui uidere uelit, tamen nequaquam proinde, ac dignus est, oderunt homines: periculum non est. Adeo est enim inuisus mihi, ut nihil non acerbum putem, quod cōmune cum illo sit. Natura autem mea et studia trahunt me ad

pacis & libertatis cupiditatem. Itaque illud initium ciuilis belli sæpe defleui. Cum uerò non liceret mihi nullius partis esse, quia utrobiq; magnos inimicos habebam, ea castra fugi, in quibus planè tutum me ab insidijs inimici sciebam nõ futurum: compulsus eò, quò minime uolebam, ne in extremis essem, planè pericula non dubitanter adij. Cæsarem uero quòd me in tanta fortuna, modo cognitum uetustissimorum familiarium loco habuit, dilexi summa cũ pietate & fide. Quæ mea sententia gerere mihi licuit, ita feci ut optimus quisque maxime probarit. Quod iussus sum eo tempore, atque ita feci, ut appareret inuito imperatum esse. Cuius facti iniustissima inuidia erudire me potuit, quàm iucunda libertas, & quàm misera sub dominatione uita esset. Ita si id agitur, ut rursus in potestate omnia unius sint, quicunq; is est, ei me profiteor inimicum. Nec periculum est ullum, quod pro libertate aut refugiam, aut deprecer. Sed Consules neq;. S.C. neq; literis suis præceperant mihi, quid facerem. Vnas enim post Id. Mart. demum à Pansa literas accępi, in quibus hortatur me, ut Senatui scribam, me & exercitũ in potestate eius futurum. quod cum Lepidus concionaretur, atque omnibus scriberet, se consentire cum Antonio, maxime cõtrarium fuit. Nam quibus cõmeatibus inuito illo per illius prouinciam legiones ducerem? aut si cętera transissem, num etiam Alpeis poteram transuolare, quæ præsidio illius tenentur? Adde huc, quod perferri literæ nulla condicione potuerunt. Sexcentis enim locis excutiuntur, deinde etiam retinentur à Lepido tabellarij. Illud me Cordubæ pro concione dixisse ne uocabit in dubium, prouinciam me nulli, nisi qui à Senatu missus uenisset, traditurum. Nam de legione trigesima tradenda quantas cõciones habuerim, quid ego scribam? Qua tradita, quanto pro repu. infirmior futurus fuerim, quis ignorat? Hac enim legione noli acrius aut pugnacius quidq̃ putare esse. Quare eum me existima esse, qui primũ pacis cupidissimus sim. omneis enim ciues plane studeo esse saluos: deinde qui & me & remp. uindicare in libertatem paratus sim. Quòd familiarem meum tuorum numero habes, opinione tua mihi gratius est. inuideo illi tamẽ quòd ambulat & iocatur tecum. Quæ res quanti estimem, si unquam licuerit uiuere in otio, experieris. Nullũ enim uestigium abs te discessurus sum. Illud uehementer admiror, non scripsisse te mihi, manendo in prouincia, an ducendo exercitum in Italiam reip. magis satisfacere possim. Ego quidem etsi mihi tutius ac minus laboriosum est manere, tamen quia uideo tali tempore multo magis legionibus opus esse q̃ prouincijs, quæ presertim recuperari nullo negotio possunt, constitui, ut nũc est, cum exercitu proficisci. Deinde ex literis, quas Pansæ misi, cognosces omnia: nam tibi earum exemplar misi. XVII. K. Apr. Cordubæ.

C. ASINIVS POLLIO CICERONI.



Albus Quæstor, magna numerata pecunia, magno pondere auri, maiore argenti coacto de publicis exactionibus, ne stipendio quidem militibus reddito, duxit se à Gadibus, & triduum tempestate retentus ad Calpen. K. Iun. traiecit sese in regnum Bogudis, planè bene peculiatus. His rumoribus utrum Gadeis referatur an Romam (ad singulos enim nuncios turpissime consilia mutat) nondum scio. sed præter furta & rapinas, & uirgis cæsos socios, hæc quoque fecit, ut ipse gloriari solet,

solet,eadem quæ C.Cæsar,ludis,quos Gadibus fecit.Herennium Gallũ Histrionem summo ludorum die anulo aureo donatum in.XIIII.sessum deduxit.tot enim fecerat ordines equestris loci. Quatuoruiratũ sibi prorogauit: comitia biennij biduo habuit,hoc est renunciauit,quos ei uisum est,exules reduxit,non horum temporum,sed illorum,quibus à seditiosis Senatus trucidatus aut expulsus est,Sex.Varo Procos. Illa uero iam ne Cæsaris quidem exemplo,quòd ludis prætextam de suo itinere ad L.Lentulum Procos. sollicitãdum posuit.Et quidem cum ageretur, fleuit memoria rerum gestarum cõmotus.Gladiatoribus autem Fadium quendam militem Pompeianum,quia cũ depressus in ludum bis gratis depugnasset,auctore sese nolebat,& ad populum confugerat: primum Gallos equites immisit in populum (coniecti enim lapides sunt in eum,cum arriperetur Fadius) deinde abstractum defodit in ludo, & uiuum combussit:cum quidem pransus nudis pedibus,tunica soluta,manibus ad tergũ reiectis inambularet,& illi misero quiritanti, C.R. natus sum: responderet,Abi nunc,populi fidem implora. Bestijs uero ciueis Romanos,in his circulatorem quendam auctionum notissimum hominem Hispali,quia deformis erat,obiecit.Cum huiuscemodi portẽto res mihi fuit. Sed de illo plura corãm.Nunc quod præstat,quid me uelitis facere,constituite. Tres legiones firmas habeo, quarum unam. XXVIII. cum ad se initio belli arcessisset Antonius hac pollicitatione,quo die in castra uenisset, denarios quingenos singulis militibus daturum: in uictoria uero eadem præmia, quæ suis legionibus,quorum quis ullam finem, aut modũm futurum putauit? incitatissimam retinui,ægre mehercules,nec retinuissem,si uno loco habuissem, utpote cum singulæ quædam cohortes seditionem fecerint. Reliquas quoque legiones nõ destitit literis,atq; infinitis pollicitationibus incitare.Nec uero minus Lepidus ursit me & suis & Antonij literis, ut legionẽ XXX.mitterem sibi. Itaque quem exercitum neque uendere ullis præmijs uolui,nec eorum periculorum metu.quæ uictoribus illis portendebantur,diminuere,debetis existimare retentum & conseruatum reip.esse,atque ita credere quodcunq; imperassetis,facturum fuisse, si quod iussistis feci. Nam & prouinciam in otio,& exercitum in mea potestate tenui: finibus meæ prouinciæ nusquam excessi. Militem non modo legionariũ,sed ne auxiliarium quidem ullum quoquam misi.& si quos equites decedentes nactus sum,supplicio affeci.Quarum rerum fructum satis magnum repub.salua tulisse me putabo.Sed respub.si me satis nouisset,& maior pars Senatus, maiores ex me fructus tulisset.Epistolam, quam Balbo cum etiam nunc in prouincia esset, scripsi,legendam tibi misi: etiam prætextam,si uoles legere, Gallum Cornelium familiarem meum poscito. VI.Id.Iun.Corduba.

POLLIO CICERONI SAL. PLVRIMAM.



S. V.B.E.E.Q.V. Quò tardius certior fierem de prelijs apud Mutinã factis,Lepidus effecit,qui meos tabellarios. VIIII. dies retinuit. Tametsi tantam calamitatem reip. quamtardissime audire optandum est: sed illis,qui prodesse nihil possunt, neque mederi. Atq; utinam eodem. S.C.quo Plãcum & Lepidum in Italiam arcessistis, me quoq; iussissetis uenire: profectò non accæpisset respu.hoc uulnus. quo si

qui lætantur in præsentia, quia uidentur & duces & ueterani Cæsaris par-
tium interiisse, tamen postmodum necesse est doleant, cum uastitatem Ita-
liæ respexerint. Nam & robur & soboles militum interiit: si quidem quæ
nunciantur, ulla ex parte uera sunt. Neque ego non uidebam quanto usui
reipub. essem futurus, si ad Lepidum uenissem: omnem enim cunctationem
eius discussissem, presertim adiutore Planco. Sed scribenti ad me eiusmo-
di literas, quas leges & concionibus uidelicet, quas Narbonæ habuisse di-
citur, similis, palmarer plane necesse erat, si uellem commeatus per prouin- *
ciam eius iter faciens habere. Præterea uerebar, ne si antè, quàm ego incœ-
pta perficerem, prælium confectum esset, pium consilium meum raperent
in contrariam partem obtrectatores mei, propter amicitiam quæ mihi cum
Antonio, non maior tamen, quàm Planco fuit. Itaque à Gadibus men-
se Aprili binis tabellariis in duas naueis impositis, & tibi & Coss. & Octa-
uiano scripsi, ut me faceretis certiorem, quonam modo plurimum possem
prodesse reipub. Sed ut rationem ineo, quo die prælium Pansa commi-
sit, eodem à Gadibus naues profectæ sunt. Nulla enim post hyemem fuit
ante eam diem nauigatio. Et hercules longe remotus ab omni suspicione
futuri ciuilis tumultus, penitus in Lusitania legiones in hibernis colloca-
ram. Ita porro festinauit uterque confligere, tanquam nihil peius time-
rent, quàm ne sine maximo reipub. detrimento bellum componeretur.
Sed si properandum fuit, nihil non summi ducis consilio gessisse Hirtium
uideo. Nunc hæc mihi scribuntur ex Gallia Lepidi, & nunciantur. Pan-
sæ exercitum concisum esse, Pansam ex uulneribus mortuum, eodem præ-
lio Martiam legionem interiisse, & L. Fabatum, & C. Peducæum, & D.
Carfulenum. Hirtino autem prælio & quartam legionem, & omnes per-
æque Antonii cæsas. Item Hirtii. Quartam uerò, cum castra quoque An-
tonii cæpisset, à quinta legione concisam esse. Ibi Hirtium quoque periis-
se, & Pontium Aquilam: dici etiam Octauianum cecidisse. Quæ si (quod
Dii prohibeant) uera sunt, non mediocriter doleo. Antonium turpiter
Mutinæ obsessionem reliquisse, sed habere equitum * legiones sub signis
armatas tres, & P. Bagienni unam, inermeis bene multos. Ventidium quo-
que se cum legione. VII. VIII. VIIII. coniunxisse: si nihil in Lepido
spei sit, descensurum ad extrema, & non modo nationes, sed etiam serui-
tia concitaturum: Parmam direptam: L. Antonium Alpeis occupasse.
Quæ si uera sunt, nemini nostrum cessandum est, nec expectandum quid
decernat Senatus. Res enim cogit huic tanto incendio succurrere omneis,
qui aut imperium, aut nomen denique populi R. saluum uolunt esse. Bru-
tum enim cohorteis. XVII. & duas non frequenteis tironum legiones,
quas conscripserat Antonius, habere audio. Neque tamen dubito, quin om-
neis, qui supersint de Hirtii exercitu confluant ad eum. Nam in delectu non
multum spei puto esse, presertim cum nihil sit periculosius, quàm spatium
confirmãdi sese Antonio dari. Anni autẽ tempus libertatẽ maiorẽ mihi dat,
propterea quia frumenta, aut in agris, aut in uillis sunt. Itaq; proximis literis
consiliũ meum expedietur. Nam neq; deesse, neq; superesse reip. uolo. Maxi-
me tamen doleo, adeo & longo & infesto itinere ad me ueniri, ut die quadra-
gesimo pòst, aut ultra etiam, quàm facta sunt omnia, nuncientur.

Lepidus

LEPIDVS IMP. ITER. PONT. MAX. S. D. M. TVL LIO CICERONI.


. V.B.E.E.V. Cum audissem Antoniũ cum suis copijs, præmisso L. Antonio cum parte equitatus in prouinciam meam uenire, cum exercitu meo ab confluente Rhodano castra moui, ac contra eos uenire institui. Itaq; continuis itineribus ad Forum Voconium ueni, & ultra castra ad flumen Argenteum contra Antonios feci. P. Vẽtidius suas legioneis tres coniunxit cum eo, & ultra me castra posuit. Habebat antea legionem. V. & ex reliquis legionibus magnam multitudinem, sed inermorum. Equitatum habet magnum. nam omnis ex prælio integer discessit, ita ut sint amplius equitum * Itaq; ad me complures milites, & equites ab eo transierũt, & in dies singulos eius copiæ minuuntur. Silanus & Culleo ab eo discesserunt. Nos etsi grauiter ab ijs læsi eramus, q contra nostram uoluntatem ad Antoniũ ierant, tamen nostræ humanitatis & necessitudinis causa, eorum salutis rationem habuimus. Nec tamẽ eorũ opera utimur: neq; in castris habemus, neq; ulli negotio præfecimus. Quod ad bellum hoc attinet, nec Senatui, nec reip. deerimus: quæ postea egerimus, faciam te certiorẽ. Etsi omni tẽpore summa studia officij mutuo inter nos certatim constiterunt pro nostra inter nos familiaritate, & proinde diligenter ab utroq; conseruata sunt, tamẽ non dubito in tanto, et tam repentino reip. motu, quin nõnulla de me falsis rumoribus à meis obtrectatoribus me indigna ad te delata sint, quæ tuũ animũ magno opere mouerent pro tuo amore in remp. Ea te moderate accæpisse, neq; temere credendũ iudicasse, à meis procuratoribus certior sum factus. quæ mihi, ut debent, gratissima sunt. Memini enim & illa superiora, quæ abs tua uolũtate profecta sunt, ad meã dignitatẽ augendam & ornandã, quæ perpetuo animo meo fixa manebunt. Abs te mi Cicero magnopere peto, si meam uitam, studium diligentissime superioribus tẽporibus in repu. administranda, quę Lepido digna sunt, perspecta habes, ut paria aut eo ampliora reliquo tempore expectes. & proinde tua auctoritate me tuendum existimes. quô tibi plura tuo merito debeo. Vale. D. XI. K. Iun. ex Cast. ex ponte argenteo.

LEPIDVS IMP. ITER. PONT. MAX. S. D. SENAT. POPVL. PLEBIQVE ROMANAE.


. V. liberiq; uestri. V.B.E.E.Q.V. Deos hominesq; testor. P. C. qua mente & quo animo semper in rempu. fuerim, & quàm nihil antiquius communi salute ac libertate iudicarim. quod uobis breui probassem, nisi mihi fortuna proprium consilium extorsisset. Nam exercitus cunctus consuetudinem suam in ciuibus obseruandis, communique pace, seditione facta, retinuit: meq; tantæ multitudinis ciuium Romanorum salutis atque incolumitatis causam suscipere, ut uere dicam, coegit. In qua re ego uos. P. C. oro atque obsecro, ut priuatis offensionibus omissis, summæ. R. P. consulatis: neue misericordiam nostram exercitusque nostri in ciuili dissensione sceleris loco ponatis. Quòd si salutis omnium ac dignitatis rationem habueritis, melius & uobis & reipu. consuletis. Data. III. K. à Ponte Argenteo.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD M. BRVTVM ET CÆTEROS.

D. BRVTVS BRVTO SVO ET CASSIO. S.



Vo in statu simus, cognoscite. Heri uesperi apud me Hirtius fuit: qua mente esset Antonius, demonstrauit, pessima scilicet & infidelissima. Nam se neque mihi prouinciam dare posse aiebat, neque arbitrari tuto in urbe esse quenquam nostrum: adeo esse militum concitatos animos & plebis. Quod utrunque falsum esse, puto uos animaduertere: atque illud esse uerum, quod Hirtius demonstrabat, timere eum, ne si mediocre auxilium dignitatis nostræ habuissemus, nullæ partes ijs in repu. relinquerentur. Cum in his angustijs uersarer, placitum est mihi, ut postularem legationem liberam mihi, reliquisque nostris, ut aliqua causa proficiscendi honesta quæreretur. Hæc se impetraturum pollicitus est, nec tamen impetraturum confido: tanta est hominum insolentia, & nostri insectatio. Ac si dederint quod petimus, tamen paulopòst futurum puto, ut hostes iudicemur, aut aqua & igni nobis interdicatur. Quid ergo est inquis tui consilij? dandus est locus fortunæ, cedendum ex Italia, migrandum Rhodum, aut aliquò terrarum arbitror. Si melior casus fuerit, reuertemur Romam: si mediocris, in exilio uiuemus: si pessimus, ad nouissima auxilia descendemus. Succurret fortasse hoc loco alicui uestrum, cur nouissimum tempus expectemus potius, quàm nunc aliquid moliamur? quia ubi consistamus, non habemus, præter Sex. Pompeium & Bassum Cæcilium, qui mihi uidentur hoc nuntio de Cæsare allato firmiores futuri. satis tempore ad eos accedemus, ubi quid ualeant, scierimus. Pro Cassio & te, si quid me uelitis recipere, recipiam. postulat enim hoc Hirtius, ut faciam. Rogo uos quamprimum mihi rescribatis. nam nõ dubito, quin his de rebus ante horam quartam Hirtius certiorem me sit facturus, quem in locum conuenire possimus: quò me uelitis uenire, rescribite. Post nouissimum Hirtij sermonem, placitum est mihi postulare, ut liceret nobis Romæ esse publico præsidio, quod illos nobis concessuros non puto. magnam enim inuidiam ijs faciemus. Nihil tamen non postulandum putaui, quod æquum esse statuerem.

BRVTVS ET CASSIVS PRAETT. M. ANTONIO COS.



E tua fide & beneuolentia in nos, nisi persuasum esset nobis, non conscripsissemus hæc tibi, quæ profectò, quum istum animum habes, in optimam partem accipies. Scribitur nobis magnam ueteranorum multitudinẽ Romam conuenisse iam, & ad. K. Iun. futurã multo maiorẽ. de te si dubitemus, aut uereamur, simus nostri dissimiles. Sed certe eũ ipsi in tua potestate fuerimus, tuoque adducti cõsilio dimiserimus ex municipijs nostros necessarios, neque solum edicto, sed etiã literis id fecerimus

mus: digni sumus, quos habeas tui consilij participes, in ea præsertim re, quæ ad nos pertinet. Quare petimus à te, facias nos certiores tuæ uoluntatis in nos. Putésne nos tutos fore in tanta frequentia militum ueteranorum, quos etiam de reponenda ara cogitare audimus? quod uelle te probare uix quisquam posse uidetur, qui nos saluos & honestos uelit. Nos ab initio spectasse otium, necquidquam aliud libertate communi quæsisse, exitus declarat. Fallere nemo nos potest, nisi tu: quod certe abest à tua uirtute & fide. sed alius nemo facultatem habet decipiendi nos. tibi enim uni credidimus, & credituri sumus. Maximo timore de nobis afficiuntur amici nostri. quibus etsi tua fides explorata est, tamen illud in mentem uenit, multitudinem ueteranorum facilius impelli ab alijs quolibet, quàm à te retineri posse. Rescribas nobis ad omnia, rogamus. Nam illud ualde leue est ac nugatorium, ea re denunciatum esse ueteranis, quòd de commodis eorum mense Iunio laturus esses. Quem enim impedimento futurum putas, cum de nobis certum sit nos quieturos? Non debemus cuiquam uideri nimium cupidi uitæ, cum accidere nobis nihil possit, sine pernicie & confusione omnium rerum.

BRVTVS ET CASSIVS PRAETT.
S.D. ANTONIO. COS.


S. V. B. Literas tuas legimus simillimas edicti tui contumeliosas, minaces, minime dignas, quæ à te nobis mitterentur. Nos Antoni te nulla lacessiуimus iniuria: neque miraturum credidimus, si Prætores & ea dignitate homines aliquid edicto postulassemus à Consule. Quòd si indignaris ausos esse id facere, concede nobis, ut doleamus ne hoc quidem abs te Bruto & Cassio tribui. Nam de delectibus habitis & pecunijs imperatis, exercitibus solicitatis, & nuntijs trans mare missis, quòd te questum esse negas, nos quidem tibi credimus optimo animo te fecisse: sed tamen neque agnoscimus quidquam eorum, & te miramur, cum hæc reticueris, non potuisse continere iracundiam tuam, quin nobis de morte Cæsaris obijceres. Illud uero quemadmodum ferundum sit, tute cogita: non licere Prætoribus concordiæ ac libertatis causa, per edictum de suo iure decedere, quin Consul arma minetur. Quorum fiducia nihil est, quòd nos terreas. Neque enim decet aut conuenit nobis periculo ulli submittere animum nostrum. Neque est Antonio postulandum, ut ijs imperet, quorum opera liber est. Nos si alia hortarentur, ut bellum ciuile suscitare uellemus, literæ tuæ nihil proficerent. Nulla enim minantis authoritas apud liberos est. Sed pulchre intelligis non posse nos quoquam impelli: & fortassis ea re minaciter agis, ut iudicium nostrum metus uideatur. Nos in hac sententia sumus, ut te cupiamus in libera repu. magnum atque honestum esse: uocemus te ad nullas inimicitias: sed tamen pluris nostram libertatem, quàm tuam amicitiam æstimemus. Tu etiam atque etiam uide quid suscipias, quid sustinere possis: neque quamdiu uixerit Cæsar, sed quàm non diu regnarit, fac cogites. Deos quæsimus consilia tua reip. salutaria sint, ac tibi: si minus, ut salua atque honesta repu. tibi quamminimum noceant optamus. Prid. Non. Sext.

D. BRVTVS IMP. COS. DESIG. S. D. CICERONI.

SI de tua in me uoluntate dubitarem, multis à te uerbis peterem, ut dignitatem meam tuerere. ſed profecto eſt ita ut mihi perſuaſi, me tibi eſſe curæ. Progreſſus ſum ad alpinos cum exercitu, non tam nomen imperatorium captans, quàm cupiens militibus ſatisfacere, firmosq́; eos ad tuendas noſtras res efficere, quod mihi uideor conſecutus. Nam & liberalitatem noſtram & animum ſunt experti. cum omnium bellicoſis bellum geſſi: multa caſtella cæpi: multa uaſtaui. Non ſine cauſa ad Senatum literas miſi. Adiuua nos tua ſententia. quod cum facies, ex magna parte communi commodo inſeruieris.

M. CICERO S. D. BRVTO IMP. COS. DESIG.

LVpus familiaris noſter cum à te ueniſſet, cumq́; Romæ quoſdam dies commoraretur, ego eram in ijs locis, in quibus maxime tuto me eſſe arbitrabar. Eo factum eſt, ut ad te Lupus ſine meis literis rediret, cum tamen curaſſet tuas ad me perferendas. Romam autem ueni ad. V. Id. Dec. nec habui quidquam antiquius, quàm ut Panſam ſtatim conuenirem, ex quo ea de te cognoui, quæ maxime optabam. Quare hortatione tu quidem non eges, ſi ne in illa quidem re, quæ à te geſta eſt poſt hominum memoriam maxima, hortatorem deſideraſti. Illud tamen breuiter ſignificandum uidetur, Po. Ro. omnia à te expectare, atque in te aliquando recuperandæ libertatis omnem ſpem ponere. Tu ſi dies noctésque memineris (quod te facere certò ſcio) quantam rem geſſeris, non obliuiſcere profecto, quantæ tibi etiam nunc gerendæ ſint. Si enim iſte prouinciã nactus erit, cui quidem ego ſemper amicus fui ante quàm illum intellexi non modo aperte, ſed etiam libenter cum repub. bellum gerere: ſpem reliquam nullam uideo ſalutis. Quamobrem te obſecro ijſdem precibus, quibus .S.P.Q.R. ut in perpetuum rempub. dominatu regio liberes: ut principijs conſentiant exitus. Tuum eſt hoc munus, tuæ partes: à te hoc ciuitas uel omnes potius gentes non expectant ſolum, ſed etiam poſtulant: quanquam cum hortatione non egeas, ut ſupra ſcripſi, non utar ea pluribus uerbis: faciam illud, quod meum eſt, ut tibi omnia mea officia, ſtudia, curas, cogitationes pollicear, quæ ad tuam laudem & gloriam pertinebunt. quamobrem uelim tibi ita perſuadeas, me, cum reipu. cauſa, quæ mihi uita mea eſt carior: tum quòd tibi ipſi faueam, tuamq́; dignitatem amplificari uelim tuis optimis conſilijs, amplitudini, gloriæ, nullo loco defuturum.

M. CICERO S. D. D. BRVTO IMP.
COS. DESIG.

LVpus noſter cum Romã. VI. die Mutina ueniſſet, poſtridie me mane conuenit, tuaq́; mihi mandata diligentiſſime expoſuit, & literas reddidit. Quòd mihi tuam dignitatem commendas, eodem tempore exiſtimo te mihi meam dignitatem cõmendare: quã mehercule non habeo tua cariorem. Quare mihi gratiſſimũ facies, ſi exploratũ habebis, tuis laudibus nullo loco nec conſiliũ, nec ſtudiũ meum defuturũ. Cũ Tribb. Pl. edixiſſent, Senatus adeſſet ad. XIII. K. Ian. haberẽtq́; in animo

de præſidio

de præſidio Conſulum deſignatorum referre: quanq̃ ſtatueram in Senatum ante .K. Ian. non uenire, tamen cum eo die ipſo edictum tuum propoſitum eſſet, nefas eſſe duxi aut ita haberi Senatum, ut de tuis diuinis in rempub. meritis ſileretur (quod factum eſſet, niſi ego ueniſſem) aut etiam ſi quid de te honorifice diceretur, me non adeſſe. Itaque in Senatum ueni mane. quod cum eſſet animaduerſum, frequentiſſimi Senatores conuenerunt. Quæ de te in Senatu egerim, quæ in concione maxima dixerim, aliorum te literis malo cognoſcere. Illud tibi perſuadeas uelim, me omnia, quæ ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quæ eſt per ſe ampliſſima, ſummo ſemper ſtudio ſuſcepturum, & defenſurum: quod quanquam intelligo me, cum multis eſſe facturum, tamen appetam huius rei principatum.

M. CICERO. S. D. D. BRVTO IMP. COS. DESIG.



Vm adhibuiſſet domi meæ Lupus me, & Libonem & Seruium conſobrinum tuum, quæ mea fuerit ſententia, cognoſſe te ex M. Seio arbitror, qui noſtro ſermoni interfuit. Reliqua, quanquam ſtatim Seium Græceius eſt ſubſecutus, tamen ex Græceio poteris cognoſcere. Caput autem eſt hoc quod te diligentiſſime percipere & meminiſſe uolam: ut ne in libertate & ſalute. P. R. conſeruanda auctoritatem Senatus expectes nondum liberi, ne & tuum factum condemnes (nullo enim publico conſilio rempu. liberauiſti, quò etiam & res illa maior & clarior) & adoleſcentem uel puerum potius Cæſarem iudices temere feciſſe, qui tantam cauſam publicam priuato conſilio ſuſceperit: denique homines ruſticos, ſed fortiſſimos uiros ciueſq́ optimos dementeis fuiſſe iudices, primum milites ueteranos commilitones tuos, deinde legionem Martiam, legionem. IIII. quæ ſuum Conſulem hoſtem iudicauerunt, ſeq́ ad ſalutem reipub. defendendam contulerunt. Voluntas Senatus pro auctoritate haberi debet, cum auctoritas impeditur metu. Poſtremo ſuſcepta tibi cauſa iam bis eſt, ut non ſit integrum. primum Id. Mart. deinde proxime exercitu nouo, & copijs comparatis. Quamobrem ad omnia ita paratus & animatus debes eſſe, non ut nihil facias, niſi iuſſus: ſed ut ea geras, quæ ab omnibus ſumma cum admiratione laudentur.

M. CICERO S. D. D. BRVTO IMP. COS. DESIG.



O tempore Polla tua miſit, ut ad te ſi quid uellem, darem literarum, cum quid ſcriberem, non habebam. Omnia enim erant ſuſpenſa propter expectationem Legatorum, qui quid egiſſent, nihildum nuntiabatur. Hæc tamen ſcribenda exiſtimaui. Primum, S. P. Q. R. de te laborare, non ſolum ſalutis ſuæ cauſa, ſed etiam dignitatis tuæ. Admirabilis enim eſt quædam tui nominis caritas amórque in te ſingularis omnium ciuium. Ita enim ſperant, atque confidunt, ut antea Rege, ſic hoc tempore regno te rempub. liberaturum. Romæ delectus habetur, totaq́ Italia: ſi hic delectus appellandus eſt, cum ultro ſe offerunt omnes. tantus ardor occupauit animos hominum deſiderio libertatis, odioq́ diutinæ ſeruitutis. De reliquis rebus à te iam expectare literas debemus, quid ipſe agas, quid noſter Hirtius, quid Cæſar meus. quos ſpero breui tempore ſocietate uictoriæ tecum copulatos fore. Reliquũ

eſt,ut de me id ſcribam,quod te ex tuorum literis & ſpero,& malo cognoſcere:me neq; deeſſe ulla in re,neq; unq̃ defuturum dignitati tuæ.

D. BRVTVS S.D. M. CICERONI.



Anſa amiſſo,quantum detrimenti reſpu.acceperit,non te præterit:nunc auctoritate & prudentia tua proſpicias oportet,ne inimici noſtri Conſulibus ſublatis,ſperent ſe conualeſcere poſſe. Ego, ne conſiſtere poſſit in Italia Antonius,dabo operam.ſequar eum confeſtim.utrũq; me præſtaturum ſpero,ne aut Ventidius elabatur, aut Antonius in Italia moretur.In primis rogo te ad hominem uentoſiſſimum Lepidum mittas,ne bellum nobis redintegrare poſſit Antonio ſibi coniuncto. Nam de Pollione Aſinio puto te perſpicere quid facturus ſit. Multæ & bonæ & firmæ ſunt legiones Lepidi & Aſinij. Neq; hæc idcirco tibi ſcribo, q; te non eadem animaduertere ſciam,ſed quòd mihi perſuaſiſſimum eſt Lepidũ recte facturum nunq̃,ſi forte uobis id de hoc dubium eſt. Plancum quoq; confirmetis oro:quem ſpero pulſo Antonio reip.non defuturum. Si ſe Alpeis Antonius traiecerit,conſtitui præſidium in Alpibus conlocare, & te de omni re facere certiorem. III.K.Mai.ex caſtris.Regij.

D. BRVTVS S.D. M. CICERONI.



On mihi remp.plus debere arbitror,quàm me tibi.gratiorem me eſſe in te poſſe,q̃ iſti peruerſi ſint in me,exploratum habes. Si autem hoc tempore ab his uideatur dici cauſa ſimulationis,mallẽ me hercule tuum iudicium,q̃ ex altera parte omnium iſtorũ. Tu enim à certo ſenſu & uero iudicas de nobis.quod iſti ne faciant,ſumma maleuolentia & liuore impediuntur. Interpellẽt me,quò minus honoratus ſim, dum ne interpellent,quo minus reſpu.à me commode adminiſtrari poſſit. Quæ quãto ſit in periculo,quàm potero breuiſſime exponam. Primum omnium quãtam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus Conſulum, quãtamq; cupiditatem hominibus injciat uacuitas,non te fugit. Satis me multa ſcripſiſſe,quæ literis commendari poſſint,arbitror. Scio enim cui ſcribam. Reuertor nunc ad Antonium,qui ex fuga cum paruulam manum peditum haberet inermium,ergaſtula ſoluendo,omneq; genus hominum arripiendo,ſatis magnum numerum uidetur effeciſſe. Huc acceſſit manus Ventidij, quæ trans Appenninum itinere facto difficillimo,ad Vada peruenit,atq; ibi ſe cũ Antonio coniunxit. Eſt numerus ueteranorum & armatorum ſatis frequẽs cum Ventidio. Conſilia Antonij hæc ſint,neceſſe eſt,aut ad Lepidum ut ſe conferat,ſi recipitur:aut Appẽnino Alpibusq; ſe teneat,et decurſionibus per equites,quos habet multos,uaſtet ea loca,in quæ incurrerit:aut rurſus ſe in Etruriam referat,q; ea pars Italiæ ſine exercitu eſt. Quod ſi me Cæſar audiſſet,atque Appenninum tranſiſſet,in tantas anguſtias Antonium compuliſſem,ut inopia potius,quàm ferro cõficeretur. Sed neq; Cæſari imperari poteſt, nec Cæſar exercitui ſuo,quod utrunq; peſſimum eſt. Cum hæc talia ſint,quo minus quod ad me pertinebit homines interpellent,ut ſupra ſcripſi, non impedio. Hæc quemadmodum explicari poſſint,aut à te cum explicabũtur,ne impediantur,timeo. Alere iam milites non poſſum. Cum ad rempub.liberandã acceſſi HS mihi fuit pecuniæ CCCC amplius. Tantum abeſt,ut meæ rei fa-

miliaris

miliaris liberum sit quicquã, ut omneis iam meos amicos ære alieno obstrinxerim. Septem numerum nunc legionum alo: qua difficultate, tu arbitrare. Non, si Varronis thesauros haberem, subsistere sumptui possem. Cum primum de Antonio exploratum habuero, faciam te certiorem. Tu me amabis ita, si hoc idem me in te facere senseris. III. Non. Mai. ex castris Derthoma.

D. BRVTVS IMP. COS. DES. S. D. M. CICERONI.

Eodem exemplo à te mi literæ redditæ sunt, quo pueri mei attulerunt. Tantum me tibi debere existimo, quantum persoluere difficile est. Scripsi tibi, quæ hic gererentur: in itinere est Antonius, ad Lepidũ proficiscitur: ne de Plãco quidẽ spem adhuc abiecit, ut ex libellis eius animaduerti, qui in me inciderunt. In quibus quos ad Asinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, scribebat. Ego tamen non habui ambiguum, & statim ad Plancum misi, & biduo ab Allobrogibus, & totius Galliæ Legatos expecto, quos confirmatos domum remittam. Tu, quæ istic opus erunt administrari, prospicies, ut ex tua uoluntate, reiꝗ pub. commodo fiant. Maleuolentiæ hominum in me, si poteris, occurres: si non poteris, hoc consolabere, ꝙ me de statu meo nullis contumelijs deterrere possunt. Prid. Non. Mai. ex castris, finibus Statiellensium.

M. CICERO S. D. BRVTO IMP. COS. DESIG.

Treis uno die à te accępi epistolas: unam breuẽ, quam Flacco Volumnio dederas: duas pleniores, quarum alteram tabellarius T. Vibij attulit, alteram ad me misit Lupus. Ex tuis literis, & ex Grçcei oratione, non modo non restinctum bellum, sed etiam inflãmatum uidetur. Non dubito autem pro tua singulari prudẽtia, quin perspicias, si aliquid firmitatis nactus sit Antonius, omnia tua illa præclara in remp. merita ad nihilum esse uentura. Ita enim Romam erat nunciatum, ita persuasum omnibus, cum paucis inermis, perterritis metu, fracto animo, fugisse Antonium. Qui si ita se habet, ut quemadmodum audiebam de Græceio, confligi cum eo sine periculo non possit: nõ ille mihi fugisse à Mutina uidetur, sed locum belli gerendi mutasse. Itaꝗ homines alij facti sunt: nonnulli etiam queruntur, ꝙ persecuti non sitis: opprimi potuisse, si celeritas adhibita esset, existimant. Omnino est hoc populi, maximeꝗ nostri, in eo potissimum abuti libertate, per quẽ eã consecutus sit. Sed tamen prouidẽdum sit, neque iusta querela esse possit. Res se sic habet. Is bellũ confecerit, qui Antoniũ oppresserit. Hoc quã uim habeat, te existimare malo, q̃ me apertius scribere.

D. BRVTVS IMP. COS. DESIG. S. D. M. CICERONI.

Iam nõ ago tibi gratias. Cui enim re uix referre possum, huic uerbis non patitur res satisfieri. Attendere te uolo quæ in manibus sunt: qua enim prudentia es, nihil te fugiet, si meas literas diligenter legeris. Sequi confestim Antonium his de causis Cicero non potui, eram sine equitibus, sine iumentis. Hirtium perijsse nesciebam: Cæsari non credebam prius, quàm conuenissem, & conlocutus essem. Hic dies hoc modo abijt. Postero die mane à Pansa sum accersitus Bononiam. Cum in itinere essem, nuntiatum mihi est eum mortuum esse. Recurri ad meas copiolas. sic enim uerè eas appellare possum. sunt extenuatissimæ, & inopia omniũ

rerũ pessime acceptæ. Biduo me Antonius antecessit, itinera multò maiora fugiens, q̃ ego sequens. Ille enim ijt passim, ego ordinatim: quacũq; ijt, ergastula soluit, homines arripuit, constitit nusquam prius, quàm ad Vada uenit. Quem locum uolo tibi esse notum. Iacet inter Appenninum, & Alpeis, impeditissimus ad iter faciendum. Cum abessem ab eo millia passuum. XXX. & se iam Ventidius coniunxisset, concio eius ad me est allata, in qua petere cœpit à militibus, ut se trans Alpeis sequerentur, sibi cum M. Lepido conuenire. Succlamatum est, & frequenter à militibus Ventidianis (nam suos ualde quàm paucos habet) sibi aut in Italia pereundum esse, aut uincendum. Et orare cœperunt, ut Pollentiam iter facerent. Cum sustinere eos nõ posset, in posterum diem iter suum contulit. Hac re mihi nunciata, statim quinq; cohorteis Pollentiam præmisi, meumq; iter eò contuli. hora ante præsidium meum Pollẽtiam uenit, quàm Trebellius cum equitibus. sanè quàm sum gauisus. in hoc enim uictoriam puto consistere. In spem uenerant, q; neque Planci quatuor legiones omnibus suis copijs pares arbitrabantur, neque ex Italia tam celeriter exercitum traijci posse credebant. quos ipsi adhuc satis arroganter Allobroges, equitatusq; omnis, qui eò præmissus erat à nobis, sustinebant: nostroq; aduentu sustineri facilius posse confidimus. Tamen si quo etiam casu Hisaram se traiecerint, ne quod detrimentum reipub. iniungant, summa à nobis dabitur opera. uos magnum animum, optimamq; spem de summa reipub. habere uolumus, cum & nos, & exercitus nostros singulari concordia coniunctos, ad omnia pro uobis uideatis paratos. Sed tamen nihil de diligentia remittere debetis, dareq; operam, ut quàm paratissimi & ab exercitu, reliquisq; rebus pro uestra salute contra sceleratissimam conspirationem hostium confligamus: qui quidem eas copias, quas diu simulatione reip. comparabant, subito ad patriæ periculum conuerterunt.

M. CICERO D. BRVTO COS. DESIG. S. D.



Mirabiliter mi Brute lætor mea consilia, measq; sententias à te probari de Decemuiris, de ornando adolescente. Sed quid refert? mihi crede homini non glorioso, plane iam Brute frigeo. ὄργανον enim erat meum Senatus, id iam est dissolutum. Tantam spem attulerat exploratæ uictoriæ, tua præclara Mutina eruptio, fuga Antonij conciso exercitu, ut omnium animi relaxati sint, meæq; illæ uehementes contentiones tanquam σκιαμαχίαι esse uideantur. Sed ut ad rem redeam, legionem Martiam & quartã negant, qui illas norunt, ulla condicione ad te posse perduci. Pecuniæ, quam desideras, ratio potest haberi, eaq; habebitur. De Bruto arcessendo, Cæsareq; ad Italiæ præsidium tenendo, ualde tibi assentior. Sed ut scribis, habes obtrectatores, quos equidem facillime sustineo, sed impediunt tamen. Ex Aphrica legiones expectantur. Sed bellum istic renatum mirantur homines. nihil tam præter spem unquam. Nam die tuo natali uictoria nũciata, in multa secula uidebamus rẽp. liberatã. Noui timores retexunt superiora. Scripsisti autẽ ad me ijs, quas Id. Mai. dedisti, modo te accæpisse à Planco literas, nõ recipi Antoniũ à Lepido. Id si ita est, omnia faciliora: sin aliter, magnũ negotiũ, cuius exitũ nõ extimesco, tuę partes sunt. Ego plus, q̃ feci, facere nõ possum. Te tamẽ, id qđ spero, oĩum maximũ et clarissimũ uidere cupio.

M. Cicero

M. CICERO D. BRVTO COS. DESIG. S. D.

ET si mihi tuæ literæ iucundissimæ sunt, tamen iucundius fuit, quòd in summa occupatione tua Planco Collegæ mandasti, ut te mihi per literas excusaret. quod fecit ille diligenter: mihi autē nihil amabilius officio tuo & diligentia. Coniunctio tua cum Collega, cōcordiaq; uestra, quæ literis cōmunibus declarata est, S. P. Q. R. gratissima accidit. Quod superest, perge mi Brute: & iā non cum alijs, sed tecum ipse certa. Plura scribere non debeo, præsertim ad te, quo magistro breuitatis uti cogito. Literas tuas uehementer expecto, & quidem taleis, qualeis maxime opto.

M. CICERO D. BRVTO COS. DESIG. S. D.

PEr magni interest, quo tibi hæc tēpore epistola reddita sit, utrū cū solicitudinis aliquid haberes, an cum omni molestia uacuus esses. Itaq; ei præcepi, quem ad te misi ut tēpus obseruaret epistolæ tibi reddēdæ. Nā quemadmodū coràm, qui ad nos intēpestiue adeūt molesti sæpe sunt: sic epistolæ offendūt nō loco redditæ. Si autē, ut spero, nihil te perturbat, nihil impedit: & ille cui mādaui, satis scite & cōmode tēpus ad te cępit adeundi: confido me, quod uelim, facile à te imperaturū. L. Lamia Prętură petit: hoc ego utor uno omniū plurimū. Magna uetustas, magna cōsuetudo intercedit: quodq; plurimū ualet, nihil mihi eius est familiaritate iucundius. Magno præterea beneficio eius, magnoq; merito sum obligatus. Nā Clodianis tēporibus cum equestris ordinis princeps esset, proq; mea salute acerrime propugnaret, à Gabinio Consule relegatus est: quod ante id tēpus ciui. R. Romæ contigit nemini. Hoc cum populus. R. meminit meipsum non meminisse turpissimum est. Quapropter persuade tibi mi Brute, me petere Præturā. Quanq̃ enim Lamia summo splendore, summa gratia est, magnificentissimo munere ædilicio, tamen quasi ea ita non essent, ego suscępi totū negotiū. Nūc si me tāti facis, quanti certe facis, quū equitū centurias tenes, in quis regnas: mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat. Non tenebo te pluribus. Ponam in extremo, quod sentio. Nihil est Brute, cum omnia à te expectem, quòd mihi gratius facere possis.

M. CICERO D. BRVTO S. D.

LAmia uno omniū familiarissime utor. Magna eius in me nō dico officia, sed merita: eaq; sunt. P. R. notissima. Is magnificētissimo munere Aedilitatis perfunctus petit Præturā: omnesq; intelligunt, nec dignitatē ei deesse, nec gratiā. Sed is ambitus excitare uidetur, ut ego omnia pertimescā, totamq; petitionē Lamiæ mihi sustinendam putē. In ea re quantum me possis adiuuare, facile perspicio. nec uero, quantū mea causa uelis, dubito. Velim igitur mi Brute tibi persuadeas, nihil me maiore studio à te petere, nihil te mihi gratius facere posse, q̃ si omnibus tuis opibus, omni studio, Lamiā in petitione iuueris. quod ut facias, uehementer te rogo.

M. CICERO S. D. D. BRVTO IMP. COS. DESIG.

ET si ex mandatis, quæ Galbæ Volumnioq; ad Senatum dedisti, quid timendum suspicandumq; putares, suspicabamur: tamen timidiora mandata uidebantur, quàm erat dignū tua, populiq;. R. uictoria. Senatus autem mi Brute fortis est, et habet forteis duces.

Itaq; molestè ferebat, se à te, quem omnium quicunque fuissent, fortissimum iudicaret, timidum atq; ignauum iudicari. Etenim cum te incluso spem maximam omnes habuissent in tua uirtute florente Antonio: quis erat qui quidquam timeret profligato illo, te liberato? Nec uerò Lepidum timebamus. Quis enim esset, qui illum tam furiosum arbitraretur, ut qui in maximo bello pacem uelle se dixisset, is in optatissima pace bellum reipublicæ indiceret? Nec dubito, quin tu plus prouideas. Sed tamen tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia Deorum templa fecimus, renouatio timoris magnam molestiam afferebat. Quare uelim equidem, id quod spero, ut planè abiectus, & fractus sit Antonius. Sin aliquid uirium forte collegerit, sentiat nec Senatui consilium, nec populo. R. uirtutem deesse, nec reipub. te uiuo Imperatorem. XIIII. K. Iun.

D. BRVTVS IMP. COS. DESIG. S D. M. CICERONI



AD Senatum quas literas misi, uelim prius perlegas, & siqua tibi uidebuntur, commutes. Necessario me scripsisse, ipse animaduertes. nam cum putarem quartam & Martiam legiones mecum futuras, ut Druso Pauloq; placuerat, uobis assentiētibus: minus de reliquis rebus laborandum existimaui. nunc uerò cum sim cum tironibus egentissimis ualde & meam & uestram uicem timeam, necesse est. Vicetini me & M. Brutum præcipue obseruant. His ne quam patiare iniuriam fieri in Senatu uernarum causa, à te peto. Causam habent optimam, officium in rempub. summum, genus hominum aduersariorum seditiosum & inertissimum XII. K. Iun. Vercellis.

D. BRVTVS S.D. M. CICERONI.



QVod pro me non facio, id pro te facere amor meus in te, tuaq; officia cogunt, ut timeam. Sæpe enim mihi cum esset dictum, neque à me contemptum, nouissime Labeo Segulius homo sibi simillimus, narrat mihi apud Cęsarem se fuisse, multumq; sermonem de te habitum esse. Ipsum Cæsarem nihil sanè de te questum, nisi dictum, quod diceret te dixisse, laudandum adolescentem, ornandum, tollendum: se nō esse commissurum, ut tolli possit. Hoc ego Labeonem credo illi retulisse, aut finxisse dictum, non ab adolescēte prolatum. Veteranos uero pessime loqui uolebat Labeo me credere, & tibi ab ijs instare periculum: maximeq; indignari, quòd in Decemuiris, neque Cæsar, neq; ego habiti essemus, atq; omnia ad uestrum arbitrium essent conlata. Hęc cum audissem, & iam in itinere essem, committendum nondum putaui, prius ut Alpeis transgrederer, quàm quid istic ageretur, scirem. Nam de tuo periculo, crede mihi, iactatione uerborū, & denuntiatione periculi, sperare eos te pertimefacto, adolescente impulso, posse magna consequi præmia: & totam istam cantilenam ex hoc pendere, ut quamplurimum lucrifaciant. Neque tamen non te cautum esse uolo, & insidias uitantem. Nihil enim tua mihi uita potest esse iucundius, neque carius. Illud uide, ne timendo, magis timere cogare. Et quibus rebus potest occurri ueteranis occurras. Primum quod desiderant de Decemuiris, facias: deinde de præmijs. Si tibi uidetur, agros eorum militum, qui cum Antonio ueterani fuerunt, his dandos censeas ab utrisq; nobis. De nummis lente, ac ratione

habita pecuniæ Senatum de ea re constituturum. quatuor legionibus ijs, quibus agros dandos censuistis, uideo facultatem fore ex agris Silani, & agro Campano. Aequaliter, aut sorte agros legionibus assignari puto oportere. Hæc me tibi scribere non prudentia mea hortatur, sed amor in te, & cupiditas otij, quod sine te consistere non potest. Ego, nisi ualde necesse fuerit, ex Italia non excedam: legiones armo, paro: spero me nõ pessimum exercitum habiturum ad omneis casus, & impetus hominum. de exercitu quem Pansa habuit, legionem mihi Cæsar non remittit. Ad has literas statim mihi rescribe, tuorumq; aliquem mitte, si quid reconditum magis erit, meq; scire opus esse putaris. VIII. Kal. Iun. eporedia.

M. CICERO. S. D. D. BRVTO IMP. COS. DESIG.



Irisisti Segulio malefaciant homini nequissimo omnium qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt. Quid tu illum tecum solum, aut cum Cæsare, qui neminẽ prætermiserit, quicum loqui potuerit, cui nõ eadem ista dixerit? Te tamen mi Brute sic amo, ut debeo, q istud (quidquid esset) nugarũ me scire uoluisti. Signum enim magnũ amoris dedisti. Nam quod idem Segulius ueteranos queri, q tu & Cæsar in Decemuiris nõ essetis, utinam ne ego quidem essem. Quid enim molestius? Sed tamẽ cum ego sensissem de ijs, qui exercitus haberent, sententiã ferri oportere: ijdẽ illi qui solent, reclamarunt. Itaq; excepti etiam estis me uehementer repugnãte. Quocirca Segulium negligamus, qui res nouas quærit: non quo ueterem comederit, nullam enim habuit, sed hanc ipsam recentem nouam deuorauit. Quod autem scribis, te, quod pro te ipso nõ facias, id pro me, ut de me timeas aliquid: omni te uir optime, mihiq; carissime Brute, de me metu libero. Ego enim quæ prouideri p oterunt, non fallar in his: quæ cautionẽ nõ habebunt, de his non ita ualde laboro. Sim etenim impudens, si plus postulem, q̃ homini à rerũ natura tribui potest. Quod mihi præcipis, ut caueam, ne timẽdo magis timere cogar, & sapienter & amicissime præcipis. Sed uelim tibi persuadeas, cum te constet excellere hoc genere uirtutis, ut nunquam extimescas, nunquam perturbere: me huic tuæ uirtuti proxime accedere. Quamobrem nec metuam quidquam, & cauebo omnia. Sed uide, ne tua iam mi Brute culpa futura sit, si ego quidquam timeã. Tuis enim opibus et Consulatu tuo, etiam si timidi essemus, tamen omnem timorem abijceremus, presertim cum persuasum omnibus esset, mihiq; maxime, à te nos unice diligi. Cõsilijs tuis, quæ scribis de quatuor legionibus, deq; agris assignandis ab utrisque ue strum, uehemẽter assentior. Itaq; cum quidam de Collegis nostris agrariam curationem ligurrirẽt, disturbaui rem, totamq; uobis integram reseruaui. Si quid erit occultius, & (ut scribis) recõditum, meorum aliquem mittam, quò fidelius ad te literæ perferantur. Pr. Non. Iun.

M. CICERO S.D. D. BRVTO.



Vm Appio Claudio C. F. summa mihi necessitudo est, multis eius officijs, & meis mutuis constituta. Peto à te maiorem in modum, uel humanitatis tuæ, uel mea causa, ut eũ auctoritate tua, quæ plurimum ualet, conseruatum uelis. Volo te, cum fortissimus uir cognitus sis, etiam clementissimum existimari. Magno tibi erit ornamento,

nobilissimum adolescentē beneficio tuo esse saluum. Cuius quidem causa hoc melior debet esse, ꝙ pietate adductus propter patris restitutionem, me cum Antonio coniunxit. Quare etsi minus ueram causam habebis, tamen uel probabilem aliquam poteris inducere. Nutus tuus potest hominem summo loco natum, summo ingenio, summa uirtute, officiosissimum præterea & gratissimum, incolumē in ciuitate retinere. Quod ut facias, ita à te peto, ut maiore studio, magisue ex animo petere non possim.

D. BRVTVS S. D. M CICERONI.


Os hic ualemus rectè, & quo melius ualeamus, operā dabimus. Lepidus cōmode de nobis sentire uidetur: omni timore deposito debemus liberè reip. cōsulere. Quòd si omnia essent aliena, tamen tribus tantis exercitibus proprijs reip. ualētibus, magnum animum habere debebas, quem & semper habuisti, & nunc fortuna adiuuante augere potes. Quæ tibi superioribus literis mea manu scripsi, terrendi tui causa homines loquuntur. Si frenum momorderis, peream, si te omnes quot sunt, conantem loqui ferre poterint. Ego, tibi ut antea scripsi, dum mihi à te literę ueniant, in Italia morabor. VIII. Kal. Iun. eporedia.

M. CICERO S. D. D. BRVTO IMP. COS. DESIG.


Arro tibi, antea subirascebar breuitati tuarū literarū: nūc mihi loquax esse uideor. te igitur imitabor, q̄ multa, q̄ paucis te rectè ualere operā́q; dare, ut cotidie melius: Lepidū cōmode sentire: tribus exercitibus, quiduis nos oportere confidere. Si timidus essem, tamē ista epistola mi omnem metū abstersisses. Sed, ut mones, frenum momordi. etenim qui te incluso omnē spem habuerim in te, quid nunc putas? Cupio iā uigiliam meam Brute tibi tradere, sed ita, ut ne desim, cōstātiæ meæ. Quòd scribis in Italia te moraturum, dum tibi literæ meæ ueniant: si per hostē licet, non erraris. Multa enim Romæ. Sin aduētu tuo bellū confici potest, nihil sit antiquius. Pecunia expeditissima quæ erat, tibi decreta est. Habes amantissimum Seruium: nos non desumus. VIII. Id. Iun.

M. CICERO S. D. D. BRVTO.


Xpectanti mihi tuas cotidie literas Lupus noster subito den ūtiauit, ut ad te scriberē, si quid uellē. Ego autē etsi quid scriberem, nō habebam (acta enim ad te mitti sciebā) inanē autē sermonē literarū tibi iniucundū esse audiebā: breuitatē secutus sum, te magistro. Scito igitur in te, & in Collega spem omnē esse. De Bruto autem nihil adhuc certi: quem ego, quemadmodū præcipis, priuatis literis ad bellū cōmune uocare nō desino, qui utinam iā adesset. Intestinū urbis malū, quod est non mediocre, minus timeremus. Sed quid ago? nō imitor λακωνισμὸν tuū: altera iam pagella procedit. Vince & uale. XIIII. K. Quint.

D. BRVTVS S. D. M. CICERONI.


Aximo meo dolore hoc solatio utor, quòd intelligunt homines non sine causa me timuisse ista, quæ acciderunt. Deliberēt utrum traijciant legiones ex Aphrica, nec ne, & ex Sardinia: & Brutum accersant, nec ne: & mihi stipendium dent, an decernant. Ad Senatum literas misi. Crede mihi, nisi ista omnia ita fiunt, quemadmodum

scribo,

ſcribo,magnum nos omneis adituros periculum.Rogo te,uidete quibus ho minibus negotium detis,qui ad me legiones adducant:& fide opus eſt,& ce leritate.III.Non.Iun.ex caſtris.

M. CICERO MATIO. SAL.


Ondum ſatis cōſtitui,moleſtiæne plus an uoluptatis attulerit mihi Trebatius noſter homo cum plenus officij, tum utriuſque noſtrum amātiſſimus.Nam cum in Tuſculanum ueſperi ueniſſem, poſtridie ille ad me,nondum ſatis firmo corpore cum eſſet, mane uenit.Quem cum obiurgarem,quòd parum ualetudini parceret:tum ille nihil ſibi longius fuiſſe,quàm ut me uideret.Nunquidnam,inquam,noui? Detulit ad me querelam tuam:de qua prius quàm reſpondeo,pauca pręponam. Quantum memoria repetere præterita poſſum,nemo eſt mihi te amicus antiquior.Sed uetuſtas habet aliquid commune cum multis:amor non habet. Dilexi te,quo die cognoui:meq; à te diligi iudicaui. Tuus deinde diſceſſus, isq; diuturnus,ambitio noſtra et uitæ diſſimilitudo,non eſt paſſa uoluntates noſtras conſuetudine conglutinari. tuum tamen erga me animum adgnoui multis annis ante bellum ciuile,cum Cæſar eſſet in Gallia.Quod enim uehementer mihi utile eſſe putabas,nec inutile ipſi Cæſari,perfeciſti,ut ille me diligeret,coleret, haberet in ſuis.Multa pręterea quæ tēporibus illis inter nos familiariſſime dicta,ſcripta,communicata ſunt.grauiora enim conſecuta ſunt. Et initio belli ciuilis cum Brundiſium uerſus ires ad Cæſarem, ueniſti ad me in Formianum.Primum hoc ipſum quāti,preſertim temporibus illis? Deinde,oblitum me putas conſilij,ſermonis,humanitatis tuę? quibus rebus interesse memini Trebatium.Nec uero ſum oblitus literarū tuarum, quas ad me miſiſti,cum Cæſari obuiam ueniſſes in agro (ut arbitror) Trebulano. Secutum illud tempus eſt,cum me ad Pompeium proficiſci,ſiue pudor meus coegit,ſiue officium,ſiue fortuna.quod officium tuum,quod ſtudium uel in abſentem me,uel in præſentes meos defuit? quem porrò omnes mei & mihi & ſibi te amiciorem iudicauerunt? Veni Brundiſium:oblitúmne me putas,qua celeritate, ut primum audieris,ad me Tarento aduolaris? quæ tua fuerit aſſeſſio,oratio,cōfirmatio animi mei fracti communium miſeriarum metu? Tandem aliquando Romæ eſſe cœpimus:quid defuit noſtræ familiaritati in maximis rebus? Quonam modo gererem me aduerſus Cæſarem,uſus tuo conſilio ſum.In reliquis officijs cui tu tribuiſti,excæpto Cæſare,præter me,ut domum uentitares,horasq; multas ſæpe ſuauiſſimo ſermone conſumeres? tum, cum etiam,ſi meminiſti,ut hæc φιλοσοφούμενα ſcriberem,tu me impuliſti.Poſt Cæſaris reditum,quid tibi maiori curæ fuit,quàm ut eſſem ego illi quamfamiliariſſimus? quod effeceras. Quorſum igitur hæc oratio longior, quàm putaram? quia ſum admiratus te,qui hæc noſſe deberes,quicquam à me commiſſum,quod eſſet alienum noſtra amicitia,crediſiſſe.Nam præter hęc,quę commemoraui, quæ teſtata ſunt,& illuſtria:habeo multo occultiora, quæ uix uerbis exequi poſſum.Omnia me tua delectant,ſed maxime:maxima cū fides in amicitia,conſiliū,grauitas,cōſtantia,tū lepos,humanitas,literæ.Quapropter redeo nūc ad querelam.Ego te ſuffragium tuliſſe in illa lege,primū nō credidi:deinde,ſi crediſiſſem,nunq̄ id ſine aliqua iuſta cauſa exiſtimarē

te fecisse. Dignitas tua facit, ut animaduertatur, quidquid facias. Maleuolentia autem hominum, ut nonnulla durius, quàm à te facta sint, proferantur. Ea tu si non audis, quid dicam, nescio: equidem siquando audio, tam defendo, quàm me scio à te contra iniquos meos solere defendi. Defensio autem est duplex. Alia sunt, quæ liquidò negare soleam: ut de isto ipso suffragio. Alia quæ defendam à te pie fieri & humane: ut de curatione ludorum. Sed te hominem doctissimum non fugit, si Cæsar Rex fuerit, quod mihi quidem uidetur, in utranque partem de tuo officio disputari posse: uel in eam, qua ego soleo uti, laudandam esse fidem, & humanitatem tuam, qui amicum etiam mortuum diligas: uel in eam, qua nonnulli utuntur, libertatem patriæ, uitæ amici anteponendam. Ex his sermonibus utinam essent delatæ ad te disputationes meæ. Illa uerò duo, quæ maxima sunt laudum tuarũ, quis aut libentius, quàm ego, commemorat, aut sæpius: te & non suscipiendi belli ciuilis grauissimum auctorẽ fuisse, & moderandæ uictoriæ? In quo, qui mihi nõ assentiretur, inueni neminẽ. Quare habeo gratiã Trebatio familiari nostro, qui mihi dedit causam harũ literarũ: quibus nisi credideris, me omnis officij, & humanitatis expertẽ iudicaris. quo nec mihi grauius quicq̃ potest esse, nec te alienius.

MATIVS CICERONI. SAL.



Magnam uoluptatem ex tuis literis cæpi, quòd quam speraram atque optaram, habere te de me opinionem, cognoui. De qua etsi non dubitabam, tamen quia maximi æstimabam, ut incorrupta maneret, laborabam. Conscius autem mihi eram, nihil à me commissum esse, quod boni cuiusquam offenderet animum. Eo minus credebam plurimis atque optimis artibus ornato tibi temere quicquam persuaderi potuisse, presertim in quem mea propensa & perpetua fuisset atq; esset beneuolentia. Quod quum, ut uolui, scio esse: respondebo criminibus, quibus tu pro me, ut par erat, tua singulari bonitate, & amicitia nostra sæpe restitisti. Nota enim mihi sunt, quæ in me post Cæsaris mortem contulerint. Vitio mihi dant, quòd mortem hominis necessarij grauiter fero: atque eum, quem dilexi, perijsse indignor. Aiunt enim patriæ amicitiam, præponendam esse, proinde ac si iã uicerint, obitum eius reipu. fuisse utilem. Sed non agam astute. Fateor me ad istum gradum sapientiæ non peruenisse. Neque enim Cæsarem in dissensione ciuili sum secutus, sed amicum, quanquam re offendebar, tamen non deserui: neque bellum unquam ciuile, aut etiam causam dissensionis probaui, quam etiam nascentem extingui summe studui. Itaque in uictoria hominis necessarij, neque honoris, neque pecuniæ dulcedine sum captus: quibus præmijs reliqui, minus apud eum quàm ego, cum possent, immoderate sunt abusi. Atque etiam res familiaris mea, lege Cæsaris diminuta est: cuius beneficio plerique, qui Cæsaris morte lætantur, remanserunt in ciuitate. Ciuibus uictis ut parceretur, æquè ac pro mea salute laboraui. Possum igitur, qui omneis uoluerim incolumeis, eum, à quo id impetratum est, perijsse non indignari? cum presertim ijdem homines illi & inuidiæ & exitio fuerint. Plecteris ergo, inquiunt, quum factum nostrum improbare audes. O superbiam inauditam, alios in facinore gloriari, alijs ne dolere quidem impunite licere. At hæc etiam seruis semper libera fuerunt, time

rent,

rent, gauderent, dolerent suo potius quàm alterius arbitrio. quæ nunc, ut qui dem isti dictitant, libertatis auctores metu nobis extorquere conantur. Sed nihil agunt. Nullius unquam periculi terroribus ab officio, aut ab humani tate desciscam. Nunquam enim honestam mortem fugiendam, sæpe etiam oppetendam putaui. Sed quid mihi suscensent, si id opto, ut pœniteat eos sui facti? cupio enim Cæsaris mortem omnibus esse acerbā. At debeo pro ciuili parte remp. uelle saluam. Id quidem me cupere, nisi & antè acta uita, & reliqua mea spes tacente me probat, dicendo uincere non postulo. Quare maiorem in modum te rogo, ut rem potiorem oratione ducas: mihiq; si sentis expedire, rectè fieri, credas, nullam communionem cum improbis esse posse. An quod adolescens præstiti, cum etiam errare cum excusatione possem: id nunc ætate præcipitata commutem, ac me ipse retexam? Non faciam, neque quod displiceat, committam, præterquam quod hominis mihi coniunctissimi ac uiri amplissimi doleo grauem casum. Quòd si aliter essem animatus, nunquam, quod facerem negarē: ne & in peccando improbus, & in dissimulando timidus ac uanus existimarer. At ludos, quos Cæsaris uictoriæ Cæsar adolescens fecit, curaui. At id ad priuatum officium, non ad statum reipub. pertinet. Quod tamen munus, & hominis amicissimi memoriæ ac honoribus præstare etiam mortui debui: & optimæ spei adolescenti ac dignissimo Cæsari petenti negare non potui. Veni etiam Consulis Antonij domum sæpe salutandi causa: ad quem, qui me parum patriæ amantem esse existimant, rogandi quidem aliquid, aut auferendi causa frequentes uentitare reperies. Sed quæ hæc est arrogantia, quod Cæsar nunquam interpellauit, quin quibus uellem, atque etiam quos ipse non diligebat, tamen ijs uterer: eos, qui mihi amicum eripuerunt, carpendo me efficere conari, ne quos uelim, diligam? Sed non uereor, ne aut meæ uitæ modestia parum ualitura sit in posterum contra falsos rumores: aut ne etiam ij, qui me non amant, propter meam in Cæsarem constantiam, non malint mei, quàm sui similes amicos habere. Mihi quidem si optata contingent, quod reliquum est uitæ, in otio Rhodi degam: sin casus aliquis interpellarit, ita ero Romæ, ut rectè fieri semper cupiam. Trebatio nostro magnas ago gratias, quòd tuum erga me animum simplicem atque amicum aperuit: et quod eum, quem semper lubenter dilexi, quo magis iure colere atq; obseruare deberem, fecit. Bene uale, & me dilige.

CICERO APPIO SAL. DIC.



Vbitanti mihi, quod scit Atticus noster, de hoc toto consilio profectionis q; in utranque partem in mentem multa ueniebant, magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem, iudicium & consilium tuum. Nam & scripsisti apertè, quid tibi uideretur: & Atticus ad me sermonem tuum pertulit. Semper iudicaui in te, & in capiendo consilio prudentiam summam esse: & in dando, fidem. Maximeq; sum expertus, cum initio ciuilis belli per literas te consuluissem, quid mihi faciendum esse censeres: eundúmne ad Pompeium, an manendum in Italia. Suasisti, ut consulerem dignitati meæ: ex quo quid sentires, intellexi, & sum admiratus fidem tuam, & in cōsilio dando religionē: quod cū aliud malle ami

cissimum tuum putares, antiquius tibi officium meum, quàm illius uoluntas fuit. Equidem & ante hoc tempus te dilexi, & semper me à te diligi sensi. Et cum abessem, atque in magnis periculis essem, & me absentem, & meos praesentes à te cultos & defensos esse memini. Et post meum reditum, quàm familiariter mecum uixeris, quaeq́ ego de te & senserim & praedicarim, omnes, qui solent haec animaduertere, testes habemus. Grauissimum uero iudicium de mea fide, & de constantia fecisti, cum post mortem Caesaris & totum te ad amicitiã meã contulisti. Quod tuum iudicium nisi mea summa beneuolentia erga te, omnibusq́ meritis cõprobaro, ipse me hominem nõ putabo. Tu mi Oppi cõseruabis amorem tuum: & si more magis hoc quidem scribo, quàm quo te admonẽdum putem. meaq́ omnia tuebere, quae tibi ne ignota essent, Attico mandaui. A me autẽ, cum paulum otij nacti erimus, uberiores literas expectato. Da operam ut ualeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD C. CASSIVM ET CÆTEROS.

CICERO CASSIO SAL.




Inem nullam facio, mihi crede, Cassi de te, & de Bruto nostro. id est, de tota repub. cogitandi: cuius omnis spes in uobis est, & in D. Bruto. Quam quidem iam habeo ipse meliorem, repub. à Dolabella meo praeclarissime gesta. Manabat enim illud malum urbanum, & ita corroborabatur cotidie, ut ego quidem & Vrbi, & otio diffiderẽ urbano. Sed ita cõpressa est, ut mihi uideamur omne iam ad tempus ab illo duntaxat sordidissimo periculo tuti futuri. Reliqua magna sunt, ac multa, sed posita omnia in uobis: quanquam primum quidq́ explicemus. Nam ut adhuc quidem actum est, non regno, sed Rege liberati uidemur. Interfecto enim Rege, regios omneis nutus tuemur. Neque uerò id solum, sed etiam quae ipse ille, si uiueret, non faceret, ea nos quasi cogitata ab illo probamus. nec eius quidem rei finem uideo. tabulae figuntur, immunitates dantur, pecuniae maximae describuntur, exules reducuntur, S. C. falsa referuntur, ut tantummodo odium illud hominis impuri, & seruitutis dolor depulsus esse uideatur: respub. iaceat in his perturbationibus, in quas eam ille coniecit. Haec omnia uobis sunt expedienda: nec hoc cogitandum, satis iam habere rempub. a uobis. Habet illa quidem tantum, quantum nunquam mihi in mentem uenit optare. Sed contenta non est: & pro magnitudine & animi & beneficij uestri à uobis magna desiderat. Adhuc ultra suas iniurias est per uos interitu tyranni: nihil amplius. Ornamẽta uerò sua quae recuperauit? an quòd ei mortuo paret, quem uiuum ferre nõ poterat? cuius aera refigere debebamus, eius etiã chirographa defendimus? At enim ita decreuimus: fecimus id quidem temporibus cedentes, quae ualent in repub. plurimum: sed

immoderate

immoderate quidam,& ingrate noſtra facilitate abutũtur. Verum hæc propediem, & multa alia coràm. Interim uelim ſic tibi perſuadeas, mihi cum rei pub. quam ſemper habui cariſſimam, tum amoris noſtri cauſa, maximæ curę eſſe tuam dignitatem. Da operam ut ualeas. Vale.

CICERO CASSIO SAL.



Ehementer lætor tibi probari ſententiam & orationem meã. qua ſi ſæpius uti liceret, nihil eſſet negotij, libertatem & rempub. recuperare: Sed homo amens & perditus, multoq́ nequior, quàm ille ipſe quem tu nequiſſimum occiſum eſſe dixiſti, cædis initium quærit: nullamq́ aliam ob cauſam me auctorẽ fuiſſe Cæſaris interficiendi criminatur, niſi ut in me ueterani incitentur. Quod ego periculum non extimeſco, modo ueſtri facti gloriam cum mea laude cõmunicet. Ita nec Piſoni, qui in eum primus inuectus eſt nullo aſſentiente: nec mihi, qui idem triceſimo pòſt die feci, nec P. Seruilio, qui me eſt conſecutus, tuto in Senatum uenire licet. Cædem enim gladiator quærit, eiusq́ initium ad. XIII. Kl. Octob. à me ſe facturum putauit. At quam paratus uenerat, cum in uilla Metelli compluteis dies commentatus eſſet. Quæ autem in luſtris, & in uino commentatio potuit eſſe? Itaque omnibus eſt uiſus, ut ad te antea ſcripſi, uomere ſuo more, non dicere. Quare quod ſcribis te confidere, auctoritate & eloquẽtia noſtra aliquid profici poſſe: nonnihil, ut in tantis malis, eſt profectum. Intelligit enim populus. R. treis eſſe Conſulares, qui, quia de repub. bene ſenſerint, libere locuti ſunt, tuto in Senatum uenire non poſſint. Nec eſt præterea quòd quidquam expectes. Tuus enim neceſſarius affinitate noua delectatur. Itaque iam non eſt ſtudioſus ludorum, infinitoq́ fratris tui plauſu dirumpitur. Alter item affinis nouis commentarijs Cæſaris delinitus eſt. Sed hæc tolerabilia: illud non ferendum, quod eſt, qui ueſtro anno filium ſuum Conſulem futurum putet, ob eamq́ cauſam ſe huic latroni deſeruire præ ſe ferat. Nam L. Cotta familiaris meus fatali quadam deſperatione, ut ait, minus in Senatum uenit. L. Cæſar optimus & fortiſſimus ciuis ualetudine impeditur. Ser. Sulpicius, & ſumma auctoritate, & optime ſentiens, non adeſt. Reliquos, exceptis deſignatis (ignoſce mihi, ſi non numero) Conſulareis habes, auctores conſilij publici: qui numerus etiam bonis rebus exiguus eſſet, quid cenſes perditis? Quare ſpes eſt omnis in uobis: qui ſi idcirco abeſtis, ut ſitis in tuto, ne in uobis quidem: ſin aliquid dignum ueſtra gloria cogitatis, uelim ſaluis nobis, ſin id minus, res tamen pub. per uos breui tẽpore ius ſuum recuperabit. ego tuis neq́ deſum, neq́ deero: qui ſiue ad me referent, ſiue non, mea tibi tamen beneuolentia fidesq́ præſtabitur. Vale.

CICERO CASSIO SAL.



Vget tuus amicus furorem in dies. primum in ſtatua, quam poſuit in roſtris, inſcripſit PARENTI OPTIME MERITO ut non modo ſicarij, ſed iã etiã parricidæ iudicemini: quid dico iudicemini? iudicemur potius. Veſtri enim pulcherrimi facti ille furioſus me principẽ dicit fuiſſe. Vtinã quidem fuiſſem, moleſtus nobis non eſſet. Sed hoc ueſtrũ eſt: quod quũ præterijt, utinam haberem, quid uobis darem conſilij. Sed ne mihi quid ipſi reperio, quid faciendum ſit. Quid enim eſt,

quod contra uim sine ui fieri possit? Consilium omne autem hoc est illorum, ut mortem Cæsaris persequatur. Itaq; ante diem. VI. Non. Oct. productus in concionem à Cannutio turpissime ille quidem discessit: sed tamen ea dixit de conseruatoribus patriæ, quæ dici deberent de proditoribus. De me quidē non dubitanter, quin omnia de meo consilio, & uos fecissetis, & Cānutius faceret. Cætera cuiusmodi sint, ex hoc iudica, q Legato tuo uiaticum eripuerunt. Quid eos interpretari putas, cum hoc faciunt? ad hostem scilicet portari. O rem miseram: dominum ferre non potuimus, conseruo seruimus. Et tamen me quidem fauente magis, quàm sperante, etiam nunc residet spes in uirtute tua. Sed ubi sunt copiæ? De reliquo, malo teipsum tecū loqui, quàm nostra dicta cognoscere. Vale.

CICERO CASSIO SAL.


Vellem Id. Mart. me ad cenam inuitasses: reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiæ uestræ exercent, & quidem præter ceteros me. quanquam egregios Consules habemus, sed turpissimos Consulareis. Senatum fortem, sed infimo quēque honore fortissimum. Populo uero nihil fortius, nihil melius, Italiaq; uniuersa. Nihil autē fœdius Philippo & Pisone Legatis, nihil flagitiosius: qui, cum essent missi, ut Antonio ex Senatus sententia certas res nunciarent, cum ille earum rerum nulli paruisset: ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt. Itaq; ad nos cō curritur, factiq; iam in re salutari populares sumus. Sed tu quid ageres, quid acturus, ubi deniq; esses, nesciebam. Fama nunciabat te esse in Syria: auctor erat nemo. De Bruto, quo propius est, eò firmiora uidentur esse, quæ nunciantur. Dolabella ualde uituperabatur ab hominibus non insulsis, quòd tibi tam cito succederet, cum tu uixdum. XXX. dies in Syria fuisses. Itaque constabat eum recipi in Syriam non oportere. Summa laus & tua & Bruti est, quòd exercitum præter spem existimamini comparasse. Scriberem plura, si rem causamq; nossem. Nunc quæ scribo, scribo ex opinione hominum atque fama. Tuas literas auide expecto. Vale.

CICERO CASSIO SAL.


Hiemem credo adhuc prohibuisse, quò minus de te certum haberemus, quid ageres, maximeq; ubi esses. Loquebantur omnes tamē, credo, quod uolebāt in Syria te esse, habere copias. id autem eò facilius credebatur, quia simile uero uidebatur. Brutus quidem noster egregiam laudem est consecutus. Res enim tantas gessit, tamq; inopinatas, ut eæ cum per se gratæ essent, tum ornatiores propter celeritatem. Quod si tu ea tenes, quæ putamus, magnis subsidijs fulta respub. est. A prima enim ora Græciæ, usq; ad Aegyptum optimorum ciuium imperijs muniti erimus & copijs. Quanquam nisi me fallebat, res se sic habebat, ut totius belli omne discrimē in D. Bruto positum uideretur: qui si, ut sperabamus, erupisset Mutina, nihil belli reliqui fore uidebatur. Paruis omnino iā copijs obsidebatur, q magno præsidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternæ noster Hirtius, ad forum Cornelium Cæsar, uterq; cū firmo exercitu: magnasq; Romæ Pansa copias ex delectu Italiæ comparat. Hiems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil nisi considerate, ut mihi crebris literis significat, actu-

rus

rus uidebatur. Præter Bononiã, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus studiosissimam reip. Tuos etiam clienteis Transpadanos mirifice coniunctos cum causa habebamus. Erat firmissimus Senatus exceptis Cõsularibus: ex quibus unus L. Cæsar firmus est & rectus, Ser. Sulpicij morte magnum præsidium amisimus. Reliqui partim inertes, partim improbi: non nulli inuident eorũ laudi, quos in rep. probari uidẽt. Populi uero R. totiusq; Italiæ mira cõsensio est. Hæc erant ferè, quæ tibi nota esse uellem. Nunc autẽ opto, ut ab istis orientis partibus uirtutis tuæ lumen eluceat. Vale.

CICERO CASSIO. SAL.



Vi status rerum fuerit tum, cum has literas dedi, scire poteris ex C. Tidio Strabone, uiro bono, & optime de rep. sentiente. Nam quid dicã cupidissimo tui, qui domo & fortunis relictis, ad te potissimum profectus sit? Itaq; eum tibi ne cõmendo quidem: aduẽtus ipsius ad te satis eum commendabit. Tu uelim sic existimes, tibiq; persuadeas, omne perfugium bonorũ in te & Bruto esse positum, si (quod nolim) aduersi quid euenerit. Res, cum hæc scribebam, erat in extremum adducta discrimen. Brutus enim Mutinæ uix iam sustinebat. Qui si conseruatus erit, uicimus: sin (quod Dij omen auertant), omnis omnium cursus est ad uos. Proinde fac animum tantum habeas, tantumq; apparatum, quanto opus est ad uniuersam rempub. recuperandam. Vale.

CICERO CASSIO SAL.



Vanto studio dignitatem tuam & in Senatu, & ad populum defenderim: ex tuis te malo, quàm ex me cognoscere. Quæ mea sententia in Senatu facile ualuisset, nisi Pansa uehementer obstitisset. Ea sententia dicta, productus sum in concionẽ à Trib. Pl. M. Seruilio. Dixi de te quæ potui, tanta contentione, quantum forum est: tanto clamore, cõsensuq; populi, ut nihil unquam simile uiderim. Id uelim mihi ignoscas. q; inuita socru tua fecerim. Mulier timida uerebatur, ne Pansæ animus offenderetur. In concione quidem Pansa dixit matrem quoq; tuam, & fratrem, illam à me sententiam noluisse dici. Sed me hæc non mouebant: alia malebam. Fauebam & reipub. cui semper faui, & dignitati ac gloriæ tuæ. Quod autem & in Senatu pluribus uerbis disserui, dixi in concione, in eo uelim fidem meam liberes. Promisi enim & propè confirmaui, te nõ expectasse, nec expectaturum decreta nostra: sed teipsum tuo more rempu. defensurũ. & quãquam nihildum audieramus, nec ubi esses, nec quas copias haberes: tamen sic statuebam, omnes quæ in istis partibus essent, opes copiasq; tuas esse: per teq; Asiam prouinciam confidebam iam reip. recuperatam. Tu fac in augenda gloria te ipsum uincas. Vale.

CICERO CASSIO SAL.



Celus adfinis tui Lepidi, summamq; leuitatem et inconstantiam, ex actis, quæ ad te mitti certo scio, cognosse te arbitror. Itaq; nos confecto bello, ut arbitrabamur, renouatum bellũ gerimus: speq; omnem in D. Bruto & Planco habemus: si uerum quæris, in te, & in meo Bruto non solum ad præsens perfugium, si (quod nolim) aduersi quid acciderit, sed etiã ad cõfirmationẽ perpetuæ libertatis. Nos hic de Do-

C. CASSIVS PROCOS. S.D. M. CICERONI.

S. V.B.E.E.Q.V. In Syriam me profectum esse scito ad L. Murcum, & Q. Crispum. Impp. Viri fortes optimiq; ciues postea quàm audierunt quæ Romæ gererentur, exercitus mihi tradiderunt, ipsiq; mecum unà fortissimo animo rempub. administrant. Item legionem quam Q. Cæcilius Bassus habuit, ad me uenisse scito. Quatuorq; legiones, quas A. Allienus ex Aegypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito. Nūc te cohortatione non puto indigere, ut nos absenteis, rēq; pub. quantū est in te, defendas. Scire te uolo, firma præsidia uobis Senatuiq; non deesse, ut optima spe, & maximo animo remp. defendas. Reliqua tecum aget L. Carteius familiaris meus. Vale. D. Non. Mart. ex castris Taricheis.

CASSIVS PROCOS. S.D. M. CICERONI SVO.

S. V.B.E.E.Q.V. Legi tuas literas, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognoui. Videbaris enim non solum fauere nobis, id quod & nostri & reip. causa semper fecisti: sed etiam grauem curā suscepisse, uehementerq; esse de nobis solicitus. Itaque, quod te primum existimare putabam, nos oppressa repu. quiescere non posse: deinde cum suspicarere nos moliri, quod te solicitum esse & de salute nostra, & de rerū euentu putabam: simul ac legiones accæpi, quas A. Allienus eduxerat ex Ægypto, scripsi ad te, tabellariosq; cōplures Romā misi. Scripsi etiam ad Senatum literas, quas reddi uetui prius q̄ tibi recitatæ essent: si forte mei obtēperare mihi uoluerint. Quòd si literæ perlatæ nō sunt, non dubito, quin Dolabella, qui nefarie Trebonio occiso Asiam occupauit, tabellarios meos deprehenderit, literasq; intercæperit. Exercitus omneis qui in Syria fuere, teneo. Habeo paululum moræ, dum promissa militibus persoluo. Nunc iam sum expeditus. A te peto, ut dignitatem meam commendatam tibi habeas, si me intelligis nullum neque periculum, neque laborem patriæ denegasse: si contra importunissimos latrones arma cæpi te hortante, & auctore: si non solum exercitus ad rēpub. libertatemq; defendendam comparaui, sed etiam crudelissimis tyrānis eripui. Quos si occupasset Dolabella, non solum aduentu: sed etiam opinione & expectatione exercitus sui, Antonium confirmasset. Quas ob res milites tuere, si eos mirifice de repub. meritos esse animaduertis: & effice, ne quem pœniteat, rempub. quàm spem prædæ & rapinarum, sequi maluisse. Item Murci & Crispi Impp. dignitatem, quantum est in te, tuere. Nam Bassus misere noluit mihi legionem tradere. Quòd nisi milites inuito eo Legatos ad me misissent, clausam Apameā tenuisset, quoad ui esset expugnata. Hæc à te peto, non solum reipu. quæ tibi semper fuit carissima: sed etiam amicitiæ nostræ nomine, quam cōfido apud te plurimum posse. Crede mihi, hunc exercitum, quem habeo, Senatus atque optimi cuiusq; esse, maximæq; tuum. De cuius uoluntate assidue audiēdo, mirifice te diligit, carumq; habet. Qui si intellexerit cōmoda sua curæ tibi esse, debere etiam se tibi omnia putabit. Literis scriptis audij Dolabellam in Ciliciam uenisse cum suis copijs: proficiscar in Ciliciam. quid egerim, celeriter ut scias, dabo operam. Ac uelim ut meremur de rep. sic felices simus. Fac ualeas, meq; ames. Non. Mai. ex castris. Vale.

C. CASSIVS Q. S.D. M. CICERONI.

S. V. B. E. V. Cum reipub. uel salute, uel uictoria gaudemus: tum instauratione tuarum laudum, quòd maximus Consularis maximum Consulem teipse uicisti, & lætamur, & mirari satis non possumus. Fatale nescio quid tuæ uirtuti datum: id quod sæpe iam experti sumus. Est enim tua toga omnium armis felicior, quæ nunc quoque nobis penè uictam rempub. ex manibus hostium eripuit ac reddidit. Nunc ergo uiuemus liberi. nunc te omnium maxime ciuis & mi carissime, id quod maxime reipub. tenebris comperisti. nunc te habebimus testem nostri & in te, & in coniunctissimam tibi rempub. amoris. & quæ sæpe pollicitus es, te & taciturum, dum seruiremus: & dicturum de me, tum, cum mihi profutura essent, nunc illa non ego quidem dici tantopere desiderabo, quàm sentiri à teipso. Neque enim omnium iudicio malim me à te commendari, quàm ipse tuo iudicio digne ac mereor, commendatus esse: ut hæc nouissima nostra facta non subita, nec inconuenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum tu testis es, fuisse iudices: méque ad optimam spem patriæ non minimum tibi ipsi producendum putes. Sunt tibi M. Tulli liberi propinquiq; digni quidem te, & merito tibi carissimi. esse etiam debent in repub. proxime hos cari, qui studiorum tuorum sunt æmuli, quorum esse cupio tibi copiam: sed tamen non maxima me turba puto excludi, quò minus tibi uacet me excipere, & ad omnia quæ uelis & probes, producere. Animum tibi nostrum fortasse probabimus. ingenium diutina seruitus certè qualecunque est, minus tamen quàm erat, passa est uideri. Nos ex ora maritima Asiæ prouinciæ, & ex insulis, quas potuimus, naueis deduximus. Delectum remigum, magna contumacia ciuitatum, tamen satis celeriter habuimus. Secuti sumus classem Dolabellæ, cui Lucilius præerat: qui spem sæpe transitionis præbendo, neque unquam non decedendo, nouissime Corycum se contulit, & clauso portu se tenere cœpit. Nos illa relicta, quòd & in castra peruenire satius esse putabamus, & sequebatur classis altera, quam anno priore in Bithynia Tullius Cimber compararat, cui Turulius Quæstor præerat, Cyprum petiuimus. Ibi, quę cognouimus, scribere ad uos quamcelerrime uoluimus. Dolabellam ut Tarsenses pessimi socij, ita Laodiceni multo amentiores ultro arcessierunt. ex quibus utrisque ciuitatibus, Græcorum militum numero, speciem exercitus effecit. Castra habet ante oppidum Laodiceam posita: & partem muri demolitus est, & castra oppido coniunxit. Cassius noster cum decem legionibus & cohortibus. XX. auxiliarijs, & quatuor millium equitatu, à millibus passuum. XX. castra habet posita πάλτῳ: & existimat se sine prælio posse uincere. Nam iam ternis tetradrachmis triticum apud Dolabellam est: nisi quid nauibus Laodicenorum supportarit, cito fame pereat, necesse est. Ne supportare possit, & Cassij classis bene magna, cui præest Sextilius Rufus, & tres, quas nos adduximus, ego, Turulius, Patiscus, facile pręstabunt. Et uolo bene sperare: & rempub. ut uos istic expedijstis, ita pro nostra parte celeriter nobis expediri posse, confidere. Vale. Data Id. Iun. Cypro à Crommyu acride.

Lentulus

LENTVLVS CICERONI SVO SAL. PLVR. DIC.



CVm Brutum nostrum conuenissem,cumq; tardius in Asiam uenturum animaduerterem,in Asiã redij,ut reliquias mei laboris colligerem,& pecuniam quamprimum Romam mitterem. Interim cognoui in Lycia esse classem Dolabellæ, ampliusq; centum naueis onerarias,in quas exercitus eius imponi posset.Idq; Dolabellam ea mente comparasse,ut si Syriæ spes eum frustrata esset,conscenderet in naueis,& Italiam peteret,seq; cum Antonijs & reliquis latronibus cõiungeret. Cuius rei tanto in timore fui,ut omnibus rebus relictis cum paucioribus & minoribus nauibus ad illas ire conatus sim.Quæ res,si à Rhodijs non essem interpellatus,fortasse tota sublata esset:tamẽ magna ex parte profligata est. Quũ quidem classis dissipata est: aduentus nostri timore milites ducesq; effugerunt:onerariæ omnes ad unam à nobis sunt exceptæ.Certè,quod maxime timui,uideor esse consecutus,ut non possit Dolabella in Italiam peruenire,nec suis socijs firmatis durius uobis efficere negotium.Rhodij nos,& rempub. q̃ ualde desperauerint,ex literis,quas publice misi,cognosces.Et quidem multo parcius scripsi,mirari noli:mira est eorum amẽtia.nec me meæ ullæ priuatim iniuriæ unquam,malus animus eorum in nostra salute, cupiditas partiũ aliarum,perseuerantia in contemptione optimi cuiusq;,ferenda mihi nõ fuit. nec tamen omneis perditos esse puto. Sed ijdem illi qui tum fugientem patrem meum,qui L. Lentulum,qui Pompeium,qui cęteros uiros clarissimos non recæperunt,ijdem tanquam aliquo fato & nunc aut magistratum gerũt, aut eos qui sunt in magistratu,in sua habẽt potestate.itaque eadem superbia in prauitate utuntur. Quorum improbitatem aliquando retundi,& non pati impunitate augeri,non solum utile,est reip.nostræ, sed etiam necessarium. De nostra dignitate uelim tibi ut semper curæ sit,& quocunque tempore occasionem habueris, & in Senatu, & cæteris rebus laudi nostræ suffragere. Quum Consulibus decreta est Asia,& permissum est his, ut dum ipsi uenirent,darent negotium,qui Asiam obtineant:rogo te petas ab his,ut hanc dignitatem potissimum nobis tribuant,& mihi dent negotium,ut Asiam obtineam,dum ipsorum alteruter uenit. Nam quòd huc properent in magistratu uenire,aut exercitum mittere,causam non habent. Dolabella enim in Syria est:& ut tu diuina tua mente prospexisti & prædicasti,dum isti ueniunt, Cassius eum opprimet.Exclusus enim ab Antiochia Dolabella,& in oppugnando male accæptus,nulla alia confisus urbe,Laodiceam quæ est in Syria ad mare,se cõtulit.ibi spero celeriter eum pœnas daturum.Nam neque quò refugiat,habet:neq; diutius ibi poterit tãtum exercitum Cassij sustinere. Spero etiam confectum esse iam & oppressum Dolabellã.Quare non puto Pansam & Hirtium in Consulatu properaturos in prouincias exire; sed Romæ acturos Consulatum.Itaque si ab his petieris,ut interea nobis procurationẽ Asiæ dent,spero te posse impetrare. Prętera mihi promiserũt Pansa & Hirtius corãm,& absenti mihi scripserunt: Verrioq; nostro Pansa affirmauit se daturum operam,ne in suo Consulatu mihi succedatur. Ego porrò non medius fidius cupiditate prouinciæ produci longius spatiũ mihi uolo.nam mihi fuit ista prouincia plena laboris,periculi,detrimẽti.quæ ego ne frustra subie-

rim,neue prius,quàm reliquias meæ diligentiæ consequar, decedere cogar, ualde laboro. Nam si potuissem,quam exegeram,pecuniam uniuersam mitte re,postularem,ut mihi succederetur. Nunc quod Cassio dedi, quod Trebonij morte amisimus,quod etiam crudelitate Dolabellæ,aut perfidia eorum, qui mihi fidē reiq; pub.non præstiterunt,id consequi & reficere uolo. Quod aliter non potest fieri,nisi spatium habuero.id ut per te consequar, uelim,ut solet,tibi curæ sit. Ego me de rep.puto esse meritum,ut non prouinciæ istius beneficium expectare debeam,sed tantum,quantum Cassius & Bruti,nō solum illius facti periculiq; societate,sed etiam huius temporis studio & uirtute. Primus enim ego leges Antonias fregi: primus equitatum Dolabellæ ad rempublicam traduxi,Cassioq; tradidi: primus delectus habui pro salute omnium contra coniurationem sceleratissimam: solus Cassio & reipu. Syriam exercitusq;,qui ibi erant,coniunxi. Nam nisi ego tantam pecuniam, tantaq; præsidia,& tam celeriter Cassio dedissem,ne ausus quidem esset ire in Syriā: & nunc non minora pericula reip. à Dolabella instarent,quàm ab Antonio. Atq; hæc omnia is feci,qui sodalis,& familiarissimus Dolabellæ eram,coniunctissimus sanguine Antonijs,prouinciam quoq; illorum beneficio habebam: sed πατρίδ' ἀεὶ μᾶλλον φιλῶν omnibus meis bellum primus indixi. Hæc etsi adhuc non magno opere mihi tulisse fructum animaduerto, tamen non despero: nec defatigabor permanere,nō solum in studio libertatis, sed etiam in labore & periculis. Attamen si etiam aliqua gloria iusta & merita prouocabimur,Senatus,& optimi cuiusq; officijs,maiore cum auctoritate apud cæteros erimus,& eo plus prodesse reip. poterimus. Filium tuum, ad Brutum cum ueni,uidere non potui,ideo q iam in hiberna cum equitibus erat profectus. sed mediusfidius ea esse eum opinione,& tua & ipsius,& in primis mea causa gaudeo. Fratris enim loco mihi est,qui ex te natus,teq; dignus est. Vale. D. IIII. K. Iun. Pergæ.

P. LENTVLVS P. F. PROQ. PROPR. S. D. COSS. PRETT. TRIBB. PL. SENATVI P. PLEBIQ; R.

S. V. L. V. V. B. E. V. Scelere Dolabellæ oppressa Asia,in proximam prouinciam Macedoniam præsidiaq; reip. quæ M. Bru. V. C. tenebat,me cōtuli: & id egi,ut per quos celerrime possent, Asia prouincia,uectigaliaq; in uestram potestatē redigerentur. Quod cum pertimuisset Dolabella,uastata prouincia,correptis uectigalibus,præcipue ciuibus R. omnibus crudelissime denudatis ac diuēditis, celeriusq; Asia excessisset,quàm eo præsidium adduci potuisset: diutius morari aut expectare præsidium non necesse habui: & quamprimum ad meum officium reuertendum mihi esse existimaui,ut & reliqua uectigalia exigerem, & quam deposui pecuniam,colligerem: quicquid ex ea correptum esset, aut quorum id culpa accidisset,cognoscerē q̄primum,& uos de omni re facerem certiores. Interim cum per insulas in Asiam nauiganti mihi nunciatū esset,classem Dolabellæ in Lycia esse,Rhodiosq; naueis complureis instructas & paratas in aqua habere,cum his nauibus,quas aut mecum adduxeram, aut comparauerat Patiscus Proq. homo mihi cum familiaritate,tum etiam sensibus in rep. cōiunctissimus,Rhodū reuerti cōsisus auctoritate uestra, S. C. quo hostē Dolabellam

Dolabellam iudicaratis: fœdere quoq;,quod cum his M.Marcello, Seruio Sulpicio renouatum erat,quo iurauerant Rhodij eosdem hosteis se habituros,quos.S.P.Q.R.Quæ res nos uehementer fefellit.Tantum enim abfuit, ut illorum præsidio nostram firmaremus classem:ut etiam à Rhodijs urbe, portu,statione,quæ extra urbem est,commeatu, aqua denique prohiberentur nostri milites: nos uix ipsi singulis cũ nauigiolis reciperemur.Quã indignitatem diminutionemq; maiestatis non solum iuris nostri,sed etiam imperij populiq; Romani,idcirco tulimus,quòd intercæptis literis cognoramus Dolabellam,si desperasset de Syria, Aegyptoq;, quod necesse erat fieri, in naueis cum omnibus suis latronibus atque omni pecunia conscendere esse paratum, Italiamq; petere. Idcirco etiam naues onerarias,quarum minor nulla erat duum millium amphorûm contractas in Lycia à classe eius obsideri. Huius rei timore. P.C. percitus,iniurias perpeti,& cum contumelia etiam nostra omnia prius experiri malui. Itaque ad illorum uoluntatem introductus in urbem,& in Senatum eorum,quamdiligentissime potui causam reipub.egi:periculumq; omne,quod instaret,si ille latro cum suis omnibus naueis conscendisset,exposui.Rhodios autem tanta in prauitate animaduerti, ut omneis firmiores putarent,quàm bonos:ut hanc concordiam & conspirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem,propense non crederent esse factam:ut patientiam Senatus,et optimi cuiusq; manere etiam nunc confiderent,nec potuisse audere quenquam Dolabellam hostem iudicare:ut deniq; omnia,quæ improbi fingebant,magis uera existimarẽt,quàm quæ uere facta erant,& à nobis docebantur.Qua mente etiã ante nostrũ aduentum, post Trebonij indignissimam cædem, ceteraq; tot,tamq; nefaria facinora, binæ profectæ erant ad Dolabellam legationes eorum,& quidem nouo exemplo,contra leges ipsorum,prohibentibus ijs,qui tum magistratus gerebant.Hæc siue timore(ut dictitant)de agris quos in continenti habent,siue furore,siue patientia paucorum,qui & antea pari contumelia uiros clarissimos affecerant,& nunc maximos magistratus gerentes,nullo exemplo,neq; uestra ex parte,neq; nostro præsentium,neq; imminẽti Italiæ,urbiq; nostræ periculo,si ille parricida cum suis latronibus,nauibus ex Asia Syriaq; expulsus Italiam petijsset,mederi cum facile possent,noluerunt. Nonnullis etiam ipsi magistratus ueniebãt in suspicionem,detinuisse nos,& demorati esse,dũ classis Dolabellæ certior fieret de aduentu nostro.Quam suspicionẽ consecutæ res aliquot auxerũt.maxime q; subito ex Lycia Sext.Marius et C.Titius Legati Dolabellę à classe discesserunt,nauiq; longa profugerũt,onerarijs relictis,in quibus colligẽdis non minimum tẽporis laborisq; consumpserunt. Itaque cum à Rhodo cum quas habueramus, nauibus in Lyciã uenissemus, naueis onerarias recæpimus,dominisq; restituimus:idemq;, quod maxime uerebamur,ne posset Dolabella cũ suis latronibus in Italiã uenire, timere desijmus,classem fugiẽtem persecuti sumus usq; Sidam,quæ extrema regio est prouinciæ meæ.Ibi cognoui partẽ nauiũ Dolabellæ diffugisse,reliquas Syriã Cyprumq; petijsse.Quibus disiectis,cũ scirẽ C.Cassij singularis ciuis & ducis classem maximã fore præsto,in Syriã ad meum officiũ reuerti:daboq; operã,ut meum studium,diligentiã uobis P.C.reiq; pub. præstẽ: pecuniãq; q̃ maximã potero,et q̃ celerrime cogã,omnibusq; rationibus ad uos mittã.Si

percurrero prouinciã,& cognouero qui nobis & reip.fidem præstiterunt in conseruanda pecunia à me deposita,quiq́; scelere ultro deferentes pecuniã publicã hoc munere societatẽ facinorum cum Dolabella inierũt,faciam uos certiores. De quibus, si uobis uidebitur,si,ut meriti sunt, grauiter constitueritis,nosq́; uestra auctoritate firmaueritis: facilius & reliqua exigere uectigalia,et exacta seruare poterimus. Interea quò commodius uectigalia tueri,prouinciamq́; ab iniuria defendere possim, præsidium uoluntarium necessariumq́; cõparaui. His literis scriptis,milites circiter.XXX.quos Dolabella ex Asia conscripserat,è Syria fugientes in Pamphyliam uenerunt.hi nuntiauerunt Dolabellam Antiocheam,quæ in Syria est,uenisse:nõ receptum,conatum esse aliquoties ui introire,repulsum semper esse cum magno suo detrimento. Itaq; centum circiter amissis,ægris relictis,noctu Antiochea profugisse Laodiceam uersus. Ea nocte omneis fere Asiaticos milites ab eo discessisse:ex his ad octingẽtos Antiocheã rediisse,& se iis tradidisse,qui à Cassio relicti urbi illi præerant:ceteros per Amanum in Ciliciam descendisse: quo ex numero,se quoque esse dicebant: Cassium autem cum suis omnibus copiis nuntiatum esse quatridui iter Laodicea abfuisse tum,cum Dolabella eo tenderet. Quamobrem opinione celerius cõfido sceleratissimum latronem pœnas daturum. IIII.Non.Iun.Pergæ.

TREBONIVS CICERONI SAL.

SI V.B. Athenas ueni ad .XI.K. Iun.atque ibi,quod maxime optabam,uidi filium tuum deditum optimis studiis,summaq́; modestiæ fama. Qua ex re quantam uoluptatem cęperim,scire potes etiam me tacente. non enim nescis quãti te faciam,& q̃ pro nostro ueterrimo,uerissimoq́; amore omnibus tuis etiam minimis commodis, non modo tanto bono,gaudeam. Noli putare mi Cicero me hoc auribus tuis dare. nihil adolescente tuo,atque adeò nostro (nihil enim mihi à te potest esse seiunctum) aut amabilius omnibus iis,qui Athenis sunt,est:aut studiosius earum artium,quas tu maxime amas,hoc est,optimarum. Itaque tibi,quod uere facere possum,libẽter quoq; gratulor,nec minus etiam nobis:quòd eum, quem necesse erat diligere,qualiscunq; esset,talem habemus, ut libẽter quoque diligamus. Qui cum mihi in sermone iniecisset se uelle Asiam uisere,nõ modo inuitatus,sed etiam rogatus est à me,ut id potissimum nobis obtinentibus prouinciam faceret. Cui nos & caritate & amore tuum officiũ præstaturos non debes dubitare. Illud quoq; erit nobis curę,ut Cratippus unà cum eo sit,ne putes in Asia feriatũ illũ ab iis studiis,in quæ tua cohortatione incitatus,futurum. Nam illum paratum ut uideo,& ingressum pleno gradu,cohortari non intermittemus,quo in dies longius discendo exercẽdoq́; se,procedat. Vos quid ageretis in rep.cũ has literas dabã,non sciebã. Audiebã quædã turbulenta,quæ scilicet cupio esse falsa:ut aliquando otiosa libertate fruamur,quod uel minime mihi adhuc cõtigit. Ego tamẽ nactus in nauigatione nostra pusillũ laxamẽti,cõcinnaui tibi munusculũ ex instituto meo:et dictũ, cũ magno nostro honore à te dictũ, conclusi, & tibi infra subscripsi. In quibus uersiculis si tibi quibusdam uerbis ἀθυρημονέστερος uidebor:turpitudo personæ eius,in quã liberius inuehimur,nos uindicabit. Ignosces etiã iracundiæ

nostræ,

nostræ,quæ iusta est in eiusmodi & homines & ciues. Deinde qui magis hoc Lucilio licuerit assumere libertatis,quàm nobis? cum etiam si odio par fuerit in eos quos læsit,tamen certè non magis dignos habuerit,in quos tanta libertate uerborum incurreret. Tu sicut mihi pollicitus es,adiunges me quamprimum ad tuos sermones. Nãq; illud non dubito,quin,si quid de interitu Cæsaris scribas,non patiaris me minimam partem,& rei & amoris tui ferre. Vale & matrem meosq; tibi commendatos habe. D.VIII.K.Iun. Athenis.

CICERO SD. CORNIFICIO. COLLEGAE.



Rata mihi uehementer est memoria nostri tua , quam significasti literis:quam ut conserues,non quo de tua cõstantia dubitem , sed quia mos est ita rogãdi,rogo. Ex Syria nobis tumultuosiora quędam nuntiata sunt.quæ quia tibi sunt propiora, quàm nobis , tua me causa magis mouẽt,quàm mea. Romæ summum otium est,sed ita,ut malis salubre aliquod & honestum negotium : quod spero fore , uideo id curæ esse Cæsari. Me scito,dum tu absis , quasi occasionem quandam & licentiam nactum,scribere audacius:& cetera quidem fortasse,quæ etiam tu concederes.sed proxime scripsi de optimo genere dicẽdi,in quo sæpe suspicatus sum te à iudicio nostro,sic scilicet,ut doctum hominem à non indocto , paululum dissidere. Huic tu libro,maxime uelim ex animo:si minus,gratię causa,suffragere. Dicam tuis,ut eum,si uelint,describant,ad teq; mittant. Puto enim, etiã si rem minus probabis,tamen in ista solitudine quidquid à me profectum sit, iucundum tibi fore. Quod mihi existimationem tuam,dignitatemq; commẽdas,facis tu quidem omnium more:sed uelim sic existimes, me , cum amori, quem inter nos mutuum esse intelligam,plurimum tribuam,tum de summo ingenio,& de studijs tuis optimis,& de spe amplissimæ dignitatis ita iudicare,ut neminem tibi anteponam,comparem paucos.

CICERO S.D. CORNIFICIO COLLEGAE.



Vod extremum fuit in ea epistola,quam à te proxime accæpi , ad id primum respondebo. Animum aduorti enim hoc uos magnos oratores facere nonnunq̃. Epistolas requiris meas:ego autem nũquam,cum mihi denuntiatum esset à tuis ire aliquem , non dedi. Quod mihi uideor ex tuis literis intelligere,te nihil commissurum esse temere,nec ante q̃ scisses,quò iste nescio qui Cæcilius Bassus erumperet,quidquã certi constituturũ:id ego & speraram prudentia tua fretus:& ut cõsiderem, fecerunt tuæ gratissimæ mihi literę. Idque ut facias quã sæpissime,ut & quid tu agas,& quid agatur,scire possim,& etiam quid acturus sis,ualde te rogo. Etsi periniquo patiebar animo te à me digredi:tamen eo tempore me consolabar,quòd & in summum otium te ire arbitrabar,& ab impendentibus magnis negotijs discedere. Vtrunque contrà accidit. Istic enim bellum est exortum,hic pax consecuta:sed tamẽ eiusmodi pax,in qua si adesses,multa te non delectarent,ea tamen,quæ ne ipsum Cæsarem quidem delectant. Bellorum enim ciuiliũ hi semper exitus sunt:ut nõ ea solũ fiant,quę uelit uictor,sed etiã ut his mos gerendus sit,quibus adiutoribus sit parta uictoria. Equidem sic iam obdurui,ut ludis Cæsaris nostri animo æquissimo uiderem T. Plancũ, audirem Laberij & Publij poemata. Nihil mihi tã deesse scito,quàm qui cũ

hæc familiariter docteq; rideam. Is tu eris, si quàmprimum ueneris. Quod ut facias, non mea solum, sed etiam tua interesse arbitror.

CICERO CORNIFICIO SAL.


Ibentissime legi tuas literas: in quibus iucundissimum mihi fuit, quòd cognoui meas tibi redditas esse. Nõ enim dubitabam, quin eas lubenter lecturus esses: uerebar, ut redderentur. Bellum quod est in Syria, Syriamq; prouinciam tibi tributam esse à Cæsare, ex tuis literis cognoui. eandem rem tibi uolo bene & feliciter euenire. Quod ita fore confido, fretus & industria & prudentia tua. Sed de Parthici belli suspicione quod scribis sanè me commouit. Quantum copiarũ haberes, cum ipse coniectura consequi poteram, tum ex tuis literis cognoui. Itaque opto, ne se illa gens moueat hoc tempore, dum ad te legiones hæ perducantur, quas audio duci. Quod si pares copias ad confligendum non habebis, non te fugiet uti consilio M. Bibuli, qui se oppido munitissimo & copiosissimo tamdiu tenuit, quandiu in prouincia Parthi fuerunt. Sed hæc melius ex re & ex tẽpore cõstitues. Mihi quidẽ usq; curæ erit quid agas, dum quid egeris, sciero. Literas ad te nunq̃ habui cui darẽ, quin dederim. A te, ut idem facias, peto: in primisq;, ut ita ad tuos scribas, ut me tuum sciant esse.

CICERO CORNIFICIO.


Ratæ mihi tuæ literæ, nisi q; Sinuessanũ diuersoriolũ contẽpsisti. Quã quidẽ contumeliã uilla pusilla iniquo animo feret, nisi in Cumano & Põpeiano reddideris πάντα περὶ πάντων. Sic igitur facies, meq; amabis, & scripto aliquo lacesses. Ego enim respondere facilius possum, q̃ prouocare. Quòd si, ut es, cessabis, lacessam: nec tua ignauia etiam inertiam afferet. Plura otiosus. Hæc cum essem in Senatu, exaraui.

CICERO CORNIFICIO.


. Anicius familiaris meus, uir omnibus rebus ornatus, negotiorum suorum causa legatus est in Africam legatione libera: eum uelim rebus omnibus adiuues, operamq; des, ut q̃ cõmodissime sua negotia conficiat. In primisq; quod ei carissimum est, dignitatem eius tibi commendo, idq; à te peto, quod ipse in prouincia facere sum solitus non rogatus, ut omnibus Senatoribus lictores darem: quod idem acceperã & cognoueram à summis uiris factitatum. Hoc igitur mi Cornifici, facies: cæterisq; rebus omnibus, eius dignitati, reiq;, si me amas, consules. erit id mihi gratissimum. Da operam, ut ualeas.

CICERO CORNIFICIO. SAL.


Os hic cum homine gladiatore, omnium nequissimo Collega uestro Antonio bellũ gerimus: sed nõ pari condicione contra arma uerbis. At etiã de te concionatur, nec impune: nã sentiet, quos lacessierit. Ego autem acta ad te omnia arbitror perscribi ab aliis: à me futura debes cognoscere, quorũ quidem non est difficilis coniectura. Oppressa omnia sunt: nec habent ducẽ boni: nostriq; τυραννοκτόνοι lõge gentiũ absunt: Pansa & sentit bene & loquitur fortiter: Hirtius noster tardius cõualescit. Quid futurũ sit, plane nescio. Spes tamẽ una est, aliquãdo populũ R. maiorũ similẽ fore. Ego certe reip. non deero: & quidquid acciderit, à quo mea

culpa

culpa absit, animo forti feram. Illud profecto quoad potero: tuam famã & dignitatem tuebor. Ad. XIII. K. Ian. Senatus frequens mihi est assensus, cum de cæteris rebus magnis & necessarijs, tũ de prouincijs ab ijs, qui obtinerent, retinendis, neque cuiquam tradendis, nisi qui ex. S. C. successisset. Hoc ego cum reipub. causa censui, tum mehercule in primis retinendæ dignitatis tuæ. Quamobrem te amoris nostri causa rogo, reipu. causa hortor, ut ne cui quidquam iuris in tua prouincia esse patiare: atque ut omnia referas ad dignitatẽ, qua nihil esse potest præstantius. Vere tecum agam, ut necessitudo nostra postulat: in Sempronio si meis literis obtemperasses, maximã ab omnibus laudẽ adeptus esses. Sed illud & præterijt, & leuius est. Hæc magna res est. Fac ut prouinciam retineas in potestate reip. Plura scripsissem, nisi tui festinarẽt. itaq; Cherippo nostro me uelim excuses. Vale.

CICERO CORNIFICIO SAL.



Mnem condicionem imperij tui statumq; prouinciæ mihi demõstrauit Stratorius. O multa intolerabilia locis omnibus. Sed quo tua maior dignitas, eo quæ tibi acciderunt minus ferenda. Neque enim quæ tu propter magnitudinem & animi & ingenij moderate fers, à te non ulciscenda sunt, etiam si non sunt dolenda. Sed hæc posterius. Rerum urbanarũ acta tibi mitti certò scio. quod ni ita putarẽ, ipse perscriberem, in primisq; Cæsaris Octauiani conatum, de quo multitudini fictum ab Antonio crimen uidetur. ut in pecuniam adolescentis impetum faceret. Prudentes autem & boni uiri, & credunt factum & probant. Quid quæris? magna spes est in eo. nihil est quod non existimetur laudis & gloriæ causa facturus. Antonius autem noster familiaris, tanto se odio esse intelligit, ut cum interfectores suos domi comprehenderit, rem proferre non audeat. Ad. VII. Id. Oct. Brundisiũ erat profectus obuiã legionibus Macedonicis. IIII. quas sibi cõciliare pecunia cogitabat, easq; ad urbem adducere, et in ceruicibus nostris collocare. Habes formam reipu. si in castris potest esse respub. In qua tuam uicem sæpe doleo, quòd nullam partem per ætatem sanæ & saluæ reipub. gustare potuisti. Atque ante hac quidem sperare saltem licebat: nunc etiã id ereptum est. Quæ enim est spes, cum in concione dicere ausus sit Antonius, Cannutium apud eos locum sibi quærere, quibus se saluo locus in ciuitate esse non posset? Equidem & hæc & omnia quæ homini accidere possunt, sic fero, ut philosophiæ magnam habeam gratiam, quæ me nõ modo à solicitudine abducit, sed etiam contra omneis fortunæ impetus armat: tibiq; idem censeo faciundum, nec à quo culpa absit, quicquam in malis numerandum. Sed hæc tu melius. Stratorium nostrum cum semper probassem, tum maxime in tuis rebus summam eius fidem, diligentiam, prudẽtiamq; cognoui. Da operam, ut ualeas, hoc mihi gratius facere nihil potes.

CICERO CORNIFICIO SAL.



Go nullum locum prætermitto (nec enim debeo) non modo laudandi tui, sed ne ornãdi quidem. Sed mea studia erga te & officia malo tibi ex tuorum literis, quàm ex meis esse nota. Te tamen hortor, ut omni cura in rempub. incumbas. hoc est animi, hoc est ingenij tui, hoc eius spei, quam habere debes amplificandæ dignitatis tuę.

Sed hac de re aliàs ad te pluribus.cum enim hæc scribebam, in expectatione erant omnia.nondum Legati redierant,quos Senatus non ad pacem deprecandã,sed ad denũtiandũ bellũ miserat,nisi Legatorũ nuntio paruisset. Ego tamẽ ut primum occasio data est,meo pristino more remp.defendi:me principe Senatui populoq́; R.professus sum:nec postea,q̃ suscepi causam libertatis,minimum tempus amisi tuendæ salutis, libertatisq́; communis. Sed hæc quoque te ex alijs malo. T. Pinarium familiarissimum meum,tanto tibi studio commendo, ut maiore non possim. Cui cum propter omneis uirtutes, tum etiam propter studia communia sum amicissimus. Is procurat rationes negotiaq́; Dionysii nostri,quem & tu multum amas,& ego omnium plurimum. Ea tibi ego non debeo commendare: sed commendo tamen. Facies igitur,ut ex Pinarij gratissimi hominis literis tuum & erga illũ,& erga Dionysium studium perspiciamus.

CICERO CORNIFICIO SAL.

Liberalibus literas accæpi tuas,quas mihi Cornificius altero uicesimo die,ut dicebat reddidit. Eo die non fuit Senatus,neq́; postero. Quinquatribus frequẽti Senatu causam tuam egi non inuita Minerua. Etenim eo ipso die Senatus decreuit:ut Minerua nostra,custos urbis,quam turbo deiecerat,restitueretur. Pãsa tuas literas recitauit. Magna Senatus approbatio consecuta est cum summo gaudio & offensione Minotauri,id est,Caluisii,& Tauri. Factũ de te. S. C. honorificum. Postulabatur autẽ,etiã illi notarentur: sed Pansa clementior. Ego mi Cornifici quo die primum in spem libertatis ingressus sum,& cunctantibus cæteris ad. XIII. K. Ian. fundamenta ieci reip. eo ipso die prouidi multum,atq́; habui rationẽ dignitatis tuæ. Mihi enim est assensus Senatus de obtinẽdis prouincijs. Nec uero postea destiti labefactare eum,qui summa cum tua iniuria contumeliaq́; reip. prouinciam absens obtinebat. Itaq́; crebras uel potius cotidianas compellationes meas nõ tulit,seq́; in urbem recæpit inuitus:neq́; solũ spe,sed certa re iam & possessione deturbatus est. Meo iustissimo honestissimoq́; cõuicio te tuam dignitatem summa tua uirtute tenuisse, prouinciæq́; honoribus amplissimis affectum, uehementer gaudeo. Quòd te mihi de Sempronio purgas,accipio excusationem:fuit enim illud quoddã egregium tempus seruitutis. Ego tuorum consiliorum auctor dignitatisq́; fautor, ira tus temporibus,in Græciam desperata libertate rapiebar,cũ me Etesiæ quasi boni ciues relinquentem rempu. prosequi noluerunt: Austerq́; aduersus maximo flatu me ad tribuleis tuos Rhegiũ retulit: atque inde uentis remis in patriam omni festinatione properaui, postridieq́; in summa reliquorum seruitute liber unus fui. Sic sum in Antonium inuectus,ut ille non ferret,omnemq́; suum uinolentum furorem in me unum effunderet: meq́; cum elicere uellet ad cædis causam,tum tentaret insidijs:quem ego ructantem & nauseantem conieci in Cæsaris Octauiani plagas. Puer enim egregius præsidium sibi primum & nobis,deinde summæ reipub. comparauit. qui nisi fuisset, Antonij reditus à Brundisio,pestis patriæ fuisset. Quæ deinceps acta sint,scire te arbitror. Sed redeamus illuc unde deuertimus. Accipio excusationem tuã de Sempronio: neque enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti. Nũc hic dies

aliam

aliam uitam defert,alios mores postulat,ut ait Terentius. Quamobrem mi Quinte conscende nobiscum,& quidem ad puppim. Vna nauis est iam bonorum omnium:cursu quam quidem nos damus operam,ut rectam teneamus:utinam prospero cursu. Sed quicunque uenti erunt,ars nostra certe non aberit. Quid enim præstare aliud uirtus potest? Tu fac,ut magno animo sis & excelso,cogitesq; omnem dignitatem tuam cum repub.coniunctam esse debere. P.Luccium mihi meum commendas:quem quibuscunque rebus potero, diligenter tuebor. Hirtium quidem & Pansam Collegas nostros homines in Consulatu reipub.salutareis alieno sane tempore amisimus,repub. Antoniano quidem latrocinio liberata,sed nondum omnino explicata:quam nos si licebit,more nostro tuebimur:quanquam admodum sumus iam defatigati. Sed nulla lassitudo impedire officium & fidem debet. Verum hæc hactenus. Ab alijs te de me,quàm à me ipso,malo cognoscere. De te audiebamus ea,quæ maxime uellemus. De Cn.Minucio,quē tu quibusdam literis ad cœlum laudibus extulisti,rumores duriores erant. Id quale sit, omninoq; quid isticagatur,facias me uelim certiorem. Q.Turius,qui in Africa negotiatus est,uir bonus & honestus,hæredes fecit similes sui Cn.Saturninum,Sex.Aufidium,C.Anneum,Q.Confidium Gallum, L.Seruilium Postumum, C. Rubellinum.ex eorum oratione intellexi gratiarum actione eos magis egere,quàm commendatione. Tāta enim liberalitate se tua usos prædicabant, ut ijs plus à te tributum intelligerem,quam ego te auderem rogare: audebo tamen,scio enim quantum ponderis mea commendatio sit habitura. Quare à te peto,ut ad eam liberalitatem,qua sine meis literis usus es, quammaximus his literis cumulus accedat. Caput autem est meæ commendationis,ne patiare Erotem Turium Q.Turij libertum,ut adhuc fecit, hæreditatem Turianam auertere,cæterisq; omnibus rebus habeas eos à me cōmēdatissimos. Magnam ex eorum splendore & obseruantia capies uoluptatem. Quod ut uelis, te uehementer etiam atque etiam rogo.

CICERO CORNIFICIO SAL.

SExt. Aufidius & obseruantia,qua me colit,accedit ad proximos; & splendore Eq.R. nemini cedit. Est autem ita temperatis moderatisq; moribus,ut summa seueritas,summa cum humanitate iungatur. Cuius tibi negotia, quæ sunt in Africa, ita commendo,ut maiore studio,magisue ex animo cōmendare non possim. Pergratum mihi feceris,si dederis operam,ut is intelligat meas apud te literas maximum pondus habuisse. Hoc te uehementer mi Cornifici rogo.

CICERO CORNIFICIO. SAL.

ADsentior tibi,eos,quos scribis Lilybæo minari,istic pœnas dare debuisse.sed metuisti,ut ais,ne nimis liber in ulciscendo uiderere. Metuisti igitur ne grauis ciuis,ne nimis fortis,ne nimis te dignus uiderere. Quod societatem reip.conseruandæ tibi mecum à patre accæptam renouas,gratū est:quæ societas inter nos semper mi Cornifici manebit. Gratum etiā illud,quòd mihi tuo nomine gratias agendas non putas: nec enim id inter nos facere debemus. Senatus sæpius pro dignitate tua appellaretur,si absentibus Coss.unquam,nisi ad rem nouam cogeretur. Itaq; nec

de HS.XX. nec de HS.DCC. quicquam agi nunc per Senatum potest. Tibi autem ex S.C. imperandum, mutuumque sumendum censeo. In repu. quid agatur, credo te ex eorum literis cognoscere, qui ad te acta debẽt perscribere. Ego sum spe bona, cõsilio, cura, labore nõ desum: omnibus inimicis reip. esse me acerrimum hostẽ præ me fero. Res neque nunc difficili loco mihi uidetur esse: & fuisset facillima, si culpa à quibusdam abfuisset.

CICERO CORNIFICIO. SAL.

NOn modo tibi, cui nostra omnia notissima sunt, sed neminem in P.R. arbitror esse, cui sit ignota ea familiaritas, quæ mihi cum L. Lamia est. Etenim magno theatro spectata est tum, cũ est ab A. Gabinio Consule relegatus, quòd libere et fortiter salutem meam defendisset. Nec ex eo amor inter nos natus est: sed quod erat uetus & magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitauit. Ad hæc officia uel merita potius, iucundissima consuetudo accedit, ut nullo prorsus plus homine delecter. Non puto te iam expectare, quibus cum tibi uerbis cõmendem, causa enim tanti amoris intelligis quæ uerba desideret, ijs me omnibus usum putato. Tantum uelim existimes, si negotia Lamiæ, procuratores, libertos, familiam, quibuscunque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurũ, quàm si ea tua liberalitas pertinuisset ad rem familiarem meam. Nec dubito, quin sine mea commendatione, quod tuum est iudicium de hominibus, ipsius Lamiæ causa studiose omnia facturus sis, quanquam erat nobis dictum, te existimare alicui. S.C. quod contra dignitatem tuam fieret, scribẽdo Lamiam adfuisse: qui omnino Coss. illis nunquam fuit ad scribendum. deinde omnia tum falsa. S.C. deferebantur. Nisi forte etiam illo Semproniano. S.C. me censes adfuisse, qui ne Romæ quidem tum fui, deque eo ad te scripsi re recenti. Sed hæc hactenus. Te mi Cornifici etiam atque etiam rogo, ut omnia Lamiæ negotia, mea putes esse: curesque ut intelligat hanc cõmendationẽ maximo sibi usui fuisse. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura ut ualeas.

CICERO CORNIFICIO SAL.

ITane? præter litigatores, nemo ad te meas literas? multæ istæ quidem. tu enim perfecisti, ut nemo sine literis meis tibi se commendatum putaret: sed quis unquam tuorum mihi dixit esse cui darem, quin dederim? aut quid iucundius, quàm cum coram tecũ loqui non possim, aut scribere ad te, aut tuas legere literas? Illud magis mihi solet esse molestum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te scribendi meo arbitratu facultas nulla detur. Nõ enim te epistolis, sed uoluminibus lacesserem: quibus quidem me à te prouocari oportebat. Quamuis enim occupatus sis, otij tamen plus habes. Aut si ne tu quidẽ uacas, noli impudens esse, nec mihi molestiã exhibere, & à me literas crebriores, cum tu mihi raro mittas, flagitare. Nam cũ antea distinebar maximis occupationibus, propterea, quod omnibus curis rẽp. mihi tuendã putabam: tũ hoc tẽpore multo distineor uehementius. Vt enim grauius ægrotant ij, qui cũ leuati morbo uidentur, in eũ de integro inciderunt: sic uehementius nos laboramus, qui profligato bello ac pene sublato renouatũ bellũ gerere conamur. Sed hæc hactenus. Tu tibi mi Cornifici fac ut persuadeas, nõ esse me tã imbecillo animo, ne dicã inhumano, ut à te uinci

uinci possim aut officijs aut amore. Non dubitabā equidē: ueruntamen multo mihi notiorem amorem tuum efficit Cherippus. O hominem semper illū quidem mihi aptū, nunc uero etiam suauem. Vultus me hercule tuos mihi expressit omnes: non solum animum ac uerba pertulit. Itaq; noli uereri, ne tibi suscēsuerim, q eodē exemplo ad me, quo ad ceteros. Requisiui equidem proprias ad me unū à te literas: sed neq; uehementer & amanter. De sumptu quē te in rem militarē facere & fecisse dicis, nihil sane possum tibi opitulari, propterea q & orbus Senatus Coss. amissis: & incredibiles angustiæ pecuniæ publicæ, quæ conquiritur undiq;, ut optime meritis militibus promissa soluantur. quod quidē fieri sine tributo posse nō arbitror. De Attio Dionysio nihil puto esse: quoniam mihi nihil dixit Stratorius. De P. Luccio nihil tibi cōcedo, quo studiosior eius sis, q̄ ego sum. est enim nobis necessarius. Sed à magistris cum contenderē de proferendo die, probarunt mihi sese, quò minus id facerent, & cōpromisso & iureiurando impediri. Quare ueniendū arbitror Luccio. quanq̄ si meis literis obtemperauerit, cū tu hæc leges, illū Romæ esse oportebit. Ceteris de rebus maximeq; de pecunia, cum Pansæ mortē ignorares, scripsisti, quæ per nos ab eo consequi te posse arbitrarere, quę te non fefellissent, si uiueret: nam te diligebat. post mortem autem eius quid fieri posset, nō uidebamus. De Venuleio, Latino, Horatio, ualde laudo. Illud non nimium probo, quod scribis, quò illi animo æquiore ferrent, te tuis etiā Legatis lictores ademisse. Honore enim cum ignominia dignis nō erant cōparandi: eosq; ex. S.C. si non decedunt, cogendos, ut decedant, existimo. Hęc fere ad eas literas, quas eodem exemplo binas accæpi. De reliquo uelim tibi persuadeas, non esse mihi meam dignitatem tua cariorem.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD C. MEMMIVM ET CÆTEROS.

M. CICERO S. D. C. MEMMIO.



ETsi non satis mihi cōstiterat, cum aliquane animi mei molestia, an potius libenter te Athenis uisurus essem, quòd iniuria, quam accæpisti, dolore me afficeret: sapientia tua, qua fers iniuriam, lætitia: tamen uidisse te mallem. Nam quod est molestię, non sane multo leuius est, cū te nō uideo: quod esse potuit uoluptatis, certe, si uidissem te, plus fuisset. Itaque nō dubitabo dare operam, ut te uideam, cum id satis cōmode facere potero. Interea qđ per literas & agi tecū, & ut arbitror, confici potest, agā nūc. Ac te illud primū rogabo, ne quid inuitus mea causa facias: sed id quod mea intelliges, tua nullam in partem multum interesse: ita mihi des, si tibi, ut id libēter facias, antè persuaseris, Cum Patrone Epicureio mihi omnia sunt: nisi quòd in philosophia uehementer ab eo dissentio. Sed et initio Romæ, cum te quoq; & tuos omneis obseruabat, me coluit in primis: & nuper cum ea quæ

uoluit de suis commodis & præmijs consecutus est, meme habuit suorum defensorum, & amicorum ferè principem, & iam à Phædro, qui nobis, cum pueri essemus, ante quàm Philonẽ cognouimus, ualde ut philosophus, postea tamen, ut uir bonus & suauis & officiosus probabatur, traditus, mihique commendatus est. Is igitur Patro, cum ad me Romam literas misisset, uti te sibi placarem, peteremq; ut nescio quid illud Epicuri parietinarũ sibi concederes: nihil scripsi ad te ob eam rem, quòd ædificationis tuæ consilium commendatione mea nolebam impediri. Idem ut ueni Athenas, cum idem ad te scriberem, rogasset: ob eam causam impetrauit, quòd te abiecisse illam ædificationem constabat inter omneis amicos tuos. Quod si ita est, & si iam tua plane nihil interest, uelim, si qua offensiuncula facta est animi tui peruersitate aliquorum (noui enim gentem illam) des te ad lenitatem, uel propter summam humanitatem, uel etiam honoris mei causa. Equidem si quid ipse sentiam, quæris, nec cur ille tantopere contendat, uideo, nec cur tu repugnes: nisi tamen multo minus tibi concedi potest, quàm illi laborare sine causa. Quanquam Patronis & orationem & causam tibi cognitam esse certo scio, honorem, officium, testamentorum ius, Epicuri auctoritatem, Phædri obtestationem, sedem, domicilium, uestigia summorum hominum sibi tuenda esse dicit. Totam hominis uitam rationemque, quam sequitur in philosophia, derideamus licet, si hanc eius contentionem uolumus reprehendere. Sed mehercules quum illi ceterisq;, quos illa delectant, non ualde inimici sumus, nescio an ignoscendum sit huic, si tantopere laborat: in quo etiam si peccat, magis ineptijs, quàm improbitate peccat. Sed ne plura (dicendum enim aliquando est) Pomponium Atticum sic amo, ut alterum fratrem: nihil est illo mihi nec carius nec iucundius. Is non quo sit ex istis, est enim omni liberali doctrina politissimus, sed ualde diligit Patronem, ualde Phædrum amauit: sicà me hoc contendit homo minime ambitiosus, minime in rogando molestus, ut nihil unquam magis. nec dubitat, quin ego à te nutu hoc consequi possem, etiam si ædificaturus esses. Nunc uero si audierit te ædificationem deposuisse, neque tamen me à te impetrasse: non te in me illiberalem, sed me in se negligentem putabit. Quamobrem peto à te, ut scribas ad tuos posse tua uoluntate decretum illud Areopagitarum, quem ὑπομνηματισμὸν illi uocant, tolli. Sed redeo ad prima. Prius uelim tibi persuadeas, ut hoc mea causa libenter facias, quàm ut facias. sic tamen habeto, si feceris quod rogo, fore mihi gratissimum. Vale.

CICERO MEMMIO SAL.




. Auianio Euandro, qui habitat in tuo sacrario, & ipso multum utor, & patrono eius M. Aemilio familiarissime. Peto igitur à te in maiorem modum, quod sine tua molestia fiat, ut ei de habitatione accommodes. Nam propter opera instituta multa multorum, subitum est ei remigrare. K. Quint. impedior uerecundia, ne te pluribus uerbis rogem. Neque tamen dubito, quin, si tua nihil aut non multum intersit, eo sis animo, quo ego essem, si quid tu me rogares: mihi certe gratissimum feceris.

Cicero

CICERO MEMMIO SAL.


Fufium unum ex meis intimis obseruantissimum studiosissimúmque nostri, eruditum hominem, & summa humanitate tuáque amicitia dignissimum, uelim ita tractes, ut mihi coràm recæpisti. Tam gratum mihi id erit quàm quod gratissimum. Ipsum præterea summo officio & summa obseruantia tibi in perpetuum deuinxeris. Vale.

M. CICERO S. D. Q. VALERIO Q. F. ORCAE LEGATO PROPR.


Vm municipibus Volaterranis mihi summa necessitudo est: magno enim meo beneficio affecti, cumulatissime mihi gratiam retulerunt: nam nec in honoribus meis laboribus unquam defuerunt. Cum quibus, si mihi nulla causa intercederet, tamen quòd te uehementissime diligo, quódque me à te plurimi fieri sentio, & monerèm te & hortarer, ut eorum fortunis consuleres, presertim cum prope præcipuam causam haberent ad ius obtinendum. Primum quòd Syllani temporis acerbitatem Deorum immortalium benignitate subterfugerunt. Deinde, quòd summo studio P. R. à me in Consulatu meo defensi sunt, cum Tribb. ple. legem iniquissimam de eorum agris promulgauissent, facile S. P. Q. R. persuasi, ut eos ciues, quibus fortuna pepercisset, saluos esse uellent. Hanc actionem meam C. Cæsar primo suo consulatu lege in agraria comprobauit, agrúmque Volaterranum & oppidum omni periculo in perpetuum liberauit: ut mihi dubium non sit, quin is, qui nouas necessitudines adiungat, uetera sua beneficia conseruari uelit. Quamobrem est tuæ prudentiæ, aut sequi eius auctoritatem, cuius sectam atque imperium summa cum tua dignitate secutus es: aut certe illi integram omnem causam reseruare. Illud uero dubitare non debes, quin tam graue, tam firmum, tam honestum municipium tibi tuo summo beneficio in perpetuum obligare uelis. Sed hæc quæ supra scripta sunt, eò spectant, ut te horter & suadeam. Reliqua sunt, quæ pertinent ad rogandum: ut non solum tua causa tibi consilium me dare putes, sed etiam quod mihi opus sit, me à te petere & rogare. Gratissimum igitur mihi feceris, si Volaterranos omnibus rebus integros incolumesq́ esse uolueris. Eorum ego domicilia, sedes, rem, fortunas, quæ & à dijs immortalibus & à præstantissimis in nostra repub. ciuibus summo S. P. Q. R. studio conseruatæ sunt, tuæ fidei, iustitiæ, bonitatiq́ commendo. Si pro meis pristinis opibus facultatem mihi res hoc tempore daret, ut ita defendere possem Volaterranos, quemadmodum consueui tueri meos, nullum officium, nullum denique certamen, in quo illis prodesse possem, prætermitterem. Sed quum apud te nihilo minus hoc tempore ualere me confido, quàm ualuerim semper apud omneis, pro nostra summa necessitudine, pariq́ inter nos & mutua beneuolentia abs te peto, ut ita de Volaterranis mereare, ut existiment eum quasi diuino consilio isti negotio præpositum esse, apud quem unum nos eorum perpetui defensores plurimum ualere possemus.

CICERO S. D. Q. VALERIO LEG.

NOn moleste fero eam necessitudinem, quæ mihi tecum est, notam esse quàm plurimis. neque tamen ob eam causam, quod tu optime existimare potes, te impedio, quò minus susceptũ negotium pro tua fide & diligentia ex uoluntate Cæsaris, qui tibi rem magnam difficilemq; commisit, gerere possis. Nam cum multi à me petãt multa, quòd de tua erga me uoluntate non dubitent, non committo, ut ambitione mea cõturbem officium tuum. C. Curtio ab ineunte ætate familiarissime sum usus. Eius & Sullani temporis iniustissima calamitate dolui: & cum ijs, qui similem iniuriam acceperant amissis omnibus fortunis, reditus tamen in patriam uoluntate omnium concedi uideretur, adiutor incolumitatis fui. Is habet in Volaterrano possessionem, cum in eam tanquam è naufragio reliquias contulisset. Hoc autem tempore eum Cæsar in Senatum legit: quem ordinem ille ista possessione amissa tueri uix potest. Grauissimum autem est cum superior factus sit ordine, inferiorem esse fortuna: minimeq; conuenit ex eo agro, qui Cæsaris iussu diuidatur, eum moueri, qui Cæsaris beneficio Senator sit. Sed mihi minus libet multa de æquitate rei scribere ne causa potius apud te ualuisse uidear, quàm gratia. Quamobrem te in maiorem modum rogo, ut C. Curtij rem, meã putes esse: quidquid mea causa faceres, ut id C. Curtij causa cum feceris, existimes quid ille per me habuerit, id me habere abs te. Hoc te uehementer etiam atque etiam rogo.

M. CICERO Q. VALERIO Q. F. ORCAE PROCOS.

S. V. B. E. V. Credo te memoria tenere, me & coram P. Cuspio tecum loquutum esse, cum te prosequerer paludatum: & item postea pluribus uerbis tecum egisse, ut quoscunque tibi eius necessarios commendarem, haberes eos in numero meorum necessariorum. Id tu pro tua summa erga me beneuolentia, perpetuaq; obseruantia mihi liberalissime atque humanissime recæpisti. Cuspius homo in omneis suos officiosissimus, mirifice quosdam homines ex ista prouincia tuetur et diligit, propterea quòd fuit in Africa bis, cum maximis societatis negotijs præesset. Itaq; hoc eius officiũ, quod adhibet erga illos, ego mea facultate et gratia soleo, quantum possum, adiuuare. Quare Cuspianorum omnium commendationis causam hac tibi epistola exponẽdam putaui. reliquis epistolis tantum faciam, ut notam apponam eam, quæ mihi tecum conuenit, & simul significem de numero esse Cuspij amicorum. Sed hanc commendationem, quam his literis cõsignare uolui, scito esse omnium grauissimam. Nam P. Cuspius singulari studio contendit à me, ut tibi quamdiligentissime. L. Iulium commẽdarem. Eius ego studio uix uideor mihi satisfacere posse, si utar uerbis ijs, quibus cum diligentissime quid agimus, uti solemus. Noua quædam postulat: & putat me eius generis artificium quoddã tenere. ei ego pollicitus sum, me ex intima nostra arte deprompturum mirificum genus commẽdationis. Id quum assequi non possum, tu re uelim efficias, ut ille genere mearum literarum incredibili quiddam perfectum arbitretur. Id facies, si omne genus liberalitatis, quod & ab humanitate & potestate tua proficisci poterit, non modo re, sed etiam uerbis, uultu denique exprompseris, quę quantum in pro

uincia ualeant, uellem expertus esses. Sed tamen suspicor ipsum hominem, quem tibi commendo, perdignum esse tua amicitia, nõ solum, quia mihi Cuspius dicit, credo (tametsi id satis esse debebat) sed quia noui eius iudicium in hominibus & amicis deligendis. Harum literarũ uis quãta fuerit, propediem iudicabo: tibiq; ut confido, gratias agam. Ego quæ te uelle, quæq; ad te pertinere arbitrabor, omnia studiose diligẽterq; curabo. Cura ut ualeas.

P. Cornelius, qui tibi literas dedit, est mihi à P. Cuspio commendatus: cuius causa quanto opere cuperem deberemq;, profecto ex me facile cognosti. Vehemẽter te rogo, ut cures, ut ex hac commendatione mihi Cuspius quammaximas, quamprimum, quamsæpissime gratias agat. Vale.

CICERO CLVVIO SAL.



Vm in Galliam proficiscens pro nostra necessitudine (quæ tua summa in me obseruantia) ad me domum uenisses, locutus sum tecum de agro uectigali municipij Atellani, qui esset in Gallia: quantoq; opere eius municipij causa laborarem, tibi ostendi. Post tuam autem profectionem, cum & maxima res municipij honestissimi, mihiq; coniunctissimi, & summum meum officium ageretur, pro tuo animo in me singulari existimaui me oportere ad te accuratius scribere. etsi non sum nescius, & quæ temporum ratio, & quæ tua potestas sit, tibiq; negotium datum esse à C. Cæsare, non iudicium præclare intelligo. Quare à te tantum peto, quantum & te facere posse, & libenter mea causa facturum esse arbitror: Et primum uelim existimes, quòd res est, municipij fortunas omneis in isto uectigali consistere: his autem temporibus hoc municipium maximis oneribus pressum, summis affectum esse difficultatibus. Hoc etsi commune uidetur esse cũ multis, tamen mihi crede singulareis huic municipio calamitates accidisse. quas idcirco non cõmemoro, ne de miserijs meorũ necessariorũ conquerens, homines quos nolo, uidear offendere. Itaq; nisi magnam spem haberem C. Cæsari nos causam municipij probaturos, non erat causa, cur à te hoc tempore aliquid contenderem: sed quia confido mihiq; persuasi illum & dignitatis municipij, & æquitatis, & etiam uoluntatis erga se habiturum esse rationem, ideo à te non dubitaui contendere, ut hanc causam illi integrã cõseruares. Quod etsi nihilominus à te peterem, si nihil audiuissem te tale fecisse, tamen maiorem spem impetrandi nactus sum postea, quàm mihi dictũ est, hoc idem à te Regienses impetrauisse: qui etsi te aliqua necessitudine attingunt, tamen tuus amor in me, sperare me cogit, te quod tuis necessarijs tribueris, idem esse tributurum meis: presertim cum ego pro his unis petam, habeam autem, qui simili causa laborent, complureis necessarios. Hoc me non sine causa facere, neque aliqua leui ambitione commotum à te contendere, etsi te existimare arbitror: tamẽ mihi affirmãti credas uelim, me huic municipio debere plurimum: nullum unquam fuisse tempus, neque honorum, neque laborum meorum, in quo non huius municipij studium in me extiterit singulare. Quapropter à te etiam atque etiã pro nostra summa coniunctione, proq; tua in me perpetua & maxima beneuolentia, maiorem in modum peto atque contendo, ut cum fortunas agi eius municipij intelligas, quod sit mihi necessitudine, officijs, beneuolentia coniunctissimum, id mihi des. Quod erit

huiuſmodi,ut ſi à Cęſare quod ſperamus,impetrarimus,tuo beneficio nos id conſecutos eſſe iudicemus: ſin minus,pro eo tamē id habeamus.quum à te data ſit opera,ut impetraremus. Hoc tum mihi gratiſſimum feceris, tum uiros optimos,homines honeſtiſſimos,eoſdemq́ gratiſſimos,& tua neceſſitudine digniſſimos,ſummo beneficio in perpetuum tibi tuiſq́ deuinxeris.

M. CICERO M. RVTILIO SAL.



Vm & mihi conſcius eſſem,quanti te facerem, & tuam erga me beneuolentiam expertus eſſem, non dubitaui à te petere, quod mihi petendum eſſet. P. Seſtium quanti faciam,ipſe optime ſcio: quanti autem facere debeam, & tu & omnes homines ſciunt. Is cum ex aliis te mei ſtudioſiſſimum eſſe cognoſſet,petiuit à me,ut ad te quàm accuratiſſime ſcriberem de re C. Albini Senatoris,cuius ex filia natus eſt L. Seſtius optimus adoleſcens, filius P. Seſtij. Hoc idcirco ſcripſi, ut intelligeres nō ſolum me pro P. Seſtio laborare debere,ſed Seſtium etiam pro Albinio. Res autem eſt hæc. A. M. Laberio C. Albinius prædia in æſtimationem accæpit,quæ prædia Laberius emerat à Cæſare de bonis Plotianis: ea ſi dicam non eſſe è repub.diuidi,docere te uidear,non rogare. Sed tamen cum Cæſar Sullanas uenditiones & aſſignationes eſſe uelit ratas,quò firmiores exiſtimentur ſuæ: ſi ea prædia diuidentur,quæ ipſe Cæſar uendidit,quæ tandem in eius uenditionibus eſſe poterit auctoritas? Sed hoc quale ſit, tu pro tua prudentia conſiderabis. Ego te plane rogo,atq; ita,ut maiore ſtudio iuſtiore de cauſa,magis ex animo rogare nihil poſſim,ut Albinio parcas, prędia Laberiana ne attingas. Magna me affeceris, non modo lætitia, ſed etiam quodammodo gloria,ſi P. Seſtius homini maxime neceſſario ſatisfecerit, per me ut ego illi uni plurimum debeam. Quod ut facias,te uehementer etiam atq; etiam rogo. Maius mihi beneficium dare nullum potes. Id mihi intelliges eſſe gratiſſimum.

CICERO Q. CRASSIPEDI SAL.



Vanquam tibi præſens commendaui,ut potui,diligentiſſime ſocios Bithyniæ: téque tum mea commendatione, tum etiam tua ſponte intellexi cupere ei ſocietati, quibuſcunque rebus poſſes, commodare: tamen cum ij, quorum res agitur,magni ſua intereſſe arbitrarentur, me etiam per literas declarare tibi, qua eſſem erga ipſos uoluntate, non dubitaui hæc ad te ſcribere. Volo enim te exiſtimare me, cum uniuerſo ordini publicanorum ſemper libentiſſime tribuerim, idq́ magnis eius ordinis erga me meritis facere debuerim,tum in primis amicum eſſe huic Bithynicæ ſocietati: quæ ſocietas ordine, ipſo hominum genere pars eſt maxima ciuitatis. conſtat enim ex cæteris ſocietatibus: & caſu permulti ſunt in ea ſocietate ualde mihi familiares,in primisque is, cuius præcipuum officium agitur hoc tempore, P. Rupilius P. F. Men. qui eſt magiſter in ea ſocietate. Quæ cum ita ſint, in maiorem modum à te peto, Cn. Pupium, qui eſt in operis eius ſocietatis, omnibus tuis officijs atque omni liberalitate tueare: curéſque ut eius operæ,quod tibi facile factu eſt,quam gratiſſimæ ſint ſocijs: remq́ & utilitatem ſociorum, cuius rei quantam poteſtatem Quęſtor habeat, non ſum ignarus,per te quammaxime defenſam

& auctam

& auctam uelis. Id tum mihi gratissimum feceris, tum illud tibi expertus promitto & spondeo, te socios Bithyniæ, si his commodaris, memores esse & gratos cogniturum.

CICERO BRVTO SAL.



Vm ad te tuus Quęstor M. Varro proficisceretur, commendatione egere eum non putabam. Satis enim cōmendatum tibi cum arbitrabar ab ipso more maiorum: qui ut te non fugit, hanc Quæsturæ coniunctionem liberorum necessitudini proximam uoluit esse. Sed cum sibi ita persuasisset ipse, meas de se accurate scriptas literas, maximum apud te pondus habituras, à meq; contenderet, ut quamdiligentissime scriberem: malui facere quod meus familiaris tanti sua interesse arbitraretur. Vt igitur debere me facere hoc intelligas: cum primum M. Terētius in forū uenit, ad amicitiā se meam contulit. Deinde ut se corroborauit, duæ causæ accesserunt, quæ meam in illum beneuolentiam augerēt. Vna, ꝙ uersabatur in hoc studio nostro: quo etiam nūc maxime delectamur, & cum ingenio, ut nosti, nec sine industria. Deinde, ꝙ mature se cōtulit in societates publicanorū, quod quidē nollem. maximis enim damnis adfectus est: sed tamen causa cōmunis ordinis mihi cōmendatissimi fecit amicitiā nostrā firmiorem. Deinde uersatus in utrisq; subsellijs optima & fide et fama iā ante hanc cōmutationē reip. sese petitioni dedit, honoreq; honestissimum existimauit fructum laboris sui. His autem temporibus à me Brundisio cum literis & mandatis profectus ad Cæsarem est. qua in re & amorem eius in suscipiendo negotio perspexi, & in conficiendo ac renunciando fidē. Videor mihi cū separatim de probitate eius & moribus dicturus fuissem, si prius causam, cur eum tātopere diligerem, tibi exposuissem, in ipsa causa exponēda satis etiam de probitate dixisse. Sed tamē separatim promitto, in meq; recipio fore eum tibi & uoluptati & usui. Nam & modestum hominem cognosces & prudentem, & à cupiditate omni remotissimum. præterea magni laboris summæq; industrię. Neque ego hæc polliceri debeo, quæ tibi ipsi, cum bene cognoris, iudicāda sunt, sed tamen in omnibus nouis coniunctionibus interest, qualis primus aditus sit, & qua commendatione quasi amicitiæ fores aperiantur. Quod ego his literis efficere uolui, etsi id ipsa per se necessitudo Quæsturę effecisse debet, sed tamen nihilo infirmius illud hoc addito. Cura igitur, si me tanti facis, quanti & Varro existimat, & ipse sentio, ut ꝙprimū intelligā, hāc meā cōmendationē tantū illi utilitatis attulisse, quantū & ipse sperarit, nec ego dubitarim.

CICERO BRVTO SAL.



Via semper animaduerti studiose te operam dare, ut ne quid meorum tibi esset ignotum, propterea non dubito quin scias, non solum cuius municipij sim, sed etiam quàm diligenter soleam meos municipes Arpinateis tueri. Quorum quidem omnia commoda, omnesq; facultates, quibus & sacra conficere, & sarta tecta ædium sacrarum locorumq; communium tueri possint, consistunt in his uectigalibus, quæ habent in prouincia Gallia. Ad ea uisenda, pecuniasq; quæ à colonis debentur exigendas, totamq; rem & cognoscendā & administrandā, Legatos Eq. R. misimus Q. Fufidium Q. F. M. Faucium. M. F. Q. Mamercum Q. F. Peto

ſolent eſſe, quæ me uelle ſcis, te uehementer etiam atque etiam rogo.

CICERO CAESARI IMP. SAL.



Praecilium tibi commendo unicè, tui neceſſarij, mei familiariſſimi, uiri optimi filium. quem cum adoleſcētem ipſum propter eius modeſtiam, humanitatem, animum & amorem erga me ſingularem mirifice diligo: tum patrem eius re doctus intellexi & didici mihi fuiſſe ſemper amiciſſimum. En hic ille eſt de illis maxime, qui irridere atque obiurgare me ſolitus eſt, ꝙ me non tecum, preſertim cum abs te honorificentiſſime inuitarer, coniungerem, ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν, ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα. Audiebā enim noſtros proceres clamitantes, Ἄλκιμος ἔσσ' ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ. Sed tamen idem me conſolatur: etiam hominem peruſtum etiānum gloria uolunt incendere: atque ita loquuntur, μὴ μὰν ἀσπουδί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην. ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Sed minus iā mouent, ut uides. Itaꝙ ab Homeri magniloquentia confero me ad uera præcepta Εὐριπίδου, μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. quem uerſum ſenex Praecilius laudat egregie: & ait poſſe eundem & ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω uidere: & tamen nihilominus αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. Sed ut redeam ad id, unde cœpi: uehementer mihi gratum feceris, ſi hunc adoleſcētem humanitate tua, quæ eſt ſingularis, cōprehenderis: & ad id, quod ipſorū Praeciliorū cauſa te uelle arbitror, addideris cumulū commendationis meæ. Genere nouo ſum literarum ad te uſus, ut intelligeres non uulgarem eſſe commendationem.

CICERO CAESARI SAL.



P. Craſſum ex omni nobilitate adoleſcentem dilexi plurimum, et ex eo cum ab ineunte eius ætate bene ſperauiſſem, tum per me exiſtimare cœpi ex ijs iudicijs, quæ de eo feceram, cognitis. Eius libertum Apollonium iam tum equidem cum ille uiueret, & magnifaciebam, & probabam. Erat enim & ſtudioſus Craſſi, & ad eius optima ſtudia uehementer aptus. Itaque ab eo admodum diligebatur. Poſt mortem autem Craſſi, eo mihi etiam dignior uiſus eſt, quem in fidem atque amicitiam meam reciperem, quòd eos à ſe obſeruandos & colendos putabat, quos ille dilexiſſet, et quibus carus fuiſſet. Itaque & ad me in Ciliciam uenit: multisꝙ in rebus mihi magno uſui fuit & fides eius & prudentia: & ut opinor tibi in Alexandrino bello, quantum ſtudio & fidelitate conſequi potuit, nō defuit. Quod cum ſperaret te quoque ita exiſtimare, in Hiſpaniam ad te maxime ille quidem ſuo conſilio, ſed etiam me auctore eſt profectus. Cui ego cōmendationem non ſum pollicitus. non quin eam ualituram apud te arbitrarer: ſed neque egere mihi cōmendatione uidebatur, qui & in bello tecū fuiſſet, & propter memoriā Craſſi de tuis unus eſſet: & ſi uti cōmendationibus uellet, etiam per alios eum uidebam id cōſequi poſſe. Teſtimonium meum de eo iudicij, quod & ipſe magni æſtimabat, et ego apud te ualere eram expertus, ei libenter dedi. Doctum igitur hominem cognoui, & ſtudijs optimis deditum, idque à puero. Nam domi meæ cum Diodoto Stoico homine meo iudicio eruditiſſimo, multū à puero fuit. Nunc aūt incenſus ſtudio rerū tuarū, eas literis Græcis mandare cupiebat. poſſe arbitror. ualet ingenio, habet uſum, iampridem in eo genere ſtudij literarumꝙ uerſatur: ſatisfacere

immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit. Habes opinionis meæ testimonium: sed tu hoc facilius multo pro tua singulari prudentia iudicabis. Et tamen, quod negaueram, commendo tibi eum. Quicquid ei commodaueris, erit id maiorem in modum gratum.

CICERO SAL. DIC. SER. SVLPICIO

commendatitia


. Curius, qui Patris negotiatur, multis & magnis de causis à me diligitur. Nam & amicitia peruetus mihi cum eo est, ut primum in forum ueni, instituta: & Patris tum aliquoties antea, tum proxime hoc miserrimo bello, domus eius tota mihi patuit: qua si opus fuisset, tam essem usus, quàm mea. Maximum autem mihi uinculum cum eo est quasi sanctioris cuiusdam necessitudinis, quòd est Attici nostri familiarissimus, eumq́ unum præter ceteros obseruat ac diligit. Quem si tu iam forte cognosti, puto me hoc, quod facio, facere serius. Ea est enim humanitate & obseruantia, ut eum tibi iam per se ipsum commendatum putem. Quod tamen si ita est, magnopere à te quæso, ut ad eam uoluntatem, si quam in illum ante has meas literas contulisti, quammaximus postea commendatione cumulus accedat. Sin autem propter uerecundiam suam minus se tibi obtulit, aut nondum eum satis habes cognitum: aut quæ causa est, cur maioris commendationis indigeat, sic tibi eum commendo, ut neque maiore studio quenquam, neque iustioribus de causis commendare possim. Faciamq́ id, quod debent facere hi, qui religiose & sine ambitione cõmendant. spõdebo enim tibi, uel potius spõdeo, in meq́ recipio, eos esse. M. Curij mores, eamq́ cum probitatem, tum etiam humanitatem, ut eum et amicitia tua, & tam accurata commendatione, si tibi sit cognitus, dignum sis existimaturus. Mihi certe gratissimum feceris, si intellexero has literas tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse.

CICERO SERVIO SAL.

lia similis


On concedam, ut Attico nostro, quem elatum lætitia uidi, iucundiores tuæ suauissime ad eum & humanissime scriptæ literæ fuerint, quàm mihi. Nam etsi utrique nostrum propè æque gratæ erant, tamen ego admirabar magis te, quasi rogatus, aut certe admonitus, liberaliter Attico respondisses (quod tamen dubium nobis, quin ita futurum fuerit, non erat) ultro ad eum scripsisse, eiq́ nec opinanti uoluntatem tuam tantam per literas detulisse. De quo nõ modo rogare te, ut eò studiosius mea quoque causa facias, non debeo (nihil enim cumulatius fieri potest, quàm polliceris) sed ne gratias quidem agere, quod tu & ipsius causa, & tua sponte feceris. Illud tamen dicam, mihi id, quod fecisti, esse gratissimum. Tale enim tuum iudiciũ de homine eo, quẽ ego unice diligo, nõ potest mihi non summe esse iucundum. Quod cum ita sit, esse gratũ necesse est. Sed tamen quũ mihi pro coniunctione nostra, uel peccare apud te in scribendo liceat, utrunq́ eorũ, quæ negaui mihi faciẽda esse, faciã. Nã et ad id, quod Attici causa te ostendisti esse facturum, tantum uelim addas, quantum ex nostro amore accessionis fieri potest. Et quod modo uerebar, tibi gratias agere, nũc plane ago: teq́ ita existimare uolo, quibuscunque officijs in Epiroticis reliquisq́ rebus Atticum obstrinxeris, ijsdem me tibi obligatum fore.

Cicero

CICERO SERVIO. SAL.


Vm Lysone Patrẽsi est mihi quidem hospitium uetus, quam ego necessitudinem sancte colẽdam puto: sed ea causa etiam cum alijs compluribus. familiaritas tanta nullo cum hospite: & ea tum officijs eius multis, tum etiam consuetudine cotidiana sic est aucta, ut nihil sit familiaritate nostra cõiunctius. Is cum Romæ annum propè ita fuisset, ut mecum uiueret, etsi eramus in magna spe te meis literis, commendationeq; diligentissime facturum id quod fecisti, ut eius rem & fortunas absentis tuerere: tamẽ quòd in unius potestate erãt omnia, & q Lyso fuerat in nostra causa, nostrisq; præsidijs cotidie aliquid timebamus. Effectum tamen est & ipsius splendore, & nostro reliquorumq; hospitum studio, ut omnia quæ uellemus, à Cæsare impetrarentur. quod intelliges ex his literis, quas Cæsar ad te dedit. Nunc non modo non remittimus tibi aliquid ex nostra cõmendatione, quasi adepti iam omnia: sed eò uehementius à te contendimus, ut Lysonem in fidẽ necessitudinemq; tuam recipias. Cuius dubia fortuna timidius tecum agebamus, uerentes ne quid accideret eiusmodi, ut ne tu quidem mederi posses. Explorata uero eius incolumitate, omnia à te studia summa cura peto. Quæ ne singula enumerem, totam tibi domum commendo. In his adolescentem filium eius, quem C. Mænius Gemellus cliens meus, cum in calamitate exilij sui Patrensis ciuis factus esset, Patrẽsium legibus adoptauit, ut eius ipsius hæreditatis ius causamq; tueare. Caput illud est, ut Lysonem, quẽ ego uirum optimum gratissimumq; cognoui, recipias in necessitudinem tuam. Quod si feceris, non dubito quin in eo diligendo ceterisq; postea commendando, idem quod ego sis iudicij, & uoluntatis habiturus. Quòd cum fieri uehementer studeo: tum etiam illud uereor, ne si minus cumulate uidebere fecisse aliquid eius causa, me ille negligenter scripsisse putet, non te oblitum mei. Quanti enim me faceres, cum ex sermonibus cotidianis meis, tum ex epistolis etiam tuis potuit cognoscere.

CICERO SERVIO SAL.


Sclapone Patrensi medico utor familiariter: eiusq; cum consuetudo mihi iucunda fuit, tum ars etiam, quam sum expertus in ualetudine meorum. In qua mihi cum ipsa scientia, tum etiam fidelitate beneuolentiaq; satisfecit. Hunc igitur tibi commẽdo: & à te peto, ut des operam, ut intelligat diligenter me scripsisse de sese, meamq; commendationem usui magno sibi fuisse. Erit id mihi uehementer gratum.

CICERO OCTAVIO SAL.


. Aemilius Auianus ab ineunte adolescentia me obseruauit, semperq; dilexit: uir cum bonus tum perhumanus, et in omni genere officij diligendus. Quem si arbitrarer esse Sicyone, & nisi audirem ibi eum etiam nunc, ubi ego reliqui, Cibyræ commorari, nihil esset necesse plura me ad te de eo scribere. Perficeret enim ipse profectò suis moribus suaq; humanitate, ut sine cuiusquam commendatione diligeretur abs te non minus, quàm & à me, & à ceteris suis familiaribus. Sed cum illum abesse putem, commendo tibi in maiorem modũ domum eius, quæ est Sycione, remq; familiarem, maxime. C. Auianium Ham-

runt,ut his lectis omnem offensionem suspicionis, quam habueras de Lysone deponeres: deinde credas mihi affirmanti uelim,me hoc non pro Lysone magis,quàm pro omnibus scribere hominem esse neminem,qui unquam mentionem tui sine tua summa laude fecerit. Lyso uero cum mecum propè cotidie esset,unaq; uiueret,non solum quia libenter me audire arbitrabatur,sed quia libentius ipse loquebatur, omnia mihi tua & facta & dicta laudabat. Quapropter etsi à te ita tractatur, ut iam non desideret commendationem meam,unisq; se literis meis omnia consecutum putet: tamen à te peto in maiorem modum,ut eum etiam atq; etiam tuis officijs,liberalitate complectare. Scriberem ad te,qualis uir esset,ut superioribus literis feceram,nisi eum iam per seipsum tibi satis esse notum arbitrarer.

CICERO SERVIO SAL.



Agesaretus Larissæus magnis meis beneficijs ornatus in Cõsulatu meo memor & gratus fuit, meq; postea diligentissime coluit. Eũ tibi magnopere cõmẽdo,ut & hospitem meum & familiarem & gratum hominem & uirũ bonum,& principem ciuitatis suæ, & tua necessitudine dignissimum. Pergratum mihi feceris, si dederis operã, ut is intelligat hanc meam cõmendationẽ magnum apud te põdus habuisse.

CICERO SERVIO SAL.



. Mescinius ea mecum necessitudine coniunctus est, quòd mihi Quæstor fuit. Sed hanc causam, quam ego, ut à maioribus accæpi, semper grauem duxi, fecit uirtute & humanitate sua iustiorem. Itaque eo sic utor,ut nec familiarius ullo nec lubentius, Is quanquam confidere uidebatur, & sua causa quæ honeste posses, libenter esse facturum: magnum esse tamen sperauit apud te meas quoque literas, Id cum ipse ita iudicabat, tum pro familiari consuetudine sæpe ex me audierat, quàm suauis esset inter nos & quanta coniunctio. Peto igitur à te, tanto scilicet studio, quanto intelligis debere me petere pro homine tam mihi necessario & tam familiari: ut eius negotia quæ sunt in Achaia, ex eo quòd hæres est M. Mindio fratri suo, qui Eli negotiatus est, explices, & expedias cum iure & potestate quam habes, tum etiam auctoritate & consilio tuo. Sic enim præscripsimus ijs, quibus ea negocia mandauimus, ut omnibus in rebus, quæ in aliquam controuersiam uocarentur, te arbitro, & quod commodo tuo fieri posset, te disceptatore uterentur, Id ut honoris mei causa suscipias, uehementer te etiam atque etiam rogo. Illud præterea, si non alienum tua dignitate putabis esse, feceris mihi pergratũ: siqui difficiliores erũt, ut rem sine controuersia confici nolint, si eos, quum cum Senatore res est, Romam reieceris. Quod quo minore dubitatione facere possis, literas ad te à M. Lepido Consule, non quæ te aliquid iuberent (neque enim id tuæ dignitatis esse arbitramur) sed quodammodo quasi commendatitias sumpsimus. Scriberem, quàm id beneficium bene apud Mescinium positurus esses, nisi & te scire confiderem, & mihi peterem. Sic enim uelim existimes, nõ minus me de illius re laborare, quàm ipsum de sua. Sed cum illum studeo quam facillime ad suum peruenire: tum illud laboro, ut non minimum hac mea commẽdatione se consecutum arbitretur.

CICERO SERVIO SAL.



Icet eodem exemplo sæpius tibi huius generis literas mittã,cum gratias agam ,quòd meas commendationes tam diligenter obseruues,quod feci in aliis & faciam,ut uideo sæpius: sed tamen nõ parcam operæ,& ut uos soletis in formulis,sic ego in epistolis,de eadem re alio modo.C. Auianius igitur Hãmonius incredibiles mihi gratias per literas egit,& suo,& Aemilij Auiani patroni sui nomine, nec liberalius nec honorificentius potuisse tractari nec se præsentem,nec rem familiarẽ absentis patroni sui. Id mihi cum iucundum est eorum causa,quos tibi ego summa necessitudine & summa coniunctione adductus commendaueram, quòd M. Aemilius unus est ex meis familiarissimis atque intimis,maxime necessarius homo,& magnis meis beneficijs deuinctus,& prope omnium,qui mihi debere aliquid uidentur,gratissimus: tũ multo iucundius,te esse in me tali uolũtate,ut plus prosis amicis meis,quàm ego præsens fortasse prodessem: credo,quod magis ego dubitarem,quid illorum causa facerem,q̃ tu quid mea. Sed hoc non dubito,quin existimes mihi esse gratum. Illud te rogo, ut illos quoq; gratos esse homines putes. quod ita esse tibi promitto atque confirmo. Quare uelim quidquid habẽt negotij,des operam,quod commodo tuo fiat,ut te obtinente Achaiam cõficiant. Ego cum tuo Seruio iucundissimo cõiunctissime uiuo: magnamq́; cum ex ingenio eius,singulariq́; studio,tum ex uirtute & probitate uoluptatem capio.

CICERO SERVIO. SAL.



Tsi libenter petere à te soleo,si quid opus est meorum cuipiam: tamen multo libentius gratias tibi ago,cum fecisti aliquid commendatione mea,quod semper facis. Incredibile est enim quas mihi gratias omnes agant,etiam mediocriter à me tibi cõmendati. quæ mihi omnia grata: sed de. L. Mescinio gratissimum. Sic enim est mecum locutus,te ut meas literas legeris,statim procuratoribus suis pollicitũ esse omnia: multo uero plura & maiora fecisse. Id igitur (puto enim etiam atq; etiã mihi dicendum esse) uelim existimes mihi te fecisse gratissimum. Quod quidẽ hoc uehemẽtius lætor,quod ex ipso Mescinio te uideo magnã capturũ uoluptatẽ. Est enim in eo cũ uirtus & probitas,& sũmũ officiũ summaq́; obseruãtia: tũ studia illa nostra q̃bus antea delectabamur,nũc etiã uiuimus. Quod reliquũ est,uelim augeas tua in eum beneficia oĩbus rebus,quæ te erũt dignę. Sed duo,quæ te noĩatim rogo. Primum ut si quid satisdandũ erit amplius eo noĩe nõ peti,cures,ut satisdetur fide mea. Deinde cũ ferè cõsistat hæreditas in ijs rebus,quas auertit Oppia,quę uxor Mindij fuit: adiuues,ineasq́; rationẽ, queẽadmodũ ea mulier Romã perducatur. quod si putarit illa fore,ut opinio nostra est,negotiũ cõficiemus. Hoc ut assequamur,te uehemẽter etiã atq; etiã rogo. Illud quod supra scripsi,id * in meq; recipio: te ea quæ fecisti Mescinij causa,quęq́; feceris,ita bene collocaturum,ut ipse iudices homini te gratissimo,iucundissimo benigne fecisse. Volo enim ad id,quod mea causa fecisti, hoc etiã accedere. Nec Lacedæmonios dubitare arbitror,quin ipsi sua maiorũq́; suorũ auctoritate satis commendati sint fidei & iustitiæ tuę: & ego q te optime nouissem,nõ dubitaui,quin tibi notissima et iura et merita populo-

rũ essent. Itaq; cũ à me peteret Philippus Lacedæmonius, ut tibi ciuitatẽ cõmendarem, etsi memineram me ei ciuitati omnia debere: tamen respõdi commendatione Lacedæmonios apud te nõ egere. Itaque sic uelim existimes, me omneis Achaiæ ciuitates arbitrari pro horum temporum perturbatione felices, quòd his tu præsis: eundemq; me, ita iudicare te, quòd unus optime nosses non nostra solum, sed etiam Græciæ monimenta omnia, tua sponte amicum Lacedæmonijs & esse & fore. Quare tantum à te peto, ut cum ea facies Lacedæmoniorum causa, quæ tua fides, amplitudo, iustitia postulat. ut his si tibi uidebitur, significes te non moleste ferre, quòd intelligas ea, quæ facias, mihi quoque grata esse. Pertinet enim ad officium meum, eos existimare, curæ mihi suas res esse. Hoc te uehementer etiam atq; etiam rogo.

M. CICERO L. PLANCO SAL.



NOn dubito, quin scias in his necessarijs, qui tibi à patre relicti sunt, me tibi esse uel coniunctissimum, non his modo causis, quæ speciẽ habeant magnæ coniunctionis, sed ijs etiam, quæ familiaritate & consuetudine tenentur: quam scis mihi iucundissimam cum patre tuo & summam fuisse. Ab his initijs noster in te amor profectus auxit paternam necessitudinẽ, et eo magis, quod intellexi, ut primũ per ætatem iudicium facere potueris, quanti quisque tibi faciendus esset, me à te in primis cœptum esse obseruari, coli, diligi. Accedebat non mediocre uinculum cum studiorum, quod ipsum est per se graue, tum eorum studiorum earumq; artiũ, quæ per se ipsæ eos, qui uoluntate eadẽ sunt, etiã familiaritate deuinciunt. Expectare te arbitror, hæc tã longe repetita principia, quo spectent. Id primũ ergo habeto: non sine magna iustaq; causa hanc à me cõmemorationem esse factam. C. Ateio Capitone utor familiarissime. Notæ tibi sunt uarietates meorum temporum in omni genere & honorum & laborum meorum, & animus, & opera, & auctoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis præsto fuit, & patuit & tẽporibus & fortunæ meæ. Huius propinquus fuit T. Antistius, qui cum sorte Quæstor Macedoniam obtineret, neq; ei successum esset, Pompeius in eã prouinciam cum exercitu uenit, facere Antistius nihil potuit. Nam si potuisset, nihil ei fuisset antiquius, quàm ad Capitonẽ, quem ut parentem diligebat, reuerti: presertim cum sciret, quanti is Cæsarẽ faceret, semperq; fecisset. Sed oppressus tantum attigit negotij, quantum recusare non potuit. Cum signaretur argentum Apolloniæ, non possum dicere eum præfuisse. neque possum negare affuisse, sed non plus duobus an tribus mensibus. Deinde abfuit à castris: fugit omne negotium. hoc mihi, ut testi uelim credas, meam enim ille mœstitiã in illo bello uidebat: mecum omnia communicabat. Itaque abdidit se in intimam Macedoniam, quo potuit longissime à castris, non modo ut non præesset ulli negotio, sed etiam ut ne interesset quidem. Is post prælium se ad hominem necessarium A. Plautiũ in Bythiniam cõtulit. Ibi eũ Cæsar cũ uidisset, nihil asperè, nihil acerbè dixit. Romam iussit uenire. Ille in morbum continuo incidit, ex quo non conualuit. Æger Corcyrã uenit: ibi est mortuus. Testamẽto quod Romæ Paulo & Marcello Coss. fecerat, hæres ex parte dimidia & tertia est Capito. in sextante sunt ij, quorũ pars sine ulla cuiusquã querela, publica põt esse, ea est ad

HS. XXX. Sed de hoc Cæsar uiderit. te mi Plance pro paterna necessitudine, pro nostro amore, pro studijs & omni cursu nostro totius uitæ simillimo rogo, & à te ita peto, ut maiore cura, maiore studio nullo possim: ut hanc rem suscipias, meam putes esse: enitare, contendas, efficias, ut mea cōmendatione, tuo studio, Cæsaris beneficio hæreditatem propinqui sui C. Capito obtineat. Omnia, quæ potui in hac summa tua gratia, ac potentia à te impetrare, si petijssem ultro te ad me detulisse putabo, si hanc rem impetrauero. Illud fore tibi adiumento spero, cuius ipse Cæsar optimus esse iudex potest: semper Cæsarem Capito coluit & dilexit. Sed ipse huius rei testis est: noui hominis memoriam. Itaque nihil te doceo: tantum tibi sumito pro Capitone apud Cæsarem, quantum ipsum meminisse senties. Ego quod in me ipso experiri potui, ad te deferam: in eo quantum sit ponderis, tu uidebis. Quam partem in republica causamq; defenderim, per quos homines ordinesq; steterim, quibusq; munitus fuerim, non ignoras. Hoc mihi uelim credas: si quid fecerim hoc ipso in bello minus ex Cæsaris uoluntate, quod intellexerim scire ipsum Cęsarem, me inuitissimū fecisse: id feci aliorum consilio, hortatu, auctoritate. quòd fuerim moderatior temperatiorq;, quàm in ea parte quisquam: id me fecisse maxime auctoritate Capitonis. cuius similes si reliquos necessarios habuissem, reipublicæ fortasse nonnihil, mihi certe plurimum profuissem. Hanc rem mi Plance si effeceris, meam de tua erga me beneuolentia spem confirmaueris, ipsum Capitonem gratissimum, officiosissimum, optimum uirum, ad tuam necessitudinem, tuo summo beneficio adiunxeris.

CICERO ACILIO PROCOS. SAL.



. Manlius est Sosis: is fuit Catinensis: sed est unà cum reliquis Neapolitanis ciuis. R. factus, Decurioq; Neapoli. erat enim adscriptus in id municipium ante ciuitatem socijs & Latinis datam. Eius frater Catinæ nuper mortuus est: nullam omnino arbitramur de ea hæreditate controuersiā eū habiturum: & est hodie in bonis. sed quum habet præterea negocia uetera in Sicilia sua, & hanc hæreditatem fraternam, omnia eius tibi commendo, in primisq; ipsum uirum optimum mihiq; familiarissimum, his studijs literarū doctrinæq; præditum, quibus ego maxime delector. Peto igitur abs te, ut eum siue aberit, siue non uenerit in Siciliam, in meis intimis maximeq; necessarijs scias esse: itaq; tractes, ut intelligat meam sibi, cōmendationem magno adiumento fuisse. Vale.

CICERO ACILIO PROCOS. SAL.



. Flauio honesto & ornato Eq. R. utor ualde familiariter. Fuit enim generi mei C. Pisonis pernecessarius: meq; diligentissime obseruat & ipse, & L. Flauius frater eius. Quapropter uelim honoris mei causa quibus rebus honeste, & pro tua dignitate poteris, quam honorificētissime & quam liberalissime C. Flauium tractes. Id mihi sic erit gratum, ut gratius esse nihil possit. Sed præterea tibi affirmo, neq; id ambitione abductus facio, sed cum familiaritate, & necessitudine, tum etiā ueritate: te ex C. Flauij officio, & obseruantia, & præterea splendore atq; inter suos gratia, magnam uoluptatem esse capturum. Vale.

Cicero

CICERO ACILIO PROCOS. SAL.

IN Halesina ciuitate tam lauta tamq; nobili coniunctissimos habeo & hospitio et familiaritate M.&.C.Clodios Archagathum & Philonem. sed uereor, ne quia complureis tibi præcipue cõmendo, exæquare uidear ambitione quadam commendationes meas. quanquam à te quidem cumulate satis fit,& mihi & meis omnibus. Sed uelim sic existimes, hanc familiam & hos mihi maxime esse coniunctos uetustate, officijs, beneuolentia. Quamobrem peto à te in maiorem modum, ut his omnibus in rebus, quantum tua fides dignitasq; patietur, commodes. Id si feceris, erit mihi uehementissime gratum.

CICERO ACILIO PROCOS. SAL.

CN. Otacilio Nasone utor familiarissime, ita prorsus, ut illius ordinis nullo familiarius. Nam & humanitate eius,& probitate in cõsuetudine cotidiana magnopere delector. Nihil iam opus est expectare te, quibus eum uerbis tibi commendem, quo sic utar, ut scripsi. Habet is in prouincia tua, negotia, quæ procurant liberti Hilarus, Antigonus, Demostratus: quos tibi, negociaq; omnia Nasonis non secus commendo, ac si mea essent. Gratissimum mihi feceris, si intellexero hanc cõmendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

CICERO ACILIO PROCOS. SAL.

AVitum mihi hospitium est cum Lysone Lysonis.F. Lilybitano, ualdeq; ab eo obseruor, cognouiq; dignum & patre & auo. Est enim nobilissima familia. Quapropter commendo tibi maiorem in modum rem domumq; eius. Magnóque opere à te peto cures, ut is intelligat meam commendationem maximo sibi apud te & adiumẽto & ornamento fuisse.

CICERO ACILIO PROCOS SAL.

C. Auianus Philoxenus antiquus est hospes meus, & præter hospitium, ualde etiam familiaris, quem Cæsar meo beneficio in Nouocomenseis retulit. Nomen autẽ Auianij secutus est, quòd homine nullo plus est usus, quàm Flacco Auianio meo, queadmodum te scire arbitror, familiarissimo. Quæ ego omnia collegi, ut intelligeres non uulgarem esse commendationem hanc meam. Peto igitur abs te, ut omnibus rebus, quod sine molestia tua facere possis, ei commodes, habeasq; in numero tuorũ, perficiasq;, ut intelligat has literas meas magno sibi usui fuisse. Erit id mihi maiorem in modum gratum.

CICERO ACILIO PROCOS. SAL

CVm Demetrio Mega mihi uetustum hospitium est: familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo ciuitatem à Cæsare impetrauit. qua in re ego interfui. Itaq; nũc. P. Cornelius uocatur. Cumq; propter quosdam sordidos homines, qui Cæsaris beneficia uẽdebant, tabulã, in qua nomina ciuitate donatorũ incisa essent, reuelli iussisset: eidẽ Dolabellæ, me audiẽte, Cæsar dixit, nihil esse quod de Mega uereretur: beneficiũ suũ in eo manere. Hoc te scire uolui, ut eũ in ciuiũ Romanorũ numero haberes. Ceterisq; in rebus tibi eum ita cõmendo, ut maiore

ſtudio neminē cōmendarim. Gratiſſimum mihi feceris, ſi eū ita tractaris, ut intelligat meam commendationem magno ornamento fuiſſe.

CICERO ACILIO PROCOS. SAL.


Hippiam Philoxeni filium Calatinum, hoſpitem & neceſſarium meum, tibi commendo in maiorem modum. Eius bona, queād modum ad me delata res eſt, publice poſſidentur alieno nomine contra leges Calatinorum. Id ſi ita eſt, etiam ſine mea commendatione ab æquitate tua res ipſa impetrare debet ut ei ſubuenias, quoquomodo autem ſe res habet, peto à te, ut honoris mei cauſa eum expedias, tantumq; ei commodes & in hac re, et in ceteris, quantum tua fides dignitasq; patietur. Id mihi uehementer gratum erit.

CICERO ACILIO PROCOS. SAL.


L. Bruttius eq. R. adoleſcens omnibus rebus ornatus, in meis familiariſſimis eſt, meq; obſeruat diligentiſſime. Cuius cum patre magna mihi fuit amicitia iam inde à Quæſtura mea Siciliēſi. Omnino nunc ipſe Bruttius Romæ mecū eſt: ſed tamen domum eius, & rem familiarem, & procuratores tibi ſic commendo, ut maiore ſtudio cōmendare non poſſim. Gratiſſimum mihi feceris, ſi curaris ut intelligat Bruttius, id quod ei recæpi, hanc meam commendationem ſibi magno adiumento fuiſſe.

CICERO ACILIO PROCOS. SAL.


CVm familia Titurnia neceſſitudo mihi intercedit uetus: ex qua reliquus eſt. M. Titurnius Rufus: qui mihi omni diligentia atq; officio eſt tuendus. Eſt igitur in tua poteſtate, ut ille in me ſatis ſibi præſidij putet eſſe. Quapropter eū tibi cōmendo in maiorem modū. & abs te peto, efficias ut is cōmendationē hanc intelligat ſibi magno adiumento fuiſſe. Erit mihi uehementer gratum.

M. CICERO S. D. Q. ANCHANO. Q. F. PROCOS.


L. & C. Aurelios L. Filios, quibus & ipſis, & patre eorum uiro optimo familiariſſime utor, cōmendo tibi maiorē in modum, adoleſcenteis omnibus optimis artibus ornatos, meos perneceſſarios, tua amicitia digniſſimos. Si ulla mea apud te comendatio ualuit, quod ſcio multas plurimum ualuiſſe: hæc ut ualeat, rogo. Quòd ſi eos honorifice liberaliterq; tractaris, & tibi gratiſſimos optimosq; adoleſcenteis adiūxeris, & mihi gratiſſimum feceris.

CICERO CVLLEOLO SAL.


QVæ feciſti. L. Lucceij cauſa, ſcire te plane uolo, te homini gratiſſimo commodaſſe. & cum ipſi, quæ feciſti, pergrata ſunt: tum Pōpeius quotienſcunq; me uidit, uidet autem ſæpe, gratias tibi agit ſingulareis. Addo etiam illud quod tibi iucundiſſimum eſſe certò ſcio, me ipſum ex tua erga Lucceium benignitate, maxima uoluptate affici. Quod ſupereſt, quanquam mihi non eſt dubium, quin cum antea noſtra cauſa, nunc iam etiam tuæ conſtantiæ gratia, manſurus ſis in eadem iſta liberalitate: tamen abs te uehementer etiam atq; etiam peto, ut ea quæ initio oſtendiſti, deinceps feciſti, ad exitum augeri & cumulari per te uelis. Id & Lucceio & Pompeio.


& Pompeio ualde gratum fore, teq; apud eos præclare positurum confirmo & spondeo. De repu. deq; his negotijs cogitationibusq; nostris perscripserã ad te diligenter paucis ante diebus, easq; literas dederam pueris tuis. Vale.

CICERO CVLLEOLO PROCOS. SAL.



. Lucceius meus, homo omnium gratissimus, mirificas tibi apud me gratias egit, cum diceret omnia te accumulatissime & liberalissime procuratoribus suis pollicitum esse. Cum oratio tua tam ei grata fuerit, quàm gratam rem ipsam existimas fore, cum, ut spero, quæ pollicitus es, feceris omnino. Ostenderunt Bulliones sese Lucceio Pompeij arbitratu satisfacturos. sed uehementer opus est nobis, & uoluntatem, & auctoritatem, & imperium tuum accedere. Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Illud mihi gratissimum est, quòd ita sciunt Luccerj procuratores, & ita Lucceius ipse, ex literis tuis, quas ad eũ misisti, intellexit: hominis nullius apud te auctoritatem, aut gratiam ualere plus, quàm meam. Id ut re experiatur, iterum & sæpius te rogo.

M. CICERO Q. VINTIO GALLIO SAL.



Tsi plurimis rebus spero fore ut perspiciam, quod tamen iãpridẽ perspicio me à te amari: tamen ea causa tibi datur, in qua facile declarare possis tuam erga me beneuolentiam. L. Oppius Marci. F. Philomeli negotiatur, homo mihi familiaris: eum tibi unice commendo. eoq; magis, q cum ipsum diligo, tum q negocia procurat. L. Egnatij Rufi: quo ego uno Eq. R. familiarissime utor, & qui consuetudine cotidiana tum officijs plurimis maximisq; mihi coniunctus est. Oppium igitur præsentẽ ut diligas, Egnatij absentis rem ut tueare, æque à te peto ac si mea negotia essent. Velim memoriæ tuæ causa des literarũ aliquid, quæ tibi in prouincia reddãtur: sed ita cõscribas, ut tũ, cũ eas leges, facile recordari possis huius meæ cõmendationis diligentiã. Hoc te uehemẽter etiã atq; etiam rogo.

CICERO GALLIO SAL.



Tsi ex tuis, & ex L. Oppij familiarissimi literis cognoui te memorem cõmendationis meæ fuisse, idq; pro tua summa erga me beneuolẽtia, proq; nostra necessitudine minime sum admiratus: tamẽ etiã atq; etiã tibi L. Oppiũ præsentẽ, & L. Egnatij mei familiarissimi absentis negotia cõmendo. Tanta mihi cũ eo necessitudo est, familiaritasq;, ut si mea res esset, nõ magis laborarẽ. Quapropter gratissimũ mihi feceris, si curaris, ut is intelligat me à te tãtum amari, quantũ ipse existimo. hoc mihi gratius facere nihil potes, idq; ut facias, uehementer te rogo.

CICERO APPVLEIO PROQVESTORI.



. Egnatio uno equite. R. uel familiarissime utor. Eius Anchialum seruum negociaq;, quę habet in Asia, tibi commendo, non minore studio, quàm si rem meam cõmendarem. Sic enim existimes uelim, mihi cum eo non modo cotidianam consuetudinem summam intercedere, sed etiam officia magna & mutua nostra inter nos esse. Quamobrem etiam atque etiam à te peto, ut cures, ut intelligat me ad te satis diligenter scripsisse. Nam de tua erga me uoluntate non dubitabat. Id ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

CICERO APPVLEIO SAL.


L. Nostius Zoilus est cohæres meus, hæres autē patroni sui: ea re utrunque scripsi, ut & mihi cum illo causam amicitiæ scires esse, et hominem probum existimares, qui patroni iudicio ornatus esset. Eum tibi igitur sic commendo, ut unum ex nostra domo. Valde mihi gratum erit, si curaris, ut intelligat hanc commendationem sibi apud te magno adiumento fuisse.

CICERO SILIO SAL.


Quid ego tibi commendem eum, quem tu ipse diligis? Sed tamē ut scires eū à me nō diligi solū, uerūetiā amari, ob eā rem tibi hæc scribo. Omniū tuorū officiorū, quæ et multa et magna sunt, mihi gratissimū fuerit, si ita tractaris Egnatium, ut sentiat & se à me, & me à te amari. Hoc te uehemēter etiam atq; etiam rogo. Illa nostra scilicet ceciderunt. utamur igitur uulgari consolatione. Quid si hoc melius? Sed hæc coram. Tu fac quod facis, ut me ames, teq; amari à me scias.

CICERO C. SEXTILIO RVFO QVESTORI SAL. D.


Omneis tibi cōmēdo Cyprios, sed magis Paphios: quibus tu quæcunq; cōmodaris, erunt mihi gratissima. Eoq; facio libentius ut eos tibi cōmendem, q & tuæ laudi, cuius ego fautor sum, conducere arbitror, cum primus in eam insulā Quæstor ueneris, ea te instituere, quæ sequantur alij. quæ ut spero, facilius consequere, si & P. Lentuli necessarij tui legem, & ea, quæ à me constituta sunt, sequi uolueris. Quam rem tibi confido magnæ laudi fore.

CICERO CVRIO PROCOS.


Q. Pompeius Sex. F. multis & ueteribus causis necessitudinis mihi coniunctus est. Is cū antea meis commendationibus & rem, & gratiam, & auctoritatē suam tueri consuerit, nunc profecto te prouinciam obtinente meis literis adsequi debet, ut nemini se intelligat cōmendatiorē unquā fuisse. Quāobrem à te maiorem in modum peto, ut cum omneis meos æque ac tuos, obseruare pro necessitudine nostra debeas, hūc in primis ita in tuam fidē recipias, ut ipse intelligat, nullam rem sibi maiori usui aut ornamento q meam commendationem, esse potuisse. Vale.

CICERO S. D. ARISTO PROCOS.


Sumpsi hoc mihi pro tua in me obseruantia, quāpenitus perspexi, quādiu Brundisii fuimus, ut ad te familiariter, & quasi pro meo iure scriberē, si quæ res esset de qua ualde laborarem. M. Curius, qui Patris negociatur, ita mihi familiaris est, ut nihil possit esse coniūctius. Multa illius in me officia, multa in illum mea quoq;: maximū est, summus inter nos amor & mutuus. Quę cum ita sint, si ullam in amicitia mea spē habes: si ea, quæ in me officia & studia Brundisii cōtulisti, uis mihi etiam gratiora efficere, q q sunt gratissima: si me à tuis omnibus amari uides, hoc mihi da atq; largire, ut M. Curium sartum & tectum, ut aiunt, ab omniq; incōmodo, detrimento, molestia sincerum integrumq; conserues. Et ipse spōdeo, & omnes hoc tibi tui pro me recipient, ex mea amicitia, & ex tuo in me officio, maximū te fructum summamq; uoluptatem esse capturum.

Cicero

CICERO P. CAESIO. S.D.


. Messienum Equitē.R.omnibus rebus ornatum,meumq́ perfamiliarem tibi commendo ea commendatione,quæ potest esse diligentissima. Peto à te & pro nostra,& pro paterna amicitia,ut eū in tuam fidem recipias,eiusq́ rem famamq́ tueare. Virum bonū, tuaq́ amicitia dignum tibi adiunxeris,mihiq́ gratissimum feceris.

CICERO REGI S.


: Licinius Aristoteles Melitēsis antiquissimus est hospes meus, & præterea coniunctus magno usu familiaritatis. Hæc cū ita sint, nō dubito quin tibi satis cōmēdatus sit. Etenim ex multis cognosco meā cōmendationem plurimū apud te ualere. Hunc ego à Cæsare liberaui. Frequens enim fuerat nobiscum atq́ etiam diutius in causa est, q̄ nos,commoratus,quo melius te de eo existimaturum arbitror. Fac igitur mi Rex,ut intelligat has sibi literas plurimum profuisse.

CICERO THERMO PROPR. SAL.


. Genucilio Curuo iampridem utor familiarissime,optimo uiro, & homine gratissimo. Eum tibi penitus commendo atque trado. Primū ut omnibus in rebus ei te cōmodes,quoad fides tua dignitasq́ patietur: patietur autem in omnibus: nihil enim abs te unq̄, quod sit alienū tuis,aut etiā suis moribus,postulabit. Præcipue autē tibi commendo negotia eius,quæ sunt in Hellespōto,primum,ut obtineat id iuris in agris,quod ei Pariana ciuitas decreuit,& dedit,et quod semper obtinuit sine ulla controuersia. deinde,si quid habebit cum aliquo Hellespōtio controuersiæ,ut in illam διοίκησιν reijcias. Sed non mihi uideor,cum tibi totum hominē diligentissime commendarim,singulas ad te eius causas perscribere debere. Summa illa sit: quidquid officij,beneficij,honoris in Genucilium cōtuleris, id te existimabo in meipsum atque in rem meam contulisse.

CICERO THERMO PROPR.


Vm multa mihi grata sunt,quæ tu adductus mea commendatione fecisti: tū in primis, q̄ M. Marcilium amici atque interpretis mei filium liberalissime tractauisti. Venit enim Laodiceam, & tibi apud me mihiq́ propter te gratias maximas egit. Quare quod reliquum est,à te peto,quum apud gratos homines beneficium ponis,ut eo libentius his commodes: operamq́ des,quoad fides tua patietur,ut socrus adolescentis rea ne fiat. Ego cum ante studiose cōmēdabam Marcilium,tum multo nunc studiosius,q̄ in longa apparitione singularem,& propè incredibilem patris Marcilij fidem, abstinentiam,modestiamq́ cognoui.

CICERO THERMO PROPR. S.


T si mihi uideor intellexisse,cum tecū Ephesi de re M. Annej Legati mei locutus sum,te ipsius causa uehemēter omnia uelle: tamē & M. Anneium tanti facio,ut mihi nihil putem prętermittendū, quod illius intersit: & me à te tanti fieri puto,ut non dubitē, quin ad tuā uolūtatem magnus cumulus accedat cōmendationis meæ. Nam cum iamdiu diligerem M. Anneiū,deq́ eo sic existimarē,ut res declarat, q̄ ultro ei detulerim legationem,cum multis petētibus denegassem: tū uero posteaq̄

mecum in bello atq; in re militari fuit, tantā in eo uirtutē, prudētiā, fidem, tantamq́; erga me beneuolentiā cognoui, ut hominem neminē pluris faciā. Eum cum Sardianis habere cōtrouersiā scis: causam tibi exposuimus Ephesi: quā tu tamen corām facilius meliusq́; cognosces. De reliquo mihi mehercule diu dubiū fuit, quid ad te potissimū scriberē. Ius enim queadmodū dicas, clarum & magna cum tua laude notum est. Nobis autē in hac causa nihil aliud opus est, nisi te ius instituto tuo dicere. Sed tamen cum me non fugiat, quāta sit in Prætore auctoritas, presertim ista integritate, grauitate, clemētia, qua te esse inter omneis constat: peto abs te pro nostra cōiunctissima necessitudine, plurimisq́; officijs paribus ac mutuis, ut uoluntate, auctoritate, studio tuo perficias, ut M. Anneius intelligat te & sibi amicum esse, quod non dubitat, sæpe enim mecum locutus est: & multo amiciorem his meis literis esse factum. In tuo toto imperio atq; prouincia nihil est, quod mihi gratius facere possis. Iā apud ipsum gratissimum hominem atq; optimum uirum quàm bene posituru sis studium tuum atq; officium, dubitare te non existimo.

CICERO THERMO PROPR. SAL.



Luuius Puteolanus ualde me obseruat, ualdeq́; est mihi familiaris. Is ita sibi per suadet: quod in tua prouincia negotij habeat, nisi te prouinciā obtinēte meis cōmendationibus cōfecerit, id se in perditis & desperatis habiturum. Nunc quū mihi ab amico officiosissimo tantū oneris imponitur, ego quoq; tibi īponā pro tuis in me summis officijs: ita tamē, ut tibi nolim molestus esse. Mylaseis & Alabandeis pecuniā Cluuio debēt. Dixerat mihi Euthydemus, cum Ephesi essem, se curaturū, ut ecdici Mylasij Romam mitterentur. Id factum non est. Legatos audio missos esse: sed malo ecdicos, ut aliquid confici possit. Quare peto à te, ut & eos & Alabandeis iubeas ecdicos Romam mittere. Præterea Philocles Alabandensis ὑποθήκας Cluuio dedit, eæ commissæ sunt. Velim cures ut aut de hypothecis decedat, easq́; procuratoribus Cluuij tradat: aut pecuniā soluat. Prẹterea Heracleotæ & Bargiletæ, qui item debent, aut pecuniā soluant, aut fructibus suis satisfaciant. Caunij præterea debent: sed aiunt se depositam pecuniā habuisse. Id uelim cognoscas: & si intellexeris eos neq; ex edicto, neq; ex decreto depositam habuisse, des operam, ut usuræ Cluuio, instituto tuo conseruentur. His de rebus eo magis laboro, quòd agitur res Cn. Pompeij etiam nostri necessarij: & quòd is magis etiam mihi laborare uidetur, quàm ipse Cluuius, cui satis factū esse à nobis ualde uolo. His de rebus te uehementer etiam atque etiam rogo.

CICERO THERMO PROPR. SAL.



Vò magis cotidie ex literis nuntijsq́; bellū magnum esse in Syria cognosco, eò uehementius à te pro nostra necessitudine contendo, ut mihi M. Anneiū Legatū primo quoq; tempore remittas. Nā eius opera, consilio, scientia rei militaris, uel maxime intelligo me, & rempub. adiuuari posse. Quod nisi tanta res eius ageretur: nec ipse adduci potuisset, ut à me discederet: neq; ego, ut eum à me dimitterem. Ego in Ciliciam proficisci cogito circiter K. Mai. Ante eam diem Anneius ad me redeat oportet. Illud quod tecū & corām & per literas diligentissime egi, id & nunc

etiam

etiam atque etiam rogo: curæ tibi sit, ut suum negotium, quod habet cum populo Sardiano, pro causæ ueritate, & pro sua dignitate conficiat. Intellexi ex tua oratione, cum tecum Ephesi locutus sum, te ipsius M. Anneij causa omnia uelle. sed tamen sic uelim existimes, te mihi nihil gratius facere posse, q̃ si intellexero per te illum, ipsum negotium ex sententia confecisse. idq́ quamprimum ut efficias, te etiam atque etiam rogo.

M. CICERO C. TITIO L.F. RVFO. PR. VRB. SAL.



. Custidius est tribulis & municeps & familiaris meus. Is causam habet, quam causam ad te deferet. Cōmēdo tibi hominem, sicuti tua fides, & meus pudor postulat: tantum ut facileis ad te aditus habeat: quæ æqua postulabit, ut libente te impetret: sentiatq́ meā sibi amicitiam, etiā cum longissime absim, prodesse in primis apud te.

M. CICERO C. CVRTIO PEDVCEANO PR. SAL.



. Fabiū unice diligo, summaq́ mihi cum eo consuetudo & familiaritas est peruetus. In eius controuersijs quid decernas, à te non peto: seruabis ut tua fides, & dignitas postulat, edictum & institutū tuū. sed ut q̃ facillimos ad te aditus habeat: quæ erūt æqua, lubēte te impetret: ut meā amicitiā sibi, etiā cū procul absim, ꝓdesse sentiat, presertim apud te. Hoc te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. CICERO C. MVNATIO C.F. SAL.



. Liuineius Trypho est omnino L. Reguli familiarissimi mei libertus. Cuius calamitas etiā officiosiorē me facit in illū. nā beneuolentior, q̃ semper fui, esse non possum. Sed ego libertū eius per se ipsum diligo. summa enim eius erga me officia extiterunt his nostris temporibus, quibus facillime bonā beneuolentiam hominum, & fidem perspicere potui. Eum tibi ita cōmendo, ut homines grati, & memores, benemeritos de se cōmendare debent. Pergratum mihi feceris, si ille intellexerit se, q́ pro salute mea multa pericula adierit, sæpe hyeme summa nauigarit, ꝓ tua erga me beneuolentia gratum tibi etiam fecisse.

M. CICERO S. D. P. SILIO PROPR.



. Pinnio familiarissime me usum esse scire te arbitror. quod quidē ille testamēto declarauit qui me cū tutorē, tū etiā secundū hæredē instituerit. Eius filio mire studioso & erudito, & modesto pecuniā Nicęenses grādē debēt ad HS octogies: & ut audio, in primis ei uolūt soluere. Pergratū igitur mihi feceris, quū non modo reliqui tutores, qui sciunt, quāti me facias, sed etiam puer ipse sibi persuasit, te omnia mea causa facturum esse: si dederis operā, quoad tua fides dignitasq́ patietur, ut quāplurimum pecuniæ Pinnio soluatur Nicęensium nomine.

M. CICERO S. D. P. SILIO PROPR.



T in Atilij negocio te amaui, cum enim sero uenissem, tamen honestum equitē R. beneficio tuo conseruaui: & mehercule semper sic in animo habui, te in meo ære esse propter Lamiæ nostri coniūctionem, & singularem necessitudinem. Itaque primum tibi ago gratias, quòd me omni molestia liberas. deinde impudētia prosequor. Sed idem sarciam. te enim semper sic colam & tuebor, ut quem diligentissime.

Q. fratrem meũ, si me diligis, eo numero cura ut habeas, quo me. Ita magnũ beneficium tuum magno cumulo auxeris.

M. CICERO S. D. P. SILIO PROPR.

NOn putaui fieri posse, ut mihi uerba deessent: sed tamen in C. Lænio cõmendãdo desunt. Itaq; rẽ tibi exponã paucis uerbis: sed tamen ut plane perspicere possis uoluntatẽ meã. Incredibile est, quãti faciamus & ego & frater meus, qui mihi carissimus est, M. Læniũ. id fit cũ plurimis eius officijs, tum summa probitate & singulari modestia. Eũ ego à me inuitissimus dimisi, cũ propter familiaritatẽ et cõsuetudinis suauitatẽ: tũ q; consilio eius fideli ac bono libenter utebar. Sed uereor, ne iã superesse mihi uerba putes, quæ dixerã defutura. Cõmẽdo tibi hominẽ, sicut intelligis me, de quo ea suprà scripserim, debere cõmendare. A te q; uehemẽter etiã atq; etiã peto, ut quod habet in tua prouincia negotij, expedias: quod tibi uidebitur rectum esse, ipsi dicas. Hominẽ facillimũ liberalissimumq; cognosces. Itaq; te rogo, ut eum solutum, liberum, cõfectis eius negotijs per te q̃primum ad me remittas. Id mihi fratriq; meo gratissimum feceris.

M. CICERO S. D. P. SILIO PROPR.

NEro meus mirificas apud me tibi gratias egit, ꝓrsus incredibileis, ut nullũ honorẽ sibi haberi potuisse diceret. qui à te prætermissus esset. magnũ fructũ ex ipso capies. nihil enim est illo adolescente gratius. Sed me hercule mihi quoque gratissimum fecisti. Pluris enim ex omni nobilitate neminẽ facio. Itaq; si ea feceris, quæ ille per me tecũ agi uoluit, gratissimũ mihi feceris. Primũ, de Pausania Alabãdensi sustentes rẽ, dũ Nero ueniat. uehemẽter eius causa cupere eũ intellexi. itaq; hoc ualde te rogo. Deinde Nysæos, quos Nero in primis habet necessarios, diligentissimeq; tuetur ac defendit, habeas tibi commendatissimos: ut intelligat illa ciuitas sibi in Neronis patrocinio summum esse pręsidium. Straboñe Seruilium tibi sæpe cõmẽdaui: nunc eo facio id impensius, quo eius causam Nero suscẽpit. Tantũ à te petimus, ut agas eã rẽ ne relinquas hoĩem innocẽtẽ ad alicuius tui dissimilis quæstũ. Id cũ gratũ mihi erit, tũ etiam existimabo te humanitate tua esse usum. Sũma huius epistolæ hæc est, ut ornes omnibus rebus Neronẽ, sicut instituisti atq; fecisti. Magnũ theatrũ habet ista ꝓuincia, non ut hæc nostra, adolescentis nobilis, ingeniosi, abstinentis cõmendationem atq; gloriam. Quare si te fautore usus erit, sicuti profecto & utetur, & usus est, amplissimas clientelas acceptas à maioribus cõfirmare poterit, & beneficijs suis obligare. Hoc in genere, si eum adiuueris eo studio, quo ostendisti, apud ipsum præclarissime posueris: sed mihi etiam gratissimum feceris. Vale.

M. CICERO S. D. P. SILIO PROPR.

CVm P. Terentio Hispone, qui operas in scriptura pro magistro dat, mihi sũma familiaritas consuetudoq; est. multaq; & magna inter nos officia paria, & mutua intercedũt. Eius summa existimatio agitur in eo, ut pactiones cũ ciuitatibus reliquis conficiat. Non me præterit nos eam rem Ephesi expertos esse: neq; ab Ephesijs ullo modo impetrare potuisse. Sed quum (quemadmodum omnes existimant, & ego intelligo) tua cũ summa integritate, tum singulari humanitate & mansuetudine,

dine, cõsecutus es, ut libentissimis Græcis nutu, quod uelis, cõsequare: peto à te in maiorẽ modũ, ut honoris mei causa hac laude Hisponẽ affici uelis. Præterea cũ socijs scripturæ mihi summa necessitudo est, non solũ ob eã causam, quod ea societas uniuersa in mea fide est, sed etiã, quod plerisque socijs utor familiarissime. Ita & Hisponem meum per me ornaris, & societatem mihi coniunctiorẽ feceris. tuque ipse & ex huius obseruantia gratissimi hominis, et ex sociorũ, gratia hominũ amplissimorum, maximum fructum capies, & me summo beneficio affeceris. sic enim uelim existimes, ex tota tua prouincia, omnique isto imperio nihil esse, quod mihi gratius facere possis.

M. CICERO P. SERVILIO SAL.

A. Cæcinã maxime proprium clientem familiæ uestræ non cõmẽdarẽ tibi, cũ scirẽ qua fide in tuos, qua clementia in calamitosos soleres esse: nisi me & patris eius, quo sum familiarissime usus, memoria, & huius fortuna ita moueret, ut hominis, omnibus mecum studijs officijsque coniũctissimi mouere debebat. A te hoc omni cõtẽtione peto sic, ut maiore cura, maiore animi labore petere nõ possim: ut ad ea, quæ tua sponte sine cuiusquã cõmendatione faceres in hominẽ tantũ, & talẽ, calamitosum, aliquẽ afferant cumulũ meæ literæ, quò studiosius eũ, quibuscũque rebus possis, iuues. Quod si Romæ fuisses, etiã salutem A. Cæcinæ essemus (ut opinio mea fert) per te consecuti. De qua tamen magnã spẽ habemus freti clemẽtia Collegæ tui. Nunc quum tuam iustitiã secutus, tutissimum sibi portum prouinciam istam duxit esse, etiam atque etiam te rogo atque oro, ut eum & in reliquijs ueteris negotiationis colligẽdis iuues, & ceteris rebus tegas atque tueare. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

M. CICERO. P. SERVILIO PROPR. SAL.

EX prouincia mea Ciliciensi, cui scis τρεῖς διοικήσεις Asiaticas attributas fuisse, nullo sum familiarius usus, quàm Androne Artemonis. F. Laodicensi: eũque habui in ea ciuitate cũ hospitẽ, tũ uehementer ad meæ uitæ rationẽ & cõsuetudinẽ accõmodatũ. Quẽ quidẽ multo etiã pluris post ea quàm decessi, facere cœpi, quod multis rebus expertus sum gratũ hominẽ, meique memorẽ. Itaque eũ Romæ libentissime uidi. Nõ te enim fugit, qui plurimis in ista prouincia benigne fecisti, quàm multi grati reperiantur. Hæc propterea scripsi, ut & me non sine causa laborare intelligeres, et tu ipse eum dignum hospitio tuo iudicares. Feceris igitur mihi gratissimum, si ei declararis, quanti me facias, id est, si recæperis eum in fidem tuam, & quibuscunque rebus honeste, ac sine molestia tua poteris, adiuueris. Hoc mihi erit uehementer gratũ. Idque ut facias, te etiam atque etiam rogo.

M. TVLLIVS CICERO P. SERVILIO ISAVRICO PROCOS. COLLEGAE SAL. PLV.

GRatæ mihi uehementer tuæ literæ fuerũt, ex quibus cognoui cursus nauigationũ tuarũ. Significabas enim memoriã tuam nostræ necessitudinis, qua mihi nihil poterat esse iucundius. Quod reliquũ est, multò etiã erit gratius, si ad me de rep. id est de statu prouinciæ, de institutis tuis familiariter scribes. Quæ quanquàm ex multis pro tua claritate audiã, tamen libẽtissime ex tuis literis cognoscã. Ego ad te de reipu.

summa quid sentiã, nõ sæpe scribã propter periculũ eiusmodi literarũ. Quid agatur autem, scribã sæpius. Sperare tamẽ uideor Cæsari Collegæ nostro fore curæ, & esse, ut habeamus aliquã rempu. cuius consilijs magni referebat te interesse. Sed si tibi utilius est, id est gloriosius, Asiæ præesse, & istã partem reip. male affectã tueri: mihi quoq; idẽ, quod tibi & laudi tuæ profuturũ est, optatius debet esse. Ego, quæ ad tuam dignitatem pertinere arbitrabor, summo studio diligentiaq; curabo. In primisq; tuebor omni obseruantia clarissimum uirũ patrẽ tuum: quod & pro uetustate necessitudinis, et pro beneficijs uestris, & pro dignitate ipsius facere debeo.

CICERO P. SERVILIO COLLEGAE SAL. PLVR.

C. Curtius Mithres est ille quidẽ, ut scis, libertus Postumi familiarissimi mei: sed me colit & obseruat æque atq; illum ipsum patronũ suũ. Apud eum ego sic Ephesi fui, quotiescunq; fui, tanquã domi meæ. Multaq; acciderũt, in quibus & beneuolentiã eius erga me experirer, & fidem. Itaq; si quid aut mihi, aut meorum cupiã opus est in Asia, ad hunc scribere consueui: huius cum opera & fide, tum domo & re uti, tanquam mea. Hæc ad te eo pluribus scripsi, ut intelligeres, me non uulgariter nec ambitiose, sed ut pro homine intimo, ac mihi pernecessario scribere. Peto igitur à te, ut in ea cõtrouersia, quam habet de fundo cum quodam Colophonio, & in ceteris rebus, quantũ fides tua patietur, quantumq; tuo commodo poteris, tantũ & honoris mei causa commodes. etsi, ut eius modestiam cognoui, grauis tibi nulla in re erit. Si et mea commendatione & sua probitate assecutus erit, uti de se bene existimes, omnia se adeptũ arbitrabitur. Vt igitur eum recipias in fidem, habeasq; in numero tuorũ, te uehementer etiã atque etiam rogo. Ego quæ te uelle, quæq; ad te pertinere arbitrabor, omnia studiose diligenterq; curabo.

M. CICERO P. SERVILIO COLLEGAE SAL. PLVR.

QVia non est obscura tua in me beneuolẽtia, sic fit, ut multi per me tibi cõmendari uelint. Ego autẽ tribuo nonnunquã in uulgus, sed plerunq; necessarijs, in hoc tempore. Nã cum. T. Ampio Balbo mihi summa familiaritas, necessitudoq; est. Eius libertum T. Ampium Menandrũ hominem frugi & modestum, & patrono & nobis uehementer probatũ tibi cõmendo maiorem in modum. Vehementer mihi gratum feceris, si quibuscunque rebus sine tua molestia poteris, ei cõmodaris. Quod ut facias, te uehementer etiã atque etiam rogo.

M. CICERO S.D. P. SERVILIO COLLEGAE.

MVltos tibi cõmendem necesse est, quum omnibus nota nostra necessitudo est, tuaq; erga me beneuolentia. Sed tametsi omniũ causa, quos commendo uelle debeo, tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. T. Agusius & comes meus fuit illo miserrimo tẽpore, & omnium itinerũ, nauigationum, laborum, periculorum meorum socius. Neque hoc tempore discessisset à me, nisi ego ei permisissem. Quare sic tibi eũ commẽdo, ut unum de meis domesticis, & maxime necessarijs. Pergratum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat hanc cõmendationem sibi magno usu atque adiumento fuisse.

M. Cicero

M. CICERO P. SERVILIO COLLEGAE SAL.


Ærelliæ necessariæ meæ rē,nomina, possessiones Asiaticas commēdaui tibi præsens in hortis tuis,q̄ potui diligentissime:tuq; mihi pro tua consuetudine,proq; tuis in me perpetuis maximisq; officijs omnia te facturū liberalissime recepisti. Meminisse te id spero,scio enim solere.Sed tamen Cærelliæ procuratores scripserunt te propter magnitudinem prouinciæ,multitudinemq; negotiorum etiam atque etiam esse commonefaciēdum. Peto igitur ut memineris te omnia,quæ tua fides pateretur,mihi cumulate recæpisse.Equidem existimo habere te magnam facultatem(sed hoc tui est consilij & iudicij,)ex eo.S.C.quod in hæredes.C.Vēnonij factum est Cærelliæ commodandi.Id.S.C.tu interpretabere pro tua sapientia. Scio enim eius ordinis auctoritatem semper apud te magni fuisse.Quod reliquum est,sic uelim existimes,quibuscunque rebus Cærelliæ benigne feceris,mihi te gratissimum esse facturum.

M. CICERO Q. PHILIPPO PROCOS. SAL.


Ratulor tibi,quòd ex prouincia saluum te ad tuos recepisti incolumi fama & rep.Quòd si Romæ:te uidissem,corāq; gratias egissem,q; tibi.L.Egnatius familiarissimus meus absens. L. Oppius præsens curæ fuisset.Cum Antipatro Derbete mihi non solū hospitium,uerum etiam summa familiaritas intercedit.Ei te uehementer suscensuisse audiui,& moleste tuli. De re nihil possum iudicare,nisi illud mihi persuadeo,te talem uirum nihil temere fecisse.te autem pro uetere nostra necessitudine etiam atq; etiam peto, ut eius filios,qui in tua potestate sunt,mihi potissimum condones:nisi quid existimas in ea re uiolari existimationem tuam. Quod ego si arbitrarer, nunquam te rogarem:mihiq; tua fama multò antiquior esset, quàm illa necessitudo est.Sed mihi ita persuadeo(potest fieri ut fallar)eam rem laudi tibi potius,quā uituperationi fore. Quid fieri posset,& quid mea causa facere possis(nam quid uelis,non dubito)uelim,si tibi graue non erit,certiorem me facias.

M. CICERO Q. PHILIPPO PROCOS. SAL.


T si non dubito pro tua in me obseruantia,proq; nostra necessitudine,quin cōmendationem meā memoria teneas:tamē etiam atq; etiam eundem tibi.L.Oppium familiarem meum præsentem, & L.Egnatij familiarissimi mei absentis negotia commendo. Tanta mihi cum eo necessitudo est,familiaritasq;,ut si mea res esset, non magis laborarem.Quapropter gratissimum mihi feceris,si curaris,ut is intelligat me à te tantum amari,quantū ipse existimo.Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idq; ut facias,te uehementer rogo. Vale.

M. CICERO T. TITIO T.F.LEG. SAL. DIC.


T si non dubito,quin apud te mea cōmendatio prima satis ualeat, tamen obsequor homini familiarissimo C. Auianio Flacco, cuius causa omnia cum cupio,tum mehercule etiā debeo.De quo & præsens tecū egi diligenter, cum tu mihi humanissime respondisti,& scripsi ad te accurate antea: sed putat interesse sua, me ad te quamsæpissime scribere. Quare uelim mihi ignoscas,si illius uoluntati obtemperans,

minus uidebor meminisse constantiæ tuæ. A te idem illud peto, ut de loco, quò deportet frumentum, & de tempore, Auianio cōmodes. quorū utrunque per eundē me obtinuit trieniū, dum Pompeius isti negocio præfuit. Summa est, in quo mihi gratissimū facere possis, si curaris, ut Auianius, quum se à me amari putat, me à te amari sciat. Erit id mihi pergratum.

M. CICERO. IIII. VIRIS ET DECVRIONIBVS S. S. D.



Antæ mihi cum Q. Hippio causæ necessitudinis sunt, ut nihil possit esse cōiunctius, quàm nos inter nos sumus. Quod nisi ita esset, uterer mea consuetudine, ut uobis nulla in re molestus essem. Etenim uos mihi optimi testes estis, quàm mihi persuasum esset, nihil esse, quod à uobis impetrare non possem: nunquam me tamen grauem uobis esse uoluisse. Vehementer igitur uos etiam atque etiam rogo, ut honoris mei causa liberalissime C. Valgium Hippianum tractetis, remque cum eo conficiatis, ut quam possessionem habet in agro Fregellano, à uobis emptam, eam liberam & immunem habere possit. Id si à uobis impetraro, summo me beneficio uestro adfectum arbitrabor.

M. CICERO. S.D. P. SVLPICIO IMP.



Vm his temporibus non sanè in Senatum uentitarem, tamen ut tuas literas legi, non existimaui me saluo iure nostræ ueteris amicitiæ multorumque inter nos officiorum facere posse, ut honori tuo deessem. Itaque affui, supplicationemque tibi libenter decreui: nec reliquo tempore ullo, aut rei, aut existimationi, aut dignitati tuæ deero. Atque hoc ut tui necessarij sciant, hoc me animo erga te esse, uelim facias eos per literas certiores, ut si quid tibi opus sit, ne dubitent mihi iure suo denunciare. M. Bolanum uirum bonum & fortem, & omnibus rebus ornatum, meumque ueterem amicum tibi magnopere commendo. Pergratum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat hanc commendationem sibi magno adiumento fuisse. Ipsumque uirum optimum gratissimumque cognosces. Promitto tibi, te ex eius amicitia magnā uoluptatē esse capturū: præterea à te peto in maiorem modū pro nostra amicitia, & pro tuo perpetuo in me studio, ut in hac re etiā elabores. Dionysius seruus meus, qui meā bibliothecē multorum nummorum tractauit, cum multos libros surripuisset, nec se impune laturum putaret, aufugit. Is est in prouincia tua. Eum & M. Bolanus familiaris, & multi alij Naro ne uiderunt. Sed cum se à me manumissum esse diceret, crediderunt. Hunc tu si mihi restituendum curaris, non possum dicere, quàm mihi gratum futurum sit. Res ipsa parua, sed animi mei dolor magnus est. Vbi sit, & quid fieri possit, Bolanus te docebit. Ego si hominē per te recuperaro, summo me à te beneficio adfectum arbitrabor.

M. CICERO ALLIENO SAL.



Emocritus Sicyonius, nō solum hospes meus est, sed etiam, quod non multis contingit, Grecis presertim, ualde familiaris. Est enim in eo summa probitas, summa uirtus, summa in hospites liberalitas & obseruantia: meque preter ceteros & colit & obseruat, & diligit. Eū tu nō modo suorū ciuiū, uerū pene Achaiæ principē cognosces. Huic ego tantummodo aditū ad tuam cognitionē patefacio & munio: cognitum

per te

per te ipsum quæ tua natura est, dignum tua amicitia atque hospitio iudicabis. Peto igitur à te, ut his literis lectis recipias eum in tuam fidem. pollicea re omnia te facturum mea causa. De reliquo, si id quod confido, fore dignum eum tua amicitia hospitioq; cognoueris, peto ut eum complectare, diligas, in tuis habeas. Erit id mihi maiorem in modum gratum. Vale.

M. CICERO. S.D. ALLIENO PROCOS.



T te scire arbitror, quanti fecerim C. Auianium Flaccum: & ego ex ipso audiueram optimo & gratissimo homine, q̃ à te liberaliter esset tractatus. Eius filios dignissimos illo patre, meosq; necessarios, quos ego unice diligo, commendo tibi sic, ut maiore studio nullos commẽdare possim. C. Auianius in Sicilia est. Marcus est nobiscum. Vt illius dignitatem præsentis ornes, rem utriusque defendas, te rogo. Hoc mihi gratius in ista prouincia facere nihil potes. Idq; ut facias, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM LIBER, AD TERENTIAM VXOREM.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE, TVLLIOLAE SVAE CICERONI SVO. S.D.



T literis multorum & sermone omniũ perfertur ad me incredibilem tuã uirtutem & fortitudinem esse: teq; nec animi neq; corporis laboribus defatigari. Me miserum, te ista uirtute, fide, probitate, humanitate in tantas ærumnas propter me incidisse: Tulliolamq; nostram, ex quo patre tantas uoluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus? Nam quid ego de Cicerone dicam? qui cum primũ sapere cœpit, acerbissimos dolores miseriasq; percepit. Quæ si, tu ut scribis, fato facta putarẽ, ferrem paulo facilius: sed omnia sunt mea culpa cõmissa, qui ab his me amari putabam, qui inuidebant: eos nõ sequebar, qui petebant. Quòd si nostris cõsilijs usi essemus, neq; apud nos tantum ualuisset sermo aut stultorum amicorum, aut improborum, beatissimi uiueremus: nũc quum sperare nos amici iubent, dabo operã, ne mea ualetudo tuo labori desit. Res quanta sit, intelligo: quantoq; fuerit facilius manere domi, q̃ redire. Sed tamen si omneis Tribb. pl. habemus: si Lentulum tam studiosum, q̃ uidetur: si uero etiã Pompeium & Cæsarem, non est desperandũ. De familia, quomodo placuisse scribis amicis, faciemus. De loco, nunc quidem iã abijt pestilentia: sed quandiu fuit, me non attigit. Plancius homo officiosissimus me cupit esse secum: & adhuc retinet. Ego uolebã loco magis deserto esse in Epiro, quò neq; Hyspo ueniret, nec milites: sed adhuc Plancius me retinet: sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat. Quẽ ego diem si uidero, et si in uestrum complexũ uenero, ac si

& uos & meipsum recuperaro: satis magnum mihi fructum uidebor percepisse & uestræ pietatis et meę. Pisonis humanitas, uirtus, amor, in omnes nos tantus est, ut nihil suprà possit. Vtinam ea res ei uoluptati sit: gloriæ quidē uideo fore. De Q. fratre, nihil ego te accusaui: sed uos, cum præsertim tam pauci sitis, uolui esse q̄ coniunctissimos. Quibus me uoluisti agere gratias, egi: & me à te certiorē esse factum scripsi. Quod ad me mea Terentia scribis, te uicū uēditurum: quid obsecro, te (me miserū) quid futurum est? Et si nos premet eadē fortuna, quid puero misero fiet? Non queo reliqua scribere (tanta uis lacrimarum est) neq; te in eundē fletum adducam. Tantum scribo: si erūt in officio amici, pecunia non deerit: si non erunt, tu efficere tua pecunia non poteris. Per fortunas miseras nostras uide, ne puerum perditum perdamus. Cui si aliquid erit: ne egeat mediocri uirtute opus est, & mediocri fortuna, ut cetera consequatur. Fac ualeas, & ad me tabellarios mittas, ut sciam quid agatur, & uos quid agatis. Mihi omnino iam breuis expectatio est. Tulliolę et Ciceroni salutem dic. Valete. D. ad. VI. K. Decem. Dyrrhachij. Dyrrhachiū ueni, q̄ & libera ciuitas est, & in me officiosa, & proxima Italiæ. Sed si me offendet loci celebritas, aliò me conferam, ad te scribam.

TVLLIVS S. D. TERENTIAE SVAE ET TVLLIOLAE ET CICERONI SVIS.

NOli putare me ad quenquā longiores epistolas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere. Nec enim habeo quid scribam: nec hoc tempore quicquā difficilius facio. Ad te uero, & ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis lacrimis scribere. Vos enim uideo esse miserrimas, quas ego beatissimas semper esse uolui, idq; præstare debui: & nisi tam timidi fuissemus, præstitissem. Pisonē nostrum merito eius amo plurimum. Eum ut potui, per literas cohortatus sum: gratiasq; egi, ut debui. In nouis Tribb. pl. intelligo spem te habere, id erit firmum, si Pompeij uoluntas erit: sed Crassum tamen metuo. A te quidem omnia fieri fortissime & amātissime uideo, nec miror: sed mœreo casum eiusmodi, ut tantis tuis miserijs meæ miseriæ subleuantur. Nam ad me P. Valerius homo officiosus scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodū à Vesta ad tabulam Valeriam ducta esses. Hem mea lux, meum desiderium, unde omnes opem petere solebant, te nunc mea Terentia sic uexari, sic iacere in lacrimis & sordibus: idq; fieri mea culpa, qui ceteros seruaui, ut nos periremus. Quod de domo scribis, hoc est de area, ego uero tum deniq; mihi uidebor restitutus, si illa nobis erit restituta. Verū hæc non sunt in nostra manu. Illud doleo, quæ impensa facienda est, in eius partem miseram, & despoliatā uenire. Quod si conficitur negocium, omnia cōsequemur: sin eadem nos fortuna premet, etiāne reliquias tuas misera ꝓijcies? Obsecro te mea uita, quod ad sumptum attinet, sine alios, qui possunt, si modo uolunt, sustinere: & ualetudinē istam infirmā, si me amas, noli uexare. Nam mihi ante oculos dies noctesq; uersaris. Omneis labores te excipere uideo: timeo ut sustineas: sed uideo in te esse omnia. Quare ut id quod speras, & quod agis, consequamur, seruì ualetudini. Ego ad quos scribā, nescio, nisi ad eos qui ad me scribūt: aut ad eos, de quibus ad me uos aliquid scribitis. Lōgius, quū ita uobis placet, nō discedam.

scedā.sed uelim q̄ sępissime literas mittatis,presertim si quid est firmius,quod speremus. Valete mea desideria,ualete. D.ad.III. Non.Oct. Thessalonica.

TVLLIVS S.D.TERENTIAE SVAE,ET TVLLIOLAE ET CICERONI.



Accepi ab Aristocrito tres epistolas,quas ego lacrimis prope deleui.Cōficior enim mœrore mea Terentia:nec meæ miseriæ magis excruciāt,q̄ tuæ uestræq;.Ego autē hoc miserior sum,q̄ tu quæ es miserrima,q; ipsa calamitas cōmunis est utriusq; nostrū:sed culpa mea propria est.Meū fuit officiū,uel legatione uitare periculū,uel diligētia & copijs resistere,uel cadere fortiter:hoc miserius,turpius,indignius nobis nihil fuit.Quare cū dolore cōficiar,tū etiā pudore.Pudet enim me uxori meæ optimæ,suauissimis liberis,uirtutē & diligētiam non præstitisse.Nam mi ante oculos dies noctesq; uersatur squalor uester,& mœror,& infirmitas ualetudinis tuæ:spes autem salutis pertenuis ostenditur.Inimici sunt multi: inuidi penè omnes.Eijcere nos magnū fuit:excludere facile est.Sed tamē quādiu uos eritis in spe,nō deficiā,ne omnia mea culpa cecidisse uideātur. Vt tutò sim,quod laboras,id mihi nunc facillimū est,quē etiā inimici uolūt uiuere in his tantis miserijs.Ego tamē faciā,quæ præcipis. Amicis,quibus uoluisti, egi gratias:& eas literas Desippo dedi:meq; de eorū officio scripsi à te certiorem esse factū.Pisonē nostrū mirifico esse studio in nos & officio,& ego perspicio,& oēs prædicant.Dij faxint,ut tali genero mihi præsenti tecū simul,et cū liberis nostris frui liceat.Nunc spes reliqua est in nouis Tribb.pl.et in primis quidē diebus.Nā si inueterarit,actū est.Ea re ad te statim Aristocritum misi,ut ad me continuo initia rerū,et rationem totius negocij posses scribere: etsi Desippo quoq; ita imperaui,statim ut recurreret:& ad fratrē misi,ut crebro tabellarios mitteret.nā ego eo nomine sum Dyrrhachij hoc tempore,ut q̄ celerrime,quid agatur audiam,& sum tuto.Ciuitas enim hæc semper à me defensa est.Cum inimici nostri uenire dicentur,tum in Epirū ibo.Quod scribis te si uelim,ad me uenturam : ego uero cum sciam magnam partem istius oneris abs te sustineri,te istic esse uolo.Si perficitis,quod agitis,me ad uos uenire oportet:sin autem,sed nihil opus est reliqua scribere.Ex primis aut summum secundis literis tuis constituere poterimus,quid nobis faciendum sit. Tu modo ad me uelim omnia diligentissime perscribas:etsi magis iam rem, quàm literas debeo expectare.Cura ut ualeas,et ita tibi persuadeas,mihi te carius nihil esse,nec unquam fuisse.Vale mea Terentia,quā ego uidere uideor: itaq; debilitor lacrimis.Vale Pr.K.Dec.

TVLLIVS S.D. TERENTIAE ET TVLLIAE ET CICERONI SVIS.



Ego minus sæpe do ad uos literas,q̄ possum,propterea q; cum omnia mihi tēpora sunt misera,tū uero cum aut scribo ad uos,aut uestras lego,conficior lacrimis,sic ut ferre non possim. Quod utinā minus uitæ cupidi fuissemus,certe nihil aut non multū in uita mali uidissemus. Q. si nos ad aliquā alicuius cōmodi aliquādo recuperandi spē fortuna reseruauit,minus est erratū à nobis:si hæc mala fixa sunt,ego uero te q̄ primū mea uita cupio uidere,& in tuo cōplexu emori:quū neq; dij,quos tu

castissime coluisti: neque homines, quibus ego semper seruiui, nobis gratiā retulerunt. Nos Brundisij apud M. Lenium Flaccū dies. XIII. fuimus, uirum optimū, qui periculū fortunarum, & capitis sui prę mea salute neglexit: neque legis improbissimę pœna deductus est, quo minus hospitij & amicitiæ ius, officiūque præstaret. Huic utinā aliquādo gratiā referre possimus, habebimus quidē semper. Brundisio profecti sumus ad. V. K. Mai. per Macedoniā Cyzicumque petebamus. O me perditū. O afflictum. quid nunc rogem te, ut uenias, mulierem ægram & corpore & animo confectam? non rogem? sine te igitur sim? Opinor sic agā: si est spes nostri reditus, eā confirmes, & rē adiuues: sin, ut ego metuo, trāsactum est, quoquo modo potes, ad me fac uenias. Vnū hoc scito, si te habebo, non mihi uidebor plane perijsse. Sed quid Tulliola mea fiet? iam id uos uidete: mihi deest cōsilium. Sed certe quoquo modo se res habebit, illius misellæ & matrimonio & famæ seruiendū est. Quid Cicero meus, quid aget? Iste uero sit in sinu semper & complexu meo. Non queo plura iam scribere, impedit mœror. Tu quid egeris, nescio: utrū aliquid teneas, an quod metuo, plane sis spoliata. Pisonem ut scribis, spero fore semper nostrū. De familia liberata nihil est, quod te moueat. Primū, tuis ita promissum est, te facturā esse, ut quisque esset meritus. Est autē in officio adhuc Orpheus: præterea magnopere nemo ceterorū seruorū. Ea causa est, ut si res à nobis abesset, liberti nostri essent, si obtinere potuissent: sin ad nos pertinerent, seruirēt, prætērque oppidò pauci. Sed hæc minora sūt. Tu quod me hortaris, ut animo sim magno, & spem habeam recuperandæ salutis: id uelim sit eiusmodi, ut recte sperare possimus. nunc miser quando tuas iā literas accipiam, quis ad me perferet? quas ego expectassem Brundisij, si esset licitum per nautas, qui tempestatē prætermittere noluerunt. Quod reliquū est, sustenta te mea Terentia, ut potes. honestissime uiximus, floruimus: non uitium nostrum, sed uirtus nostra nos afflixit. peccatum est nullum, nisi quòd non unà animam cum ornamentis amisimus. Sed si hoc fuit liberis nostris gratius, nos uiuere, cetera quanquam ferenda non sunt, feramus. Atque ego qui te confirmo, ipse me non possum. Clodium Philhetaerum, quòd ualetudine oculorum impediebatur, hominem fidelem remisi. Sallustius officio uincet omnes, Pescennius est perbeneuolus nobis: quem semper spero tui fore obseruantem. Sicca dixerat se mecum fore: sed Brundisio discessit. Cura quoad potes, ut ualeas: & sic existimes, me uehementius tua miseria, quàm mea commoueri. Mea Terentia fidissima atque optima uxor, & mea carissima filiola, & spes reliqua nostra Cicero ualete. Prid. K. Mai. Brundisio.

TVLLIVS S. D. TERENTIAE SVAE.


SI tu & Tullia lux nostra ualetis, ego & suauissimus Cicero ualemus. Pr. Id. Oct. Athenas uenimus, cū sanè aduersis uentis usi essemus, tardeque & incōmode nauigassemus. De naui exeuntibus nobis, Acastus cum literis præsto fuit uno & uigesimo die, sanè strenue. accæpi tuas literas, quibus intellexi te uereri, ne superiores mihi redditæ non essent. Omnes sunt redditæ, diligentissimeque à te perscripta omnia: idque mihi gratissimū fuit. Neque sum admiratus hāc epistolā, quā Acastus attulit, breuē fuisse. iam enim meipsum expectas, siue nos ipsos, qui quidē quamprimum

mum ad uos uenire cupimus: etsi in quam remp. uenimus, intelligo. cognoui enim ex multorum amicorum literis, quas attulit Acastus, ad arma rem spectare: ut mihi, cum uenero, dissimulare non liceat quid sentiam. Sed quũ subeunda fortuna est, eò citius dabimus operam, ut ueniamus, quò facilius de tota re deliberemus. Tu uelim quod commodo ualetudinis tuæ fiat, quamlongissime poteris, obuiam nobis prodeas. De hæreditate Preciana, quæ quidẽ mihi magno dolori est (ualde enim illũ amaui) sed hoc uelim cures: si auctio ante meũ aduentũ fiet, ut Põponius, aut si is minus poterit, Camillus nostrũ negociũ curet. Nos, cũ salui uenerimus, reliqua per nos agemus. Sin tu iam Roma ꝑfecta eris, tamẽ curabis, ut hoc ita fiat. Nos si dij adiuuabunt, circiter Id. Nou. in Italia speramus fore. Vos mea suauissima & optatissima Terentia, si nos amatis, curate ut ualeatis. Vale Athenis ad. XV. K. Nou.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE.

NEc sæpe est cui literas demus: nec rem habemus ullam, quã scribere uelimus. Ex tuis literis, quas ꝓxime accepi, cognoui prædiũ nullum uenire potuisse. Quare uideatis uelim, quomodo satisfiat ei, cui scitis me satisfieri uelle. Quod nostra tibi gratias agit, id ego nõ miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere possit. Pollicẽ, si adhuc non est profectus, q̃primum fac extrudas. Cura ut ualeas. Id. Quint.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE SAL.

OMneis molestias & solicitudines, quibus & te miserrimam habui, & id quod mihi molestissimũ est, Tulliolã, quæ nobis nostra uita dulcior est, deposui et eieci. Quid causæ autẽ fuerit, postridie intellexi, q̃ à uobis discessi. χολὴν ἄκρατον noctu eieci statim. Ita sum leuatus, ut mihi deus aliquis medicinã fecisse uideatur. Cui quidẽ tu deo, quemadmodũ soles, pie & caste satis facias, id est Apollini & Æsculapio. Nauem spero nos ualde bonã habere: in eã simulatq; conscendi, hæc scripsi. Deinde conscribam ad nostros familiareis multas epistolas, quibus te et Tulliolã nostrã diligẽtissime cõmendabo. Cohortarer uos, quòd animo fortiore essetis, nisi uos fortiores cognossem, q̃ quenquã uirũ. Et tamen eiusmodi spero negocia esse, ut & uos istic cõmodissime sperẽ esse, & me aliquãdo cũ similibus nostri rempublicã defensuros. Tu primũ ualetudinẽ tuã uelim cures: deinde, si tibi uidebitur, uillis ijs utere, quæ lõgissime aberunt à militibus. Fundo Arpinati bene poteris uti cum familia urbana, si annona carior fuerit. Cicero bellissimus tibi salutẽ plurimã dicit, etiam atq; etiam. Vale. D. III. Id. Iun.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE SAL.

S. V. B. E. E. V. Valetudinem tuam uelim cures diligentissime. Nã mihi & scriptum, & nunciatum est, te in febrim subito incidisse. Quod celeriter me fecisti de Cæsaris literis certiorem, fecisti mihi gratum. Item posthac si quid opus erit, si quid acciderit noui, facies ut sciam. Cura ut ualeas. Vale. D. IIII. Non. Iun.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE SAL. PLVR.

AD ceteras meas miserias accessit dolor è Dolabellæ ualetudine & Tulliæ: omnino de omnibus rebus nec quid consilij capiã, nec quid faciã, scio. Tu uelim tuã & Tulliæ ualetudinem cures. Vale.


TVLLIVS S.D. TERENTIAE SVAE.


Vid fieri placeret, ſcripſi ad Pōponiū ſerius q̃ oportuit. Cū eo ſi locuta eris, intelliges quid fieri uelim. Apertius ſcribi, quum ad illū ſcripſeram, non neceſſe fuit. De ea re, & de ceteris rebus quamprimum uelim nobis literas mittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. VII. Id. Quint.

TVLLIVS S.D. TERENTIAE SVAE.


. V.B.E.V. Tullia noſtra uenit ad me pridie Id. Iun. cuius ſūma uirtute, & ſingulari humanitate grauiore etiā ſum dolore affectus, noſtra factum eſſe negligentia, ut longe alia in fortuna eſſet, atque eius pietas ac dignitas poſtulabat. Nobis erat in animo Ciceronē ad Cæſarem mittere, & cum eo Cn. Saluſtium. Si profectus erit, faciam te certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XVII. K. Quint.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE. S.D.


Vōd nos in Italiā ſaluos ueniſſe gaudes, perpetuo gaudeas uelim. Sed perturbati dolore animi, magniſq; iniurijs, metuo ne id cōſilij cæperimus, quod nō facile explicare poſſimus. Quare quantū potes, adiuua. Quid autē poſſis, mihi in mentē non uenit. In uiā q; te des hoc tēpore, nihil eſt & longū eſt iter, & non tutū, & nō uideo quid ꝓdeſſe poſſis, ſi ueneris. Vale. D. pr. Non. Nou, Brundiſio.

TVLLIVS S.D. TERENTIAE SVAE.


Vod ſcripſi ad te proximis literis de nuncio remittendo, quæ ſit iſtius uis hoc tempore, & quæ concitatio multitudinis, ignoro. ſi metuendus iratus eſt, quies tamē ab illo fortaſſe naſcetur. Totum iudicabis, quale ſit, & quod in miſerrimis rebus minime miſerum putabis, id facies. Vale. VI. Id. Quint.

TVLLIVS TERENTIAE, ET PATER TVLLIAE, DVABVS ANIMIS SVIS: ET CICERO MATRI OPTIMAE SVAVISSIMAE SORORI S.P.D.


I uos ualetis, nos ualemus. Veſtrū iam conſiliū eſt, non ſolū meū, quid ſit uobis faciendū. Si ille Romā modeſte uenturus, recte in præſentia domi eſſe poteſtis: ſin homo amens diripiendā urbē daturus eſt, uereor ut Dolabella ipſe ſatis nobis ꝓdeſſe poſſit. Etiā illud metuo, ne iā intercludamur, ut cū uelitis exire, non liceat. Reliquum eſt, quod ipſæ optime conſiderabitis, ueſtri ſimiles fœminæ ſint ne Romæ. Si enim nō ſunt, uidendū eſt, ut honeſte uos eſſe poſſitis. Quomodo quidē nūc ſe res habet, modo ut hæc nobis loco tenere liceat, belliſſime uel mecū, uel in noſtris prædijs eſſe poteritis. Etiā illud uerendū eſt, ne breui tempore fames in urbe ſit. His de rebus uelim cum Pōponio, cum Camillo, cum quibus uobis uidebitur, conſideretis: ad ſummam, animo forti ſitis. Labienus rem meliorem fecit. Adiuuat etiam Piſo, quōd ab urbe diſcedit, et ſceleris cōdemnat generum ſuum. Vos meæ cariſſimæ animæ quamſæpiſſime ad me ſcribite, & uos quid agatis, & quid iſtic agatur. Quintus pater, & filius, & Rufus uobis ſalutem dicunt. Valete. VIII. K. Quint. Menturnis.

Tullius

TVLLIVS S.D. TERENTIAE.

SI uales, bene est. Cōstitueramus ut ad te antea scripserā, obuiā Ciceronē Cæsari mittere. Sed mutauimus cōsiliū, quia de illius aduentu nihil audiebamus. De ceteris rebus etsi nihil erat noui, tamen quid uelimus, & quid hoc tēpore putemus opus esse, ex Sicca poteris cognoscere. Tulliā adhuc mecum teneo. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XII. K. Quint.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE.

S. T.V.B.E.V. Etsi eiusmodi tempora nostra sunt, ut nihil habeā, quod aut à te literarū expectē, aut ipse ad te scribā: tamē nescio quo mō & ipse uestras literas expecto, & scribo ad uos, cū habeo qui ferat. Volūnia debuit in te officiosior esse, q̄ fuit: & id ipsum q̄d fecit, potuit diligētius facere & cautius: q̄q̄ alia sunt, q̄ magis curemus, magisq; doleamus. Quæ me ita cōficiūt, ut ij uoluerūt, q me de mea sentētia detruserūt. Cura ut ualeas. Pr. Non. Ian.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S.D.

S. V.B.E.V. Si quid haberē, quod ad te scriberē, facerem id & pluribus uerbis & sæpius. Nunc quæ sunt negotia, uides. Ego autem quomodo sim affectus, ex Lepta & Trebatio poteris cognoscere. Tu fac, ut tuam & Tulliæ ualetudinem cures. Vale.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE, ET PATER SVAVISSIMAE FILIAE, CICERO MATRI: ET SORORI S.D. PLVR.

COnsiderandū uobis etiā atq; etiā animæ meæ diligēter puto, quid faciatis, Romæ ne sitis, aut mecū in aliquo tuto loco. Id nō solum meū cōsilium est, sed etiā uestrū. Mihi ueniunt in mentē hæc, Romæ uos esse tutò posse per Dolabellā: eāq; rē posse nobis adiumēto esse, si quæ uis, aut si quæ rapinæ fieri cœperint. Sed rursus illud me mouet, q; uideo oēs bonos abesse Roma, & eos mulieres suas secū habere. Hæc autē regio, in qua ego sum, nostrorū est, & oppidorū, tū ēt p̄diorū, ut et multū esse mecū, et cū abieritis, cōmode et in nostris esse possitis. Mihi plane nō satis cōstat adhuc, utrū sit melius. Vos uidete, quid aliæ faciāt isto loco fœminę: et ne cū uelitis exire, nō liceat, id uelim diligēter etiā atq; etiā uobiscum, et cum amicis cōsideretis. Domus ut p̄pugnacula et p̄sidium habeat, Philotimo dicetis. Et uelim tabellarios īstituatis certos, ut cotidie aliquas à uobis literas accipiā. Maxime autē date operā, ut ualeatis, si nos uultis ualere. VIII. K. Formijs.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S.D.

IN maximis meis doloribus excruciat me ualetudo Tulliæ nostrę. De qua nihil est quod ad te plura scribam: tibi enim æquè magnæ curæ esse certo scio. Quòd me propius uultis accedere, uideo ita esse faciendum, etiā ante fecissem: sed me multa impediuerunt. quę ne nunc quidem expedita sunt. Sed à Pomponio expecto literas, quas ad me quāprimum perferendas cures uelim. Da operam ut ualeas.

TVLLIVS S. D. TERENTIAE SVAE.

IN Tusculanū nos uenturos putamus aut Non. aut postridie: ibi ut sint oīa parata. Plures enim fortasse nobiscū erūt, et ut arbitror, diutius ibi cōmorabimur. Labrum si in balineo non est, ut sit. Itē cetera quæ sunt ad uictū & ualetudinem necessaria. Vale. K. Oct. de Venusino.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S.D.

S. V.B.E.V. Da operam ut conualescas, quod opus erit, ut res tempusq́ postulat, prouideas atq; administres: & ad me de omnibus rebus quamsæpissime literas mittas. Vale.

TVLLLIVS S.D. TERENTIAE SVAE.

S. V.B.E.V. Nos cotidie tabellarios nostros expectamus: qui si uenerint, fortasse erimus certiores, quid nobis faciēdū sit, faciemusq́ te statim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. K. Sept.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S.D.

S. V.B.E.V. Redditæ mihi tandem sunt à Cæsare literæ satis liberales: & ipse opinione celerius uenturus esse dicitur. Cui utrum obuiam procedam, an hic eum expectem, cum constituero, faciā te certiorē. Tabellarios mihi uelim quamprimum remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. D. Pr. Id. Sext.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S.D.

S. V.B.E.V. Nos neq; de Cæsaris aduentu, neq; de literis, quas Philotimus habere dicitur, quidq̄ adhuc certi habemus. Si quid erit certi, faciā te statim certiorem. Valetudinem tuam fac ut cures. Vale. III. Id. Sext.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD SENATVM ET CÆTEROS

M. TVLLIVS M.F. CICERO PROCOS. S.P.D. COSS. PRAET. TRIBB. PLEB. SENATVI.



. V.V.B.E.E.Q.V. Etsi non dubie mihi nuntiabatur Parthos transisse Euphratē cū omnibus fere suis copijs: tamen quòd arbitrabar à M. Bibulo Procos. certiora de his rebus ad uos scribi posse, statuebā mihi non necesse esse publice scribere ea, quæ de alterius prouincia nunciarentur. Postea uero, q̄ certissimis auctoribus, Legatis, nuncijs, literis sum certior factus: uel q; tanta res erat, uel q; nōdum audieramus Bibulū in Syriam uenisse, uel quia administratio huius belli mihi cum Bibulo penè est communis: quæ ad me delata essent, scribenda ad uos putaui. Regis Antiochi Commageni Legati primi mihi nunciarunt Parthorum magnas copias Euphratem transire cœpisse. Quo nuncio allato, cum essent nonnulli, qui ei Regi minorem fidem habendam putarent, statui expectandum esse, si quid certius afferretur. Ad. XIII. K. Oct. cum exercitum in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniæ & Cappadociæ mihi literæ redditæ sunt à Tarcondimoto, qui fidelissimus socius trans Taurum, amicissimusq́ Po. Ro. existimatur. Pacorem Orodi Regis Parthorum filium cum permagno equitatu Parthico trāsisse Euphratem, & castra posuisse Tybæ, magnumq́ tumultum esse in prouincia Syria excitatum. Eodem die ab Iāblico Phylarcho

cho Arabum, quē homines opinantur bene sentire, amicumq́ esse Reip. nostræ, literæ de ijsdē rebus mihi redditæ sunt. His rebus allatis, etsi intelligebā socios infirme animatos esse, & nouarū rerum expectatione suspensos: sperabam tamen eos, ad quos iam accesserā, quiq́ nostram consuetudinē integritatemq́ perspexerant, amiciores Populo. R. esse factos. Ciliciā autē firmiorem fore, si æquitatis nostræ particeps facta esset. Et ob eam causam, & ut opprimerētur ij, qui ex Cilicum gente in armis essent, & ut hostis is, qui esset in Syria, sciret exercitū. P. R. non modo non cedere his nuntijs allatis, sed etiā propius accedere: exercitum ad taurū institui ducere. Sed si quid apud uos auctoritas mea ponderis habet, in his presertim rebus, quas uos audistis, ego pene cerno: magno opere uos & hortor & moneo, ut his prouincijs serius uos quidē q̄ decuit, sed aliquādo tamen cōsulatis. Nos quēadmodum instructos, & quibus præsidijs munitos ad tanti belli opinionē miseritis, non estis ignari, quod ego negotiū nō stultitia obcæcatus, sed uerecūdia deterritus nō recusaui. Neq́ enim unquā ullū periculum tantū putaui, quod subterfugere mallē, q̄ uestræ auctoritati obtēperare. Hoc autem tempore res se sic habet, ut nisi exercitū tantū, quantū ad maximum bellum mittere soletis, mature in has ꝓuincias miseritis, summum periculū sit, ne amittendæ sint omnes hæ prouinciæ, quibus uectigalia. P. R. continētur. Quamobrē autē in hoc prouinciali delectu spem habeatis aliquam, causa nulla est: neq́ multi sunt & diffugiunt, qui sunt metu oblato. Et quod genus hoc militū sit, iudicauit uir fortissimus M. Bibulus in Asia: qui cum uos ei permisistis, delectum habere noluerit. Nam sociorum auxilia propter acerbitatem, atq́ iniurias imperij nostri, aut ita imbecilla sunt, ut non multum nos iuuare possint, aut ita alienata à nobis ut neq́ expectandum ab ijs, neq́ committendum ijs quicquam esse uideatur. Regis Deiotari & uoluntatem, & copias, quantæcunq́ sunt, nostras esse duco. Cappadocia est inanis. Reliqui Reges, tyranniq́, neq́ opibus satis firmi, nec uoluntate sunt. Mihi in hac paucitate militū animus certe non deerit: spero ne consilium quidē. Quid casurum sit, incertum est. Vtinam saluti nostræ consulere possimus: dignitati certe consulemus.

M. TVLLIVS M. F. CICERO PROCOS. S. D. COSS. PRAET. TRIBB. PLEB. SENATVI.

S. V. B. E. E. Q. V. Cum Pr. K. Sext. in prouinciā uenissem, neq́ maturius propter itinerum & nauigationū difficultatē uenire potuissem: maxime conuenire officio meo, Reiquepu. cōducere putaui, parare ea, quæ ad exercitū, quæq́ ad rē militarem pertinerent. Quæ cum essent à me cura magis & diligentia, quàm facultate & copia constituta: nuncijq́ & literæ de bello à Parthis in prouinciam Syriam illato cotidie ferè afferrētur: iter mihi faciendum per Lycaoniā & per Isauros, & per Cappadociā arbitratus sum: erat enim magna suspicio, Parthos, si ex Syria egredi atq́ irrumpere in meā prouinciam conarētur, iter eos per Cappadociam, quòd ea maxime pateret, esse facturos. Itaq́ cum exercitu per Cappadociæ partē eam, quę cum Cilicia continēs est, iter feci: castraq́ ad Cybistra quod oppidū est ad mōtē Taurū, locaui: ut Artuasdes Rex Armenius, quocūq́ aīo esset, sciret nō ꝓcul à suis finibus exercitū Populi. R. esse: & Deio-

tarũ fidelissimum Regem,atq; amicissimum reipu.nostræ, maxime coniun-
ctum haberem,cuius & consilio & opibus adiuuari posset resp. Quo cum in loco castra haberẽ,equitatumq; in Ciliciam misissem,ut & meus aduẽtus his ciuitatibus,quæ in ea parte essent,nuntiatus,firmiores animos omnium faceret,& ego mature,quid in Syria ageretur,scire possem: tempus eius tridui, quod in his castris morabar,in magno officio,et necessario mihi ponendum putaui.Cũ enim uestra auctoritas intercessisset,ut ego Regẽ Ariobarzanẽ, Eusebem, & Philorhomæum tuerer,eiusq; Regis salutẽ,incolumitatem,regnumq; defenderem,Regi regnoq; præsidio essem:adiunxissetisq; salutem eius Regis Po. Senatuiq; magnæ curæ esse,q; nullo unquam de Rege decretũ esset à nostro ordine: existimaui me iudiciũ uestrũ ad Regẽ deferre debere,eiq; præsidiũ meũ & fidẽ & diligentiã polliceri:ut quũ salus ipsius,incolumitas regni mihi cõmẽdata esset à uobis,diceret si quid uellet. Quæ cũ essem ĩ cõsilio meo cũ Rege locutus,initio ille orationis suæ uobis maximas,ut debuit,deinde etiã mihi gratias egit:q; ei permagnũ & perhonorificũ uidebatur,S.P.Q.R.tantæ curæ esse salutẽ suam:meq; tantã diligentiam adhibere, ut & mea fides,& cõmẽdationis uestræ auctoritas perspici posset. Atq; illo primo quod mihi maximæ lætitiæ fuit,ita mecũ locutus est,ut nullas insidias neq; uitæ suæ,neq; regno diceret se aut intelligere fieri,aut etiã suspicari. Cũ ego ei gratulatus essem,idq; me gaudere dixissem, cohortatus ut recordaretur casum illum interitus paterni,& uigilanter se tueretur,atq; admonitu Senatus consuleret saluti suæ:tũ à me discessit in oppidũ Cybistra.Postero autẽ die,cũ Ariarate fratre suo,et cũ paternis amicis maioribus natu ad me in castra uenit:perturbatusq; & flens,cũ idẽ & frater faceret,& amici:meam fidẽ, uestrã cõmẽdationẽ implorare cœpit.Cum admirarer,quid accidisset noui: dixit ad se indicia manifestarũ insidiarum esse delata,quæ essent ante aduentũ meũ occultata,q; ij,qui ea patefacere possent,ꝑpter metũ reticuissent. Eo autẽ tempore spe mei præsidij complureis ea quæ scirent,audacter ad se detulisse:in his amãtissimũ sui summa pietate præditũ fratrẽ dicere ea, quæ me is quoq; audiente dicebat,se solicitatũ esse,ut regnare uellet: id uiuo fratre suo accidere non potuisse:se tamen ante illud tẽpus eã rem nunq̃ in medium propter periculi metum protulisse. Quæ cũ esset locutus,monui Regẽ,ut omnẽ diligentiã ad se conseruandũ adhiberet:amicosq; in patris eius fide atq; iudicio probatos hortatus sum, Regis sui uitã docti casu acerbissimo patris eius omni cura custodiaq; defenderent. Cũ Rex à me equitatũ cohortesq; de exercitu meo postularet,etsi intelligebam uestro.S.C.non modo posse me id facere,sed etiã debere:tamẽ cum resp.postularet propter cotidianos ex Syria nũtios,ut quamprimũ exercitum ad Ciliciæ fines adducerem, cumq; mihi Rex patefactis iam insidijs non egere exercitu Populi.R. sed posse se suis opibus defendere uideretur:illum cohortatus sum, ut in sua uita conseruanda primum regnare disceret: à quibus perspexisset sibi insidias paratas,in eos uteretur iure regio:pœna afficeret eos,quos necesse esset,reliquos metu liberaret. Præsidio exercitus mei ad eorum,qui in culpa essent,timorem potius, quàm ad contentionem uteretur. Fore autem,ut omnes,quum.S.C.nossent,intelligerent me Regi, si opus esset, ex auctoritate uestra præsidio futurum. Ita confirmato illo,ex eo loco castra moui,iter in Ciliciam facere institui: cum

hac

hac opinione è Cappadocia discederem, ut consilio uestro, casu incredibili ac pene diuino Regem, quem uos honorificentissime appellassetis nullo postulante, quenque meæ fidei commendassetis, & cuius salutem magnæ uobis curæ esse decreuissetis: meus aduentus præsentibus insidijs liberaret. Quod ad uos à me scribi non alienũ putaui, ut intelligeretis ex ijs quæ penè acciderunt, uos multo antè, ne ea acciderẽt, prouidisse: eoque uos studiosius feci certiores, quòd in Rege Ariobarzane ea mihi signa uideor uirtutis, ingenij, fidei, beneuolentiæque erga uos perspexisse, ut non sine causa tãtam curam in eius uos salutem diligentiamque uideamini contulisse.

M. CICERO IMP. S.D. M. CATONI.



Cum ad me Legati missi ab Antiocho Commageno uenissent in castra ad Iconium ad. III. Non. Sept. ijque mihi nunciassent Regis Parthorum filiũ, quo cum esset nupta Regis Armeniorũ soror, ad Euphratem cũ maximis Parthorũ copijs, multarũque præterea gentiũ magna manu uenisse, Euphratemque iam transire cœpisse: dicique Armeniũ Regem in Cappadociã impetum esse facturum. putaui pro nostra necessitudine me hoc ad te scribere oportere. Publice propter duas causas nihil scripsi: quòd & ipsum Commagenum Legati dicebant ad Senatum statim nuntios literasque misisse: & existimabã M. Bibulũ Procos. qui circiter Id. Sext. ab Epheso in Syriã nauibus profectus erat, quòd secundos uẽtos habuisset, iã in prouinciã suã peruenisse: cuius literis omnia certiora perlatum iri ad Senatũ putabã. Mihi, ut in eiusmodi re tantoque bello, maxime curæ est, ut quæ copijs & opibus tenere uix possumus, ea mãsuetudine & cõtinẽtia nostra, sociorũ fidelitate teneamus. Tu uelim, ut consuesti, nos absenteis diligas & defendas.

M. CICERO IMP. S.D. M. CATONI.



Summa tua auctoritas fecit, meũque perpetuũ de tua singulari uirtute iudiciũ, ut magni mea interesse putarem, & res eas quas gessissem, tibi notas esse, & nõ ignorari à te, qua æquitate & continẽtia tuerer socios, prouinciamque administrarẽ. His enim à te cognitis, arbitrabar facilius me tibi quæ uellẽ probaturũ. Cũ in prouinciã Prid. K. Sext. uenissem, & propter anni tẽpus ad exercitũ mihi confestim esse eundũ uiderẽ, biduum Laodiceæ fui, deinde Apameæ quatriduũ, triduum Synnadis, totidẽ dies Philomeli. Quibus in oppidis cũ magni cõuẽtus fuissent, multas ciuitates acerbissimis tributis & grauissimis usuris, & falso ære alieno liberaui. Cumque ante aduentũ meũ seditione quadã exercitus esset dissipatus, quinque cohortes sine Legato, sine Tribb. mil. denique etiam sine Centurione ullo apud Philomelũ cõsedissent, reliquus exercitus esset in Lycaonia, M. Anneio Legato imperaui, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret: coactoque in unum locum exercitu, castra in Lycaonia apud Iconium faceret. Quod cum ab illo diligenter esset actum, ego in castra ad. VII. K. Sept. ueni, cum interea superioribus diebus ex. S. C. & euocatorum firmam manum, & equitatum sanè idoneum, & populorum liberorum, Regumque sociorum auxilia uoluntaria comparauissem. Interim cum exercitu lustrato iter in Ciliciam facere cœpissem K. Sept. Legati à Rege Commageno ad me missi, pertumultuose, neque tamen non uere Parthos in Syriam transisse

nunciauerunt. Quo audito uehemēter sum commotus, cum de Syria, tum de mea prouincia, de reliqua deniq; Asia. Itaq; exercitū mihi ducendū per Cappadociæ regionem eam, quæ Ciliciā attingeret, putaui. Nam si me in Ciliciā demisissem, Ciliciam quidem ipsam propter montis Amani naturam facile tenuissem. Duo sunt enim aditus in Ciliciam ex Syria: quorum uterq; paruis præsidijs propter angustias intercludi potest: nec est quidquam Cilicia cōtra Syriam munitius. Sed me Cappadocia mouebat, quæ patet à Syria, Regesq; habet finitimos, qui etiamsi sunt etiam amici nobis, tamen aperte Parthis inimici esse non audent. Itaq; in Cappadocia extrema non longe à Tauro apud oppidū Cybistra castrà feci, ut & Ciliciam tuerer, & Cappadociam tenens noua finitimorum consilia impedirem. Interea in hoc tanto motu, tantaq; expectatione maximi belli Rex Deiotarus, cui non sine causa plurimum semper & meo & tuo & Senatus iudicio tributum est: uir cum beneuolentia & fide erga Populū. R. singulari, tum præsenti magnitudine & animi & cōsilij, Legatos ad me misit, se cum omnibus suis copijs in mea castra esse uenturum. Cuius ego studio officioq; commotus, egi ei per literas gratias, idq; ut maturaret, hortatus sum. Cum autem ad Cybistra propter rationem belli quinq; dies essem moratus, Regem Ariobarzanem, cuius salutē à Senatu te auctore cōmendatam habebam, præsentibus insidijs, nec opinantem liberaui: neq; solum ei saluti fui, sed etiam curaui, ut cum auctoritate regnaret. Metram, & eum quem tu mihi diligenter commendaras, Athenæum importunitate Athenaidis exilio multatos, maxima apud Regem auctoritate gratiaq; constitui. Cumq; magnum bellum in Cappadocia cōcitaretur, si sacerdos armis se, quod facturus putabatur, defenderet, adolescens & equitatu & peditatu & pecunia paratus, & omnino ijs, qui nouari aliquid uolebant perfeci ut è regno ille discederet: Rexq; sine tumultu ac sine armis, omni auctoritate aulæ communita, regnum cum dignitate obtineret. Interea cognoui multorum literis atq; nuntijs magnas Parthorum copias & Arabum ad oppidum Antiochiam accessisse, magnumq; eorum equitatum, qui in Ciliciam transisset, ab equitum meorū turmis, & à cohorte Prætoria, quæ erat Epiphaneæ præsidij causa, occidione occisum. Quare cum uiderem à Cappadocia Parthorū copias auersas, non longe à finibus esse Ciliciæ, q̄ potui maximis itineribus, ad Amanum exercitum duxi. Quò ut ueni, hostem ab Antiochia recessisse, Bibulum Antiochiæ esse cognoui. Deiotarum confestim iam ad me uenientem cum magno & firmo equitatu, & peditatu, & cum omnibus suis copijs, certiorē feci, non uideri esse causam, cur abesset à regno, meq; ad eum, si quid noui forte accidisset, statim literas, nuntiosq; missurum esse. Cūq; eo animo uenissem, ut utriq; prouinciæ, si ita tempus ferret, subuenirem: tum id, quod iam ante statuerā uehementer interesse utriusq; prouinciç, pacare Amanum, & perpetuum hostem ex eo monte tollere, agere perrexi. Cumq; me discedere ab eo monte simulassem, et alias parteis Ciliciæ petere, abessemq; ab Amano iter unius diei, & castra apud Epiphaneam fecissem: ad. IIII. Id. oct. cum aduesperasceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, ut ad. III. Id. Oct. cum lucisceret, in Amanum ascenderem, distributisq; cohortibus & auxilijs, cum alijs Q. frater Legatus mecum simul, alijs C. Pontinus Legatus, reliquis M. Anneius & L. Tullius Legati præessent: plerosq; nec opinanteis oppressimus,

mus,qui occisi,captiq; sunt:interclusi fuga. Eranam autem,quæ fuit non uici instar,sed urbis,quod erat Amani caput:itemq; Sepyram,& Commorin, acriter & diu repugnantibus,Pontino illam partem Amani tenente,ex antelucano tempore usq; ad horam diei. X.magna multitudine hostium occisa cœpimus,castellaq; sex capta,complura incendimus. His rebus ita gestis castra in radicibus Amani habuimus apud Aras Alexandri quatriduum: & in reliquijs Amani delendis agrisq; uastandis,quæ pars eius montis meæ prouinciæ est,id tempus omne consumpsimus. Confectis his rebus,ad oppidū Eleutherocilicum Pindenissum exercitum adduxi:quod cū esset altissimo & munitissimo loco,ab hisq; incoleretur,qui ne regibus quidē unquā paruissent: cum & fugitiuos reciperent,& Parthorum aduentum acerrime expectarent, ad existimationem imperij pertinere arbitratus sum,comprimere eorum audaciam:quo facilius etiam ceterorum animi,qui alieni essent ab imperio nostro,frangerentur. Vallo & fossa circundedi:sex castellis,castrisq; maximis sepsi:aggere,uineis,turribus oppugnaui:usufq; multis tormētis,multis sagittarijs,magno labore meo,sine ulla molestia,sumptuue sociorū,septimo quinquagesimo die rem confeci:ut omnibus partibus urbis disturbatis,aut incensis,cōpulsi in potestatē meā peruenirēt. His erant finitimi pari scelere et audacia Tibarani:ab his Pindenisso capto obsides accępi,exercitū in hyberna dimisi. Q. fratrē negotio pręposui,ut in uicis aut captis,aut male pacatis exercitus collocaretur. Nūc uelim sic tibi persuadeas,si de his rebus ad Senatū relatum sit,me existimaturum summam mihi laudem tributam,si tu honorē meum sententia tua comprobaris. Idq;,etsi talibus de rebus grauissimos homines,& rogare solere,& rogari scio,tamen admonendum potius te à me, quàm rogandū puto:tu es enim is, qui me tuis sententijs sæpissime ornasti: qui oratione,qui prædicatione, qui summis laudibus in Senatu,in concionibus ad cœlum extulisti:cuius ego semper tanta esse uerborum pondera putaui,ut uno uerbo tuo cum mea laude coniuncto,omnia adsequi me arbitrarer. Te deniq; memini,cum cuidam clarissimo atq; optimo uiro supplicationem non decerneres,dicere te decreturum,si referretur ob eas res,quas is Cōsul in urbe gessisset. Tu idem mihi supplicationem decreuisti togato, non ut multis,rep.bene gesta:sed,ut nemini,rep.conseruata. Mitto quod inuidiā,quod pericula,quod omneis meas tēpestates,& subieris,& multò etiam magis,si per me licuisset,subire paratissimus fueris:quod deniq; inimicum meū,tuum inimicum putaris:cuius etiam interitum,ut facile intelligerem,mihi quantū tribueres, Milonis causa in Senatu defendēda approbaris. A me autem hæc sunt profecta,quæ ego in beneficij loco nō pono,sed in ueri testimonij atque iudicij,ut præstantissimas tuas uirtutes nō tacitus admirarer(quis enim id non facit?) sed in omnibus orationibus,sententijs dicendis,causis agendis,oībus scriptis, Græcis,Latinis,omni deniq; uarietate literarū mearū,te non modo ijs quos uidissemus,sed ijs,de quibus audissemus,omnibus anteferrē. Quæres fortasse,quid sit,quod ego hoc nescio quid gratulationis,& honoris à Senatu tāti æstimem. Agā iam tecū familiariter,ut est & studijs,& officijs nostris mutuis,et summa amicitia dignum,& necessitudine etiam paterna. Si quisq; fuit unquā remotus & natura,& magis etiam,ut sentire mihi quidē uideor,ratione atq; doctrina ab inani laude,& sermonibus uulgi: ego profecto is sum: testis est

Consulatus meus, in quo, sicut in reliqua uita, fateor ea me studiose secutũ, ex quibus uera gloria nasci posset: ipsam quidem gloriã per se nunq̃ putaui expetendã: itaq; & prouinciã ornatã, & spem non dubiam triumphi neglexi: Sacerdotiũ deniq;, cum (queadmodũ te existimare arbitror) nõ difficillime consequi possem, non appetiui. Idem post iniuriã acceptam, quam tu reip. calamitatem semper appellas, meã non modo non calamitatẽ, sed etiã gloriam, studui q̃ornatissima Senatus populiq;. R. de me iudicia intercedere. itaq; & Augur postea fieri uolui, quod antea neglexerã: & eum honorẽ, qui à Senatu tribui rebus bellicis solet, neglectũ à me olim, nunc mihi expetendũ puto. Huic meæ uoluntati, in qua inest aliqua uis desiderij, ad sanandũ uulnus iniuriæ, ut faueas adiutorq; sis, quod paulo ante me negarã rogaturum, uehementer te rogo: sed ita, si non ieiunũ hoc nescio quid, quod ego gessi, & contẽnendum uidebitur, sed tale atq; tantum, ut multi nequaq̃ paribus rebus honores summos à Senatu cõsecuti sint. Equidẽ etiã illud mihi animũ aduertisse uideor, (scis enim q̃ attente te audire soleã) te non tam res gestas, q̃ mores, instituta, atq; uitã Imperatorũ spectare solere in habendis aut nõ habendis honoribus. Quod si in mea causa considerabis, reperies me exercitu imbecillo cõtra metum maximi belli, firmissimũ præsidiũ habuisse æquitatem & continentiã. His ego subsidijs ea sum cõsecutus, quæ nullis legionibus cõsequi potuissem: ut ex alienissimis socijs amicissimos, ex infidelissimis firmissimos redderẽ, animosq; nouarũ rerum expectatione suspẽsos ad ueteris imperij beneuolentiã traducerẽ. Sed nimis hæc multa de me, presertim ad te, à quo uno omniũ sociorũ querelæ audiuntur: cognosces ex ijs, qui meis institutis se recreatos putant. cumq; omnes uno prope cõsensu, de me apud te ea, quæ mihi optatissima sunt, prædicabunt: tum duæ maximæ clientelæ tuæ, Cyprus insula & Cappadocię regnum, tecum de me loquentur: puto etiã Regem Deiotarum, qui uni tibi est maxime necessarius. Quæ si etiam maiora sunt: et in omnibus seculis pauciores uiri reperti sunt, qui suas cupiditates, q̃ qui hostium copias uincerent: est profectò tuũ, cum ad res bellicas hæc, quæ rariora & difficiliora sunt, genera uirtutis adiunxeris, ipsas etiã illas res gestas iustiores esse, & maiores putare. Extremũ illud est, ut quasi diffidẽs rogationi meæ, philosophiã ad te allegẽ, qua nec mihi carior ulla unq̃ res in uita fuit, nec hominũ generi maius à deis munus ullum est datum. Hæc igitur, quæ mihi tecum cõmũnis est, societas studiorum atq; artium nostrarum, quibus à pueritia dediti ac deuincti, soli propemodum nos philosophiã uerã, illam, & antiquã, quæ quibusdam ocij esse ac desidiæ uidetur, in forũ atq; in remp. atq; in ipsam aciem penè deduximus: tecũ agit de mea laude, cui negari à Catone fas esse non puto. Quamobrẽ tibi sic persuadeas uelim: si mihi tua sententia tributus honos ex meis literis fuerit, me sic existimaturũ cum auctoritate tua, tum beneuolentia erga me, mihi, quod maxime cupierim, contigisse. Vale.

M. CATO. S. D. M. CICERONI IMP.


Vod & resp. me, & nostra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuã uirtutem, innocẽtiã, diligentiã cognitam in maximis rebus, domi togati, armati foris, pari industria administrari gaudeam. Itaquẽ quod pro meo iudicio facere potui, ut innocentia cõsilioq; tuo defensam

sensam prouinciã, seruatũ Ariobarzanis cũ ipso Rege regnum, sociorum reuocatã ad studiũ imperij nostri uolũtatẽ, sententia mea, & decreto laudarẽ, feci: supplicationẽ decretã. Si tu, qua in re nihil fortuitò, sed summa tua ratione & continentia reip. prouisum est, dijs ĩmortalibus gratulari nos, quã tibi, referre accæptũ mauis, gaudeo. q̃ si triũphi prærogatiuã putas supplicationẽ: & idcirco casum potius, q̃ te laudari mauis: neq; supplicationẽ sequitur semper triumphus, & triũpho multo clarius est, Senatũ iudicare, potius mansuetudine & innocentia Imperatoris prouinciã, q̃ ui militũ, aut benignitate deorũ, retentã atq; conseruatam esse: quod ego mea sententia cẽsebam. Atq; hæc ego idcirco ad te contra cõsuetudinem meam pluribus scripsi: ut, quod maxime uolo, existimes me laborare, ut tibi persuadeã, me & uoluisse de tua maiestate, quod amplissimũ sim arbitratus: & q̃d tu maluisti, factũ esse gaudere. Vale, et nos dilige, et instituto itinere seueritatẽ diligẽtiãq; socijs et reip. p̃sta.

M. CICERO S. D. M. CATONI.



Aetus sum laudari me, inquit Hector, opinor apud Næuiũ, abs te pater à laudato uiro. Ea est enim professò iucunda laus quæ ab ijs proficiscitur, qui ipsi in laude uixerunt. Ego uerò uel gratulatione literarũ tuarũ, uel testimonijs sẽtẽtiæ dictæ nihil est, quod me nõ assecutũ putẽ. Idq; mihi cũ amplissimũ, tum gratissimũ est, te libenter amicitiæ dedisse, quod liquido ueritati dares. Et, si nõ modo omnes, uerũ etiã multi Catones essent in ciuitate nostra, in qua unũ extitisse mirabile est: quẽ ego currũ, aut quã laureã cũ tua laudatione conferrẽ? Nã ad meum sensum, & ad illud sincerum ac subtile iudicium nihil potest esse laudabilius, q̃ ea tua oratio, quæ est ad me perscripta à meis necessarijs. Sed causam meæ uoluntatis, non enim dicam cupiditatis: exposui tibi superioribus literis: quæ etiamsi parum iusta tibi uisa est, hanc tamen habet rationẽ, non ut nimis concupiscẽdus honos, sed tamen si deferatur à Senatu, minime aspernãdus esse uideatur. Spero autem illũ ordinẽ pro meis ob remp. susceptis laboribus, me non indignũ honore, usitato presertim, existimaturum. Quod si ita erit, tantũ ex te peto, quod amicissime scribis: ut cũ tuo iudicio quod amplissimum esse arbitraris, mihi tribueris: si id quod maluero, acciderit, gaudeas. Sic enĩ fecisse te, & sensisse & scripsisse uideo: resq; ipsa declarat, tibi illum honorem nostrum supplicationis iucundum fuisse, q̃ scribendo affuisti. Hæc enim. S.C. non ignoro ab amicissimis eius, cuius de honore agitur scribi solere. Ego, ut spero, te propediem uidebo: atq; utinam rep. meliore quàm timeo.

M. CICERO PROCOS. S. D. M. MARCELLO COS.



E et pietatis in tuos, & animi in rẽp. & clarissimi atq; optimi Consulatus C. Marcello Consule facto fructũ cępisse uehementer gaudeo. Non dubito, quid præsentes sentiãt: nos quidem longinqui, et à te ipso missi in ultimas genteis, ad cœlũ mehercule tollimus uerissimis ac iustissimis laudibus. Nam cum te à pueritia tua unice dilexerim, tuq; me in omni genere semper amplissimum esse & uolueris, & iudicaris: tũ hoc uel tuo facto, uel. P. R. de te iudicio multo acrius, uehementiusq; diligo: maximaq; lætitia afficior, cum ab hominibus prudẽtissimis, uirisq; optimis, omnibus dictis, factis, studijs, institutis, uel me tui similem esse audio, uel te

mei. Vnũ uero si addis ad praeclarissimas res Cõsulatus tui, ut aut mihi succedat q̃ primũ aliquis, aut ne quid accedat tẽporis ad id quod tu mihi &. S.C. et lege finisti, oĩa a me per te cõsecutũ putabo. Cura, ut ualeas: et me absentẽ diligas atq; defendas. Quae mihi de Parthis nũciata sunt, quia nõ putabã à me etiã nunc scribẽda esse publice, ꝓpterea ne pro familiaritate quidẽ nostra uolui ad te scribere: ne, cũ ad Consulẽ scripsissem, publice uiderer scripsisse.

M. CICERO PROCOS. S.D. C. MARCELLO COS. DESIG.


Axima sum laetitia affectus, cũ audiui Cõsulẽ te factum esse: eũq; honorem tibi Deos fortunare uolo, atq; à te pro tua parentisq; tui dignitate administrari. Nam cũ semper te amaui dilexiq;, tũ mei amãtissimũ cognoui in omni uarietate rerũ mearũ, tum patris tui pluribus beneficijs, uel defensus tristibus temporibus, uel ornatus secundis: & sum totus uester, & esse debeo: cum presertim matris tuae grauissimae atque optimae foeminae, maiora erga salutem, dignitatẽq; meam studia, quàm erant à muliere postulanda, perspexerim. Quapropter à te peto in maiorem modum, ut me absentem diligas atq; defendas.

M. CICERO PROCOS. S.D. MARCELLO COLLEGAE.


Arcellũ tuũ Consulẽ factum, teq; ea laetitia affectum esse, quã maxime optasti, mirandũ in modũ gaudeo: idq; cũ ipsius causa, tũ q̃ te omnibus secundissimis rebus dignissimũ iudico, cuius erga mẽ singularẽ beneuolentiã uel in labore meo, uel in honore perspexi: totã deniq; domũ uestram, uel salutis, uel dignitatis meae studiosissimam cupidissimamq; cognoui. Quare gratum mihi feceris, si uxori tuae Iuniae grauissimae atq; optimae foeminae, meis uerbis eris gratulatus. A te id, quod soles, peto: me absentem diligas atq; defendas.

M. CICERO IMP. S.D. C. MARCELLO C.F. COS.


Vũ id accidit, quod mihi maxime fuit optatũ: ut omniũ Marcellorũ, Marcellinorum etiã, (mirificus enim generis ac nominis uestri fuit erga me semꝑ animus) quũ ergo ita accidit, ut omniũ uestrũ studio tuus Cõsulatus satisfacere posset, in quẽ meę res gestę, lausq;, & honos earũ potissimũ incideret: peto à te id quod facillimũ factu est, nõ aspernãte, ut cõfido, Senatu: ut q̃ honorificentissimũ. S.C. literis meis recitatis faciendũ cures. Si mihi tecũ minus esset, q̃ est cũ tuis oĩbus, allegarẽ ad te illos, à quibus itelligis me pręcipue diligi. Patris tui beneficia in me sũt amplissima: neq; enim saluti meae, neq; honori amicior quisq̃ dici potest. Frater tuus quãti me faciat, semperq; fecerit, esse hominẽ qui ignorat, arbitror neminẽ. Domus tua deniq; tota me semꝑ oĩbus sũmis officijs ꝓsecuta est. Neq; uero tu in me diligẽdo cuiq̃ cõcessisti tuorum. Quare à te peto in maiorẽ modũ, ut me per te q̃ ornatissimũ uelis esse: meãq; & in supplicatione decernenda, & in ceteris rebus existimationẽ satis tibi esse cõmendatam putes.

M. CICERO IMP. S.D. C. MARCELLO. COS.


Vantae curae tibi meus honos fuerit, & q̃ idem extiteris Consul in me ornando & amplificando, qui fueras semper cum parentibus tuis, & cum tota domo, etsi res ipsa loquebatur, cognoui tamen ex meorum omnium literis. Itaq; nihil est tantum, quod ego nõ tua

causa debeam,facturus'q; sim cum studiose ac libenter. Nam magni interest, cui debeas: debere autem nemini malui,q̃ tibi,cui me,cum studia communia, beneficia paterna,tua'q; iam ante coniunxerant: tum accedit,mea quidem sententia maximum uinculum,quòd ita remp.geris,atq; gessisti,qua mihi carius nihil est: ut quantum tibi omnes boni debeant,quò minus tantundem ego unus debeam,non recusem.Quamobrem tibi uelim hi sint exitus, quos mereris,& quos fore confido.Ego,si me nauigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsos Etesias,propediem te,ut spero,uidebo.

M. CICERO IMP. S. D. L. PAVLO COS. DESIG.



ETsi mihi nunq̃ fuit dubium,quin te populus.R.pro tuis summis in remp.meritis,& pro amplissima familiæ dignitate,summo studio,cunctis suffragijs Consulem facturus esset:tamen incredibili lætitia sum affectus,cum id mihi nũciatum est:eum'q; honorem tibi deos fortunare uolo,à te'q; ex tua,maiorum'q; tuorũ dignitate administrari. Atq; utinam præsens illum diẽ mihi optatissimũ uidere potuissem, pro'q; tuis amplissimis erga me studijs atq; beneficijs tibi operam meam studium'q; nauare. Quam mihi facultatem,quũ hic nec opinatus & improuisus prouinciæ casus eripuit:tamen,ut te Consulem remp.pro tua dignitate gerentem uidere possim,magnopere à te peto,ut operã des,efficias, ne quid mihi fiat iniuriæ,ne'ue quid temporis ad meum annuũ munus accedat. Quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet.

M. CICERO IMP. S. D. L. PAVLO COS.



MAxime mihi fuit optatum Romę esse tecum multas ob causas,sed præcipue ut & in petendo,& in gerendo Cõsulatu meum tibi debitum studium perspicere posses. Ac petitionis quidem tuæ ratio mihi semper fuit explorata: sed tamen nauare operam uolebam. In Cõsulatu uero cupio equidẽ te minus habere negotij. sed moleste fero me Consulem studium tuum adolescentis perspexisse: te meũ,cum id ætatis sim, perspicere non posse. Sed id fato nescio quo contigisse arbitror,ut tibi ad me ornandum semper detur facultas: mihi ad remunerandũ nihil suppetat, præter uoluntatem. Ornasti Consulatum,ornasti reditum meum. Incidit meum tempus rerum gerendarum in ipsum Consulatum tuum. Itaque cum & tua summa amplitudo,& dignitas,& meus magnus honos, magna'q; existimatio postulare uideatur,ut à te plurimis uerbis contendam ac petam,ut quã honorificentissimum.S.C.de meis rebus gestis faciendum cures; non audeo uehementer à te contendere,ne aut ipse tuæ perpetuæ cõsuetudinis erga me oblitus esse uidear,aut te oblitum putem. Quare ut te uelle arbitror,ita faciam: atque ab eo, quem omnes gentes sciunt de me optime meritum, breuiter petam. Si alij Consules essent,ad te potissimum Paule mitterem,ut eos mihi quàm amicissimos redderes: nunc cum tua summa potestas, summa'q; autoritas,nota'q; omnibus nostra necessitudo sit, uehementer te rogo, ut & quam honorificentissime cures decernendum de meis rebus gestis, & quàm celerrime. dignas res esse honore & gratulatione cognosces ex ijs literis, quas ad te,& Collegam,& Senatum publice misi: omnium'q; mearũ reliquarũ rerũ,maxime'q; existimationis meæ procurationẽ susceptã uelim habeas.

In primisq; tibi curæ sit, quod abs te superioribus quoq; literis petiui, ne mihi tempus prorogetur. Cupio te Consulem uidere, omniaq;, spero, cum absens, tum etiam præsens te Consule assequi.

M. CICEERO IMP. S. D. C. CASSIO PROQ.



. Fabium, quòd mihi amicum tua commendatione das, nullum in eo facio quæstum: multi enim anni sunt, cum ille in ære meo est, & à me diligitur propter summam suam humanitatem, & obseruantiam. Sed tamen quòd ab eo egregie diligi, sensi: multo amicior ei sum factus. Itaq; quanquam profecerunt literæ tuæ, tamen aliquanto plus commendationis apud me habuit animus ipsius erga te mihi perspectus & cognitus. Sed de Fabio faciemus studiose, quæ rogas: tu multis de causis uellem me conuenire potuisses. primum ut te, quem iamdiu facio plurimi, tanto interuallo uiderem: deinde, ut tibi quod feci per literas, possem præsens gratulari: tum ut quibus de rebus uellemus, tu tuis, ego meis inter nos communicaremus: postremo, ut amicitia nostra, quæ summis officijs ab utroque culta est, sed longis interuallis temporum interruptam consuetudinem habuit, confirmaretur uehementius. Id quum non accidit, utemur bono literarum, & eadem fere absentes, quæ si coràm essemus, consequemur. Vnus scilicet ille fructus, qui in te uidendo est, percipi literis non potest: alter gratulationis est, is quidem exilior, quàm tibi, teipsum intuens gratularer. Sed tamen & feci antè & facio nunc, tibique cum pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum pro opportunitate temporis gratulor, quòd te de prouincia decedentem summa laus & summa gratia prouinciæ prosecuta est. Tertium est, ut id quod de nostris rebus coràm communicassemus inter nos, conficiamus idem literis. Ego ceterarum rerum causa tibi Romam magnopere properandum censeo. Nam & ea quæ reliqui, tranquilla de te erant. & hac tua recenti uictoria tanta clarum tuum aduentum fore intelligo. sed siquæ sunt onera tuorum, si tanta sunt ut ea sustinere possis, prope tibi nihil erit lautius, nihil gloriosius: sin maiora, considera ne in alienissimum tempus cadat aduentus tuus. Huius rei totũ consilium tuum est: tu enim scis quid sustinere possis. Si potes, laudabile atque populare est: sin planè non potes, absens hominum sermones facilius sustinebis. De me autem idem tecum his ago literis, quod superioribus egi: ut omnes tuos neruos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc prouinciam, quam & Senatus & Populus annuam esse uoluit, temporis prorogetur. Hoc à te ita contendo, ut in eo fortunas meas positas putem. Habes Paulum nostrum nostri cupidissimum: est Curio: est Furnius. Sic uelim enitare, quasi in eo sint mihi omnia. Extremum illud est de ijs, quæ proposueram: cõfirmatio nostræ amicitiæ, de qua pluribus uerbis nihil opus est. Tu puer me appetisti: ego autem semper ornamento te mihi fore duxi. Fuisti etiam præsidio tristissimis meis temporibus: accessit post tuum discessum familiaritas mihi cum Bruto tuo maxima. Itaque in uestro ingenio & industria mihi plurimum & suauitatis & dignitatis constitutum puto. Id tu, ut tuo studio confirmes te uehementer rogo: literasq; ad me & continuo mittas, & cum Romam ueneris, quamsæpissime.

M. Cicero

M. CICERO S. D. C. CASSIO.


Tsi uterque nostrũ spe pacis & odio ciuilis sanguinis abesse à belli pertinacia uoluit, tamen quũ eius consilij princeps ego fuisse uideor, plus fortasse tibi præstare ipse debeo, q̃ à te expectare. Etsi, ut sæpe soleo mecum recordari, sermo familiaris meus tecum, & itẽ mecum tuus adduxit utrunque nostrũ ad id consilium, ut uno prælio putaremus, si nõ totã causam at certe nostrum iudicium definiri cõuenire: neque quisquã hanc nostrã sententiã uere unq̃ reprehendit præter eos, qui arbitrantur melius esse deleri omnino rẽpublicam, q̃ ĩminutam & debilitatam manere. Ego autẽ ex interitu eius nullam spem scilicet mihi proponebam: ex reliquijs magnam. Sed ea sunt cõsecuta, ut magis mirũ sit accidere illa potuisse, q̃ nos nõ uidisse ea futura, nec homines cũ essemus, diuinare potuisse. Equidem fateor meã coniecturã hanc fuisse, ut illo quasi quodam fatali prælio facto, et uictores cõmuni saluti cõsuli uellent, & uicti suæ: utrunque autẽ propositũ esse arbitrari in celeritate uictoris. Quæ si fuissent, eandẽ clementiã experta esset Africa, quã cognouit Asia, quã etiã Achaia, & ut opinor, ipso Legato ac deprecatore. Amissis autẽ tẽporibus quæ plurimũ ualent, presertim in bellis ciuilibus, interpositus annus alios induxit, ut uictoriã sperarent, alios ut ipsum uinci contẽnerent: atque horũ malorũ omnium culpam fortuna sustinet. Quis enim aut Alexandrini belli tantã moram huic bello adiunctum iri, aut nescio quẽ istum Pharnacẽ Asiæ terrorẽ illaturũ putaret? Nos tamen in cõsilio pari, casu dissimili usi sumus: tu enim eam partẽ petisti, ut & consilijs interesses, & quod maxime curã leuat, futura animo prospicere posses: ego qui festinaui ut Cæsarẽ in Italiam uiderem (sic enim arbitrabamur) eumque multis honestissimis uiris conseruatis redeuntẽ, ad pacẽ currentẽ, ut aiunt incitarem: ab illo longissime & absum, & absui. Versor autẽ in gemitu Italiæ, & in urbis miserrimis querelis, quibus aliquid opis fortasse ego pro mea, tu ꝓ tua, pro sua quisque parte ferre potuisset, si auctor affuisset. Quare uelim ꝓ tua perpetua erga me beneuolẽtia, scribas ad me quid uideas: quid sentias, q̃d expectãdũ, q̃d agẽdũ nobis existimes. Magni erũt mihi tuę literę: atque utinã primis illis, quas Luceria miseras paruissẽ, sine ulla.n.molestia dignitatẽ meã retinuissẽ.

M. CICERO S D. C. CASSIO.


Vto te iã suppudere, cum hæc tertia iam epistola ante operis sit, q̃ tu scidam, aut literã: sed non urgeo: lõgiores enim expectabo, uel potius exigã. Ego si semper haberem cui darem, uel ternas in hora darem. Fit enim nescio quid, ut quasi coràm adesse uideare, cum scribo aliquid ad te: neque id κατ' εἰδώλων φαντασίας, ut dicunt tui amici noui, qui putant etiam διανοητικὰς φαντασίας spectris Catianis excitari. Nam ne te fugiat, Catius insuper Epicureius, qui nuper est mortuus, quæ ille Gargettius, etiam ante Democritus εἴδωλα, hic spectra nominat. His autem spectris etiam si oculi possent feriri, quod uel ijs ipsa occurrunt: animus qui possit, ego non uideo: doceas tu me oportebit, cũ saluus ueneris, in meáne potestate ut sit spectrum tuum, ut simulac mihi collibitum sit, de te cogitare, illud occurrat: neque solum de te, qui mihi hæres in medullis; sed si insulam Britanniam

cœpero cogitare, eius εἴδωλον mihi aduolabit ad pectus. Sed hæc posterius: tẽto enim te, quo animo accipias. si enĩ stomachabere et moleste feres, plura dicemus: postulabimusq́ ex qua hæresi ui hominibus armatis deiectus sis, in eam restituare. In hoc interdicto non solet addi, in hoc anno. Quare si iam biennium aut triennium est, cum uirtuti nuncium remisisti, delinitus illecebris uoluptatis, in integro res nobis erit. quanquam qui cum loquor? cum uno fortissimo uiro, qui posteaquam forum attigisti, nihil fecisti, nisi plenissimũ amplissimæ dignitatis: in ista ipsa αἱρέσει metuo, ne plus neruorum sit, quàm ego putarim, si modo eam tu probas. Quid tibi in mentem uenit, inquies? quia nihil habebam aliud, quod scriberem: de repub. enim nihil scribere possum: nec enim quod sentio, libet scribere.

M. CICERO .C. CASSIO SAL.


PRæposteros habes tabellarios, etsi me quidem non offendunt: sed tamen cum à me discedunt, flagitant literas: cum ad me ueniunt, nullas afferunt: atque idipsum facerent commodius, si mihi aliquid spatij ad scribendum darent: sed petasati ueniunt, comites ad portam expectare dicunt. Ergo ignosces: alteras habebis has breues: sed expecta πάντα περὶ πάντων. etsi quid ego me tibi purgo, cum tui ad me inanes ueniant, ad te cum epistolis reuertantur? Nos hic (tamen ad te scribam aliquid). D. Sullam patrem mortuum habebamus. alij à latronibus, alij cruditate dicebant: populus non curabat: combustum enim esse constabat, hoc tu pro tua sapientia feres æquo animo: quanquam πρόσωπον πόλεως amisimus. Cæsarem putabant moleste laturum, uerentem ne hasta refrixisset. Mindius Marcellus & Attius Pigmentarius ualde gaudebant se aduersarium perdidisse. De Hispania noui nihil, sed expectatio ualde magna: rumores tristiores, sed ἀδέσποτοι. Pansa noster paludatus ad. III. K. Ian. profectus est, ut quiuis intelligere posset, id quod tu nuper dubitare cœpisti, τὸ καλὸν δι᾽ αὑτὸ αἱρετὸν esse. Nam quòd multos miserijs leuauit, & quòd se in his malis hominem præbuit, mirabilis eum uirorum bonorum beneuolentia prosecuta est. Tu quòd adhuc Brundisii moratus es, ualde probo & gaudeo: & me hercule puto te sapienter facturum, si ἀκενόσπουδος fueris. Nobis quidem, qui te amamus, erit gratum: & amabo te, cum dabis posthac aliquid domum literarum, mei memineris. ego nunquam quẽquam ad te, cum sciam, sine meis literis ire patiar. Vale.

M. CICERO S. D. C. CASSIO.


LOngior epistola fuisset, nisi eo ipso tempore petita esset à me, cum iam iretur ad te. longior autem, si φλύαρον aliquem habuisset. nam σπουδάζειν sine periculo uix possumus. Ridere igitur, inquies, possumus: non mehercule facillime: ueruntamen aliam aberrationem à molestijs nullã habemus. Vbi igitur, inquies, philosophia tua? quidem in culina mea molesta est. Pudet enim seruire. itaque facio me alias res agere, ne conuicium Platonis audiam. De Hispania nihil adhuc certi, nihil omnino noui. Te abesse mea causa moleste fero, tua gaudeo. Sed flagitat tabellarius. Valebis igitur, meq́ ut à puero fecisti, amabis.

C. Cassius

C. CASSIVS S.D. CICERONI.



S. V.B. Non mehercule in hac mea peregrinatione quicquam libentius facio, quàm scribo ad te: uideor enim cum præsente loqui & iocari. Nec tamen hoc usu uenit propter spectra Catina: pro quo tibi proxima epistola tot rusticos Stoicos regeram, ut Catium Athenis natum esse dicas. Pansam nostrum secunda uoluntate hominum paludatum ex urbe exisse cum ipsius causa gaudeo, tum mehercule etiã omnium nostrorum. Spero enim homines intellecturos, quanto sit hominibus odio crudelitas, & quanto amori probitas, & clementia: atq; ea quæ maxime mali petant & concupiscãt, ad bonos peruenire. Difficile est enim persuadere hominibus τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν esse: ἡδονὴν uero & ἀταραξίαν uirtute, iustitia, τῷ καλῷ parari, & uerum & probabile est: ipse enim Epicurus (à quo omnes Catij & Amafanij mali uerborum interpretes proficiscuntur) dicit: οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν. Itaq; & Pãsa, qui ἡδονὴν sequitur, uirtutẽ retinet: & ij qui à uobis φιλήδονοι uocãtur, sunt φιλόκαλοι & φιλοδίκαιοι, omnesq; uirtutes & colunt & retinent. Itaque Sulla, cuius iudicium probare debemus, cum dissentire philosophos uideret, non quæsijt quid bonum esset, omnia bona coemit: cuius ego mortem forti mehercules animo tuli. Nec tamen Cæsar diutius nos eum desiderare patietur, nam habet damnatos, quos pro illo nobis restituat: nec ipse sectorem desiderabit, cũ filium uiderit. Nũc ut ad remp. redeam, quid in Hispanijs geratur, rescribe. Peream, nisi solicitus sum, ac malo ueterem & clementem dominum habere, quàm nouum et crudelem experiri. Scis Cn. quàm sit fatuus: scis quomodo crudelitatem uirtutem putet: scis quàm se semper à nobis derisum putet. Vereor, ne nos rustice gladio uelit ἀντιμυκτηρίσαι. Quid fiat si me diligis, rescribe. Hui quàm uelim scire, utrum ista solicito animo an soluto legas: sciam enim eodem tempore, quid me facere oporteat. Ne longior sim, uale, me ut facis ama. Si Cæsar uicit, celeriter me expecta.

M. CICERO S.D. C. TREBONIO.



ORatorem meũ, (sic enim inscripsi) Sabino tuo cõmendaui. Natio me hominis impulit, ut ei recte putarem: nisi forte candidatorum licentia hic quoq; usus, hoc subito cognomen arripuit. Etsi modestus eius uultus, sermoq; constans habere quiddam à Curibus uidebatur. Sed de Sabino satis. Tu mi Treboni, quũ ad amorem meũ aliquãtũ olim discedens addidisti, quo tolerabilius feramus igniculũ desiderij tui, crebris nos literis appellato: atq; ita, si idem fiet à nobis. q̃q̃ duæ causæ sunt, cur tu frequẽtior in isto officio esse debeas, q̃ nos. primum, q; olim solebant, ad prouincialeis amicos qui Romæ erant, de rep. scribere: nunc tu nobis scribas oportet. Res enim pub. istic est. deinde q; nos alijs officijs tibi absenti satisfacere possumus: tu nobis, nisi literis, non uideo qua re alia satisfacere possis. Sed cetera scribes ad nos postea. Nunc hæc primo cupio cognoscere: iter tuũ cuiusmodi sit: ubi Brutum nostrum uideris: quandiu simul fueris. Deinde cũ processeris lõgius de bellicis rebus, de toto negotio, ut existimare possimus, quo statu simus. Ego tantum me scire putabo, quãtum ex tuis literis habebo cognitum. Cura ut ualeas, meq; ames amore illo tuo singulari.

M. CICERO. S. D. C. TREBONIO.


T epistolam tuam legi libenter, & librum libentissime. sed tamen in ea uoluptate hunc accepi dolorem, quòd cum incendisses cupiditatem meam, consuetudinis augendæ nostræ (nam ad amorem quidem nihil poterat accedere) tum discedis à nobis, meque tanto desiderio afficis, ut unam mihi consolationem relinquas, fore ut utriusque nostrum absentis desiderium crebris & longis epistolis leniatur. Quod ego nõ modo de me tibi spondere possum, sed de te etiam mihi. Nullam enim apud me reliquisti dubitationem, quantum me amares. Nam ut illa omittam, quæ ciuitate teste fecisti, cum mecum inimicitias communicauisti, cum me concionibus tuis defendisti, cum Quæstor in mea atque in publica causa Consulum parteis suscepisti, cum Trib. pl. Questor non paruisti, cui tuus præsertim Collega pareret: ut hæc recentia, quæ semper meminero obliuiscar: quæ tua solicitudo de me in armis, quæ lætitia in reditu, quæ cura, qui dolor, cum ad te curæ & dolores mei perferrentur: Brundisium denique te ad me uenturum fuisse, nisi subito in Hispaniam missus esses: ut hæc igitur omittam, quæ mihi tanti æstimanda sunt, quanti uitam æstimo, et salutem meam: liber iste quem mihi misisti, quantam habet declarationem amoris tui? primum, quòd tibi facetum uidetur quidquid ego dixi, quod alij fortasse non item: deinde quòd illa siue faceta sunt, siue sic fiunt narrante te uenustissima: quin etiam antè quàm ad me ueniatur, risus omnis penè consumitur. Quòd si in his scribendis nihil aliud, nisi quod necesse fuit, de uno me tam diu cogitauisses, ferreus essem, si te nõ amarem. Cum uero ea quæ scriptura persecutus es, sine summo amore cogitare non potueris, non possum existimare plus quenquam à se ipso, quàm me à te amari. Cui quidem ego amori (utinam ceteris rebus possem:) amore certe respondebo: quo tamen ipso tibi confido futurum satis. Nunc ad epistolam uenio, cui copiose & suauiter scriptæ nihil est quod multa respondeam. Primum enim ego illas Caluo literas misi, non plus, quàm has quas nunc legis, existimans exituras. aliter enim scribimus, quod eos solos quibus mittimus: aliter, quod multos lecturos putamus. Deinde ingenium eius melioribus extuli laudibus, quàm tu id uere potuisse fieri putas. Primum quòd ita iudicabam, acute mouebatur: genus quoddam sequebatur, in quo iudicio lapsus quo ualebat, tamen assequebatur, quod probaret. Multæ erant, & reconditæ literæ, uis non erat. Ad eam igitur adhortabar. In excitãdo autem & in acuendo plurimum ualet, si laudes eum, quem cohortere. Habes de Caluo iudicium & consilium meum: consilium, quòd hortandi causa laudaui: iudicium, quòd de ingenio eius ualde existimaui bene. Reliquum est, tuam profectionem amore prosequar: reditum spe expectem: absentem memoria colam: omne desiderium literis mittendis accipiendisque leniã. Tu uelim tua in me studia & officia multum tecum recordere: quæ cum tibi liceat, mihi nefas sit obliuisci, non modo uirum bonum me existimabis, uerum etiam te à me amari plurimum iudicabis. Vale.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD TIRONEM.

TVLLIVS ET CICERO ET Q. Q. TIRONI HVMANISSIMO ET OPTIMO SAL. PLVR. DIC.



Ide quanta sit in te suauitas. II. H. Thyrei fuimus: Xenomenes hospes tam te diligit, quàm si uixerit tecum. Is omnia pollicitus est, quæ tibi essent opus: facturũ puto. Mihi placebat si firmior esses, ut te Leucadẽ deportaret, ut ibi te plane cõfirmares. Videbis quid Curio, quid Lysoni, quid medico placeat. Volebã ad te Marionem remittere: quẽ cum meliuscule tibi esset, ad me mitteres: sed cogitaui unas literas Marionẽ afferre posse, me autem crebras expectare: poteris igitur & facies, si me diligis, ut cotidie sit Acastus in portu. Multi erunt quibus recte literas dare possis, qui ad me libenter perferant. Equidem Patras euntem neminem prætermittam. Ego omnem spem tui diligenter curandi in Curio habeo. Nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius. Ei totum trade: malo te paulopost ualẽtẽ, q̃ statim imbecillũ uidere. Cura igitur nihil aliud, nisi ut ualeas: cetera ego curabo. Etiã atq; etiam uale. Leucade proficiscens. VII. Id. Nou.

TVLLIVS ET CICERO S.D. TIRONI SVO.



Eptimum iam diẽ Corcyræ tenebamur. Q. autem pater, & filius Butroti soliciti eramus de tua ualetudine mirũ in modum: nec mirabamur nihil à te literarum: his enim uentis istinc nauigatur, qui si essent, nos Corcyræ non sederemus. Cura igitur te & confirma: & cum commode & per ualetudinem & per anni tempus nauigare poteris, ad nos amantissimos tui ueni. Nemo nos amat, qui te non diligat: carus omnibus expectatusq; uenies. Cura ut ualeas, etiam atq; etiam Tiro noster. Vale. XV. K. Nou. Corcyra.

TVLLIVS TIRONI SVO S. PLVR. DICIT.



Icero meus & Frater & fratris filius. Paulo facilius putaui posse me ferre desiderium tui: sed planè non fero. & quanquam magni ad honorem nostrum interest, quamprimum ad urbem me uenire, tamen peccasse mihi uideor, qui à te discesserim. Sed quia tua uoluntas ea uidebatur esse, ut prorsus nisi confirmato corpore nolles nauigare, approbaui tuum consilium, neque nunc muto, si tu in eadem es sententia. Sin autem postea quàm cibum cæpisti uideris tibi posse me consequi, tuum consilium est. Marionem ad te eo misi, ut aut tecum ad me quamprimum ueniret: aut si tu morarere, statim ad me rediret. Tu autem tibi hoc persuade, si cõmodo ualetudinis tuæ fieri possit, nihil me malle, quàm te esse mecum: si autem intelliges opus esse te Patris conualescendi causa paulum commorari, nihil me malle, quàm te ualere. Si statim nauigas, nos Leucade consequere: sin te confirmare uis, & comites & tempestates, & nauem idoneam ut habeas,

diligenter uidebis. Vnum illud mi Tiro uideto, si me amas, ne te Marionis aduentus, & hæ literæ moueant: quod ualetudini tuæ maxime conducet, si feceris, maxime obtemperaris uoluntati meæ. Hæc pro tuo ingenio considera. Nos ita te desideramus, ut amemus: amor ut ualentē uideamus hortatur, desideriū, ut q̄primū. illud igitur potius. Cura ergo potissimū, ut ualeas. De tuis innumerabilibus in me officijs, erit hoc gratissimū. III. Non. Nou.

TVLLIVS TIRONI SVO SAL.

NOn queo ad te, nec lubet scribere, quo animo sim affectus, tantum scribo, & tibi & mihi maximæ uoluptati fore, si te firmum quāprimum uidero. Tertio die abs te ad Alyziā accesseramus, is locus est citra Leucadē stadia. CXX. Leucade, aut teipsum, aut tuas literas à Marione putabam me accæpturum. Quantum me diligis, tantum fac ut ualeas, uel quantum te à me scis diligi. Non. Nou. Alyzia.

TVLLIVS ET CICERO TIRONI SVO SAL. DIC. ET Q. PATER ET FILIVS.

NOs apud Alyziam, ex quo loco tibi literas antè dederamus, unum diem commorati sumus, quòd Quintus nos consecutus non erat. Is dies fuit Nonæ Nouemb. Inde ante lucem proficiscentes, antè diem. VIII. Idus Nou. has literas dedimus. Tu si nos omneis amas, & præcipue me magistrum tuum, confirma te. Ego ualde suspenso animo expecto, primum te scilicet, deinde Marionem cū tuis literis. Omnes cupimus, ego in primis, quamprimum te uidere, sed mi Tiro ualentē. quare nihil ꝓperaris: satis cotidie uidero, si ualebis. Vtilitatibus tuis possum carere: te ualere tua causa primum uolo, tum mea mi Tiro. Vale.

TVLLIVS TIRONI SVO SAL. PLVR. DIC. ET CICERO ET Q. FRATER ET Q. F.

VArie sum affectus tuis literis: ualde priore pagina perturbatus, paulum altera recreatus. Quare nunc quidem non dubito quin quoad plane ualeas, te neque nauigationi, neque uiæ committas: satis te mature uidero, si plane confirmatum uidero. De medico & tu bene existimari scribis, & ego sic audio: sed planè curationes eius non probo. Ius enim dandum tibi non fuit, quùm κακοστόμαχος esses: sed tamen & ad illum scripsi accurate, & ad Lysonem. Ad Curium uero suauissimum hominem, & summi officij, summæq; humanitatis multa scripsi: in his etiam, ut si tibi uideretur, te ad se traferret. Lyso enim noster uereor ne negligētior sit: primum quia omnes Græci: deinde quòd cum à me literas accæpisset, mihi nullas remisit: sed eum tu laudas: tu igitur quid faciendum sit, iudicabis. Illud mi Tiro te rogo, sumptu ne parcas ulla in re, quod ad ualetudinem opus sit. Scripsi ad Curium, quod dixisses, daret medico. ipsi puto aliquid dandum esse. quo sit studiosior. Innumerabilia tua sunt in me officia, domestica, forensia, urbana, prouincialia, in re priuata, in publica, in studijs, in literis nostris. Omnia uiceris, si ut spero, te ualidum uidero. Ego puto te bellissime si recte erit, cum Quæstore Mescinio decursurum, non inhumanus est, teq; ut mihi uisus est, diligit. & cum ualetudini tuæ diligentissime consulueris, tum mi Tiro consulito nauigationi. nulla in re iam te festinare uolo: nihil laboro, nisi ut saluus

ſaluus ſis. Sic habeto mi Tiro: neminē eſſe qui me amet, quin idē te amet: & cum tua & mea maxime intereſt te ualere, tum multis eſt curę. Adhuc dū mihi nullo loco deeſſe uis, nunquam te confirmare potuiſti: nunc te nihil impedit: omnia depone: corpori ſerui. quantam diligentiam in ualetudinem tuam contuleris, tanti me fieri à te iudicabo. Vale mi Tiro, uale, uale, & ſalue. Lepta tibi ſalutem dicit, & omnes. Vale. VII. Id. Nou. Leucade.

TVLLIVS ET CICERO ET Q. Q. TIRONI S.P.D.



Ertiam ad te hanc epiſtolam ſcripſi eodē die, magis inſtituti mei tenendi cauſa, quia nactus erā cui darem, q̄ quo haberem quid ſcriberem. Igitur illa, quantum me diligis, tantum adhibe in te diligētiæ. Ad tua innumerabilia in me officia, adde hoc, quod mihi erit gratiſſimum omnium: cum ualetudinis rationem, ut ſpero, habueris, habeto etiam nauigationis. In Italiam euntibus omnibus ad me literas dabis, ut ego euntem Patras neminem prætermitto. Cura cura te mi Tiro, quū non contigit ut ſimul nauigares. nihil eſt quod feſtines, nec quicquam cures, niſi ut ualeas. Etiam atq; etiam uale. VII. Id. Nou. Actio, ueſperi.

Q. CICERO TIRONI S. D.



Agnę nobis eſt ſolicitudini ualetudo tua. nam tametſi qui ueniūt, ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ nunciant, tamen in magna cōſolatione ingens ineſt ſolicitudo, ſi diutius à nobis abfuturus eſt is, cuius uſum & ſuauitatem deſiderādo ſentimus. Attamen q̄q̄ uidere te tota cogitatione cupio, tamen te penitus rogo, ne tam longæ nauigationi & uiæ, per hyemē, niſi bene firmum cōmittas: néue nauiges, niſi explorate. Vix in ipſis tectis & oppidis frigus infirma ualetudine uitatur: nedū in mari & uia ſit facile abeſſe ab iniuria tēporis. ψῦχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον inquit Euripides. Cui tu quantū credas neſcio. ego certe ſingulos eius uerſus, ſingula eius teſtimonia puto. Effice, ſi me diligis, ut ualeas, et ut ad nos firmus ac ualens quāprimum uenias. Ama nos, & uale. Q. F. tibi Sal. Dic.

TVLLIVS ET CICERO TIRONI SVO S.P.D.



Os à te, ut ſcis, diſceſſimus ad. IIII. Non. Nou. Leucadē uenimus ad. VIII. Id. Nou. ad. VII. Actium. ibi propter tempeſtatem ad VI. Id. morati ſumus: Inde ad. V. Id. Corcyram belliſſime nauigauimus: Corcyræ fuimus uſq; ad. XVI. K. Dec. tēpeſtatibus retenti: ad. XV. K. in portum Corcyreorū, ad Caſsiopē ſtadia. CXX. proceſſimus. Ibi retenti uentis ſumus uſq; ad. IX. K. Interea qui cupide ꝓfecti ſūt, multi naufragia fecerunt: nos eo die cenati ſoluimus. Inde auſtro leniſſimo, cœlo ſereno, nocte illa, & die poſtero in Italiā ad Hydruntem ludibundi peruenimus: eodemq; uento poſtridie, id erat ad. VII. K. Deceb. hora. IIII. Brūdiſium uenimus, eodemq; tempore ſimul nobiſcum in oppidum introijt Terentia, quæ te facit plurimi. Ad. V. K. Decemb. ſeruus Cn. Planci Brūdiſii iādem aliquando mihi à te expectatiſſimas literas reddidit, datas Id. Nou. quæ me moleſtia ualde leuarunt: utinam omnino liberaſſent. Sed tamen Aſclapo medicus plane confirmat propediē te ualentē fore. Nunc quid ego te horter, ut omnem diligentiā adhibeas ad conualeſcēdū? Tuā prudentiā, temperantiā, amorē erga me noui. Scio te omnia facturū, ut nobiſcū q̄primum ſis. Sed

tamen ita uelim, ut ne quid properes. Symphoniam Lysonis uelim uitasses, ne in quartam hebdomada incideres. Sed quum pudori tuo maluisti obsequi, quàm ualetudini, reliqua cura. Curio misi, ut medico honos haberetur: et tibi daret quod opus esset: me cui iussisset, curaturũ. Equũ et mulũ Brundisii tibi reliqui. Romę uereor, ne ex. K. Ian. magni tumultus sint. Nos agemus oĩa modice. Reliquũ est, ut te hoc rogẽ, et à te petã, ne temere nauiges. Solẽt nautę festinare quæstus sui causa. Cautus sis mi Tiro. Mare magnũ et difficile tibi restat. Si poteris cũ Mescinio, caute is solet nauigare: si minus, cũ honesto aliquo hoĩe, cuius auctoritate nauicularius moueatur. In hoc oẽm diligẽtiã si adhibueris, teq́ꝫ nobis ĩcolumẽ p̃stiteris, omnia à te habebo. Etiã atq́ꝫ etiã noster Tiro uale. Medico, Curio, Lysoni de te scripsi diligẽtissime. Vale. Salue.

TVLLIVS, ET CICERO, TERENTIA, TVLLIA. Q. Q. TIRONI. S. P. D.



Tsi opportunitatẽ operæ tuæ omnibus locis desidero, tamen non tã mea q̃ tua causa doleo, te nõ ualere. Sed quũ in quartanã cõuersa uis est morbi, sic enim scribit Curius: spero te diligẽtia adhibita etiã firmiorẽ fore. Modo fac id, quod est humanitatis tuæ, ne quid aliud cures hoc tempore, nisi ut q̃cõmodissime cõualescas. Non ignoro quãtũ ex desiderio labores: sed erunt omnia facilia, si ualebis: festinare te nolo, ne nauseæ molestiã suscipias æger, & periculose hieme nauiges. Ego ad urbẽ accessi pr. Non. Ian. obuiã mihi sic est proditũ, ut nihil possit fieri ornatius. Sed incidi in ipsam flãmam ciuilis discordiæ. uel potius belli. cui cũ cuperẽ mederi, & ut arbitror possem, cupiditates certorũ hominum (nam ex utraq́ꝫ parte sunt, qui pugnare cupiãt) impedimento mihi fuerunt omnino. Et ipse Cæsar amicus noster minaces ad Senatũ & acerbas literas miserat: & erat adhuc impudens, qui exercitũ & prouinciã inuito Senatu teneret, & Curio meus illũ incitabat. Antonius quidẽ noster & Q. Cassius nulla ui expulsi ad Cæsarem cũ Curione profecti erãt. Postea q̃ Senatus Coss. Prætt. Tribb. pl. & nobis, qui Procõsules sumus, negotiũ dederat, ut curaremus, ne quid resp. detrimẽti caperet: nunq̃ maiore in periculo ciuitas fuit: nunq̃ ĩprobi ciues habuerũt paratiorẽ ducẽ, omnino ex hac quoq́ꝫ parte diligẽtissime cõparatur. Id fit auctoritate et studio Põpeij nostri, qui Cæsarẽ sero cœpit timere. Nobis inter has turbas Senatus tamẽ frequens flagitauit triumphũ. Sed Lẽtulus Cõsul, quo maius suũ beneficiũ faceret, simulatq́ꝫ expedisset, quę essent necessaria de rep. dixit se relaturũ. Nos agimus nihil cupide: eoq́ꝫ est nostra pluris auctoritas. Italię regiones descriptæ sunt, quã quisq́ꝫ partẽ tueretur. Nos Capuã sũpsimus. Hæc te scire uolui. Tu etiam atq́ꝫ etiam cura ut ualeas, literasq́ꝫ ad me mittas, quotiescunq́ꝫ habebis cui des. Etiam atq́ꝫ etiã uale. Dat. pr. Id. Ian.

TVLLIVS S. D. TIRONI SVO.



Vo in discrimine uersetur salus mea, & bonorũ omnium atq́ꝫ uniuersæ reip. ex eo scire potes, q́ꝫ domos nostras & patriã ipsam uel diripiendã, uel inflãmandã reliquimus. In eũ locũ res deducta est, ut nisi qui deus, uel casus aliquis subuenerit, salui esse nequeamus. Equidẽ ut ueni ad urbẽ, nõ destiti oĩa, et sentire, & dicere, et facere, quæ ad cõcordiã pertinerẽt: sed mirus inuaserat furor, nõ solũ ĩprobos, sed etiã hos, qui boni habẽtur, ut pugnare cuperẽt, me clamãte nihil esse bello ciuili miserius.

Itaq́ꝫ

Itaq; cũ Cæsar amẽtia quadã raperetur & oblitus nois atq; honorũ suorum, Ariminũ, Pisaurũ, Anconã, Arretiũ occupauisset. Vrbẽ reliquimus: q̃ sapiẽter, aut q̃ fortiter, nihil attinet disputari. Quo quidẽ in casu simus, uides. Feruntur oĩno cõdiciones ab illo, ut Põpeius eat in Hispaniã: delectus qui sunt habiti, et præsidia nostra dimittãrur: se ulteriorẽ Galliã Domitio, citeriorem Cõsidio Noniano (his enim obtigerũt) traditurũ: ad Consulatus petitionẽ se uenturũ: neq; se iã uelle absente se, rationẽ haberi sui: se p̃sẽte trinũ nundinũ petiturũ. Accẽpimus cõdiciones: sed ita, ut remoueat prẽsidia ex his locis, quæ occupauit, ut sine metu de ijs ipsis cõdicionibus Romæ Senatus haberi possit. Id ille si fecerit, spes est pacis: nõ honestæ: leges enim imponũtur: sed quiduis est melius, q̃ sic esse, ut sumus. Sin autẽ ille suis cõdicionibus stare noluerit, bellũ paratũ est, eiusmodi tamen, quod sustinere ille nõ possit p̃sertim cũ à suis cõdicionibus ipse fugerit, tantũmodo ut eũ intercludamus, ne ad urbẽ possit accedere: quod sperabamus fieri posse. Delectus enim magnos habebamus: putabamusq; illũ metuere, si ad urbẽ ire cœpisset, ne Gallias amitteret, quas ambas habet inimicissimas, p̃ter Trãspadanos: ex Hispaniaq; sex legiones, & magna auxilia Afranio & Petreio ducibus habet à tergo. uidetur, si insaniet, posse opprimi, modo ut urbe salua. maximã autem plagã accæpit, q; is, qui summã auctoritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus, socius sceleris esse noluit: reliquit illũ, & nobiscũ est: multiq; idẽ facturi esse dicũtur. Ego adhuc orę maritimæ præsum à Formijs. Nullũ maius negotiũ suscipere uolui, quò plus apud illũ meæ literæ cohortationesq; ad pacẽ ualerẽt. Sin autem erit bellũ, uideo me castris et certis legionibus præfuturũ. Habeo etiã illã molestiã, q; Dolabella noster apud Cæsarẽ est. Hæc tibi nota esse uolui, quæ caue ne te perturbẽt, & impediant ualetudinẽ tuã. Ego A. Varroni, quem cũ amãtissimũ mei cognoui, tũ etiã ualde tui studiosum, diligentissime te cõmendaui, ut & ualetudinis tuæ rationẽ haberet, & nauigationis, & totũ te susciperet ac tueretur: quem omnia facturũ confido: recẽpit enim, & mecũ locutus est suauissime. Tu quum eo tempore mecũ esse non potuisti, quo ego maxime operã & fidelitatem desideraui tuã, caue festines, aut cõmittas, ut aut æger, aut hieme nauiges. Nunquam sero te uenisse putabo, si saluus ueneris. Adhuc neminem uideram, qui te postea uidisset, quàm M. Volusius, à quo tuas literas accẽpi: quod non mirabar: neque enim meas puto ad te literas tanta hieme perferri. Sed da operam ut ualeas: & si ualebis, cum recte nauigari poterit, tum nauiges. Cicero meus in Formiano erat: Terentia & Tullia Romæ. Cura ut ualeas. IIII. K. Feb. Capua.

TVLLIVS TIRONI SAL.


Go uero cupio te ad me uenire, sed uiã timeo: grauissime ægrotasti: inedia, & purgationibus, & ui ipsius morbi cõsumptus es, graues solent offensiones esse ex grauibus morbis, si quæ culpa cõmissa est. Iã ad id biduũ quod fueris in uia, dũ in Cumanũ uenis, accedent cõtinuo ad reditũ dies quinq;. Ego in Phormiano ad. III. K. esse uolo. Ibi te ut firmum offendã, mi Tiro effice. Literulæ meæ, siue nostræ tui desiderio oblãguerunt. Hac tamen epistola, quã Acastus attulit, oculos paulũ sustulerunt. Põpeius erat apud me, cum hæc scribebã: hilare & libenter ei cupienti

audire nostra,dixi,sine te omnia mea muta esse. Tu musis nostris para ut operas reddas,nostra ad diem dictã fient. Docui enim te fides ἔτυμον quod haberet.fac planè ut ualeas,nos adsumus. Vale. XIIII.K.

TVLLIVS TIRONI SAL.



Egypta ad me uenit pr. Id. Apr. Is etsi mihi nũciauit te planè febri carere & belle habere:tamẽ ꝙ negauit te potuisse ad me scribere, curã mi attulit,& eò magis ꝙ Hermia,quẽ eodẽ die uenire oportuerat,nõ uenerat. Incredibili sum solicitudine de tua ualetudine: qua si me liberaris,ego te omni cura liberabo. Plura scriberem, si iã putarem libenter te legere posse. Ingenium tuum,quod ego maximi facio,confer ad te mihi tibiq́ conseruandum. Cura te etiam atq; etiam diligenter. Vale.

Scripta iã epistola,Hermia uenit. Accępi tuã epistolã uacillãtibus literulis: nec mirũ,tã graui morbo. Ego ad te Ægyptã misi,ꝗ nec inhumanus est,et te uisus est mihi diligere,ut is tecũ esset: et cum eo cocum,quo uterere. Vale.

TVLLIVS TIRONI SAL.



Ndricus postridie ad me uenit,q̃ expectarẽ. Itaq; habui noctem plenã timoribus ac miserijs. Tuis literis nihilo sum factus certior, quo modo te haberes:sed tamen sum recreatus. Ego omni delectatione literisq́ omnibus careo:quas antè q̃ te uidero,attingere non possum. Medico mercedis quantum poscet, promitti iubeto:id scripsi ad Vnimium. Audio te animo angi,& medicum dicere ex eo te laborare. Si me diligis,excita ex somno tuas literas humanitatẽq́,propter quã mihi es carissimus. Nũc opus est te animo ualere ut corpore possis. Id cum tua,tũ mea causa facias à te peto. Acastũ retine,quò commodius tibi ministretur. Conserua te mihi:dies promissorum adest:quem etiam repræsentabo,si aduceneris. Etiam atque etiam uale. III. Id. H. VI.

TVLLIVS TIRONI SAL.



Mnia à te data mihi putabo,si te ualentẽ uidero. Sũma cura expectabã aduentũ Menãdri,quẽ ad te miserã. Cura,si me diligis,ut ualeas: & cum te bene confirmaris,ad nos uenias. Vale. IIII. Id. Apr.

Q. M. FRATRI SAL.



E Tirone mi Marce,ita te meumq́ Ciceronem,& meã Tulliolã, tuumq́ filium uideam,ut mihi gratissimum fecisti,cum eum indignum illa fortuna ac nobis amicum,q̃ seruum esse maluisti. Mihi crede,tuis & illius literis perlectis,exilui gaudio,& tibi et ago gratias & gratulor. Si enim mihi Statij fidelitas est tãtæ uoluptati,quanti esse in isto hæc eadem bona debent,additis literis & sermonibus,humanitate, quæ sunt his ipsis commodis potiora? Amo te omnibus equidẽ de maximis causis,uerumetiam propter hanc,uel quod mihi sic,ut debuisti,nunciasti. Te totum in literis uidi. Sabini pueris & promisi omnia & faciam.

TVLLIVS TIRONI SAL.



Ideo quid agas:tuas quoq; epistolas uis referri in uolumina. Sed heus tu,qui κανὼν esse meorũ scriptorum soles,unde illud tã ἄκυρον VALETVDINI FIDELITER INSERVIENDO? Vnde in istũ locum fideliter uenit? cui uerbo domicilium est ꝓpriũ in officio:

cio:migrationes in alienũ multæ.nã et doctrina & domus,& ars,et ager etiã fidelis dici potest.ut sit,quomodo Theophrasto placet, uerecunda tralatio. Sed hæc corám.Demetrius uenit ad me:quo quidem comitatu ἀφωμίλησα satis scis.Tu eum uidelicet nõ potuisti uidere:cras aderit:uidebis igitur. Nam ego hinc perendie mane cogito.Valetudo tua me ualde solicitat:sed inserui, & fac omnia:tum te mecum esse,tum mihi cumulatissime satisfacere putato. Cuspio ꝙ operã dedisti,mihi gratum est:ualde enim eius causa uolo. Vale.

TVLLIVS TIRONI SAL.

QVid igitur? nõ sic oportet? Equidem cẽseo sic addẽdũ,etiã suo:sed si placet,ĩuidia uitetur,quã quidẽ ego sæpe cõtẽpsi.Tibi διαφόρησιν gaudeo ꝓfuisse:si uero etiã Tusculanum,Dij boni,quãto mihi illud erit amabilius? Sed si me amas,quod quidẽ aut facis, aut perbelle simulas,quod tamẽ in modũ ꝓcedit:sed ut est,indulge ualetudini tuæ. cui quidem tu adhuc,dum mihi deseruis,seruisti nõ satis.ea quid postulet,nõ ignoras.πέψιν,ἀκοπίαν,περίπατον,σύμμετρον,τέρψιν,εὐλυσίαν κοιλίας.Fac bellus reuertare:non modo te,sed etiã Tusculanum nostrum plus amem.Parhedrum excita,ut hortũ ipse cõducat:sic olitorem ipsum cõmouebis.Helico nequissimus HS.M.dabat nullo aprico horto,nullo emissario,nulla maceria, nulla casa.Iste nos tanta impensa derideat? calface hominẽ,ut ego Mothonẽ.Itaq; abutor coronis.De Crabra quid agatur, & si nunc quidem etiã nimium est aquæ,tamen uelim scire.Horologium mittam, & libros, si erit sudum. Sed tu nullósne tecum libellos? an pangis aliquid Sophocleum,fac opus appareat.Aligurius Cæsaris familiaris mortuus est,bonus homo & nobis amicus. Te quando expectemus,fac ut sciam.Cura te diligenter. Vale.

TVLLIVS TIRONI SVO SAL.

EXpecto tuas literas de multis rebus:teipsum multo magis. Demetriũ redde nostrum et aliud,si quid põt boni.De Aufidiano noĩe nihil te hortor:scio tibi curæ esse:sed cõfice.Et si ob eã rẽ moraris, accipio causã:si id te nõ tenet,aduola.Literas tuas ualde expecto.

TVLLIVS TIRONI SAL.

SOlicitat,ita uiuã,me tua mi Tiro ualetudo:sed confido si diligentiã, quã ĩstituisti,adhibueris,cito te firmum fore.Libros cõpone,indicẽ cum Metrodoro lubebit,quum eius arbitratu uiuẽdum est:cum olitore ut uidetur.Tu potes Kalendis spectare gladiatores, postridie redire: & ita censeo.Verum ut uidebitur.Cura te(si me amas)diligenter. Vale.

CICERO F.TIRONI SVO DVLCISSIMO SAL.

CVm uehementer tabellarios expectarẽ cotidie,aliquãdo uenerunt post diẽ.XL.&.VI.ꝗ à uobis discesserãt:quorum mihi fuit aduẽtus adoptatissimus.Nã cum maximã cæpissem lætitiã ex humanissimi & carissimi patris epistola,tum uero iucundissimæ tuæ literę cumulum mihi gaudij attulerunt.Itaq; me iã nõ pœnitebat intercapedinem scribendi fecisse,sed potius lætabar:fructũ enim magnum humanitatis tuę capiebã ex silẽtio mearꝝ literarꝝ.Vehemẽter igiť gaudeo te meã sine dubitatiõe accæpisse excusationẽ.Gratos tibi optatosq; esse,qui de me rumores afferuntur,non dubito mi dulcissime Tiro: præstaboq; & enitar, ut in dies magis

magisq́ hæc nascens de me duplicetur opinio. Quare ꝙ polliceris te bucinatorē fore existimationis meæ, firmo id cōstātiq́ animo facias licet. tātū enim mihi dolorē cruciatūq́ attulerunt errata ætatis meæ, ut nō solū animus à factis, sed aures quoq́ à cōmemoratione abhorreāt. Cuius te solicitudinis et doloris participē fuisse notū, exploratūq́ est mihi: nec id mirū. nā cum omnia mea causa uelles mihi successa, tum etiā tua: sociū enim te meorū cōmodorū semper esse uolui. Quod igitur tū ex me doluisti, nunc ut duplicetur tuum ex me gaudiū, præstabo. Cratippo me scito non ut discipulū, sed ut filiū esse cōiunctissimum. nā cū & audio illū libenter, tū etiā ꝓpriā eius suauitatē uehemēter amplector. Sū totos dies cum eo, noctisq́ sæpenumero partē: exoro enim ut mecū q̄ sæpissime cenet. Hac introducta cōsuetudine sæpe inscietibus nobis & cenātibus obrepit, sublataq́ seueritate philosophiæ, humanissime nobiscū iocatur. Quare da operā, ut hunc talē, tā iucundū, tā excellentē uirū uideas q̄primū. Nā quid ego de Bruttio dicā? quē nullo tēpore à me patior discedere: cuius cum frugi seueraq́ est uita, tum etiā iucundissima conuictio. nō est enim seiunctus locus à philologia, et cotidiana συζήτησις. Huic ego locum in ꝓximo cōduxi, et ut possum, ex meis angustijs illius sustēto tenuitatē: ꝑterea declamitare græce apud Cassium institui: latine autē apud Bruttium exerceri uolo. Vtor familiaribus et cotidianis cōuictoribus, quos secum Mitylenis Cratippus adduxit, hoībus et doctis et illi ꝓbatissimis. Multū etiā mecum est Epicrates princeps Atheniensiū, & Leonides, & horꝫ ceteri similes. τὰ μὲν οὖν καθ' ἡμᾶς, τάδε. De Gorgia autē quod mihi scribis, erat quidē ille in cotidiana declamatione utilis: sed oīa postposui, dummodo præceptis patris parerē: διαῤῥήδην enim scripserat, ut eum dimitterem statim. tergiuersari nolui, ne mea nimia σπουδὴ suspicionē ei aliquā importaret. Deinde illud etiā mihi succurrebat, graue esse me de iudicio patris iudicare. Tuum tamē studium & cōsilium gratum acceptumq́ est mihi. Excusationē angustiarum tui tēporis accipio: scio enim q̄ soleas esse occupatus. Emisse te prædium uehementer gaudeo, feliciterq́ tibi rē istā euenire cupio. Hoc loco me tibi gratulari noli mirari: eodē enim fere loco, tu quoq́ emisse te, fecisti me certiorē. Habes ubi sunt deponendæ urbanitates: rusticus Romanus factus es. Quomodo ego mihi nunc ante oculos tuum iucundissimum cōspectum ꝓpono, uideor enim uidere ementē te rusticas res, cum uillico loquentē, in lacinia seruātem ex mensa secunda semina. Sed quod ad rem pertinet, me tum tibi defuisse, æque ac tu, doleo. Sed noli dubitare mi Tiro, quin te subleuaturus sim, si modo fortuna me, presertim cum sciam communem nobis emptum esse istum fundum. De mādatis quod tibi curæ fuit, est mihi gratum. Sed peto à te, ut quamcelerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Græcus: multum mihi enim eripitur operæ in exscribendis hypomnematis. Tu uelim in primis cures, ut ualeas, ut unà συμφιλολογεῖν possimus. Antherum tibi commendo. Vale.

TVLLIVS TIRONI SVO SAL.



Pero ex tuis literis tibi melius esse: cupio certe. Cui quidē rei omni ratione cura ut inseruias: et caue suspiceris cōtra meā uoluntatē te facere, quòd nō sis mecum: mecum es, si te curas. Quare malo te ualetudini tuæ seruire, quàm meis oculis & auribus. Etsi enim

& audio

& audio te,& uideo libenter:tamen hoc multo erit,si ualebis,iucundius.Ego hic cesso,quia ipse nihil scribo:lego autem libentissime. Tu istic, si quid librarij mea manu non intelligent,monstrabis:una omnino interpositio difficilior est,quam ne ipse quidem facile legere soleo,de quadrimo Catone. De triclinio cura,ut facis.Tertia aderit modo ne Publius rogatus sit.Demetrius iste nunquam omnino Phalereus fuit:sed nunc plane Bilienus est. Itaque te do uicarium:tu eum obseruabis.Etsi ueruntamen de illis,nosti cetera. Sed tamen si quem cũ eo sermonem habueris,scribes ad me,ut mihi nascatur epistolæ argumentũ,& ut tuas quam lõgissimas literas legam.Cura mi Tiro,ut ualeas,hoc gratius mihi facere nihil potes. Vale.

CICERO TIRONI SAL.

TV uero confice professionem,si potes,etsi hæc pecunia ex eo genere est,ut professione non egeat. Veruntamen Balbus ad me scripsit,tanta se epiphora oppressum,ut loqui non possit. Antonius de lege quid egerit liceat modo rusticari, ad Bithinicum scripsi. De Seruilio tu uideris,qui senectutem non contemnis. Etsi Atticus noster, quia quondam me commoueri πανικοῖς intellexit,idem semper putat:nec uidet quibus præsidijs philosophiæ septus sim: & hercle, quòd timidus ipse est, θορυβοποιεῖ. Ego tamen Antonij inueteratam sine ulla offensione amicitiam retinere sanè uolo,scribamq; ad eum,sed non antè,quàm te uidero. nec tamen te auoco à syngrapha γόνυ κνήμης cras expecto Leptam.etenim ad cuius rutam pulegio mihi tui sermonis utendum est. Vale.

TVLLIVS TIRONI SAL.

ETsi mane Harpalum miseram,tamen cum haberem cui rectè darem literas,etsi noui nihil erat,ijsdem de rebus uolui ad te sæpius scribere,non quin confiderem diligentiæ tuæ,sed rei me magnitudo mouebat. Mihi prora & puppis, ut Græcorum prouerbium est,fuit à me tui dimittendi,ut rationes nostras explicares.Ofillio & Aurelio utique satisfiat:à Flamma si non potes omnem,partem aliquam uelim extorqueas.In primisq;,ut expedita sit pensio Kal. Ian.de attributione conficies: de repræsentatione uidebis. De domesticis rebus hactenus,de publicis omnia mihi certa, quid Octauius? quid Antonius? quæ hominum opinio? quid futurum putes? ego uix teneor,quin accurram.Sed si literas tuas expecto,& scito Balbum,tum fuisse Aquini,cum tibi est dictum, & postridie Hirtium. Puto utrunq; ad aquas.Sed quod egerint Dolabellæ procuratores,fac ut admoneantur,appellabis etiam Papiam. Vale.

CICERO F. TIRONI SVO SAL.

ETsi iusta & idonea usus es excusatione de intermissione literarum tuarum, tamen id ne sæpius facias rogo: nam etsi de repub. rumoribus & nuntijs certior fio, & de sua in me uoluntate semper ad me perscribit pater: tamen de quauis minima re scripta à te ad me epistola semper fuit gratissima. Quare cum in primis tuas desiderem literas, noli committere, ut excusatione potius expleas officium scribendi, quàm assiduitate epistolarum. Vale.

M.T.C. EPISTOLARVM AD BRVTVM LIBER.

CICERO BRVTO SAL.



L. Clodius Trib.pl.designatus ualde me diligit,uel ut ἐμφατικώτερον dicã, ualde me amat. Quod cũ mihi ita persuasum sit,non dubito(bene enim me nosti)quin illum quoq; iudices à me amari. Nihil enim mihi minus hominis uidetur,quàm non respondere in amore iis à quibus prouocere. Is mihi uisus est suspicari, nec sine magno quidem dolore,aliquid à suis,uel per suos potius inimicos ad te esse delatum,quo tuus animus à se esset alienior. Non soleo mi Brute(quod tibi notum esse arbitror)temere affirmare de altero. Est enim periculosum propter occultas hominũ uoluntates,multiplicesq; naturas. Clodij animum perspectum habeo,cognitũ,iudicatum,multa eius indicia,sed ad scribendum non necessaria. Volo enim hoc testimonium tibi uideri potius q̃ epistolam. Auctus Antonij beneficio est, eius ipsius beneficij magna pars à te est. Itaq; eum saluis nobis uellet saluum. In eum autem locum rem adductam intelligit(est enim ut scis, minime stultus)ut utriq; salui esse non possint. Itaq; nos mauult. De te uero amicissime & loquitur & sentit. Quare,si quis secus ad te de eo scripsit,aut si coram locutus est,peto à te etiam atq; etiã,mihi ut potius credas,qui & facilius iudicare possum,q̃ ille nescio quis,& te plus diligo. Clodium tibi amicissimum existima,ciuemq; talem,qualis & prudentissimus,& fortuna optima esse debet.

CICERO BRVTO SAL.



Scripta & obsignata iam epistola literæ mihi redditæ sunt à te,plenæ rerum nouarũ,maximeq; mirabiles,Dolabellã quinq; cohortes misisse in Chersonnesum. Adeo ne copijs abũdat,ut is qui ex Asia fugere dicebatur,Europam appetere conetur? Quinq; autẽ cohortibus quid nam se facturum arbitratus est,cum tu eo quinq; legiones, optimũ equitatũ,maxima auxilia haberes? Quas quidem cohortes spero iã tuas esse,quoniam latro ille tam fuit demens:& tuum consiliũ uehemẽter laudo,q; non prius exercitum Apollonia Dyrrhachioq; mouisti,q̃ de Antonij fuga audisti,Bruti eruptione,P.R.uictoria. Itaq; quod scribis postea statuisse te ducere exercitum in Chersonnesum,nec pati sceleratissimo hosti ludibrio esse imperium P.R.facis ex tua dignitate,& è repub. Quod scribis de seditione,quæ facta est in legione quarta de Catonijs,quod dicam in bonam partem accipies,magis mihi probatur militum seueritas,quàm tua. Te beneuolentiam exercitus, equitumq; expertum uehementer gaudeo. De Dolabella,ut scribis,si quid habes noui,facies me certiorẽ: in quo delector me ante prouidisse,ut tuum iudicium liberum esset cum Dolabella belli gerendi,& id ualde pertinuit,ut ego tum intelligebam,ad remp.ut nunc iudico, ad dignitatẽ tuam. Quod scribis,me maximo otio egisse,ut ĩsectarer Antonios, idq; laudas,credo ita uideri tibi,sed illã distinctionẽ tuã nullo pacto ꝓbo. Scribis enim acrius ꝓhibẽda bella ciuilia esse,q̃ in supatos iracũdiã exercendã. Vehe-

menter à te Brute dissentio, nec clementiæ tuæ concedo, sed salutaris seueritas uincit inanem speciem clementiæ. Q. si clementes esse uolumus, nunquã deerunt bella ciuilia. Sed de hoc tu uideris. De me possum idẽ, quod Plautinus pater in Trinũmo, Mihi quidem ætas acta fermẽ, tua istuc refert maxime. Opprimemini (mihi crede) Brute, nisi prouidetis. Neq; enim populum semper eundem habebitis, neq; Senatũ, neq; Senati ducẽ. Hæc ex oraculo Apollinis Pythij edita tibi puta, nihil potest esse uerius. XIIII. Kal. Mai.

M. T. C. MARCO BRVTO S.


NOstræ res meliore loco uidebantur. Scripta enim ad te certo scio, quæ gesta sunt qualeis tibi sæpe scripsi Consules, tales extiterunt. Cæsaris uero pueri mirifica indoles uirtutis. utinam tam facile eũ florentem & honoribus & gratia regere ac tenere possimus, q̃ facile adhuc tenuimus. Est omnino illud difficilius, sed tamen non diffidimus. Persuasum enim adolescenti, & maxime per me, eius opera nos esse saluos: et certe, nisi is Antonium ab urbe auertisset, perijssent omnia. Triduo uero aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam, timore quodam perculsa ciuitas tota ad te se cum coniugibus & liberis effundebat: eadem recreata ad. XII. Kal. Maii te huc uenire, quàm se ad te ire malebat. Quo quidẽ die magnorũ meorũ laborum, multarumq; uigiliarum fructum cepi maximũ, si modo est aliquis fructus ex solida, ueraq; gloria. Nam tantę multitudinis, quantam capit urbs nostra, concursus est ad me factus: ea cum usq; in Capitolium deductus, maximo clamore atque plausu in rostris collocatus sum. Nihil est in me inane, neq; enim debet. Sed tamen omnium ordinum consensus, gratiarũ actio, gratulatioq; me commouet, propterea q; popularem me eẽ in populi salute præclarum est. Sed hæc te malo ab alijs: me uelim de tuis rebus consilijsq; facias diligentissime certiorem. Illud q; consideres, ne tua liberalitas dissolutior uideatur. Sic sentit Senatus, sic Po. Ro. nullos unquam hostes digniores omni supplicio fuisse, q̃ eos ciues, qui hoc bello contra patriam arma ceperũt: quos quidem ego omnibus sententijs ulciscor, et persequor omnibus bonis approbantibus. Tu quid de hac re sentias, tui iudicij est. Ego sic sentio, trium fratrũ unam & eandem esse causam. Consules duos, bonos quidem, sed dũtaxat bonos amisimus. Hirtius quidem in ipsa uictoria occidit, cum paucis diebus magno prælio ante uicisset. Nam Pansa fugerat uulneribus acceptis, quæ ferre non potuit. Reliquias hostium Brutus persequitur, & Cæsar. Hostes autem omnes iudicati, qui M. Antonij sectam secuti sunt. Itaq; id S. C. plerique interpretantur etiam ad tuos, siue captiuos, siue dedititios pertinere. Equidẽ nihil disserui durius, cum nominatim de C. Antonio decernerem, q; ita statuerã, à te cognoscere causam eius Senatum oportere. X. Kal. Mai.

BRVTVS CICERONI SAL.


QVanta sim lætitia affectus cognitis rebus Bruti nostri & Consulum, facilius est tibi existimare, q̃ mihi scribere. Cũ alia laudo & gaudeo accidisse, tum q; bruti eruptio non solũ ipsi salutaris fuit, sed etiam maximo ad uictoriam adiumento. Quòd scribis mihi triũ Antoniorũ unam atq; eãdem causam esse, quid ego sentiã, mei iudicij esse

statuo

statuo nihil, nisi hoc: Senatus aut Po. Ro. iudicium esse de his ciuibus, qui pugnantes non interierint. At hoc ipsum inquies inique facis, qui hostilis animi in rempub. homines ciues appelles. immo iustissime. Quod enim nondum Senatus censuit, nec Po. Ro. iussit, id arroganter non præiudico, neq; reuoco ad arbitrium meum. Illud quidem non muto, q ei quem me occidere res non coegit, neque crudeliter quicquam eripui, neque dissolute quicquam remisi: habuiq; in mea potestate, quoad bellum fuit. Multo quidē honestius iudico, magisq; quod concedere possit respub. miserorum fortunam non insectari, quàm infinite tribuere potentibus, quæ cupiditatem & arrogantiam incendere possint. Qua i re Cicero uir optime ac fortissime mihiq; merito, & meo nomine & reipu. carissime, nimis credere uideris spei tuæ, statimq;, ut quisq; aliquid recte fecerit, omnia dare ac permittere, quasi non liceat traduci ad mala consilia corruptum largitionibus animum. Quæ tua est humanitas, æquo animo te moneri patieris, presertim de communi salute: facies tamen quod tibi uisum fuerit, etiam ego, cum me docueris. Nunc Cicero, nunc agēdum est, ne frustra oppressum esse Antonium gauisi simus, neu semper primi cuiusq; mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur illo peius. Nihil iā neque opinantibus aut patientibus nobis, aduersi euenire potest, in quo non cum omnium culpa, tum præcipue tua futura sit, cuius tantam auctoritatem Senatus, ac Po. Ro. non solum esse patitur, sed etiam cupit, quanta maxime in libera ciuitate unius esse potest: quam tu non solum bene sentiendo, sed etiam prudēter tueri debes. Prudentia porrò, quæ tibi superest, nulla abs te desideratur, nisi modus in tribuendis honoribus. Alia omnia sic adsunt, ut cū quolibet antiquorum comparari possint tuæ uirtutes. Vnum hoc grato animo, liberaliq; profectum, cautiorem ac moderatiorem liberalitatem desiderat. Nihil enim Senatus cuiquam dare debet, quod male cogitātibus exemplo, aut præsidio sit. Itaq; timeo de Consulatu, ne Cæsar tuus altius se ascendisse putet decretis tuis, quàm inde, si Consul factus sit, descēsurum. Quod si Antonius ab alio relictum regni instrumentum occasionem regnandi habuit, quonam animo fore putas, si quis auctore non tyrāno interfecto, sed ipso Senatu putat se imperia quælibet concupiscere posse? Quare tum & felicitatem & prouidentiam laudabo tuam, cum exploratum habere cœpero Cæsarem honoribus quos acceperit, extraordinarijs fore contentum. Alienæ igitur inquies, culpæ me reū subijcies? prorsus alienæ, si prouideri potuit, ne existeret. quod utinam inspectare possis timorem de illo meum. His literis scriptis, Consulem te factū audiuimus. Tum uero incipiam proponere mihi rempub. iustam, & iam suis nitentem uiribus, si istuc uidero. Filius ualet, & in Macedoniam cum equitatu præmissus est. Id. Mai. ex castris.

CICERO BRVTO. S.



A. D. V. K. Mai. cum de ijs qui hostes iudicati sunt bello persequendis sentētiæ dicerentur, dixit Seruilius etiā de Ventidio, & ut Cassius persequeretur Dolabellā. Cui cum essem assensus, decreui hoc amplius, ut tu, si arbitrarere utile fore, exq; rep. esse, persequerere bello Dolabellā. Si minus id cōmodo reip. facere posses, siue nō existimares è repub. esse, ut in ijsdem locis exercitum contineres. Nihil honorificentius

potuit facere Senatus, quam ut tuum esset iudiciū, quid maxime conducere reipublicæ tibi uideretur. Equidem sic sentio, si manum habet, si castra, si ubi consistat usquam Dolabella, ad fidem & ad dignitatem tuā pertinere eum persequi. De Cassij nostri copijs nihil sciebamus: neq; enim ab ipso ullæ literæ, neq; nunciabatur quicq̄, quod pro certo haberemus. Quātopere autem intersit opprimi Dolabellam, profecto intelligis, cum ut sceleris pœnas persoluat, tum ne sit, quo se latronum duces ex Mutinensi fuga conferant. Atq; hoc mihi iā ante placuisse, potes ex superioribus meis literis recordari: q̄q̄ tum & fugæ portus erat in tuis castris, & subsidium salutis in tuo exercitu. quo magis nunc liberati (ut spero) periculis, in Dolabella opprimendo occupati esse debemus. Sed hæc cogitabis diligentius, statues sapienter. Facies nos, quid cōstitueris, & quid agas (si tibi uidebitur) certiores. Ciceronem nostrum in uestrū collegium cooptari uolo. Existimo omnino absentium rationem, sacerdotum comitiis posse haberi. nam etiam factum est antea. C. enim Marius, cum in Cappadocia eēt, lege Domitia factus est Augur: nec quo minus id postea liceret, ulla lex sanxit. Est etiam in lege Iulia, quæ lex est de sacerdotijs proxima, his uerbis, QVI PETIT, CVIVS'VE RATIO HABEBITVR. Aperte indicat posse rationem haberi, non petētis. Hac de re scripsi ad eum, ut tuo iudicio uteretur, sicut in rebus omnibus. Tibi autem statuendum est de Domitio & de Catone nostro. Sed quāuis liceat absentis rationem haberi, tamen omnia sunt præsentibus faciliora. Q. si statueris in Asiam tibi eūdum, nulla erit ad comitia nostros accersendi facultas. Omnino Pansa uiuo celeriora omnia putabamus. Statim enim Collegam sibi subrogauisset: deinde ante Prætoria Sacerdotum comitia fuissent. Nunc per auspicia longam moram uideo. Dū enim unus erit patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt. Magna sanè perturbatio. Tu tota de re quid sentias, uelim me facias certiorem. III. Non. Mai. Vale.

BRVTVS CICERONI SAL.


Oli expectare, dum tibi gratias agam: iampridem hoc ex nostra necessitudine, quæ ad summam beneuolētiam peruenit, sublatum esse debet. Filius tuus à me abest, in Macedonia cōgrediemur. Iussus est enim Ambraciam ducere equites per Thessaliam, & scripsi ad eum, ut mihi Heracleam occurreret. Cū eum uidero (quoniam nobis permittis) communiter constituemus de reditu eius ad petitionem, aut ad commendationem honoris. Tibi Glicona medicum Pansæ, qui sororem Achilleos nostri in matrimonio habet, diligentissime commendo. Audimus eum uenisse in suspicionem Torquato de morte Pansæ, custodiriq; ut parricidā. nihil minus credendum est. Quis enim maiorem calamitatem morte Pansæ accepit? præterea est modestus homo, & frugi, quem ne utilitas quidē uideatur impulsura fuisse ad facinus. Rogo te, & quidem ualde rogo (nam Achilleus noster non minus quàm æquum est laborat) eripias eum ex custodia, cōserues q;. Hoc ego ad meum officium priuatarum rerum æque atque ullā aliam rem pertinere arbitror. Cum has ad te scriberem literas, ab Satrio Legato. C. Trebonij reddita ē epistola mihi, à Tullio, & Deiotaro Dolabellā cæsum, fugatumq; esse. Grecam epistolam tibi misi Cycherei cuiusdā ad Satriū missam.

missam. Flauius noster de controuersia, quam habet cum Dyrrhachinis hæreditariam, sumpsit te iudicem: rogo te Cicero, & Flauius rogat, rem conficias. quin ei qui Flauium fecit hæredem, pecuniam debuerit ciuitas, non est dubium, neq; Dyrrachini inficiantur, sed sibi donatum æs alienum à Cæsare dicũt. Noli pati à necessarijs tuis necessario meo iniuriam fieri. XVII. K. Iun. ex castris ad imam Candauiam.

BRVTVS CICERONI. S.



L. Bibulus quàm carus mihi eẽ debeat, nemo melius iudicare põt, q̃ tu, cuius tantæ pro repub. contentiones, solicitudinesq; fuerunt. Itaq; uel ipsius uirtus, uel nostra necessitudo debet conciliare te illi, quo minus multa mihi scribenda esse arbitror. Voluntas enim te mouere debet nostra, si modo iusta ẽ, aut pro officio necessario suscipitur. Is Pansæ locum petere constituit, eam nominationem à te petimus: neq; coniunctiori dare beneficium, quàm nos tibi sumus, neq; digniorẽ nominare potes, quàm Bibulum. De Domitio & Apuleio quid attinet scribere, cum ipsi per se tibi commendatissimi sint? Apuleium uero tu tua auctoritate sustinere debes. Sed Apuleius in sua epistola celebrabitur. Bibulum noli dimittere ex sinu tuo tantum iam uirum, ex quãto (crede mihi) potest euadere, qui uestris paucorum respondeat laudibus.

CICERO BRVTO S.



MVltos tibi commendaui, & cõmendem necesse est. optimus enim quisq; uir & ciuis maxime sequitur tuum iudicium: tibiq; omnes fortes uiri nauare operam & studium uolunt: nec quisquam est, quin ita existimet, meam apud te, & auctoritatem & gratiam ualere plurimum. Sed C. Nasennium municipem Suessanum tibi ita commendo, ut neminem diligentius. Cretensi bello Metello Imperatore octauũ principem duxit: postea in re familiari occupatus fuit. Hoc tempore cum reipub. partibus, tum tua excellẽti dignitate commotus, uellet per te aliquid auctoritatis assumere. Fortem uirum Brute tibi commẽdo, frugi hominẽ, & si quid ad rem pertinet etiam locupletem. Pergratum mihi erit, si eum ita tractaris, ut merito tuo mihi gratias agere possit.

CICERO BRVTO. S.



FVngerer officio, quo tu functus es in meo luctu, teq; p literas cõsolarer, nisi scirem his remedijs, quibus meum dolorẽ tu leuasses, te non egere, ac uelim facilius, quàm tunc mihi, nunc tibi tute medeare. Est enim alienum tanto uiro, ut es tu, quod alteri præceperit, id ipsum facere non posse. Me quidem cum ratiões, quas collegeras, tum auctoritas tua, à nimio mœrore deterruit. Cũ enim mollius tibi ferre uiderer, q̃ deceret uirum, presertim eum qui alios consolari soleret, accusasti me per literas grauioribus uerbis quàm tua consuetudo ferebat. Itaq; iudicium tuum magni æstimans, idq; ueritus, me ipse collegi, & ea quæ didiceram, legerã, acceperam, grauiora duxi tua auctoritate addita. Ac mihi tũ Brute officio solũ erat & naturæ: tibi nũc populo, & scenæ (ut dicitur) seruiẽdũ est. Nam cũ in te non solum exercitus tui, sed omnium ciuium, ac pene gentiũ coniecti oculi sint, minime decet, ꝑpter quẽ fortiores cæteri sumus, cũ ipm aĩo debilitatũ ui-

deri. Quamobrem accepisti tu quidem dolorem (id enim amisisti, cui simile in terris nihil fuit) & est dolendum in tam graui uulnere, ne id ipsum carere omni sensu doloris, sit miserius, quam dolere: sed ut modice, cęteris utile est, tibi necesse est. Scriberem plura, nisi ad te hęc ipsa nimis multa essent. Nos te, tuumque exercitum expectamus: sine quo, ut reliqua ex sententia succedant, uix satis liberi uidemur fore. De tota repub. plura scribam, & fortasse iam certiora his literis, quas Veteri nostro cogitabam dare.

CICERO BRVTO S.



Nullas adhuc à te literas habebamus, ne famam quidem, quę declararet te cognita Senatus auctoritate in Italiam adducere exercitũ: quod ut faceres, idque maturares, magnopere desiderabat respub. Ingrauescit enim in dies intestinum malum, nec externis hostibus magis quàm domesticis laboramus, qui erant omnino ab initio belli, sed facilius frangebantur. Erectior Senatus erat, non sententijs solum nostris, sed etiã cohortationibus excitatus. Erat in Senatu satis uehemens & acer Pansa, cum in cęteros huius generis, tum maxime in socerũ: cui Consuli non animus ab initio, non fides ad extremum defuit. Bellum ad Mutinam gerebatur, nihil ut in Cęsare reprehenderes, nonnulla in Hirtio. huius belli fortuna, ut in secũdis, fluxa: ut in aduersis, bona: erat uictrix respub. cęsis Antonij copijs, ipso expulso. Bruti deinde ita multa peccata, ut quodammodo uictoria excideret è manibus: perterritos, inermes, saucios non sunt nostri duces persecuti: datumque Lepido tempus est, in quo leuitatem eius sępe perspectam maioribus in malis experiremur. Sunt exercitus boni, sed rudes Bruti & Planci. Sunt fidelissima & maxima auxilia Gallorum, sed Cęsarem meis cõsilijs adhuc gubernatum, pręclara ipsum indole, admirabilique constantia, improbissimis literis quidam, fallacibusque interpretibus ac nuncijs impulerunt in spem certissimam Cõsulatus. Quod simulatque sensi, neque ego illum absentem literis monere destiti, nec accusare pręsentes eius necessarios, qui eius cupiditati suffragari uidebantur. nec in Senatu sceleratissimorum consiliorum fontes aperire dubitaui: nec uero ulla in re memini, aut Senatũ meliorem, aut magistratus. Nunquam enim in honore extraordinario potentis hominis, uel potentissimi potius (quandoquidem potentia iam in ui posita est & armis) accidit, ut nemo Trib. pl. nemo alio magistratu, nemo priuatus auctor existeret. Sed in hac constantia atque uirtute, erat tamen solicita ciuitas. Illudimur enim Brute, cum militum delicijs, tum Imperatoris insolentia: tantum quisque in rep. posse postulat, quantum habet uirium: non ratio, non modus, non lex, non mos, non officiũ ualet, non iudiciũ, non existimatio ciuiũ, non posteritatis uerecũdia. Hęc ego multo ante prospiciẽs fugiebam ex Italia, tum cum me uestrorum edictorum fama reuocauit. Incitauisti uero tu me Brute Velię. quãquã enim dolebam in eam me urbem ire, quam tu fugeres, qui eam liberauisses, quod mihi quoque quondam acciderat periculo simili, casu tristiore, perrexi tamen, Romamque perueni, nulloque pręsidio quatefeci Antonium, contraque eius arma nefanda, pręsidia, quę oblata sunt Cęsaris, consilio & auctoritate firmaui. qui si steterit idem, mihique paruerit, satis uidemur habituri pręsidij: sin autem impiorum consilia plus ualuerint quàm nostra, aut imbecillitas ętatis non

tis nõ potuerit grauitatem rerum ſuſtinere,ſpes omnis ē in te. Quamobrem aduola obſecro,atq; eam rempu.quam uirtute atq; animi magnitudine magis quàm euentis rerum liberaſti,exitu libera. omnis omnium concurſus ad te futurus eſt. Hortare idem per literas Caſſium. Spes libertatis nuſquam,niſi in ueſtrorum caſtrorum principijs eſt. Firmos omnino & duces habemus ab occidente,& exercitus. Hoc adoleſcẽtis præſidium equidem adhuc firmũ eſſe confido:ſed ita multi labefactant,ut ne moueatur,interdum extimeſcam. Habes totum reip.ſtatum,qui quidem tum erat,cum has literas dabã. Velim deinceps meliora ſint:ſin aliter fuerit(quod dij omen auertant)reip. uicẽ dolebo,quæ immortalis eſſe debeat:mihi quidem quantulum reliqui eſt.

BRVTVS CICERONI . SAL.


Eteris Antiſtij talis animus eſt in rempub.ut non dubitem, quin & in Cæſare & Antonio ſe pręſtaturus fuerit acerrimum propugnatorem communis libertatis,ſi occaſioni potuiſſet occurrere. Nam qui in Achaia congreſſus.P.Dolabella milites atq; equites habente, quoduis adire periculum ex inſidijs paratiſſimi ad omnia latronis maluerit,quàm uideri aut coactus eſſe pecuniam dare,aut libenter dediſſe homini nequiſſimo atq; improbiſſimo,is nobis ultro & pollicitus eſt, & dedit HS XX ex ſua pecunia:& quod multo carius eſt,ſeipſum obtulit & coniunxit. Huic perſuadere cupimus,ut Imperator in caſtris remaneret, remq; publicam defenderet:ſtatuit id ſibi,quoniam exercitum dimiſiſſet: ſtatim uero rediturum ad nos confirmauit legatione ſuſcepta,niſi Prætorum comitia habituri eſſent Conſules. Nam illi ita ſentienti de repu.magnopere auctor fui, ne differret tempus petitionis ſuæ. Cuius factum omnibus gratum eẽ debet, qui modo iudicant hunc exercitum eſſe reip.tibi tanto gratius,quanto maiore & animo gloriaq; libertatem noſtram defendis & dignitatem:ſi contigerit noſtris conſilijs exitus,quem optamus,perfuncturus es. Ego etiam mi Cicero proprie familiariterq; te rogo,ut Veterem ames,uelisq; eſſe quãampliſſimum:qui etſi nulla re deterreri à propoſito poteſt,tamen excitari tuis laudibus indulgentiaq; poterit,quo magis amplexetur ac tueatur iudicium ſuum: & mihi gratiſſimum erit.

CICERO BRVTO. SAL.


T ſi daturus eram Meſſalæ Coruino continuo literas, tamen Veterem noſtrum ad te ſine literis meis uenire nolui. Maximo in diſcrimine reſp. Brute uerſaẽ,uictoresq; rurſus decertare cogimur: id accidit M.Lepidi ſcelere & amentia. Quo tempore,cum multa propter eam curam,quam pro rep. ſuſcepi, grauiter ferrem, tum nihil tuli grauius q̃ me non poſſe matris tuæ precibus cedere, non ſororis. Nam tibi (quod mihi plurimi ẽ)facile me ſatiſfacturũ arbitrabar. Nullo enĩ mõ poterat cauſa Lepidi diſtingui ab Antonio,omniumq; iudicio etiã durior erat: quòd cum honoribus ampliſſimis a Senatu eẽt Lepidus ornatus, tum etiam paucis antè diebus præclaras literas ad Senatum miſiſſet,repente non ſolum recepit reliquias hoſtium,ſed bellum acerrime terra mariq; gerit. cuius exitus qui futurus ſit incertum eſt. Ita cum rogamur,ut miſericordiã liberis eius impertiamus,nihil affertur,quo minus ſumma ſupplicia,ſi(quod Iupiter omen

auertat) pater puerorum uicerit, ſubeunda nobis ſint. Nec uero me fugit, quàm ſit acerbum parentum ſcelera filiorum pœnis lui. Sed hoc pręclare legibus cõparatum eſt, ut caritas liberorum amiciores parentes reip. redderet. Itaq; Lepidus crudelis in liberos, nõ is qui Lepidum hoſtem iudicat. Atque ille, ſi armis poſitis de ui damnatus eſſet, quo in iudicio certe defenſionem non haberet, eandem calamitatem ſubirent liberi bonis publicatis, quanquã quod tua mater & ſoror deprecatur pro pueris, id ipſum & multa alia crudeliora nobis omnibus Lepidus, Antonius, reliqui hoſtes denunciant. Itaque maximã ſpem hoc tempore habẽmus in te atque exercitu tuo. Cum ad reip. ſummam, tum ad gloriam & dignitatem tuam uehementer pertinet te, ut ante ſcripſi in Italiam, uenire quamprimum. Eget enim uehementer cum uiribus tuis, tum etiam conſilio reſp. Veterem pro eius erga te beneuolentia, ſingulariq; officio libenter ex tuis literis complexus ſum, eumq; cum tui, tum reip. ſtudioſiſſimum amãtiſſimumq; cognoui. Ciceronem meum propediem, ut ſpero, uidebo: tecum enim illum, & te in Italiam celeriter eſſe uenturum confido.

BRVTVS CICERONI SAL.

DE M. Lepido uereri me cogit reliquorum timor, qui ſi eripuerit ſe nobis quod uelim temere atq; iniurioſe de illo ſuſpicati ſint homines, oro atq; obſecro te Cicero neceſſitudinem noſtram, tuãq; in me beneuolentiam obteſtans, ſororis meæ liberos obliuiſcaris eſſe Lepidi filios, meq; his in patris locum ſucceſſiſſe exiſtimes. Hoc ſi à te impetro, nihil profecto dubitabis pro his ſuſcipere. Aliter alij cum ſuis uiuunt. nihil ego poſſum ĩ ſororis meę liberis facere, quo poſſit expleri uolũtas mea, aut officium. Quid uero aut mihi tribuere boni poſſũt, ſi modo digni ſimus, quibus aliquid tribuatur, aut ego matri ac ſorori, puerisq; illis præſtaturus ſum, ſi nihil ualuerit apud te: reliquumq; Senatum contra patrem Lepidum Brutus auũculus? Scribere multa ad te neque poſſum præ ſolicitudine, ac ſtomacho, neque debeo. Nam ſi in tãta re, tamq; neceſſaria uerbis mihi opus eſt ad te excitandum & confirmandum, nulla ſpes eſt, facturum te quod uolo, & quod oportet. Quare noli expectare lõgas preces, intuere meipſum, qui hoc à te uel à Cicerone coniunctiſſimo homine priuatim, uel à Conſulari tali uiro remota neceſſitudine priuata debeo impetrare. Quid ſis facturus, uelim mihi quamprimum reſcribas. Ka. Quint. ex caſtris,

CICERO BRVTO SAL.

BReues literæ tuę, breues dico, immo nullæ: tribus ne uerſiculis his temporibus Brutus ad me? nihil ſcripſiſſem potius, et requiris meas. Quis unquam ad te tuorum ſine meis uenit? Quę aũt epiſtola nõ pondus habuit? Quæ ſi ad te perlatæ non ſunt, ne domeſticas quidem tuas perlatas arbitror. Ciceroni ſcribis te longiorem daturum epiſtolã: recte id qdẽ, ſed hæc quoq; debuit eẽ plenior. Ego autem cum ad me de Ciceronis abs te diſceſſu ſcripſiſſes, ſtatim extruſi tabellarios literasq; ad Ciceronem, ut etiam ſi in Italiam ueniſſet, ad te rediret. Nihil enim mihi iucundius, nihil illi honeſtius. quanquam aliquoties ei ſcripſeram ſacerdotum comitia mea ſumma contentione in alterum annum eſſe reiecta: quod ego cum Ciceronis cauſa elaboraui, tum Domitij, Catonis, Lẽtuli, Bibulorum, quod ad te etiam ſcripſeram. Sed uidelicet cum illam puſillam epiſtolam tuam ad me dabas,

bas,nondum erat tibi id notum.Quare omni ſtudio à te mi Brute contẽdo, ut Ciceronem meum ne dimittas,tecumq́ deducas:quod ipſum, ſi rempub. cui ſuſceptus es reſpicis,tibi iã iamq́ faciendum eſt.renatum enim bellum eſt: idq́ nõ paruo ſcelere Lepidi. Exercitus autem Cæſaris,qui erat optimus, nõ modo nihil prodeſt,ſed etiam cogit exercitum tuum flagitari: qui ſi Italiam attigerit,erit ciuis nemo(quem quidem ciuẽ appellari fas ſit)qui ſe nõ in tua caſtra conferat.etſi Brutum præclare cum Planco coniunctum habemus, ſed non ignoras quàm ſint incerti animi hominum,& infecti partibus,& exitus præliorum.Quinetiam ſi,ut ſpero,uicerimus,tamen magnam gubernationẽ tui conſilij tuæq́ auctoritatis res deſiderabit.Subueni igitur p deos,idq́ quã primum tibi perſuade,non te Id.Mart.quibus ſeruitutem à tuis ciuibus repuliſti,plus profuiſſe patriæ,quàm ſi mature ueneris profuturũ.II. Id. Quint.

CICERO BRVTO S.



MEſſalã habes.Quibus igitũ literis tã accurate ſcriptis aſſeq poſſum ſubtilius,ut explicem quæ gerantur,quæq́ ſint in repub. quàm tibi is exponet,qui & optime omnia nouit,& elegantiſſime expedire & deferre ad te poteſt?Caue enim exiſtimes Brute. quanquam non neceſſe eſt ea me ad te,quæ tibi nota ſunt,ſcribere:ſed tamen tantam omnium laudum excellentiam non queo ſilentio præterire.Caue putes probitate,conſtantia,cura,ſtudio reip.quicquàm illi eſſe ſimile,ut eloquentia qua mirabiliter excellit,uix in eo locum ad laudandum habere uideatur. quanquam in hac ipſa ſapientia plus apparet:ita graui iudicio,multaq́ arte ſe exercuit in ueriſſimo genere dicendi. Tanta autem induſtria eſt,tantumq́ euigilat in ſtudio,ut non maxima ingenio(quod in eo ſummum eſt)gratia habenda uideatur.Sed prouehor amore,non enim id propoſitum eſt huic epiſtolæ, Meſſalam ut laudem preſertim ad Brutum,cui & uirtus illius non minus quàm mihi nota eſt,& hæc ipſa ſtudia quæ laudo notiora:quem cum à me dimittens grauiter ferrem,hoc leuabar uno,quòd ad te tanquam ad alterum me proficiſcens & officio fungebatur,& laudem maximam ſequebatur.Sed hæc hactenus. Venio nunc longo ſanè interuallo ad quãdam epiſtolam,qua mihi multa tribuens unum reprehendebas,quòd in honoribus decernendis eſſem nimius & tanquam prodigus.Tu hoc:alius fortaſſe quòd in animaduerſione pœnaq́ durior,niſi fortaſſe utrunq́ tu.Quod ſi ita eſt,utriuſq́ rei meum iudicium ſtudeo tibi eſſe notiſſimum:neq́ ſolum,ut Solonis dictum uſurpem, qui & ſapientiſſimus fuit ex ſeptem & legum ſcriptor ſolus ex ſeptẽ. Is remp. duabus rebus contineri dixit,præmio & pœna.eſt ſcilicet utriuſque rei modus,ſicut reliquarum,& quædam in utroq́ genere mediocritas:ſed non tanta de re propoſitum eſt hoc loco diſputare. Quid ego autem ſecutus hoc bello ſim in ſententijs dicendis,aperire non alienum puto.Poſt interitum Cæſaris & ueſtras memorabiles Id.Mart.Brute quid ego prætermiſſum à uobis, quantamq́ impendere reip.tempeſtatem dixerim,non es oblitus. Magna peſtis erat depulſa per uos,magna populi R.macula deleta,uobis uero parta diuina gloria,ſed inſtrumentum regni delatum ad Lepidum & Antoniũ, quorum alter inconſtantior,alter impurior,uterq́ pacem metuẽs,inimicus otio. His ardentibus perturbandæ reip.cupiditate,quod opponi poſſet præſidiũ,

non habebamus. Erexerat enim se ciuitas in retinenda libertate consentiens. Nos tum nimis acres, uos fortasse sapientius excessistis urbe ea, quam liberaratis: Italiæ sua uobis studia profitenti remisistis. Itaq; cum teneri urbē à parricidis uiderem, nec te in ea, nec Cassium tuto esse posse, eamq; armis oppressam ab Antonio, mihi quoq; ipsi esse excedendum putaui. Tetrum enim spectaculum, oppressa ab impijs ciuitas opitulandi potestate pcisa. Sed animus idem qui semper infixus ī patriæ caritate, discessum ab eius periculis ferre nō potuit. Itaq; in medio Achaico cursu, cum Etesiarū diebus Auster me in Italiam, quasi dissuasor mei cōsilij retulisset, te uidi Veliæ, doluiq; uehementer. Cedebas enim Brute, cedebas, qm̄ Stoici nostri negant fugere sapientis. Romam ut ueni, statim me obtuli Antonij sceleri atque demētiæ: quem cum in me incitauissem, consilia inire cœpi Brutina plane (uestri enim hæc sunt propria sanguinis) reip. liberandæ. Longa sunt quæ restant, prætereunda sunt enim, de me tantum dico, Cæsarem hunc adolescentem, per quem adhuc sumus, si uerum fateri uolumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum. Huic habiti à me honores nulli quidē Brute, nisi debiti: nulli, nisi necessarij. V t.n. primum libertatem reuocare cœpimus, cum se nōdum, ne Decimi quidē Bruti diuina uirtus ita cōmouisset, ut iam id scire possemus: atq; omne præsidiū esset in puero, qui à ceruicibus nostris auertisset Antonium, quis honos ei nō fuit decernendus? q̄q̄ ego illi tum uerborum laudem tribui, eamq; modicam. Decreui etiam imperium: quod q̄q̄ uidebatur illi ætati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium. Quid enim est sine imperio exercitus? Statuam Philippus decreuit, celeritatem petitionis primo Seruius, post maiorem etiam Seruilius, nihil tum nimium uidebatur. Sed nescio quomodo facilius in timore benigni, quàm in uictoria grati reperiunt. Ego enim D. Bruto liberato, cum lætissimus ille ciuitati dies illuxisset, idemq; casu Bruti natalis esset, decreui, ut in Fastis ad eum diem Bruti nomen ascriberetur. In eoq; sum maiorum exemplum secutus, qui hunc honorem mulieri Larētiæ tribuerunt, cuius uos pontifices ad aram in Velabro facere soletis. quod ego cum dabam Bruto, notam esse in Fastis gratissimæ uictoriæ sempiternam memoriam uolebam. Atq; illo die cognoui paulo plures in Senatu maleuolos eē q̄ gratos. Eos per ipsos dies effudi (si ita uis) honores in mortuos Hirtium & Pansam, Aquilam etiam. quod quis reprehendit, nisi qui deposito metu præteriti periculi fuerit oblitus? Accedebat ad beneficij memoriam gratam ratio illa, quæ etiam posteris esset salutaris. Extare enim uolebam in crudelissimos hostes monimenta odij publici sempiterna. Suspicor illud tibi minus pbari, quod ab tuis familiaribus optimis illis quidem uiris, sed in rep. rudibus non probatur, q; ut ouanti introire Cæsari liceret, decreuerim. Ego aūt (sed erro fortasse, nec tamen is sum, ut mea me maxime delectent) nihil mihi uideor hoc bello sensisse prudentius. Cur autem ita sit, aperiendum non est, ne magis uidear prouidus fuisse, quàm gratus. Hoc ipsum nimiū, quare alia uideamus. D. Bruto decreui honores, decreui L. Planco. Præclara illa quidem ingenia, quæ gloria inuitantur: sed Senatus etiam sapiens, qui qua quemq; reputat modo honesta, ad remp. iuuandum posse adduci, hac utitur. At in Lepido reprehendimur, cui cum statuam in rostris statuissemus, ijdem illā euertimus. Nos illum honore studuimus à furore reuocare: uicit amētia leuissimi

hominis

hominis nostram prudentiam. Nec tamen tantum in statuēda Lepidi statua factum est mali, quantum in euertenda boni. Satis multa de honoribus, nunc de pœna pauca sunt dicenda. Intellexi enim ex tuis sæpe literis te in his quos bello deuicisti, clementiam tuam uelle laudari: existimo equidem nihil à te nisi sapienter. Sed sceleris pœnam prætermittere (id enim est quod uocāt ignoscere) etiam si in cæteris rebus tolerabile est, in hoc bello perniciosum puto. Nullum enim bellum ciuile fuit in nostra rep. omnium quę memoria mea fuerunt, in quo bello non utracūq; pars uicisset, tamen aliqua forma esset futura reip. hoc bello uictores quam remp. simus habituri, non facile affirmarim: uictis certe nulla unquam erit. Dixi igitur sentētias in Antonium, dixi in Lepidum seueras, neque tā ulciscendi causa, quàm ut et in præsens sceleratos ciues timore ab impugnanda patria deterrerem, & in posterum documentum statuerem, ne quis talem amentiam uellet imitari. q̄q̄ hæc quidem sentētia nō magis mea fuit, quàm omnium. In qua uidetur illud eē crudele, ꝙ ad liberos, qui nihil meruerunt, pœna peruenit: sed id & antiquum est & omnium ciuitatum: siquidem etiam Themistocli liberi eguerunt. Et si iudicio damnatos eadem pœna sequitur ciues qui potuimus leniores esse in hostes? Quid autē queri potest quisquam de se, qui si uicisset, acerbiore se in me futurū fuisse cōfiteatur necesse est? Habes rationem mearum sentētiarum, de hoc genere dūtaxat honoris & pœnæ. Nam de cæteris rebus quid senserim, quidq; censuerim, audisse te arbitror. Sed hæc quidem non ita necessaria. Illud ualde necessarium Brute, te in Italiam cum exercitu uenire quamprimum: summa est expectatio tui, quòd si Italiam attigeris, ad te cōcursus fiet omniū. Siue enim uicerimus, qui quidem pulcherrime uiceramus, nisi Lepidus perdere omnia & perire ipse cum suis concupiuisset, tua nobis auctoritate opus est ad collocandum aliquem ciuitatis statum. Siue etiam nunc certamē reliquum est, maxima spes est, cum in auctoritate tua, tum in exercitus tui uiribus. Sed propera per deos. Scis quantum sit in temporibus, quantum in celeritate. Sororis tuæ filiis q̄ diligenter consulam, spero te ex matris & ex sororis literis cogniturum. qua in causa maiorem habeo rationem tuæ uoluntatis, quæ mihi carissima est, quàm ut quibusdā uideor, constantiæ meæ: sed ego nulla in re malo, quàm te amando constans & esse, & uideri.

BRVTVS CICERONI. S.



Particulam literarum tuarum quas misisti Octauio legi, missam ab Attico mihi. Studium tuū curaq; de salute mea, nulla me noua uoluptate affecit. Non solum enim usitatum, sed etiam cotidianū est aliquid audire de te, quod pro nostra dignitate fideliter atq; honorifice dixeris aut feceris. At dolore, quantum maximum capere animo possum, eadem illa pars epistolæ scriptæ ad Octauium de nobis affecit. Sic enim illi gratias agis de repu. tam suppliciter ac demisse? Quid scribam? pudet conditionis ac fortunæ, sed tamen scribendum est. Commendas nostram salutem illi, quæ morte qua non perniciosior? ut prorsus præ te feras, nō sublatam dominationem, sed dominum cōmutatum eē. Verba tua recognosce, & aude negare seruientis aduersus Regē istas esse preces. Vnū ais esse quod ab eo postuletur & expectet, ut eos ciues, de quibus uiri boni, Populusq; R.

bene existimet, saluos uelit. Quid si nolit? non erimus? Atqui non eē, quàm esse per illum præstat. Ego mediusfidius nō existimo tam omneis deos auersos esse à salute populi R. ut Octauius orandus sit pro salute cuiusquam ciuis, non dicam pro liberatoribus orbis terrarum. Iuuat enim magnifice loqui, & certe decet aduersus ignoranteis, quid pro quoq; timendum, aut à quoq; petendum sit. Hoc tu Cicero posse fateris Octauium, & illi amicus es? aut si me carum habes, uis Romæ uideri, cum ut ibi esse possem, cōmendandus puero illi fuerim? Cui quid agis gratias, si ut nos saluos esse uelit & patiatur, rogandum putas? an hoc pro beneficio habendum est, quòd se quàm Antoniū esse maluerit, à quo ista petenda essent? uindici quidem alienæ dominationis, nō uicario. Sed quis supplicat, ut optime meritis de rep. liceat eē saluis? Ista uero imbecillitas & desperatio, cuius culpa non magis in te residet quàm in omnibus alijs, & Cæsarem in cupiditatem regni impulit, & Antonio post interitum illius persuasit, ut interfecti locum occupare conaretur: & nunc puerum istum extulit, ut tu iudicares precibus esse impetrādam salutem talibus uiris: misericordiaq; unius, uix etiā nūc uiri tutos fore nos, haud ulla alia re. Quòd si Romanos nos esse meminissemus, non audacius dominari cuperent postremi homines, quàm id nos prohiberemus: neque magis irritatus esset Antonius regno Cæsaris, quàm ob eiusdem mortem deterritus. Tu quidem Consularis, & tantorum scelerum uindex, quibus oppressis uereor ne in breue tēpus dilata sit abs te pernicies, qui potes intueri quæ gesseris simul & ista uel probare, uel ita demisse ac facile pati, ut probātis speciem habeas? Quod autē tibi cum Antonio priuatum odium? nempe quia postulabat hæc, salutē ab se peti, precariam nos icolumitatem habere à quibus ipse libertatem accepisset: esse arbitrium suum de republica. Quærenda esse arma putasti, quibus dominari prohiberetur: scilicet ut illo prohibito, rogaremus alterum, qui se in eius locum reponi pateretur? an ut esset sui iuris ac mancipij resp. nisi forte non de seruitute, sed de conditione seruiendi recusatum est à nobis. Atqui nō solum bono domino potuimus Antonio tolerare nostram fortunam, sed etiam beneficijs atq; honoribus ut participes frui quantis uellemus. Quid enim neget iis, quorum patientiam uideret maximum dominationis suæ præsidium eē? Sed nihil tanti fuit, quo uenderemus fidem nostram & libertatē. Hic ipse puer, quem Cæsaris nomen incitare uidetur in Cæsaris interfectores, quāti æstimet (si sit cōmercio locus) posse nobis auctoribus tantum quātum profecto poterit, quoniam uiuere, & pecunias habere, & dici Consulares uolumus. Ceterum nequicquam perierit ille: cuius interitu quid gauisi sumus, si mortuo nihilo minus seruituri eramus? Nulla cura adhibeaē. Sed mihi prius omnia dij deæq; eripuerint, quàm illud iudicium, quo non modo hæredi eius, quem occidi, non concesserim quod in illo non tuli, sed ne patri quidem meo, si reuiuescat, ut patiente me plus legibus ac Senatu possit. An hoc tibi persuasum ē, fore cęteros ab eo liberos, quo inuito nobis in ista ciuitate locus non sit? Qui porro id quod petis fieri potest, ut impetres? Rogas enim uelit nos saluos eē. Videmur ergo tibi salutem accepturi, cum uitam acceperimus? quam si prius dimittimus dignitatem & libertatem, qui possumus accipere? An tu Romæ habitare, id putas incolumem esse? Res, nō locus oportet præstet istuc mihi: neque incolumis Cæsare uiuo fui, nisi postquam illud consciui facinus: neq;

usquam

usquam exul esse possum, dum seruire, & pati contumelias peius odero malis omnibus alijs. Nonne hoc est in easdem tenebras recidisse ab eo, qui tyranni nomen asciuit sibi, cum in Græcis ciuitatibus liberi tyrannorum oppressis illis, eodem supplicio afficiantur, petitur, ut uindices atque oppressores dominationis salui sint. Hanc ego ciuitatem uidere uelim, aut putem ullã, quæ ne traditam quidem atque inculcatam libertatem recipere possit: plusque timeat in puero nomen sublati Regis, quàm confidat sibi, cum illum ipsum, qui maximas opes habuerit, paucorum uirtute sublatum uideat? Me uero posthac ne commendaueris Cæsari tuo, ne te quidem ipsum, si me audies. Valde care æstimas tot annos, quot ista ætas recipit, si propter eam causam puero isti supplicaturus es. Deinde quod pulcherrime fecisti ac facis in Antonio, uide ne conuertatur à laude maximi animi ad opinionem formidinis. Nã si Octauius tibi placet, à quo de nostra salute petendum sit, nõ dominum fugisse, sed amiciorem dominum quæsisse uideberis. Quem quòd laudas ob ea quæ adhuc fecit, plane probo. Sunt enim laudanda, si modo contra alienam potentiam, non pro sua suscepit eas actiones. Cum uero iudicas tantum illi non modo licere, sed etiam à te ipso tribuendum esse, ut rogandus sit, ne nolit esse nos saluos, nimium magnam mercedem statuis. Id enim ipsum largiris, quod per illum habere uidebatur resp. Neque hoc tibi in mentem uenit, si Octauius ullis dignus sit honoribus, quia cum Antonio bellum gerat, ijs qui illud malum exciderint, cuius istæ reliquiæ sunt, nihil quo expleri possit eorum meritum tributurum unquam Populum R. si omnia simul congesserit. At uide quãto diligentius homines metuãt, quàm meminerint: quia Antonius uiuat atque in armis sit: de Cæsare uero quod fieri potuit ac debuit, transactum est, neque iam prouocari in integrum potest. Octauius is est, qui quid de nobis iudicaturus sit, expectet Po. Ro. Nos hi sumus, de quorum salute unus homo rogãdus uideatur? Ego uero (ut istuc reuertar) is sum, qui non modo non supplicem, sed etiam coerceam postulantes, ut sibi supplicetur. Aut longe à seruientibus abero, mihique esse iudicabo Romam ubicunque liberum esse licebit: ac uestri miserebor, quibus nec ætas, neque honores, neque uirtus aliena dulcedinem uiuendi minuere potuerit. Mihi quidem ita beatus esse uidebor, si modo constanter ac perpetuo placebit hoc consilium, ut relatam putem gratiam pietati meæ. Quid enim est melius quàm memoria recte factorum, & libertate contentum negligere humana? Sed certe non succumbam succumbentibus, nec uincar ab ijs qui se uinci uolunt: experiarque & tentabo omnia, neque desistam abstrahere à seruitio ciuitatem nostram. Si secuta fuerit quæ debet fortuna, gaudebimus omnes: sin minus, ego tamen gaudebo. Quibus enim potius hæc uita factis aut cogitationibus traducatur, quàm ijs quæ pertinuerint ad liberandos ciues meos? Te Cicero rogo atque hortor ne defatigere, neu diffidas semper in præsentibus malis prohibendis: futura quoque, nisi ante sit occursum, explores ne se insinuent. Fortẽ & liberũ animũ, quo & Cõsul & nũc Consularis rempub. uindicasti, sine constantia & æquabilitate nullum esse putaris. Fateor enim duriorem esse conditionem spectatæ uirtutis, quàm incogitatæ. Benefacta pro debitis exigimus: quæ aliter eueniunt, ut decepti ab his, infesto animo reprehendimus. Itaque resistere Antonio Ciceronem, etsi magna laude dignum est, tamen quia ille Consul, hunc Consularem merito præ-

ftare uidetur,nemo admiratur.Idem Cicero,fi flexerit aduerfus alios iudiciũ fuum,quod tanta firmitate ac magnitudine direxit in exturbando Antonio, non modo reliqui temporis gloriam eripuerit fibi,fed etiam præterita euanefcere coget.Nihil enim per fe amplum ẽ,nifi in quo iudicij ratio extat. Quia neminem magis decet,remp.amare,libertatisq́ defenforem effe uel ingenio, uel rebus geftis,uel ftudio atq; efflagitatione omnium. Quare nõ Octauius eft rogandus,ut uelit nos faluos effe:magis tu te exufcita, ut eam ciuitatem, in qua maxima geffifti,liberam atq; honeftam fore putes,fi modo fint populo duces ad refiftendum improborum confilijs.

BRVTVS ATTICO SAL.



Cribis mihi, mirari Ciceronem,quòd nihil fignificem unquã de fuis actis. Quoniam efflagitas,coactu tuo fcribam, quæ fentio. Omnia feciffe Ciceronẽ optimo animo fcio. Quid enim mihi exploratius effe poteft,quàm illius animus in remp.? Sed quædã mihi uidetur,quid dicam imperite,uir omnium prudẽtiffimus,an ambitiofe feciffe,qui ualentiffimũ Antoniũ fufcipere pro rep.nõ dubitarit inimicũ? Nefcio quid fcribã tibi,nifi unũ:pueri & cupiditatem & licentiam potius effe irritatam,q̃ repreffam à Cicerone:tantumq́ eum tribuere huic indulgentię,ut fe maledictis non abftineat.ijs quidem,quæ in ipfum dupliciter recidunt,quòd & plures occidit uno:feq́ prius oportet fateatur ficarium,quàm obijciat Cafcæ,quod obijcit,& imitatur in Cafca Beftiam. An quia non omnibus horis iactamus Idus Martias,fimiliter atq; ille Non.Decemb.fuas in ore habet,eo meliore cõditione Cicero pulcherrimũ factum uituperabit,q̃ Beftia & Clodius reprehẽdere illius Cõfulatũ foliti funt? Suftinuiffe mihi gloriatur bellũ Antonij, togatus Cicero nofter. Quid hoc mihi prodeft, fi merces Antonij oppreffi pofcit,in Antonij locũ fucceffio? & fi uindex illius mali, auctor extitit alterius,fundamentũ & radices habituri altiores,fi patiamur? ut iã ifta quæ facit,dominationẽ,an dominum,an Antoniũ timẽtis fint. Ego aũt gratiam nõ habeo,fi quis,dum ne irato feruiat,rem ipfam nõ deprecatur.Imo triumphus & ftipendiũ decernitur,& oĩbus decretis ornatur.Pudeat concupifcere fortunã,cuius nomẽ fufceperit Cõfularis,ut Ciceronis eft? Quoniã mihi tacere nõ licuit,leges quæ tibi neceffe ẽ molefta eẽ. Etenim ipfe fentio q̃to cũ dolore hæc ad te fcripferim,nec ignoro quid fentias in rep. et q̃ defperatã quoq; fanari putes poffe.Nec mehercle te Attice reprehẽdo. Aetas enim, mores,liberi,fegnẽ efficiũt:quod quidẽ ẽt ex Flauio noftro perfpexi.Sed redeo ad Ciceronẽ.Quid inter Saluidenũ & eũ intereft? Quid aũt amplius ille decerneret? Timet,inquies.ẽt nunc reliquias belli ciuilis. Quifq̃ ergo ita timet profligatũ,ut neq; potentiã eius,qui exercitũ uictorem habeat,neq; temeritatem pueri putet extimefcendã effe? An hoc ipfum ea re facit,q̃ illi,ppter amplitudinẽ oĩa iã ultroq; deferẽda putat? O magnã ftultitiã timoris, id ipfum q̃d uerearis ita cauere,ut cũ uitare fortaffe potueris, ultro accerfas et attrahas. Nimiũ timemus mortẽ & exiliũ & paupertatẽ. Hęc mihi uidentr̃ Ciceroni ultima eẽ in malis:et dũ hẽat à q̃bus impetret quæ uelit.& à quibus colat̃ ac laudet̃,feruitutẽ honorificã mõ nõ afpernat̃:fi quicquã in extrema ac miferrima cõtumelia põt honorificũ eẽ. Licet ergo patrẽ appellet Octauius Ciceronẽ,

referat

referat oĩa, laudet, gratias agat, tñ illud apparebit, uerba rebus esse cõtraria. Quid enim tã alienũ ab humanis sensibus est, q̃ eũ patris habere loco, qui ne liberi quidem hoĩs numero sit? Atqui eo tẽdit, id agit, ad eum exitum properat uir optimus, ut sit illi Octauius propitius. Ego uero iam his artibus nihil tribuo, quibus scio Ciceronem instructissimum eẽ. Quid enim illi prosunt, quæ ꝓ libertate patriæ, de dignitate, quæ de morte, exilio, paupertate scripsit copiosissime? Quanto autem magis illa callere uidetur Philippus, qui priuigno minus tribuerit, quàm Cicero, qui alieno tribuat. Desinat igitur gloriando etiam insectari dolores nostros. Quid enim nostra uictum esse Antoniũ, si uictus est ut alij uacaret quod ille obtinuit? tametsi tuæ literæ dubia ẽt nunc significant. Viuat hercule Cicero, qui potest supplex & obnoxius, si neq; ętatis, neque honorum, neque rerum gestarum pudet. Ego certe, quin cum ipsa re bellum geram, hoc est cum regno, & imperijs extraordinarijs & dominatione & potentia, quæ supra leges se esse uelit, nulla erit tam bona cõditio seruiendi, qua deterrear, quamuis sit uir bonus, ut scribis, Antonius, quod ego nunquam existimaui: sed dominum, ne parentem quidem maiores nostri uoluerunt esse. Te nisi tantum amarem, quantum Ciceroni persuasum est diligi ab Octauio, hæc ad te non scripsissem. Dolet mihi quòd tu nũc stomacharis amantissimus cum tuorum omnium, tum Ciceronis. Sed persuade tibi de uoluntate propria mea nihil esse remissum, de iudicio largiter. Neque enim impetrari pôt, quin quale quidq; uideatur ei, talem quisq; de illo opinionẽ habeat. Vellem mihi scripsisses, quæ conditiones essent Atticæ nostræ: potuissem aliquid tibi de meo sensu perscribere. Valetudinem Porciæ meæ tibi curę esse non miror. Deniq; quod petis, faciam libenter: nam etiam sorores me rogãt: & hominem noro, & quid sibi uoluerit.

CICERO BRVTO SAL.



CVm sæpe te literis hortatus essem, ut quamprimum reip. subuenires, in Italiamq; exercitum adduceres, neq; id arbitrarer dubitare tuos necessarios, rogatus sum à prudentissima & diligẽtissima fœmina matre tua, cuius omnes curæ ad te referuntur & in te consumũtur, ut uenirẽ ad se ad VIII. Kal. Sext. quod ego, ut debui, sine mora feci. Cum autem uenissem, Casca aderat & Labeo & Scaptius. At illa retulit, quęsiuitq; quidnam mihi uideretur, arcesseremus ne te atque id tibi cõducere putaremus, an tardare & cõmorari te melius esset. Respondi id quod sentiebã & dignitati & existimatiõi tuæ maxime cõducere, te primo quoq; tẽpore ferre præsidiũ labenti & inclinatę pœnè reip. Quid enim abesse cẽses mali in eo bello, in quo uictores exercitus fugiẽtẽ hostẽ persequi noluerũt? & in quo incolumis Imperator honoribus amplissimis, fortunisq; maximis, cõiuge, liberis, uobis affinibus ornatus, bellũ reip. indixerit? Quid dicã in tãto Senatus populiq; cõsensu, cũ tm̃ resideat intra muros mali? Maximo aũt cũ hęc scribebã, afficiebar dolore: q; cũ me pro adolescẽtulo ac penè puero resp. accepisset uadẽ, uix uidebar, quod promiserã, ꝑstare posse. Est aũt grauior & difficilior animi & sñiæ, maximis presertim in rebus, pro altero, q̃ pecuniæ obligatio. Hæc enim solui pôt, & est rei familiaris iactura tolerabilis: reipub. quod spopõderis, quemadmodũ soluas, nisi is depẽdi facile patitur, pro quo spopõde-

ris: quanquã & hunc (ut spero) tenebo multis repugnantibus. uidetur enim esse indoles, sed flexibilis ætas: multiq; ad deprauandum parati, qui splendore falsi honoris obiecto, aciem boni ingenij præstringi posse cõfidunt. Itaq; ad reliquos hic quoq; labor mihi accessit, ut omneis adhibeam machinas ad tenendum adolescentem, ne famam subeam temeritatis, quanquam quę temeritas est: magis enim illum pro quo spopondi, quàm me obligaui. Nec uero pœnitere potest rempub. me pro eo spopondisse, qui fuit in rebus gerendis cum suo ingenio, tum mea promissione constantior. Maximus autẽ (nisi me forte fallit) in repub. nodus est inopia rei pecuniariæ. Obdurescũt enim magis cotidie boni uiri ad uocem tributi, quod ex centesima collatum impudenti censu locupletum in duarum legionum præmijs omne consumitur. Impendent autem infiniti sumptus cum in hos exercitus, quibus nunc defendimur, tum uero in tuum. Nam Cassius noster uidetur posse satis ornatus uenire. Sed & hæc & multa alia coràm cupio, idq; quamprimum. De sororis tuæ filijs nõ expectaui Brute dum scriberes. Omnino ipsa tempora (bellum enim ducetur) integram tibi causam reseruant. Sed ego à principio cum diuinare de belli diuturnitate possem, ita causam egi puerorũ in Senatu, ut te arbitror è matris literis potuisse cognoscere. Nec uero ulla res erit unquã, in qua ego non uel uitæ periculo ea dicam, eaq; faciam, quæ te uelle, quæq; ad te pertinere arbitrabor. VI. Kal. Sext.

MARCI TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD QVINTVM FRATREM LIBER PRIMVS.

MARCVS Q. FRATRI SAL.



ETSI non dubitabam quin hanc epistolã multi nuncij, fama deniq; eẽt ipsa sua celeritate superatura, tuq; antè ab alijs auditurus esses, annum tertiũ accessisse desiderio nostro & labori tuo, tamen existimaui à me quoq; tibi huius molestiæ nũcium perferri oportere. Nam superioribus literis, non unis sed pluribus, cum iam ab alijs desperata res esset, tamẽ ego tibi spem maturæ decessionis afferebam, non solum ut quãdiutissime te iucunda opinione oblectarem, sed etiam quia tãta adhibebatur & à nobis, & à Prætoribus cõtentio, ut rem posse confici nõ diffiderem. Nũc quoniam ita accidit, ut neq; Prætores suis opibus, neq; nos nostro studio quicq̃ proficere possemus, est omnino difficile non grauiter id ferre: sed tamen nostros animos maximis in rebus & gerendis & sustinendis exercitatos, frãgi & debilitari molestia nõ oportet: qm̃ ea molestissime ferre homines debent, quæ ipsorũ culpa contracta sunt. Est quiddam in hac re mihi molestius ferendum, quàm tibi: factum est enim mea culpa, contrà q̃ tu mecũ & proficiscens, & per literas egeras, ut priore anno non succederetur. Quod ego dum sociorum saluti consulo, dum impudentiæ nonnullorum negotiatorũ resisto, dum nostram

nostram gloriam tua uirtute augeri expeto,feci non sapiēter: presertim cum id commiserim,ut ille alter annus,etiam tertium posset adducere. Quod quoniam peccatum meum esse confiteor,est sapientiæ atque humanitatis tuæ curare & perficere,ut hoc minus sapienter à me prouisum,diligentia tua corrigatur. Ac si te ipse uehementius ad omneis parteis bene audiendi excitaris, non ut cum alijs,sed ut tecum iam ipse certes,si omnem tuam mentem,curam, cogitationem,& excellentem in omnibus rebus laudis cupiditatem incitaris (mihi crede) unus annus additus labori tuo,multorum annorum lætitiā nobis,gloriam uero etiam posteris nostris afferet. Quapropter hoc te primum rogo,ne contrahas aut demittas animū,ne ue te obrui tanquam fluctu, sic magnitudine negotij sinas,contraq; erigas ac resistas: siue etiam ultro occurras negotijs. Neque enim eiusmodi partem reipub. geris, in qua fortuna dominetur,sed in qua plurimum ratio possit & diligentia. Quòd si tibi bellum aliquod magnum & periculosum administranti prorogatum imperium uiderem,tremerem animo,quòd eodem tempore esse intelligerem etiam fortunę potestatem in nos prorogatam. Nunc uero ea pars tibi reipu. commissa est, in qua aut nullam,aut perexiguam partem fortuna tenet: & quæ mihi tota in tua uirtute ac moderatione animi posita esse uideatur. Nullas (ut opinor) insidias hostium,nullam prælij dimicationem,nullam defectionem sociorum, nullam inopiam stipendij aut rei frumentariæ, nullam seditionem exercitus pertimescimus,quæ persæpe sapientissimis uiris acciderunt: ut quemadmodum gubernatores optimi uim tempestatis,sic illi fortunæ impetum superare non possent. Tibi data est summa pax,summa tranquillitas: ita tamen ut ea dormientem gubernatorem uel obruere,uigilantem etiam delectare possit. Cōstat enim ea prouincia primum ex eo genere sociorum,quod est ex hominum omni genere humanissimum. Deinde ex eo genere ciuium, qui aut quę publicani sunt,nos summa necessitudine attingunt,aut quòd ita negotiātur, ut locupletes sint,nostri Consulatus beneficio se incolumes fortunas habere arbitrantur. At enim inter hos ipsos existunt graues controuersiæ, multæ nascuntur iniuriæ,magnæ contentiones consequuntur. quasi uero ego id putē, non te aliquantum negotij sustinere. Intelligo permagnum esse negotium et maximi consilij. Sed memento consilij me hoc esse negotium magis aliquanto,quàm fortunæ putare. Quid est enim negotij continere eos, quibus præsis,si te ipse contineas? Id autem sit magnum & difficile cęteris, sicut est difficillimum: tibi & fuit hoc semper facillimum,& uero esse debuit: cuius natura talis est,ut etiam sine doctrina uideatur moderata esse potuisse. Ea autē adhibita doctrina est, quæ uel uitiosissimam naturam excolere possit. Tu cum pecuniæ,cum uoluptati, cum omnium rerum cupiditati resistes,ut facis. Erit, credo,periculum ne improbum negotiatorem paulo cupidiorem publicanū comprimere non possis. Nam Græci quidem sic te ita uiuentem intuebunt ut quendam ex annalium memoria, aut etiam de cœlo diuinum hominem esse in prouinciam delapsum putent. Atque hæc nunc non ut facias, sed ut te facere & fecisse gaudeas,scribo. Præclarum est enim summo cum imperio fuisse in Asia triennium, sic ut nullum te signum, nulla pictura,nullum uas, nulla uestis,nullum mancipium, nulla forma cuiusquam,nulla cōditio pecuniæ,qbus rebus abūdat ista prouincia,ab sūma integritate cōtinentiaq; dedu-

xerit. Quid autem reperiri tam eximium aut tam expetendum potest, quàm istam uirtutem, moderationem animi, temperantiam non latere in tenebris, neque esse abditam, sed in luce Asiæ, in oculis clarissimæ prouinciæ, atque in auribus omnium gentium ac nationum esse positam: non itineribus tuis perterreri homines, non sumptu exhauriri, non aduentu commoueri: esse quocunque ueneris & publice & priuatim maximam lætitiam: cum urbs custodem, non tyrannum: domus hospitem, non expilatorem recepisse uideatur? His autem in rebus iam te usus ipse profecto erudiuit, nequaquã satis esse, ipsum hasce habere uirtutes, sed esse circunspiciendum diligenter, ut in hac custodia prouinciæ non te unum, sed omneis ministros imperij tui, socijs & ciuibus & reipub. præstare uideare. Quanquam Legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suæ: de quibus honore & dignitate, & ætate præstat Tubero: quem ego arbitror, presertim cum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos uelit & possit imitari. Halienus autem noster cum animo & beneuolentia, tum uero etiam imitatione uiuendi. Nam quid ego de Gratidio dicam? quem certo scio ita laborare de existimatione sua, ut propter amorem in nos fraternum, etiam de nostra laboret. Quæstorem habes non tuo iudicio delectum, sed eum quem sors dedit. Hũc oportet & sua sponte esse moderatum, & tuis institutis ac præceptis obtemperare. Quorum si quis forte esset sordidior, ferres eatenus, quoad per se negligeret eas leges, quibus esset adstrictus: non ut ea potestate, quam tu ad dignitatem permisisses ad quæstum uteretur. Neque enim mihi sanè placet, presertim cum ij mores tantum iam ad nimiam lenitatem & ambitionem incubuerint, scrutari te omneis sordes, excutere unumquẽque eorum: sed quanta sit in quoque fides, tantum cuique committere. Atque inter hos eos, quos tibi comites & adiutores negotiorum publicorum dedit ipsa respub. dũtaxat finibus his præstabis, quos ante præscripsi. Quos uero aut ex domesticis coniunctionibus, aut ex necessarijs apparitiõibus tecum esse uoluisti, qui quasi ex cohorte Prætoris appellari solent, horum non modo facta, sed etiam dicta omnia præstãda nobis sunt. Sed habes eos tecum, quos possis recte facienteis facile diligere: minus consulenteis existimationi tuæ, facillime coercere: à quibus rudis cum esses, uidetur potuisse tua liberalitas decipi. Nam ut quisque est uir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur. Nunc uero tertius hic annus habeat integritatem eandem, quam superiores, cautiorem etiam ac diligentiorem. Sint aures tuæ, quæ id quod audiunt, existimentur audire, non in quas ficte & simulate quæstus causa insusurretur. Sit anulus tuus, non ut uas aliquod, sed tanquam ipse tu: non minister alienæ uoluntatis, sed testis tuæ. Accensus sit eo numero, quo eum maiores nostri esse uoluerunt, qui hoc non in beneficij loco, sed in laboris ac muneris non temere, nisi libertis suis deferebant, quibus illi quidem non multo secus ac seruis imperabant. Sit lictor nõ suæ, sed tuæ lenitatis apparitor: maioraque præferant fasces illi ac secures dignitatis insignia, quàm potestatis. Toti denique sit prouinciæ cognitum, tibi omnium quibus præsis, salutem, liberos, famam, fortunas esse carissimas. Denique hæc opinio sit, nõ modo ijs, qui aliquid acceperint, sed ijs etiam qui dederint, te inimicũ (si id cognoueris) futurum. Neque uero quisquam dabit, cum erit hoc perspectum, nihil per eos, qui simulant se apud te multum posse,

abs te

abs te solere impetrari. Nec tamen hæc oratio mea est eiusmodi, ut te in tuos, aut durum esse nimium, aut suspitiosum uelim. Nam si quis est eorum qui tibi biennij spatio nunquam in suspicionem auaritiæ uenerit, ut ego Cæsium & Cherippum & Labeonem & audio, & quia cognoui, existimo, nihil est quod non & ijs, & si quis est alius eiusdem modi & committi & credi rectissime putem. Sed si quis ẽ in quo iam offenderis, de quo aliquid senseris, huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuæ commiseris. In prouincia uero ipsa, si quem es nactus qui in tuam familiaritatẽ penitus intrarit, qui nobis ante fuerit ignotus, huic quantum credẽdum sit, uide. nõ quin possint multi esse prouinciales uiri boni, sed hoc sperare licet, iudicare periculosum est. Multis enim simulationum inuolucris tegitur, & quasi uelis quibusdam obtenditur uniuscuiusque natura: frons, oculi, uultus persæpe mentiũtur, oratio uero sæpissime. Quamobrem qui potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniæ cupiditate adducti careant his rebus omnibus, à quibus nos diuulsi esse non possumus? Te autem alienum hominem ament ex animo, ac non sui commodi causa simulent. Mihi quidem permagnũ uidetur, presertim, si ijdẽ homines priuatum non ferè quenquã, Prætores semper omneis amãt. Quo ex genere, si quem forte tui cognosti amantiorem (fieri enim potuit) quàm temporis, hunc uerò ad tuum numerum libenter adscribito: Sin autem id nõ perspicies, nullum genus erit in familiaritate cauendum magis, propterea ꝙ & omneis uias pecuniæ norunt, & omnia pecuniæ causa faciunt, & quicũ uicturi non sunt, eius existimationi consulere non curant. Atque etiam è Græcis ipsis diligenter cauendæ sunt quædam familiaritates, præter hominũ perpaucorum, si qui sunt uetere Græcia digni. Sic uero fallaces sunt permulti & leues, & diuturna seruitute ad nimiam assentatiõem eruditi. quos ego uniuersos adhiberi liberaliter, optimum quenq; hospitio amicitiaq; coniungi dico oportere: nimiæ familiaritates eorum, neque tam fideles sunt (non enim audent aduersari nostris uoluntatibus) & inuident non nostris solum, uerum etiam suis. Iam qui in eiusmodi rebus, in quibus uereor etiam ne durior sim, cautus esse uelim ac diligens, quo me animo in seruis esse cẽses? quos quidem cum omnibus in locis, tũ præcipue in prouincijs regere debemus: quo de genere multa præcipi possunt. Sed hoc & breuissimum ẽ & facillime teneri potest, ut ita se gerant in istis Asiaticis itineribus, ut si iter Appia uia faceres, neue interesse quicquam putent, utrum Tralleis, an Formias uenerint. Ac si qs est ex seruis egregie fidelis, sit in domesticis rebus & priuatis: quæ res ad officium imperij tui atque ad aliquam partem reip. pertinebunt, de his rebus ne quid attingat. Multa enim quæ recte committi seruis fidelibus possunt, tamẽ sermonis & uituperationis uitandæ causa, committenda non sunt. Sed nescio quo pacto ad præcipiendi rationem delapsa est oratio mea, cum id mihi propositum initio non fuisset. Quid enim ei præcipiam, quem ego in hoc presertim genere intelligam, prudentia non esse inferiorem quàm me, usu uero etiã superiorem? Sed tamen si ad ea quæ faceres, auctoritas accederet mea, tibi ipsi illa putaui fore iucundiora. Quare sint hæc fundamenta dignitatis tuę, Tua primum integritas & continẽtia, deinde omnium qui tecum sunt pudor. Delectus in familiaritatibus & prouincialium hominum & Græcorum percautus & diligens, familiæ grauis & constans disciplina. Quæ cum honesta sint

in his priuatis nostris cotidianisq; rationibus, in tanto imperio, tam deprauatis moribus, tam corruptrice prouincia, diuina uideantur necesse est. Hęc institutio atque hæc disciplina potest sustinere in rebus statuēdis decernēdisq; eam seueritatem, qua tu in his rebus usus es, ex quibus nonnullas simultates cum magna mea lętitia susceptas habemus. nisi forte me Paconij nescio cuius hominis, ne Græci quidem ac Mysij, aut Phrygis potius, querelis moueri putas: aut Tuscenij hominis furiosi ac sordidi uocibus, cuius tu ex impurissimis faucibus inhonestissimam cupiditatem eripuisti summa cum æquitate. Hæc & cętera plena seueritatis, quæ statuisti in ista prouincia, non facile sine summa integritate sustineremus. Quare sit summa in iure dicendo seueritas, dūmodo ea ne uarietur gratia, sed conseruetur æquabilis. Sed tamē parui refert abs teipso ius dici æqualiter & diligenter, nisi idem ab ijs fiet, quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris. Ac mihi quidem uidetur non sanè magna uarietas esse negotiorum in administranda Asia, sed ea tota iurisdictione maxime sustineri. In qua scientiæ presertim prouincialis ratio ipsa expedita est. Constantia est adhibenda & grauitas, quæ resistat non solum gratiæ, uerum etiam suspitioni. Adiungenda etiam est facilitas in audiēdo, lenitas in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia. His rebus nuper Cn. Octauius iucundissimus fuit: apud quem primus lictor qui fuit, tacuit accensus: quoties quisq; uoluit, dixit: & quàm uoluit diu. Quibus ille rebus fortasse nimis lenis uideretur, nisi hæc lenitas illam seueritatem tueretur. Cogebantur Syllani homines, quæ per uim & metum abstulerant, reddere. Qui in magistratibus iniuriose decreuerant, eodem ipsis priuatis erat iure parendum. Hæc illius seueritas acerba uideretur, nisi multis condimētis humanitatis mitigaretur. Quòd si hæc lenitas grata Romæ est, ubi tanta arrogantia est, tam immoderata libertas, tam infinita hominum licentia, deniq; tot magistratus, tot auxilia, tanta uis, tanta Senatus auctoritas, quàm iucunda tandem Prætoris comitas in Asia potest esse? in qua tanta multitudo ciuium, tanta sociorū, tot urbes, tot ciuitates unius hominis nutum intuentur? ubi nullum auxilium est, nulla conquestio, nullus Senatus, nulla concio? Quare cum permagni hominis est, & cum ipsa natura moderati, tum uero etiam doctrina atq; optimarum artium studijs eruditi, sic se adhibere in tanta potestate, ut nulla alia potestas ab ijs quibus præsit, desideretur. Cyrus ille à Xenophonte non ad historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem iusti imperij: cuius sūma grauitas ab illo philosopho cum singulari comitate coniungitur: quos quidem libros nō sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat. Nullum est enim prætermissum in his officium diligentis & moderati imperij. Eaq; si sic coluit ille qui priuatus futurus nunquam fuit, quonam modo retinenda sunt ijs, quibus imperium ita datum est, ut redderent: & ab ijs legibus datum est, ad quas reuertendum est. Ac mihi quidem uidentur huc omnia esse referēda ijs qui præsunt alijs, ut ij qui erūt in eorum imperio, sint quā beatissimi: quod tibi esse & antiquissimum & ab initio fuisse, ut primum Asiam attigisti, constante fama atque omnium sermone celebratum est. Est autem non mō eius, qui socijs & ciuibus, sed etiam eius qui seruis, qui mutis pecudibus præsit, eorum quibus præsit commodis utilitatiq; seruire. Cuius quidem generis constare inter omneis uideo, abs te summam adhiberi diligentiam: nullū æs alienū nouum

num nouum contrahi ciuitatibus, ueterc autem magno & graui multas abs te esse liberatas urbes: complureis dirutas ac penè desertas, in quibus unã Ioniæ nobilissimam, alteram Cariæ, Samum & Halicarnasum, per te eẽ recreatas: nullas esse in oppidis seditiones, nullas discordias: prouideri abs te, ut ciuitates optimatum consilijs administrentur: sublata Mysiæ latrocinia: cędes multis locis repressas: pacem tota prouincia constitutam: neque solum illa itinerum atque agrorum, sed multo etiam plura & maiora oppidorum, & fanorum, latrocinia eẽ depulsa. Remotã à fama et à fortunis, & ab otio locupletũ, illam acerbissimam ministram Prætorum auaritiæ calumniam: sumptus & tributa ciuitatum ab omnibus, qui earum ciuitatum fineis incolant, tolerari æqualiter: facillimos esse aditus ad te: patere aures tuas querelis omniũ: nullius inopiam ac solitudinem, non modo illo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem & cubiculo esse exclusam: tuo toto denicq in imperio nihil acerbum esse, nihil crudele, atque omnia plena clementiæ, mansuetudinis, humanitatis. Quantum uero illud est beneficium tuũ, quod iniquo & graui uectigali Aediliciorum magnis nostris simultatibus Asiam liberasti? Etenim si unus homo nobilis queritur palàm te, cp edixeris, ne ad ludos pecuniæ decernerentur, HS CC sibi eripuisse, quanta tandem pecunia pẽderetur, si omnium nomine quicuncp Romæ ludos facerent, quod erat iam institutum, erogaretur? Quanquam has querelas hominum nostrorum illo consilio oppressimus, quod in Asia nescio quonam modo, Romæ quidem non mediocri cũ admiratione laudatur, cp cum ad templum monimẽtumcp nostrum ciuitates pecunias decreuissent, cumcp id & pro meis magnis meritis, & pro tuis maximis beneficijs, summa sua uoluntate fecissent: nominatimcp lex exciperet, ut ad templum monimentumcp capere liceret: cumcp id quod dabatur, nõ esset interiturum, sed in ornamentis templi futurum, ut nõ mihi potius, quàm Populo R. ac dijs immortalibus datum uideretur, tamẽ id in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum qui faciebant uoluntas, accipiendum non putaui: cũ alijs de causis: tum etiam ut animo æquiore ferrent ij, quibus nec deberetur, nec liceret. Quapropter incũbe toto animo & studio omni in eam rationem, qua adhuc usus es, ut eos, quos tuæ fidei potestaticp S.P.Q.R. commisit & credidit, diligas, & omni ratione tueare, ut esse quam beatissimos uelis. Quòd si te sors Afris aut Hispanis aut Gallis præfecisset, immanibus ac barbaris nationibus, tamen esset humanitatis tuæ, consulere eorum commodis & utilitati, saluticp seruire. Cum uero ei generi hominum præsimus, nõ modo in quo ipsa sit, sed etiam à quo ad alios peruenisse putetur humanitas, certe ijs etiam eã potissimum tribuere debemus, à quibus accepimus. Non enim me hoc iã dicere pudebit, presertim in ea uita atque ijs rebus gestis, in quibus non potest residere inertiæ aut leuitatis ulla suspitio, nos ea quæ consecuti sumus, his studiis & artibus esse adeptos, quæ sint nobis Græciæ monimentis disciplinisq tradita. Quare præter cõmunem fidem quæ omnibus debetur, præterea nos isti hominum generi præcipue debere uidemur, ut quorum præceptis sumus eruditi, apud eos ipsos, quod ab ijs didicerimus, uelimus expromere. Atque ille quidem princeps ingenij & doctrinæ Plato tum denicp fore beatas resp. putauit, si aut docti & sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina & sapientia collocassent. Hanc cõiun-

ctionem uidelicet potestatis ac sapientiæ, saluti censuit ciuitatibus esse posse. Quod fortasse aliquando uniuersæ reip. nostræ, nunc quidem profecto isti prouinciæ contigit, ut is in ea summam potestatem haberet, cui in doctrina, cui in uirtute atque humanitate percipienda, plurimum à pueritia studij fuisset & temporis. Quare cura, ut hic annus, qui ad laborem tuum accessit, idem ad salutem Asiæ prorogatus esse uideatur, quoniam in te retinẽdo fuit Asia felicior, quàm nos in deducendo: perfice, ut lætitia prouinciæ desideriũ nostrũ leniatur. Etenim si in promerendo ut tibi tanti honores haberentur, quãti haud scio an nemini, fuisti omnium diligentissimus, multo maiorem in his honoribus tuendis adhibere diligentiam debes. Et quidem de isto genere honorum, quid sentirem, scripsi ad te ante. Semper eos putaui si uulgares essent, uileis: si temporis causa constituerentur, leueis: si uero (id quod ita factum est) meritis tuis tribuerentur: existimabã multã tibi in his honoribus tuẽdis operam esse ponendam. Quare quoniam in istis urbibus, cum summo imperio & potestate uersaris, in quibus tuas uirtutes consecratas, & in deorum numero collocatas uides, in omnibus rebus, quas statues, quas decernes, quas ages, quid tantis hominum opinionibus, tantis de te iudicijs, tantis honoribus debeas, cogitabis. Id autem erit eiusmodi, ut consulas omnibus, ut medeare incõmodis hominum, prouideas saluti, ut te parẽtem Asiæ & dici & haberi uelis. Atque huic tuæ uoluntati ac diligentiæ difficultatem magnam afferũt publicani: quibus si aduersamur, ordinem de nobis optime meritum, & per nos cũ rep. coniunctum, & à nobis & à rep. dijũgemus: sin autem omnibus in rebus obsequemur, funditus eos perire patiemur, quorum non modo saluti, sed etiã commodis consulere debemus. Hæc est una (si uere cogitare uolumus) in toto imperio tuo difficultas. Nam esse abstinentem, continere omnes cupiditates, suos coercere, & iuris æquabilem tenere rationem, facilem te in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis admittendisque præbere, præclarum magis est, quàm difficile. Non est enim positum in labore aliquo, sed in quadam inductione animi & uoluntate. Illa causa publicanorum quantam acerbitatẽ afferat socijs, intelleximus ex ciuibus, qui nuper in portorijs Italiæ tollendis, non tam de portorio, quàm de nonnullis iniurijs portitorum querebantur. Quare non ignoro quid socijs accidat in ultimis terris, cum audiuerim in Italia querelas ciuium. Hic te ita uersari, ut & publicanis satisfacias, præsertim publicis male redemptis & socios perire non sinas, diuinę cuiusdam uirtutis esse uidetur, id est tuæ. Ac primum Græcis, id quod acerbissimum, & quod sunt uectigales, non ita acerbum uideri debet, propterea quod sine imperio populi Ro. suis institutis, per se ipsi ita fuerunt. Nomen autẽ publicani aspernari nõ possunt, qui pendere ipsi uectigal sine publicano non potuerint, quod ijs æqualiter Sylla descripserat. Non esse autem leniores in exigẽdis uectigalibus Græcos, quàm nostros publicanos, hinc intelligi potest, quod Caunij nuper, omnesque ex insulis, quæ erant ab Sylla Rhodijs attributæ, confugerunt ad Senatum, nobis ut potius uectigal, quàm Rhodijs penderẽt. Quare nomen publicani neque ij debent horrere, qui semper uectigales fuerunt: neque ij aspernari, qui per se pendere uectigal non potuerunt: neque ij recusare, qui postulauerunt. Simul & illud Asia cogitet, nullam à se neque belli externi neque domesticarum discordiarum calamitatẽ abfuturam fuisse, si hoc imperio nõ teneretur.

Id autem imperium cum retineri sine uectigalibus nullo modo possit, æquo animo parte aliqua suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat atq; otium. Q, si genus ipsum & nomen publicani nō iniquo animo sustinebūt, poterunt ijs consilio & prudentia tua reliqua uideri mitiora. Possunt in pactionibus faciendis non legem spectare censoriam, sed potius cōmoditatem conficiendi negotij & liberationem molestiæ. Potes etiam tu id facere, quod & fecisti egregie & facis, ut cōmemores quāta sit in publicanis dignitas, quātum nos illi ordini debeamus, ut remoto imperio ac ui potestatis & fascium, publicanos cum Græcis gratia atque auctoritate coniūgas. Sed & ab ijs, de quibus optime tu meritus es, & qui tibi omnia debent, hoc petas, ut facilitate sua, nos eam necessitudinem, quæ est nobis cum publicanis, obtinere & cōseruare patiantur. Sed quid ego te hæc hortor, quæ tu nō modo facere potes tua spōte sine cuiusquam præceptis, sed etiam magna iam ex parte perfecisti? Nō enim desistunt nobis agere cotidie gratias honestissimæ & maximæ societates: quod quidem mihi idcirco iucundius est, q idem faciunt Græci. Difficile est autem ea, quæ commodis, utilitate & propè natura diuersa sunt, uoluntate coniungere. At ea quidem, quæ supra scripta sunt, non ut te instituerē scripsi (neque enim prudentia tua cuiusquam præcepta desiderat) sed me in scribendo commemoratio tuæ uirtutis delectauit: quāquam in his literis lōgior fui, quàm aut uellem aut quàm me putaui fore. Vnum est, quod tibi ego præcipere non desinam, neque te patiar (quantum erit in me) cum exceptione laudari. Omnes enim qui istinc ueniunt, ita de tua uirtute, integritate, humanitate commemorant, ut in tuis summis laudibus excipiant unam iracundiā. Quod uitium, cum in hac priuata, cotidianaq; uita leuis esse animi atque infirmi uideτur, tum uero nihil est tam deforme, quàm ad summum imperium etiā acerbitatem naturæ adiungere. Quare illud non suscipiam, ut quæ de iracūdia dici solent à doctissimis hominibus, ea nunc tibi exponam, cum & nimis lōgus esse nolim, et ex multorum scriptis ea facile possis cognoscere. Illud, quod est epistolæ proprium, ut is ad quem scribit, de his rebus, quas ignorat, certior fiat, prætermittendum esse non puto. Sic ad nos omnes ferè deferūt, nihil cum absit iracundia, te fieri posse iucundius. Sed, cum te alicuius improbitas, peruersitasq; commouerit, sic te animo incitari, ut ab omnibus tua desideretur humanitas. Quare, quoniam in eam rationem uitæ nos, non tam cupiditas quædā gloriæ, quàm res ipsa ac fortuna deduxit, ut sempiternus sermo hominum de nobis futurus sit, caueamus quantū efficere & cōsequi possumus, ut ne quod in nobis insigne uitium fuisse dicatur. Neq; ego nunc hoc contēdo, quod fortasse cum in omni natura, tum iam in nostra ætate difficile est, mutare animū, & si quid est penitus insitum moribus, id subito euellere: sed te illud admoneo, ut si hoc plene uitare non potes, q ante occupatur animus ab iracundia, quàm prouidere ratio potuit ne occuparetur, ut te ante cōpares, cotidieq; meditere resistēdum esse iracūdiæ: cumq; ea maxime animum moueat, tum tibi esse diligentissime linguam continendam, quæ quidem mihi uirtus non interdum minor uidetur, quàm omnino non irasci. Nam illud est non solum grauitatis, sed nonnunquam etiam lentitudinis. Moderari uero & animo & orationi cum sis iratus, aut etiam tacere & tenere in sua potestate motum animi & dolorem, etsi non est perfectæ sapientiæ, tamen est non mediocris ingenij.

Atq; in hoc genere multo te esse iam commodiorem mitioremq; nunciant. Nullæ tuæ uehementiores animi concitationes, nulla maledicta ad nos, nullæ contumeliæ perferuntur: quæ cum abhorrent à literis, ab humanitate, tū uero contraria sunt imperio ac dignitati. Nam si implacabiles iracundiæ sint, summa est acerbitas: sin autem exorabiles, summa leuitas: quæ tamen (ut in malis) acerbitati anteponēda est. Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis, credo propterea, q tibi hominum iniuriæ, q auaritiæ, q insolentia præter opinionem accidebat & intolerabilis uidebatur. Secundus autem multo lenior, q & consuetudo & ratio & (ut ego arbitror) meæ quoq; literæ te patientiorem, lenioremq; fecerunt: Tertius annus ita debet esse emēdatus, ut ne minimā quidem rem quisquam possit ullam reprehendere. Ac iam hoc loco non hortatione, neq; præceptis, sed precibus tecum fraternis ago, totum ut animum, curam, cogitationemq; tuam ponas in omnium laude undiq; colligenda. Q. si in mediocri statu sermonis ac prædicationis nostræ res essent, nihil abs te eximium, nihil præter aliorum consuetudinem postularetur. Nunc uero propter earum rerum, in quibus uersati sumus, splendorem & magnitudinem, nisi summam laudem ex ista prouincia assequimur, uix uidemur summam uituperationem posse uitare. Ea nostra ratio est, ut omnes boni cum faueant, tum etiam omnem à nobis diligentiā, uirtutemq; & postulent & expectent: omnes autem improbi, q cum ijs bellum sempiternum suscepimus, uel minima re ad reprehendendum contenti eē uideantur. Quare quoniam eiusmodi theatrum totius Asiæ uirtutibus est datum, celebritate refertissimum, magnitudine amplissimum, iudicio eruditissimum, natura autem ita resonans, ut usque Romam significationes: uocesq; referantur: contende quæso atque elabora, non modo ut his rebus dignus fuisse, sed etiam ut illa omnia tuis artibus superasse uideare. Et quoniam mihi casus urbanam in magistratibus administrationem reip. tibi prouincialem dedit, & si mea pars nemini cedit, fac ut tua cæteros uincat. Simul & illud cogita, nos non de reliqua & sperata gloria iam laborare, sed de parta dimicare. Quæ quidē non tam expetenda nobis fuit, quàm tuenda est. Ac si mihi quidquam esset abs te separatum, nihil amplius desiderarem hoc statu, qui mihi iā partus est. Nunc uerò res sic sese habet, ut nisi omnia tua facta atq; dicta nostris rebus istinc respondeant, ego me tantis meis laboribus, tantisq; periculis, quorum tu omnium particeps fuisti, nihil consecutum putē. Q. si ut amplissimum nomen consequeremur, unus præter cæteros, adiuuisti, certe idem ut id retineamus, præter cæteros elaborabis. Non est tibi his solis utendum existimationibus ac iudicijs qui nunc sunt hominum, sed his etiam, qui futuri sunt: quāquam illorum erit uerius iudicium obtrectatione & maleuolentia liberatum. Deniq; illud etiam debes cogitare, nō te tibi soli gloriam quærere: quod si esset, tamen non negligeres, presertim cum amplissimis monimentis consecrare uoluisses memoriam nominis tui. sed ea tibi est cōmunicanda mecum, prodenda liberis nostris. In qua cauendum est, ne si negligentior fueris, tibi parum consuluisse, sed etiam tuis inuidisse uidearis. Atq; hæc non eo dicuntur, ut te oratio mea dormientem excitasse, sed potius ut currentem incitasse uideatur. Facies enim perpetuo, quæ fecisti, ut omnes æquitatem tuam, temperantiā, seueritatē, integritatemq; laudent. Sed me quædā tenet, propter

singularem

singularem amorem, infinita in te auiditas gloriæ: quãquam illud existimo, cum iam tibi Asia, sicut unicuiq; sua domus, nota esse debeat, cum ad tuã summam prudentiam tantus usus accesserit, nihil esse quod ad laudem attineat, quod non tu optime perspicias, & tibi non sine cuiusquam hortatione in mẽtem ueniat cotidie. Sed ego, qui cum tua lego, te audire, & qui cũ ad te scribo, tecum loqui uideor: idcirco & tua longissima quaq; epistola maxime delector, & ipse in scribendo sæpe sum longior. Illud te ad extremum & oro & hortor, ut tanquam poetæ boni & actores industrij solent, sic tu in extrema parte & conclusione muneris ac negotij tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperij tui, tanquam tertius actus perfectissimus atque ornatissimus fuisse uideatur. Id facillime facies, si me (cui semper uni magis, quàm uniuersis placere uoluisti) tecum semper esse putabis & omnibus his rebus, quas dices & facies, interesse. Reliquum est, ut te orem, ut ualetudini tuæ, si me & tuos omneis ualere uis, diligentissime seruias.

MARCVS Q. FRATRI SAL.



Tathius ad me uenit ad VIII Kal. Nouemb. eius aduentus, q; ita scripsisti direptum iri te à tuis, dum is abesset, molestus mihi fuit. Quòd autem expectationem tui concursumq; eum, qui erat futurus, si unà tecum decederet, neque antea uisus esset, sustulit, id mihi non incõmode uisum est accidisse. Exhaustus enim est sermo hominum, & multæ emissæ iam eiusmodi uoces, ἀλλὰ ἀιάτινα φῶτα μέγαν. quæ te absente confecta esse lætor. Quòd autem idcirco à te missus est, mihi ut se purgaret, id necesse minime fuit. Primum enim nunquã ille mihi fuit suspectus: neque ego, quæ ad te de illo scripsi, scripsi meo iudicio: sed cũ ratio, salusq; omnium nostrum, qui ad rempub. accedimus, non ueritate solum, sed etiam fama niteretur, sermones ad te aliorum semper, non mea iudicia perscripsi. Qui quidem q̃ frequentes essent & q̃ graues, aduẽtu suo Stathius ipse cognouit. Et enim interuenit nõnullorũ q̃relis, quæ apud me de illo ipso habebantur, & sentire potuit sermones iniquorum in suum potissimum nomen erumpere. Quod autem me maxime mouere solebat, cum audiebam illum plus apud te posse, quàm grauitas illius ætatis, imperij, prudentiæ postularet, quàm multos enim mecum egisse putas, ut se Stathio commendarem? quàm multa autem ipsum ἀφελῶς mecum in sermone ita protulisse? id mihi non placuit, monui, suasi, deterrui. Quibus in rebus etiam si fidelitas summa est, quod prorsus credo, quoniam tu ita iudicas, tamen species ipsa tam gratiosi liberti aut serui dignitatem habere nullam potest. Atq; hoc sic habeto (nihil tamen nec temere dicere, nec astute reticere debeo) materiam omnem sermonum eorũ, qui de te detrahere uelint, Stathiũ dedisse: antea tãtũ intelligi potuisse, iratos tuæ seueritati esse nõnullos: hoc manumisso, iratis quod loquerentur, nõ defuisse. Nũc respõdebo ad eas epistolas, quas mihi reddidit L. Cęsius, cui q̃m ita te uelle intelligo, nullo loco deero. Quarũ altera ẽ de Blãdenio Teuxide, quẽ scribis certissimũ matricidã tibi à me intime cõmendari. Qua de re, & de hoc genere toto, ne forte me in græcos tã ambitiosum factũ eẽ mirere, pauca

cognosce. Ego cum Græcorũ querelas nimiũ ualere sentirẽ, propter hoĩum ingenia ad fallendum parata, quoscunq; de te queri audiui, quacunq; potui ratione placaui. Primum Dionysipolitas, qui erant inimicissimi mei, leniui: quorum principem Hermippum non solum sermone meo, sed etiam familiaritate deuinxi. Ego Apamensem Ephesium, ego leuissimum hominem Megaristum Antandrium, ego Niciam Smyrnæum, ego nugas maximas omni mea comitate cõplexus sum, Nymphontẽ etiam Colophonium. quæ feci oĩa, non quo me aut ij homines, aut tota natio delectaret (pertęsum est leuitatis, assentationis, animorum, non officijs, sed temporibus seruientium) sed ut ad Teuxim reuertar. Cum is de M. Cascellij sermone secum habito, quæ tu scribis, ea ipsa loqueretur, obstiti eius sermoni, & hominem in familiaritatem recepi. Tua autem quæ fuerit cupiditas tãta nescio, ꝙ scribis cupijsse te, quoniã Smyrnæ duos Mysos insuisses in culeum, simile in superiore parte prouincię edere exemplum seueritatis tuæ, & idcirco Teuxim elicere omni ratione uoluisse. quem adductum in iudicium fortasse dimitti non oportuerit: conquiri uero & elici blanditijs (ut tu scribis) ad iudicium necesse non fuit, eum presertim hominem, quem ego & ex suis ciuibus & ex multis alijs cotidie magis cognosco nobiliorem eẽ propè, q̃ ciuitatem suam. At enim Græcis solis indulgeo. Quid L. Cæcilium? nonne omni ratione placaui? quem hominem? qua ira? quo spiritu? quem deniq; præter Tuscenium, cuius causa sanari non põt, nõ mitigaui? Ecce supra caput homo leuis ac sordidus, sed tamẽ equestri censu Catienus, etiam is lenietur. Cuius tu in patrem ꝙ fuisti asperior, non reprehendo, certo scio te enim fecisse cum causa. Sed quid opus fuit eiusmodi literis, quas ad ipsum misisti? illum crucem sibi ipsum constituere, ex qua tu eum ante detraxisses: te curaturum fumo ut combureretur, plaudente tota ꝓuincia. Quid uero ad C. Fabium nescio quem (nam eam quoq; epistolam T. Catienus circũgestat) renunciare tibi Licinium Plagiarium cum suo pullo Miluino tributa exigere? Deinde rogas Fabium, ut & patrem & filiũ uiuos comburat, si possit: sin minus, ad te mittat, uti iudicio comburãtur. Hæ literæ abs te per iocum missæ ad C. Fabium, si modo sunt tuæ, cũ leguntur, inuidiosam atrocitatem uerborum habent. Ac si omnium mecum præcepta literarum repetes, intelliges esse nihil à me, nisi orationis acerbitatem & iracundiam, et si forte raro literarum missarum indiligentiam reprehensam. Quibus quidem in rebus si apud te plus auctoritas mea, q̃ tua, siue natura paulo acrior, siue q̃dam dulcedo iracundiæ, siue dicendi sal facetiæq; ualuissent, nihil sanè esset, quod nos pœniteret. Et mediocri me dolore putas affici, cũ audiã, qua sit existimatione Virgilius, qua tuus uicinus Cn. Octauius? Nam si te interioribus uicinis tuis. Cilicensi, & Syriaco anteponis, ualde magnum facis. Atq; is dolor est, ꝙ cum ij, quos noĩaui, te innocentia non uincant, uincũt tñ artificio beneuolentiæ colligendæ, qui neq; Cyrum Xenophontis, neq; Agesilaum nouerint: quorum regum summo imperio nemo unq̃ uerbũ ullũ asperius audiuit. Sed hæc à principio tibi ꝑcipiẽs, q̃tum profecerim, nõ ignoro. Nũc tñ decedens (id quod mihi iã facere uideris) relinque quęso q̃ iucũdissimã memoriam tui. Successorem habes perblandum, cętera ualde illius aduẽtu tua requirentur. In literis mittendis (ut sæpe ad te scripsi) nimium te inexorabilẽ prębuisti.

buisti. Tolle omneis, si potes iniquas, tolle inusitatas, tolle contrarias. Statius mihi narrauit scriptas ad te solere afferri, ab se legi, & si iniquę sint, fieri te certiorem. Antequam uero ipse ad te uenisset, nullum delectum literarū fuisse: ex eo esse uolumina selectarum epistolarum, quæ reprehendi solerēt. Hoc de genere nihil te nunc quidem moneo, sero est enim ac scire potes, multa me uarie, diligenterq́ monuisse. Illud tamen quod Theopompo mādaui, cū essem admonitus ab ipso uide per homines amanteis tui, quod est facile, ut hęc genera tollantur epistolarum, primum iniquarum, deinde contrariarū, tum absurde & inusitate scriptarum, postremo in aliquem contumeliosarum. Atq; ego hæc tā esse, q̄ audio, non puto: & si sunt occupationibus tuis minus animaduersa, nunc perspice & purga. Legi epistolam, quam ipse scripsisse Sylla Nomenclator dictus est, non probandam. legi nonnullas iracundas. sed tempore ipso de epistolis. Nam cum hāc paginam tenerē, L. Flauius Prætor Desig. ad me uenit, homo mihi ualde familiaris. Is mihi te ad procuratores suos literas misisse, quæ mihi uisæ sunt iniquissimę, ne quid de bonis, quę L. Octauij Nasonis fuissent, cui L. Flauius hæres est, diminuerent ante, q̄ C. Fundanio pecuniam soluissent. Itemq́ misisse ad Apollonieēses, ne de bonis, quæ Octauij fuissent, diminui paterētur, priusquam Fundanio debitum solutum esset. Hæc mihi uerisimilia non uidentur. sunt enim ab prudentia tua remotissima. Ne diminuat hæres. quid si inficiatur? Quid, si omnino non debetur? Quid? Prætor solet iudicare deberi? Quid? ego Fundanio non cupio? non amicus sum? nō misericordia moueor? nemo magis. sed uia iuris eiusmodi est quibusdam in rebus, ut nihil sit loci gratiæ. Atq; ita mihi dicebat Flauius, scriptū in ea epistola, quam tuam eē dicebat, te aut quasi amicis tuis gratias acturū, aut quasi inimicis incōmoda laturum. Quid multa? ferebat grauiter, id uehemēter mecum querebatur, orabatq́, ut ad te quàm diligentissime scriberē, quod facio & te prorsus uehementer etiam atque etiam rogo, ut & procuratoribus Flauij remittas de diminuendo, & de Apolloniensibus ne quid perscribas, quod contra Flauiū sit amplius & Flauij causa & scilicet Pompeij facies oīa. Nolo mediusfidius ex tua iniuria in illum tibi liberalem me uideri. Sed & te oro, ut tu ipse auctoritatem & monimētum aliquod decreti, aut literarū tuarum relinquas, quod sit ad Flauij rem & ad cām accōmodatū. Fert enim grauiter homo & mei obseruātissimus, & sui iuris dignitatisq́ retinens, se apud te neque amicitia nec iure ualuisse: & ut opinor, Flauij aliquando rem et Pōpeius & Cæsar tibi cōmendarunt, & ipse ad te scripserat Flauius, & ego certe. Quare, si ulla res est, quam tibi me faciendam petente putes, hæc ea sit. Si me amas, cura, elabora, perfice, ut Flauius & tibi & mihi quàm maximas gratias agat. hoc te ita rogo, ut maiore studio rogare non possim. Quod ad me de Hermia scribis, mihi mehercule ualde molestū fuit. Literas ad te parū fraterne scripserā, quas oratiōe Diodoti Luculli liberti cōmotus, de pactiōe statim quod audierā, iracūdius scripseram, & reuocare cupiebā: huic tu epistolę nō fraterne scriptę, fraterne debes ignoscere. De Cēsorino, Antonio, Cassio, Scæuola, te ab ijs diligi (ut scribis) uehemēter gaudeo. cętera fuerunt in eadē epistola grauiora, q̄ uellē. ὀρθὰν τὰν ναῦν, & ἅπαξ θανεῖν. Maiora ista erunt. Meæ obiurgationes fuerūt amoris plenissimæ, quæ sunt nōnulla, sed tū mediocria

& parua potius. Ego te nunq̃ ulla in re dignum minima reprehẽsione putassem, cum te sanctissime gereres, nisi inimicos multos haberemus. Quæ ad te aliqua admonitione, aut obiurgatione scripsi, scripsi propter diligentiã cautionis meæ: in qua & maneo & manebo, & idem ut facias, nõ desistam rogare. Attalus Iphemenus mecũ egit, ut se ne impedires, quo minus quod ad Q. Publiceni statuam decretũ est, erogaretur: quod ego te et rogo & admoneo, ne talis uiri, tãq; nostri necessarij, honorem minui per te aut impediri uelis. Præterea Aesopi tragœdi nostri familiaris, Licinius seruus tibi notus aufugit. Is Athenis apud Patronem Epicureum pro libero fuit. Inde in Asiã uenit, postea Plato quidam Sardianus Epicureus, qui Athenis solet eẽ multũ, & qui tum Athenis fuerat, cum Licinius eo uenisset, & cum eum fugitiuum esse postea ex Aesopi literis cognosceret, hominẽ comprehendit & in custodiam Ephesi tradidit. sed in publicam, uel in pistrinũ, non satis ex literis eius intelligere potuimus. Tu quoquo modo, quoniã Ephesi est, hominẽ inuestiges uelim, summaq; diligentia uel tecũ deducas. Noli spectare quanti homo sit, parui enim precij est, qui iam nihil sit: sed tanto dolore Aesopus ẽ affectus propter serui scelus et audaciam, ut nihil ei gratius facere possis, q̃ si illum per te recuperarit. Nunc ea cognosce, quæ maxime exoptas, remp. funditus amisimus, adeo, ut Cato adolescens nullius consilij, sed tñ ciuis Ro. & Cato, uix uiuus effugeret. qꝫ cum Gabiniũ de ambitu uellet postulare, neqꝫ Prætores diebus aliquot adiri possent, uel potestatem sui facerent, in concionem ascendit, & Pompeium priuatus Dictatorem appellauit. propius nihil est factũ, q̃ ut occideretur. Ex hoc, qui sit status totius reip. uidere potes. Nostræ tamẽ causæ non uidentur homines defuturi. mirandum in modũ profitentur, offerunt se, pollicentur: & quidem ut cum spe sũma, maxima, tum maiore etiã animo sperent superiores fore nos, confidãt animo, ut in hac rep. ne casum quidem ullum pertimescat: sed tamen se res sic habet, Si diem nobis dixerit, tota Italia concurret, ut multiplicata gloria discedamus: sin autem ui agere conabitꝰ, spero fore studijs non solum amicorũ, sed etiam alienorũ, ut ui resistamus. Omnes & se & suos amicos, clientes, libertos, seruos, pecunias deniqꝫ suas pollicentur. Nostra antiqua manus bonorum ardet & studio nostri & amore. Si qui antea aut alieniores fuerant & languidiores, nunc horum regum odio, se cum bonis cõiungunt. Pompeius omnia pollicetur & Cæsar: quibus ita credo, ut nihil mea cõparatiõe diminuã. Trib. pl. Dess. sũt nobis amici. COSS. se optime ostendũt. Prætores habemus amicissimos & acerrimos ciues, Domitium, Nigidium, Memmiũ, Lentulum bonos: etiam alios, sed hos singulareis. Quare magnum fac animum habeas & spem bonam. De singulis tamẽ rebus, quæ cotidie gerantur, faciam te crebo certiorem.

MARCVS Q. FRATRI SAL.



MI frater, mi frater, mi frater, ut ne id ueritus es, ne ego iracundia aliqua adductus pueros ad te sine literis miserim: aut ẽt ne te uidere noluerim? Ego tibi irascerer? tibi ego possem irasci? scilicet, tu enĩ me afflixisti, tui me inimici, tua me inuidia ac nõ ego te misere pdidi. Meus ille laudatus Cõsulatus, mihi te, liberos, patriã, fortunas: tibi uelim uide qd eripuerit, p̃ter unũ me. Sed certe à te mihi oĩa semp honesta & iucũda

ceciderunt

tecideruͦt. A me tibi luctus meæ calamitatis, metus tuę, desideriũ, mœror, solitudo. Ego te uidere noluerim? Immo uero à me te uideri nolui. Nõ enim uidisses fratrẽ tuũ: nõ eũ, quẽ reliqueras: nõ eũ, quẽ noras: nõ eũ quẽ flens flentẽ, prosequentẽ, ꝓficiscens dimiseras, ne uestigiũ quidẽ eius nec simulacrũ, sed q̃dã effigiẽ spirantis mortui. Atq; utinã me mortuũ prius uidisses aut audisses. Vtinã te nõ solũ uitæ, sed ẽt dignitatis meæ supstitẽ reliqssem. Sed testor oẽs deos, me hac una uoce à morte eẽ reuocatũ, ꝙ oẽs in mea uita partẽ aliquã tuæ uitæ repositam esse dicebant. Quare peccaui, scelerateq; feci. nam si occidissem, mors ipsa meam pietatem, amoremq; in te facile defenderet. Nunc cõmisi, ut me uiuo careres, uiuo me aliis indigeres: mea uox in domesticis periculis potissimũ occideret, quæ sæpe alienissimis præsidio fuisset. Nam ꝙ ad te pueri sine literis uenerunt, qm̃ uides non fuisse iracundiæ causa, certe pigritia fuit & quædam infinita uis lacrimarum & dolorꝫ. Hæc ipsa me quo fletu putas scripsisse? eodem quo te legere certo scio. An ego possum aut non cogitare aliquãdo de te, aut unquã sine lacrimis cogitare? Cum enim te desidero, fratrẽ solũ desidero. Ego uero suauitate prope fratrem, prope æqualem, obsequio filium, cõsilio parentẽ. Quid mihi sine te unquã aut tibi sine me iucũdũ fuit? Quid ꝙ eodẽ tempore desidero filiam? qua pietate, qua modestia, quo ingenio, effigiem oris, sermõis, animi mei? Quid filium uenustissimũ, mihiq; dulcissimũ, quem ego ferus ac ferreus è complexu dimisi meo, sapientiorem puerũ, q̃ uellem? sentiebat enim miser iã quid ageretur. Quid uero tuũ filiũ? Quid imaginem meã, quã meus Cicero & amabat ut fratrem, & iã ut maiorẽ fratrem uerebatur? Quid, ꝙ mulierem miserrimã, fidelissimã coniugem, me prosequi nõ sum passus, ut esset quæ reliquias cõmunis calamitatis, cõmunes liberos tueretur? Sed tñ quoquo modo potui, scripsi & dedi literas ad te Philogono liberto tuo, quas credo tibi postea redditas esse: in quibus idẽ te hortor & rogo, quod pueri tibi uerbis meis nunciarunt, ut Romã protinus pergas & properes. Primũ enim te præsidio esse uolui, si qui essent inimici, quorum crudelitas nondum esset nostra calamitate satiata. Deinde cõgressus nostri lamentationẽ pertimui, digressum uero non tulissem: atq; etiã idipsum, quod tu scribis, metuebam, ne à me distrahi non posses. His de causis hoc maximum malũ, ꝙ te non uidi, quo nihil amantissimis & coniunctissimis fratribus acerbius ac miserius uidetur accidere potuisse, minus acerbum: minus miserum fuit, q̃ fuisset cũ congressio, tum uero digressio nostra. Nũc, si potes, id quod ego qui tibi semper fortis uidebar, non possum, erige te & confirma si quę subeũda dimicatio erit. Spero, si quid mea spes habet auctoritatis, tibi & integritatem tuam & amorem in te ciuitatis, & aliquid etiam misericordiam nostri, præsidii laturã: sin eris ab isto periculo uacuus, ages scilicet, si quid agere posse de nobis putabis. de quo scribũt ad me quidẽ multi multa, & se sperare demõstrãt: sed ego quid sperẽ nõ dispicio, cũ inimici plurimũ ualeãt, amici partim deseruerint me, partim ẽt prodiderint, qui in meo reditu fortasse reprehensionẽ sui sceleris pertimescãt. Sed ista qualia sint, tu uelim ꝓspicias mihiq; declares. Ego tñ q̃ diu tibi opus erit, si quid periculi subeũdũ uidebis, uiuã. diutius in hac uita eẽ nõ possum. Neq; enim tm̃ uiriũ habet ulla aut prudẽtia aut doctrina, ut tm̃ dolorẽ possit sustinere. Scio fuisse & honestius moriẽdi tẽpus et utilius: sed nõ hoc solũ. multa alia ꝑtermisi: quę si q̃ri uelim ꝑterita

nihil agã,nisi ut augeam dolorem tuum,indicem stultitiam meam.Illud quidem nec faciendum est,nec fieri potest,me diutius q̃ aut tuum tempus,aut firma spes postulabit,in tam misera,tamq; turpi uita commorari: ut qui modo fratre fuerim,liberis,coniuge,copijs,genere ipso pecuniæ beatissimus,dignitate,auctoritate,existimatione,gratia non inferior,quàm qui unquam fuerũt amplissimi,is nunc in hac tam afflicta perditaq; fortuna,neq; me,neq; meos lugere diutius possim.Quare quid ad me scripsisti de permutatiõe? quasi uero nunc me non tuæ facultates sustineant. Qua in re ipsa uideo miser & sentio,quid sceleris admiserim:cum de uisceribus tuis & filij tui satisfacturus sis quibus debes:ego acceptam ex ærario pecuniam tuo nomine frustra dissiparim.Sed tamen & M.Antonio quantum tu scripseras, Cepioni tantundem solutum est:mihi ad id quod cogito,hoc quod habeo satis est:siue enim restituimur,siue desperamur,nihil amplius opus ẽ.Tu si forte quid erit molestiæ, te ad Crassum & ad Callidium conferas censeo.Quantum Hortensio credẽdum sit,nescio:me summa simulatione amoris,summaq; assiduitate cotidiana sceleratissime insidiosissimeq; tractauit, adiuncto quoq; Arrio : quorum ego consilijs,promissis,præceptis destitutus in hanc calamitatem incidi. Sed hæc occultabis,ne quid obsint.Illud caueto,& eo puto per Pomponium fouendum tibi esse ipsum Hortensium,ne ille uersus qui in te erat collatus, cum Aedilitatẽ petebas,de lege Aurelia falso testimonio cõfirmetur. Nihil enim tam timeo,q̃ ne cum intelligant homines quantum misericordiæ nobis tuæ preces & tua salus allatura sit,oppugnent te uehementius. Messalam tui studiosum esse arbitror,Pompeium etiam simulatorem puto.Sed hæc utinã experiare:quòd precarer deos,nisi meas preces audire desijssent.uerũtamen precor,ut his infinitis nostris malis contenti sint,in quibus non modo tamẽ nullius inest peccati ĩfamia,sed omnis dolor est,q optime factis pœna maxima est constituta.Filiam meam & tuam Ciceronemq; nostrum quid ego mi frater tibi cõmendem? quin illud mœreo,q tibi nõ minorem dolorem illorum orbitas afferet,q̃ mihi.Sed te incolumi,orbi nõ erunt.Reliqua,ita mihi salus aliqua detur,potestasq; in patria moriendi,ut me lacrimæ non sinunt scribere.Etiam Terẽtiam uelim tueare, mihiq; de omnibus rebus rescribas.Sis fortis quoad rei natura patiatur.Id.Iun.Thessalonicæ.

MARCVS Q. FRATRI SAL.


Mabo te mi frater,nisi si uno meo facto & tu et omnes mei corruistis,improbitati & sceleri meo potius,quàm imprudentię misericordiæq; assignes.nullum est meum peccatum , nisi q ijs credidi, à quibus nefas putaram esse me decipi,aut etiam quibus ne id expedire quidẽ arbitrabar.Intimus,proximus,familiarissimus quisque aut sibi pertimuit,aut mihi inuidit.ita mihi nihil misero,præter fidem amicorum,cautum meum consilium fuit.Quòd si te satis innocentia tua & misericordia hominum uindicat hoc tempore à molestia,perspicis profecto & quænã nobis spes salutis relinquatur.Nam me Pomponius & Sextius & Piso noster adhuc Thessalonicæ retinuerunt,cum longius discedere , propter nescio quos motus uetarent:uerum ego magis exitum illorum literis q̃ spe certa expectabam.Nã quid sperẽ potentissimo inimico,dominatione obtrectatorũ infide-

libus

libus amicis, pluribus inuidis. Denotius aũt Trib. pl. est ille quidẽ in me officiosissimus, Sextius, & spero, Curtius, Milo, Fadius, Gratidius, sed ualde aduersante Clodio, qui etiam priuatus eadem manu poterit conciones concitare: deinde etiam intercessor parabitur. Hæc mihi proficiscenti non proponebantur, sed sæpe triduo summa cum gloria dicebar eẽ rediturus. Quid tu igitur inquies? Quid? multa conuenerunt, quæ mentem exturbarent meam, subita defectio Pompeij, alienatio COSS. etiam Prætorum timor, publicanorum arma, lacrimæ meorum, me ad mortem ire prohibuerunt. Quod certe et ad honestatem & ad effugiendos intolerabiles dolores fuit aptissimum. Sed de hoc scripsi ad te in ea epistola, quam Phaetonti dedi. Nunc tu, quoniam in tantum luctum & laborẽ detrusus es, quantum nemo unquam, à se leuare potest cõmunem casum misericordia hominum, scilicet incredibile quiddã assequeris: sin planè occidimus (me miserũ) ego omnibus meis exitio fuero, quibus antè dedecori non erã. Sed tu, ut antè ad te scripsi, perspice rem, & pertenta: & ad me, ut tempora nostra, non ut amor tuus fert, uere perscribe. Ego uitam, quoad putabo tua interesse, aut ad spem seruandam esse, retinebo. Tu nobis amicissimum Sextium cognosces, credo tua causa, uel Lentulum, qui erit Cos. q̃q̃ sunt facta uerbis difficiliora. Tu & quid opus sit, & quid sit uidebis omnino. Si tuam solitudinem cõmunemq; calamitatem nemo despexerit, aut per te aliquid confici, aut nullo modo poterit: sin te quoq; inimici uexare cœperint, ne cessaris. Non enim gladijs mecum, sed litibus agetur. Verũ hæc absint uelim: te oro, ut ad me de omnibus rescribas, et in me animi potius aut cõsilij putes minus esse, q̃ antea: amoris uero & officij non minus.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM AD Q. FRATREM. LIB. II.

MARCVS Q. FRATRI SAL.



EPistolam quam legisti, mane dederam, sed fecit humaniter Licinius, q; ad me misso Senatu uesperi uenit, ut si quid esset actum, ad te (si mihi uideretur) perscriberem. Senatus fuit frequentior q̃ putabamus esse posse mense Decembri sub dies festos. Consulares nos fuimus, & duo Consules designati P. Seruilius, M. Lucullus, Lepidus, Volcacius, Glabrio Præt. Sanè frequentes fuimus omnino ad ducentos. Cõmorat expectationem Lupus: egit causam agri Campani sanè accurate, auditus est magno silentio. materiam rei non ignoras, nihil ex nostris actionibus prætermisit. Fuerunt nõnulli aculei in C. Cæsarem, contumeliæ in Gellium: expostulationes cum absente Pompeio. Causa sero perorata, sententias se rogaturum negauit, ne quod onus simultatis nobis imponeret. Ex superiorum temporũ conuicijs & ex præsenti silentio, quid Senatus sentiret, se intelligere dixit. Milo cœpit dimittere, Tum Marcellinus, noli inquit, ex taciturnitate nostra Lu-

pe quid aut probemus hoc tempore aut improbemus iudicare. Ego quod ad me attinet, idemq; arbitror cæteros, idcirco taceo, q; non existimo, cũ Pompeius absit, causam agri Campani agi conuenire. Tũ ille se Senatum negauit tenere. Racilius surrexit, & de iudicijs referre cœpit. Marcellinũ quidem primum rogauit. is cum grauiter de Clodianis incendijs, trucidatiõibus, lapidationibus questus esset, sententiã dixit, ut ipse iudices per Præt. Vrbanum sortiretur: iudicum sortitione facta, comitia haberẽtur: qui iudicia impediuisset, eum contra remp. esse facturum. Approbata ualde sententia. C. Cato cõtradixit et Cassius, maxima adclamatiõe Senatus, cum comitia iudicijs anteferret. Philippus assensit Lentulo. Postea Racilius de priuatis me primum sentẽtiã rogauit. Multa feci uerba de toto furore latrocinioq;. P. Clodij: tãquã reum accusaui multis & secundis admurmurationibus cuncti Senatus. Orationem meam collaudauit satis multis uerbis, non mehercule indiserte Seuerus Antistius: isq; iudiciorum causam suscepit, antiquissimamq; se habiturum dixit. Ibatur in eam sententiam: tum Clodius rogatus, diem dicẽdi eximere cœpit. furebat à Racilio se contumaciter, urbaneq; uexatum. Deinde eius operæ repente à græcostasi & gradibus clamorem satis magnum sustulerunt, opinor in Q. Sextiliũ & amicos Milonis incitatæ. Eo metu iniecto repente magnâ querimonia omnium discessimus. Habes acta unius diei: reliqua, ut arbitror, in mensem Ian. reijcientur. De Tr. pl. longe optimum Racilium habemus: uidetur etiam Antistius amicus nobis fore. nam Plancius totus noster est. Fac si me amas, ut considerate diligenterq; nauiges de mense Decemb.

MARCVS Q. FRATRI. SAL.



On occupatione, qua eram sanè impeditus: sed paruula lippitudine adductus sum, ut dictarem hanc epistolam: & nõ ut ad te soleo ipse scriberem. Et primum me tibi excuso in eo ipso, in quo te accuso. Me enim nemo adhuc rogauit, num quid in Sardiniam uelim: te puto sæpe habere, etsi non semper, qui, num quid Romam uelis, quærant. Quod ad me Lentuli & Sexti nomine scripsisti, locutus sum cũ Cincio. quo modo res se habet, non est facillima: sed habet profecto quoddam Sardinia appositum ad recordationem preteritæ memoriæ. Nam ut ille Graccus Augur, posteaq̃ in istam prouinciam uenit, recordatus ẽ quid sibi in cãpo Martio comitia Cõsulum habenti, contra auspicia accidisset, sic tu mihi uideris in Sardinia de forma Minutiana & de nominibus Pompeianis ĩ otio recogitasse. Sed ego adhuc emi nihil. Culleonis auctio facta est. Tusculano emptor nemo fuit, si conditio ualde bona fuerit, fortasse non omittam. De ædificatione tua Cyrum urgere non cesso. spero eum in officio fore, sed omnia sunt tardiora propter furiosæ Aedilitatis expectationem. Nam comitia sine mora futura uidentur. edicta sunt ad XI. Kal. Febr. Te tamen solicitum esse nolo: omne genus à nobis cautionis adhibetur. De Rege Alexandrino factum est. S.C. Cum multitudine eum reduci periculosum reip. uideri. Reliqua cum esset in Senatu contentio, Lentulus ne an Pompeius reduceret, obtinere causam Lẽtulus uidebatur. In ea re nos & officio erga Lentulum mirifice, & uoluntati Pompeij præclare satisfaciemus: sed per obtrectatores Lentuli res calumnia

extracta

extracta est. Consecuti sunt dies comitiales, per quos Senatus haberi nō poterat. Quid futurum sit latrocinio Tribunorum, nō diuino, sed tamen suspicor per uim rogationem Caninium perlaturum. In ea re Pompeius quid uelit, non dispicio. Familiares eius quid cupiant, omnes uident. Creditores uero Regis aperte pecunias suppeditant contra Lētulum. Sine dubio res à Lentulo remota uidetur esse, cum magno meo dolore, q̄q̄ multa fecit, quare, si fas esset, iure eis succensere possemus. Tu si ita expedit, uelim quāprimum bona & certa tempestate cōscendas, ad meq; uenias. Innumerabiles enim res sunt, in quibus te cotidie in omni genere desiderem. Tui nostriq; ualent. XIIII. Kal. Febr.

MARCVS Q. FRATRI SAL.



Cripsi ad te antea superiora. nunc cognosce postea quæ sint acta. A Kal. Febr. legationes in Idus Febr. reijciebantur, eo die res cōfecta non est. Ad. IIII. Non. Feb. Milo affuit, ei Pompeius aduocatus uenit. Dixit Marcellus à me rogatus, honeste discessimus: producta dies est in IIII Id. Febr. Interim reiectis legationibus, in Idus referebatur de prouincijs Quæstorum & de ornādis Prætoribus: sed res multis querelis de rep. interponendis nulla transacta est. C. Cato legem promulgauit de imperio Lentuli abrogando. uestitum filius mutauit. Ad IIII Iduū Febr. Milo affuit, dixit Pompeius, siue uoluit. Nam ut surrexit, operæ Clodianæ clamorem sustulerunt: idq; ei perpetua oratione contigit, nō modo ut adclamatione, sed ut conuicio & maledictis impediretur. Qui ut perorauit: nam in eo sanè fortis fuit, non est deterritus, dixit omnia atq; interdum etiam silentio, cum auctoritate peregerat: sed ut perorauit, surrexit Clodius, ei tātus clamor à nostris (placuerat enim referre gratiam) ut neq; mente neq; lingua neq; ore cōsisteret. Ea res acta est, cum H. VI. uix Pompeius perorasset, usq; ad H. VIII. cum omnia maledicta, uersus deniq; obscœnissimi in Clodium & Clodiam dicerentur. Ille furens & exanguis interrogabat suos in clamore ipso, Quis esset qui plebem fame necaret? respondebant operæ, Pompeius. Quis Alexandriam ire cuperet? respōdebant, Pompeius. Quem ire uellēt? respondebant, Crassum. Is aderat tum Miloni aīo nō amico. H. ferè. VIIII. quasi signo dato, Clodiani nostros consputare cœperunt. Exarsit dolor: urgere illi, ut loco nos mouerent. Factus est à nostris impetus, fuga operarum. Eiectus de rostris Clodius. ac nos quoq; tum fugimus, ne quid in turba. Senatus uocatus in Curiam, Pompeius domum. Neq; ego tamen in Senatum, ne aut de tantis rebus tacerem, aut in Pompeio defendendo (nam is carpebatur à Bibulo, Curione, Fauonio, Seruilio filio) animos bonorum uirorum offenderem. res in posterum dilata est. Clodius in Quirinalia produxit diem. Ad VI. Id. Feb. Senatus ad Apollinis fuit, ut Pompeius adesset. Acta res est grauiter à Pompeio: eo die nihil perfectum est. Ad VII. Id. Febr. ad Apollinis S.C. factum est, Ea quæ facta essent ad VI. Id. Febr. contra remp. esse facta. Eo die Cato uehementer est in Pompeium inuectus, & eum oratione pꝑetua tanquam reum accusauit. De me multa, me inuito, cum mea summa laude dixit. Cū illius in me perfidiam increparet, auditus est magno silentio maleuolorum. Rn̄dit ei uehementer Pompeius, Crassumq; descripsit, dixitq; aperte,

ſe munitiorem ad cuſtodiendam uitam ſuam fore, ꝗ Africanus fuiſſet, quem C. Carbo interemiſſet. Itaque magnæ mihi res iam moueri uidebantur. Nã Pompeius hæc intelligit, nobiſcumq́ communicat inſidias uitæ ſuæ fieri. C. Catonem à Craſſo ſuſtẽtari, Clodio pecuniam ſuppeditari: utrũq; & ab eo, & à Curione, Bibulo, cæteriſq́ ſuis obtrectatoribus confirmari: uehemẽter eſſe prouidendum, ne opprimatur, concionario illo populo à ſe propè alienato, nobilitate inimica, non æquo Senatu, iuuentute improba. Itaq; ſe comparat, homines ex agris accerſit. Operas autem ſuas Clodius confirmat, manus ad Quirinalia paratur, in eo multo ſumus ſuperiores ipſius copijs. Sed magna manus ex Piceno & Gallia expectatur, ut etiam Catonis rogationibus de Milone & Lentulo reſiſtamus. Ad IIII Id. Feb. Seſtius ab indice Cn. Nerio Pupinia de ambitu eſt poſtulatus, & eodem die à quodam M. Tullio de ui. Is erat æger, domum (ut debuimus) ad eũ ſtatim uenimus, eiq́; nos totos tradidimus: idq́; fecimus præter hominum opinionem, qui nos ei iure ſuſcenſere putabant, ut humaniſſimi gratiſſimiq́; & ipſi & oĩbus uideremur: itaq́; faciemus. Sed idem Nerius index edidit ad allegatos Cn. Lentulum Vacciã, & C. Cornelium. Eodem die S.C. factum eſt, Vt ſodalitates decuriatiq́; diſcederent: lexq́; de ijs ferretur, Vt qui non diſceſſiſſent, ea pœna, quæ eſt de ui, tenerentur. Ad IIII Id. Febr. dixi pro Beſtia de ambitu apud Prætorem Cn. Domitium in foro medio, maximo conuentu: incidiq́; in eum locum in dicendo, cum Seſtius multis in templo Caſtoris uulneribus acceptis, ſubſidio Beſtiæ ſeruatus eẽt. Hic προῳκονομησάμην quiddam εὐκαίρως de his, quæ in Seſtiũ apparabantur crimina, & eum ornaui ueris laudibus, magno aſſenſu omniũ. res homini fuit uehementer grata. Quæ tibi eo ſcribo, ꝙ me de retinenda Seſtij gratia literis ſæpe monuiſti. Prid. Id. Febr. hæc ſcripſi ante lucem, eo die apud Pomponium in eius nuptijs eram cenaturus. Cætera ſunt in rebus noſtris huiuſmodi (ut tu mihi ferè diffidẽti prædicabas) plena dignitatis & gratiæ: quæ quidem tua mi frater prudentia, patientia, uirtute, pietate, ſuauitate etiam tibi mihiq́; ſunt reſtituta. Domus tibi ad Lucum Piſonis Luciniana cõducta eſt, ſed ut ſpero paucis menſibus poſt Kal. Quint. in tuam tõmigrabis. Tuam in Carinis mundi habitatores Camiæ conduxerunt. A te poſt illam Olbienſem epiſtolam nullas literas accepi. Quid agas, & ut te oblectes, ſcire cupio, maximeq́; teipſum uidere ꝗprimum. Cura mi frater, ut ualeas. & ꝗꝗ eſt hiems, tamen Sardiniam iſtam eſſe cogites. XV. Kal. Mart.

MARCVS Q. FRATRI

SEſtius noſter abſolutus eſt ad II. Id. Mart. & quod uehementer interfuit reip. nullam uideri in eiuſmodi cauſa diſſentionem eſſe, omnibus ſententijs abſolutus eſt. Illud quod tibi curæ ſæpe eẽ intellexeram, ne cui iniquo relinqueremus uituperãdi locũ, qui nos ingratos eſſe diceret, niſi illius peruerſitatem quibuſdã in rebus quã humaniſſime ferremus, ſcito hoc nos in eo iudicio conſecutos eſſe, ut omnium gratiſſimi iudicaremur. Nã defendẽdo moroſo homine cumulatiſſime ſatiſfecimus, & (id quod ille maxime cupiebat) Vatinium à quo palàm oppugnabatur, arbitratu noſtro concidimus, dijs hominibuſq́; plaudẽtibus. Quinetiam Paulus noſter cum teſtis productus eſſet in Seſtium, cõfirmauit ſe nomẽ Vatinij delaturum, ſi Macer Licinius cunctaretur: & Macer à Seſtij ſubſellijs ſurrexit, ac

xit,ac se illi non defuturum affirmauit. Quid quæris? homo petulans & audax Vatinius, ualde perturbatus debilitatusq; discessit. Quintus. F. tuus puer optimus eruditur egregie. Hoc nunc magis animaduerto, quod Tyrānio docet apud me. Domus utriusq; nostrum ædificatur strenue. Redēptori tuo dimidium pecuniæ curaui. Spero nos ante hiemem contubernales fore. De nostra Tullia tui mehercule amātissima, spero cū Crassipede nos cōfecisse. Dies erāt duo, q post Latinas habēt religiosi, ceteroqui cōfectū erat. Latiar erat exiturus. Ad VIII Id. Apr. spōsalia Crassipedi pbui. Huic cōuiuio peroptimus Quintus tuus meusq;, quod perleuiter cōmotus fuerat, defuit. Ad III Id. Apr. ueni ad Quintū, eumq; uidi planè integrū, multūq; is mecum sermonē habuit & perhumanum de discordijs mulierum nostrarum. Quid quæris? nihil festiuius. Pomponia autem etiam de te questa est: sed hæc corā agemus. A' puero ut discessi, in aream tuam ueni, res agebatur multis structoribus. Longilium redemptorem cohortatus sum, fidem mihi faciebat se uelle nobis placere. Domus erit egregia: magis enim cerni iam poterat, quàm quātum ex forma iudicabamus. itēq; nostra celeriter ædificabatur. Eo die cenaui apud Crassipedem, cenatus, in hortos ad Pompeium lectica latus sum. Luceium conuenire non potueram, quod abfuerat: uidere autem uolebam quod eram postridie Romæ exiturus, & quod ille in Sardiniam iter habebat. Hominem cōueni, & ab eo petiui, ut quāprimum te nobis redderet, statim dixit. Erat autē iturus (ut aiebat) ad III Id. Apr. ut aut Labrone aut Pisis conscenderet. Tu mi frater, simulac ille uenerit, primam nauigationem (dūmodo idonea tempestas sit) ne omiseris. Ad III Id. Apr. ante lucem hanc epistolam dictaueram scripserāq; in itinere, ut eo die apud T. Titium in Anagnino manerem: postridie autem in Laterio cogitabam: inde cū in Arpinati quinq; dies fuissem, ire in Pompeianum, rediens aspicere Cumanum, ut quoniam in Non. Ma. Miloni dies producta est, prid. Non. Romæ essem, teq; mi carissime & suauissime frater ad eam diem (ut sperabam) uiderem. Aedificatiōem Arcani ad tuū aduentū sustentari placebat. Fac mi frater ut ualeas, quàmprimumq; uenias.

Liuorno vulgar

MARCVS Q. FRATRI SAL.



Literas mihi tuas iucundissimas, expectatas, ac primo quidem cū desiderio, nūc uero etiam cum timore. Atq; has scito literas me solas accepisse post illas quas tuus nauta attulit Olbia datas. Sed cætera (ut scribis) præsenti sermoni reseruentur: hoc tamē nō queo differre. Idib. Ma. Senatus frequēs diuinus fuit in supplicatione Gabinio deneganda. Adiurat Procilius hoc nemini accidisse. Foris ualde plauditur. Mihi cum sua sponte iucundum, tum iucundius quod me absente (est enim ἀλικρινὲς iudicium) sine oppugnatione, sine gratia nostra, eram Antij. Quod Idibus & postridie fuerat dictum de agro Campano actum iri, non est actū. In hac causa mihi aqua hæret. Sed plura quàm cōstitueram. Coràm enim. Vale mi optime & optatissime frater & aduola. Idem te pueri nostri rogant, illud scilicet, cenabis, cum ueneris.

MARCVS Q. FRATRI SAL.

PLaciturum tibi esse librum. V. suspicabar: tam ualde placuisse quàm scribis, ualde gaudeo. Quod me admōes de nō curātia, suadesq; ut meminerim Iouis orationem, quæ est in extremo illo libro: ego uero memini, & illa omnia

mihi magis ſcripſi quàm cæteris. Sed tamen poſtridie quàm tu es profectus, multa nocte cum Vibullio ueni ad Pōpeium. Cūque ego egiſſem de iſtis operibus atque inſcriptionibus, per mihi benigne reſpondit, magnam ſpem attulit, cū Craſſo ſe dixit loqui uelle, mihique ut idem facerem, ſuaſit. Craſſum Coſ. ex Senatu domum reduxi, ſuſcepit rem, dixitque eſſe, quod Clodius hoc tempore cuperet per ſe & per Pompeium conſequi. putare ſe, ſi ego eum non impedirē, poſſe me adipiſci ſine contentione quod uellem: totum ei negotium permiſi, meque in eius poteſtate dixi fore. Interfuit huic ſermoni P. Craſſus adoleſcēs, noſtri (ut ſcis) ſtudioſiſſimus. Illud autem quod cupit Clodius, ē legatio aliqua, ſi minus per Senatum, per populum, libera, aut Byzantium, aut Brogitarum, aut utrunque. Plena res nūmorum. Quod ego non nimium laboro, etiā ſi minus aſſequor quod uolo. Pompeius tamen cum Craſſo locutus eſt: uidētur negotium ſuſcepiſſe: ſi perficiunt, optime: ſin minus, ad noſtrum Iouē reuertamur. ἀμφιλαφίαν autem illam quā tu ſoles dicere, bono modo deſidero, ſic prorſus ut aduenientem excipiam libenter, latentem etiam nunc non excitem. Tribus locis ædifico, reliqua recōcinno: uiuo paulo liberalius quàm ſolebā. Opus erat, ſi te haberem, paulisper fabris locū darem: ſed & hæc (ut ſpero) breui inter nos cōmunicabimus. Res autem romanæ ſeſe ſic habent. Conſul eſt egregius Lentulus non impediente Collega: ſic inquam bonus, ut meliorem non uiderim. dies comitiales exemit omnes. nam etiam Latinæ inſtaurātur, nec tamen deerant ſupplicationes. Id legibus pernicioſiſſimis obſiſtitur. maxime Catonis, cui tamen egregie impoſuit Milo noſter. Nam ille uindex gladiatorum & beſtiariorum emerat de Coſconio & Pomponio beſtiarios, nec ſine his armatis unquam in publico fuerat, hos alere nō poterat. Itaque uix tenebat. Senſit Milo. dedit cuidam non familiari negotium, qui ſine ſuſpitiōe emeret eam familiam à Catone. quæ ſimulatque abducta eſt, Racilius qui unus eſt hoc tempore Trib. pl. rem patefecit, eoſque homines ſibi emptos eſſe dixit (ſic enim placuerat) & tabulam proſcripſit, ſe familiam Catonianam uēditurum. In eam tabulam magni riſus conſequebantur. Hunc igitur Catonē Lentulus à legibus remouit, & eos qui de Cæſare monſtra promulgarūt, quibus intercederet nemo. Nam quod de Pōpeio Caninius agit, ſaneque refrixit: neque enim res probatur, & Pompeius noſter in amicitia P. Lētuli uituperatur, & hercule non eſt idem. Nam apud perditiſſimam illam infimam fecem populi propter Milonem ſuboffendit, & boni multa ab eo deſiderāt, multa reprehendunt. Marcellinus autem hoc uno mihi quidem non ſatiſfacit, quod eum nimis aſpere tractat, quāquam id Senatu non inuito facit: quo ego me libentius à curia, & ab omni parte reip. ſubtraho. In iudicijs ij ſumus, qui fuimus: domus celebratur, ita ut cum maxime. Vnum accidit imprudentia Milonis incommode de Sexto Cælio, quem neque hoc tempore, neque ab imbecillis accuſatoribus mihi placuit accuſari: ei tres ſententiæ teterrimæ in conſilio defuerunt. Itaque hominem populus reuocat & retrahatur neceſſe eſt. nō enim fuerunt homines. & quia, cum apud ſuos diceret, penè damnatus eſt, uident damnatum. Ea ipſa in re Pompeij offenſio nobis obſtitit. Senatorū enim urna copioſe abſoluit, equitum adæquauit, Tribuni ærarij condemnarunt. Sed hoc incōmodum conſolantur cotidianæ damnationes inimicorum, in quibus me perlubente Seruius alliſus eſt, cæteri concidūtur. Cato concionatus eſt comitia haberi

tia haberi non siturum, si sibi cum populo dies agendi essent exempti. Appius à Cæsare nondum redierat. Tuas mirifice literas expecto, atq; adhuc clausum mare fuisse scio: sed quosdam uenisse tamen Ostia dicebant, qui te unice laudarent, plurimiq; in prouincia fieri dicerent. Eosdem aiebant nunciare te prima nauigatione transmissurum: id cupio: & quanquã teipsum scilicet maxime, tamen etiam literas tuas ante expecto. Mi frater uale.

MARCVS Q. FRATRI SAL.



Ederam ad te literas antea, quibus erat scriptum, Tulliam nostrã Crassipedi prid. Non. April. esse desponsam, ceteraq; de republica priuataq; perscripserã. Postea sunt acta. Non. April. S.C. Põpeio pecunia decreta in rem frumentariã ad HS. CCCC. Sed eodem die uehementer actum de agro Campano clamore Senatus prope concionali: acriorem causam inopia pecuniæ faciebat, & annonæ caritas. Nõ prętermittam, ne illud quidem. M. Furium Flaccum Equitem R. hominem nequam Capitolini, & Mercuriales de collegio eiecerunt, præsentem ad pedes uniuscuiusq; iacentem. Ad III Id. Febr. S.C. est factum de ambitu in Afranij sententiã, quam ego dixeram cũ tu adesses, sed magno cũ gemitu Senatus. Coss. non sunt persecuti eorũ sententias: qui Afranio cũ essent assensi, addiderunt, ut Prætores ita crearent, ut dies LX priuati essent. eo die Catonẽ plane repudiarunt. Quid multa? tenent omnia: idq; ita oẽs intelligere uolunt.

MARCVS Q. FRATRI SAL.



V metuis, ne me interpelles? primo si in isto essem, tu scis quid sit interpellare. An te Ateius? mehercule mihi docere uidebaris istius generis humanitatẽ, qua quidem ego nihil utor abs te. Tu uero ut me & appelles & interpelles, & obloquare & colloquare uelim. Quid enim mihi suauius? Non mehercule quisquã μουσοπάτακτος libentius sua recentia poemata legit, q̃ ego te audio quacunq; de re, publica, priuata, rustica, urbana. Sed mea factum est insulsa uerecũdia, ut te proficiscens nõ tollerem. Opposuisti semel ἀντίλεκτον cãm Ciceronis nostri ualetudinem, cõticui: iterum ceteri omnes, quieui. Nunc mihi iucunditatis plena epistola hoc asper sit molestiæ, q uideris, ne mihi molestus esses, ueritus esse, atq; ẽt nũc uereri. Litigarem tecum, si fas eẽt: sed mehercule, istuc si unq̃ suspicatus ero, nihil dicam aliud, nisi uerebor, nequãdo ego tibi, cum sum unà, molestus sim. Video te ingemuisse. sic fit εἰ δ᾽ ἂν μὰ ἔζησα. nũquam enim dicam ἴκα πλάσασ. Mariũ aũt nostrũ in lecticam mehercule cõieci ssem, non illã Regis Ptolemęi Anitianã. Memini enim cũ hoĩem portarẽ ad Baias, Neapoli Octophoro Anitiano, Machærophoris centũ sequẽtibus, miros risus nos edere, cũ ille ignarus sui comitatus, repẽte aperuit lecticã, & penè ille timore, ego risu corrui. Tunc, ut dico, certe sustulissem, ut aliq̃n subtilitatẽ ueteris urbanitatis & humanissimi sermonis attingerẽ: sed hoĩem infirmũ in uillã apertã, ac ne rudẽ quidẽ ẽt nũc inuitare nolui. Hoc uero mihi peculiare fuerit, hic ẽt isto frui. Nam illorꝝ prædiorũ scito mihi uicinum Mariũ, lumen esse apud Anitiũ uidebimus, ut paratũ sit. Nos eni ita Philologi sumus, ut uel cũ fabris habitare possimus. Habemus hãc philosophiã, nõ ab Hymetto, sed ab Area Syra. Marius et ualetudine ẽ, & natura imbecillior. De interpellatiõe tm̃ sumã à uobis tẽporis adscri-

bendum, quantum dabitis: utinam nihil detis, ut potius uestra iniuria, q̃ ignauia mea cessem. De rep. nimium te laborare doleo, & meliorem ciuem esse q̃ Philoctetem, qui accepta iniuria, ea spectacula quærebat, quæ tibi acerba eẽ uideo. Amabo te aduola, consolabor te, & omnem abstergebo dolorem, & adduc, si me amas, Marium, sed approperate. Hortus domi est.

MARCUS Q. FRATRI SAL.


Pistolam hanc conuicio efflagitarunt codicilli tui. Nam res quidem ipsa, & is dies, quo tu es profectus, nihil mihi ad scribendum argumenti sanè dabat. Sed quemadmodũ coràm cũ sumus, sermo nobis deesse non solet, sic epistolæ nostræ debent interdũ hallucinari. Tenediorũ igitur libertas, securi Tenedia præcisa est, cũ eos præter me & Bibulum, & Calidiũ, & Fauoniũ nemo defenderet. De te magis ab Sipylo mentio est honorifica facta, cum te unũ dicerent postulationi L. Sestij Pã sæ restitisse. Reliqs diebus si quid erit quod te scire opus sit, aut ẽt si nihil erit, tamen scribã cotidie aliquid. Pr. Id. neq; tibi neq; Põponio deero. Lucretij poemata (ut scribis) nõ ita sũt multis luminibus ingenij, multæ tñ artis. Sed cũ ueneris, uirũ te putabo, si Sallustij Empedoclea legeris, hoĩem nõ putabo.

MARCUS Q. CICERONI SAL.


Audeo tibi iucundas esse meas literas: nec tamẽ habuissem scribẽdi nunc quidẽ ullum argumẽtũ, nisi tuas accepissem. Nam pr. Id. cum Appius Senatum infrequentẽ coegisset, tantũ fuit frigus, ut populi conuicio coactus sit nos dimittere. De Cõmageno, quòd rem totam discusserã, mirifice mihi & per se & per Pomponium blanditur Appius. Videt enim hoc genere dicendi, si utar in ceteris, Februarium sterilẽ futurum: eumq; lusi iocose satis: neq; solum illud extorsi oppidulum, qđ erat positum in Euphrate & Zeugmate: sed præterea togam sum eius prætextã, quam erat adeptus Cæsare Cos. magno hominum risu cauillatus. Quòd uult inquam renouare honores eosdem, quo minus togã prætextã quotãnis inter pollet, decernendum nihil censeo. Vos aũt homines nobiles qui Busrenũ prætextatum non ferebatis, Cõmagenum feretis? Genus uides & locum iocãdi. Multa dixi in ignobilem Regem, quibus totus est explosus. quo genere commotus (ut dixi) Appius totum me amplexatur. Nihil est enim facilius q̃ reliqua discutere: sed non faciã ut illum offendam, ne imploret fidem Iouis Hospitalis: Graios omnes conuocet, per quos mecũ in gratiam redijt. Theopõpo satisfaciemus. De Cæsare fugerat me ad te scribere. Video enim quas tu literas expectaris: sed ille scripsit ad Balbum, fasciculum illum epistolarum, in quo fuerat & mea & Balbi, totum sibi aqua madidum redditum esse: ut ne illud quidem sciat, meam fuisse aliquam epistolam, sed ex Balbi epistola pauca uerba intellexerat, ad quæ rescripsit his uerbis, DE CICERONE TE VIDEO QVIDDAM SCRIPSISSE QVOD EGO NON INTELLEXI: QVANTVM AVTEM CONIECTVRA CONSEQVEBAR, ID ERAT HVIVSMODI, VT MAGIS OPTANDVM QVAM SPERANDVM PVTAREM. Itaq; postea misi ad Cæsarem eodẽ illo exẽplo literas. Iocum autem illius de sua egestate ne sis aspernatus. Ad quẽ ego rescripsi nihil esse quod posthac arcæ nostræ fiducia conturbaret: lusiq; in eo genere & familiariter, et cũ dignitate. Amor aũt eius erga nos pferẽ oĩum nũ

cijs

eijs singularis. Et literæ quidẽ ad id quod expectas, fere cũ tuo reditu iũgenẽ: reliqua singulorũ dierũ scribemus ad te, si mõ tabellarios tu pbebis: q̃q̃ eiusmodi frigus impedebat, ut summũ periculũ esset, ne Appio suæ ædes urerẽtur.

MARCVS Q. FRATRI SAL.



Isi niuem atrã, teq; hilari animo esse & prompto ad iocandũ ualde me iuuat. De Põpeio assentior tibi, uel tu potius mihi: nã ut scis, iampridẽ istũ canto Cæsarẽ: mihi crede in sinu est, neq; ego discingor. Cognosce nunc Idus, Decimus erat Cælio dies. Domitius iudices ad numerũ non habuit: uereor ne homo teter & ferus Pola Seruius ad accusationẽ ueniat. nam noster Cælius ualde oppugnatur à gente Clodia. certi nihil est adhuc, sed ueremur. Eodem igitur die Tyrijs est Senatus datus frequens, frequentes cõtra Syriaci Publicani, uehemẽter uexatus Gabinius: exagitati tamen à Domitio publicani, q; cum essent cũ equis prosecuti. C. noster Lamia paulo ferocius, cum Domitius dixisset, Vestra culpa hæc acciderunt equites R. dissolute enim iudicatis. Nos iudicamus, uos laudatis, inq̃t. Actũ est eo die nihil, nox diremit. Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretat̃ non impediri se lege Pupia, quo minus habeat Senatũ: & q; Gabinia sanctũ sit, ẽt cogi ex Kal. Feb. usq; ad Kal. Mart. Legatis Senatũ cotidie dari. ita putant̃ detrudi comitia in mensem Martiũ. Sed tñ his comitialibus Tribb. pl. de Gabinio se acturos esse dicunt. Oĩa colligo, ut noui scribã aliq̃d ad te: sed ut uides, res me ipsa deficit. Itaq; ad Callisthenẽ & ad Philistũ redeo, in q̃bus te uideo uolutatũ. Callisthenis q̃dẽ uulgare & notũ negotiũ, quẽadmodũ Grǽci aliquot locuti sunt. Siculus ille capitalis, creber, acutus, breuis, penè pusillus Thucydides: sed utros eius habueris libros (duo. n. sunt corpora) an utrosq;, nescio. Me magis de Dionysio delectat: ipse ẽ enĩ ueterator magnus & perfamiliaris Philisto. Sed q̃d adscribis, aggrederis'ne ad historiã? me enĩ auctore potes: & q̃m tabellarios sũministras, hodierni diei res gestas Lupercalibus habebis. Oblecta te cũ Cicerone nr̃o q̃bellissime. Duas adhuc à te accepi epistolas, quarũ alterã in ipso discessu nostro, alterã Arimino datã: pluréis, quas scribis te dedisse, nõ acceperã. Ego me in Cumano et Põpeiano, pterq; q; sine te, ceterũ satis cõmode oblectabar, & erã in ijsdẽ locis usq; ad Kal. Iun. futurus. Scribebã illa quę dixeram πολιτικά, spissum sanè opus & operosum. Sed si ex sententia successerit, bene erit opera posita: sin minus, in illud ipsum mare deijciemus, quod spectantes scribimus, aggrediemur alia, q̃m quiescere non possumus. Tua mandata persequar diligẽter, & adiungendis hoĩbus, & in quibusdã non alienãdis. Maximę mihi uero curæ erit, ut Ciceronẽ tuum nostrumq; uideam, scilicet cotidie, sed inspiciã quid discat quãsæpissime: & nisi ille contemnet, etiam magistrũ me ei profitebor: cuius rei nonnullam consuetudinem nactus sum in hoc horum dierum otio, Cicerone nostro minore producendo. Tu quemadmodum scribis, quod etiã si non scriberes, facere te diligentissime tamen sciebã, facies, scilicet ut mea mãdata digeras, persequare, conficias. Ego cum Romã uenero, nullũ prætermittam Cæsaris tabellariũ, cui literas ad te non dẽ. His diebus (ignosces) cui darem fuit nemo ante hunc M. Orfium equitẽ R. nostrum, & pernecessariũ, & q; est ex municipio Atellano, quod scis esse in fide nostra. Itaq; eũ tibi cõmẽdo in maiorẽ modũ, hominẽ domi splendidũ, gratiosum etiã extra domum:

quē fac,ut tua liberalitate tibi obliges.eſt Trib.mil.in exercitu ueſtro: gratū hoīem obſeruantēq́ cognoſces. Trebatiū ut ualde ames,uehemēter te rogo.

MARCVS Q. FRATRI SAL.



D IIII Non. Iun. quo die Romam ueni, accepi tuas literas datas Placentiæ. Deinde alteras poſtridie datas Blandenonæ, cū Cęſaris literis refertis omni officio, diligentia, ſuauitate. Sunt iſta qdē uel magna, uel potius maxima. Habēt enim uim magnā ad gloriā & ad ſūmā dignitatē. Sed mihi crede, quē noſti, quod in iſtis rebus ego plurimi æſtimo, id iā habeo, te ſcilicet primū tam inſeruientem cōi dignitati, deinde Cæſaris tm̄ in me amorem, quē omnibus his honoribus, quos me à ſe expectare uult antepono. Literæ uero eius unæ datę cū tuis, quarū initium eſt q̄ ſuauis ei tuus aduētus fuerit, & recordatio ueteris amoris: deinde ſe effecturū, ut ego in medio dolore ac deſiderio tui te, cū à me abeſſes, potiſſimū ſecū eſſe lætarer: incredibiliter delectarunt. Quare facis tu quidē fraterne, q me hortaris, ſed me hercule currentē nunc quidē, ut omnia mea ſtudia in iſtū unū cōferam. Ego uero ardenti quidē ſtudio: ac fortaſſe efficiā, quod ſæpe uiatoribus cū properāt, euenit: ut ſi ſerius q̄ uoluerint forte ſurrexerint, properādo ēt citius q̄ ſi de nocte uigilaſſent, perueniant quo uelint: ſic ego qm̄ in iſto homine colendo tā indormiui diu, te me hercule ſæpe excitante, curſu corrigā tarditatem, cū equis, tum uero (quoniā ſcribis poema ab eo noſtrū probari) quadrigis poeticis, modo mihi date Britanniā, quam pingam coloribus tuis penicillo meo. Sed quid ago? quod mihi tēpus Romæ, preſertim ut iſte me rogat, manenti uacuum oſtendit? ſed uidero: fortaſſe enim (ut fit) uincet tuus amor oēs difficultates. Trebatiū q ad ſe miſerim, perſalſe & humaniter ēt gratias mihi agit. negat enim in tāta multitudine eorū qui unà eſſent, quēq̄ fuiſſe, qui uadimoniū concipere poſſet. M. Curtio Tribunatū ab eo petiui: nam Domitius ſe derideri putaſſet, ſi eſſet à me rogatus. hoc enim eſt eius cotidianum, ſe ne Trib. mil. quidē facere. etiā in Senatu luſit Appiū Collegā propterea iſſe ad Cæſarē, ut aliquē Tribunatū auferret, ſed in alterū annū. id & Curtius ita uolebat. Tu quēadmodū me cenſes oportere eē & in rep. & in noſtris inimicitijs, ita & eſſe & fore auricula infima ſcito molliorē. Res romanæ ſe ſic habebant. Erat nōnulla ſpes comitiorū, ſed incerta: erat aliqua ſuſpicio Dictaturæ, ne ea quidē certa: ſummū otiū forenſe, ſed ſeneſcentis magis ciuitatis, q̄ acquieſcentis. Sentētia aūt noſtra in Senatu eiuſmodi, magis ut alij nobis aſſentiantur q̄ noſmetipſi. τοιαῦτα ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται. calamo & atramento temperato, charta ēt dentata res agetur. Scribis enim te meas literas ſupiores uix legere potuiſſe: in quo nihil eorū mi frater fuit, quæ putas. neq; enī occupatus eram, neq; perturbatus, nec iratus alicui: ſed hoc facio ſemper, ut quicunq; calamus in manus meas uenerit, eo ſic utar tanq̄ bono. attende nunc mi optime & ſuauiſſime frater, ad ea dum reſcribo, quæ tu in hac eadē breui epiſtola πραγματικῶς ualde ſcripſiſti. De quo petis, ut ad te nihil occultās, nihil diſſimulans, nihil tibi indulgens, genuine fraterneq́ reſcribā, id eſt utrum uòles ut dixerimus, ad expediendū te, ſi cauſa ſit, cōmorere. Si mi Quinte parua aliqua res eſſet, in qua ſciſcitarere quid uellē, tamē cū tibi pmiſſurus eſſem, ut faceres qđ uelles, ego ipſe quid uellē oſtēderē. In hac uero re hoc ꝓfecto q̄ris, cuiuſmodi illū annū q ſequit̄ expectē. planè aut trāquillū nobis aut certe munitiſſimū:

nitissimum: quod cotidie domus, quod forū, quod theatri significationes declarant, neq; laborant, quòd mea cōscientia copiarū nostrarū: q; Cæsaris, q; Pompeij gratiā tenemus, hæc me ut confidā faciūt. Sin aliquis erumpet amentis hominis furor, omnia sunt ad eū frangendū expedita. Hæc ita sentio, iudico, ad te explorate scribo. Dubitare te nō assentatorie, sed fraterne ueto. Quare suauitatis equidem nostræ fruendæ cā, cuperem te ad id tempus uenire, qđ dixeras, sed illud malo tñ quod putas, magis etiam, illa ēt magni æstimo me ἀρφιλαφίαν illam tuam & expectationem debitorū tuorū. Illud quidē sic habeto, nihil nobis expeditis, si ualebimus, fore fortunatius, parua sunt quæ desunt, quo nostris quidē moribus, & ea sunt ad explicandū expeditissima, mō ualeamus. Ambitus redit īmanis, nunquā fuit par. Id Quint. fœnus fuit [z
* ex z z . coitione Memmij est quo cū Domitio. hanc Scaurus unum uincere. Messala flaccet, non dico ὑπερβολὰς uel HS centies constituunt in p̄rogatiua pronunciare. Res ardet inuidia. Tribunitij candidati compromiserunt (HS quingenis in singulos apud M. Catonem depositis) petere eius arbitratu, ut qui contra fecisset, ab eo condénaretur. quę quidē comitia si gratuita fuerint, ut putātur, plus unus Cato fuerit, q̄ oēs leges oēsq; iudices. Cum à me literas librarij manu acceperis, ne paulum me otij habuisse iudicato: cū aūt mea, paulum. sic enim habeto, nunq̄ me à causis & iudicijs districtiore fuisse, atq; id anni tēpore grauissimo & caloribus maximis. Sed hæc (qm̄ tu ita præscribis) ferenda sunt. neq; cōmittendū, ut aut spei aut cogitatiōi uestrę ego uidear defuisse: presertim cū tāetsi id difficilius fuerit, tñ ex hoc labore magnā gratiam magnāq; dignitatē sim collecturus. Itaq; ut tibi placet, damus operā, ne cuius aīum offendamus, atq; ut ēt ab ijs ipsis qui nos cū Cæsare tam cōiunctos dolent, diligamur: ab æquis uero aut ēt à propensis in hanc partē uehemēter excolamur & amemur. De ambitu cū atrocissime ageret in Senatu multos dies, q; ita erant progressi candidati Cōsulares, ut nō esset ferēdum, in Senatu nō fui. Statui ad nullā medicinā reip. sine magno pręsidio accedere. Quo die hęc scripsi, Drusus erat de præuaricatione à Tribb. ærarij absolutus, in sūma quatuor sentētijs cū Senatores & equites damnassent. Ego eodē die post meridiem Vatinium aderā defensurus: ea res facilis est. Comitia in mensem Sept. reiecta sūt. Scauri iudiciū statim exercebitur, cui nos nō deerimus. συνδ'άπνευς σοφοκλέους, q̄q̄ à te actā fabellā uideo eē festiue nullo modo probaui. Venio nūc ad id quod, nescio an primū esse debuerit. O iucūdas mihi tuas de Britannia literas: timebā oceanum, timebā littus insulæ. Reliqua non equidē contēno, sed plus habent tamē spei q̄ timoris, magisq; sum solicitus expectatione ea q̄ metu. Te uero ὑπόθεσιν scribendi egregiā habere uideo. Quos tu situs, quas naturas rerum & locorū, quos mores, quas gēteis, quas pugnas, quē uero ipsum Imperatorē habes? Ego te libenter ut rogas, quibus rebus uis adiuuabo, & tibi uersus quos rogas, hoc est Athenas noctuam mittam. Sed heus tu celari uideor à te. quo modo nam mi frater de nostris uersibus Cæsar? Nam primum librum se legisse scripsit ad me antè: & prima sic, ut neget se ne græca quidem meliora legisse. Reliqua ad quendam locum ῥᾳθυμότερα. hoc enim utitur uerbo. Dic mihi uerum, num aut res eum aut χαρακτὴρ nō delectat? nihil est qđ uereare. Ego enim ne pilo quidem minus me amabo. Hac de re φιλαλήθως, & ut soles, scribe fraterne.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM AD Q. FRATREM. LIB. III.

MARCVS Q. FRATRI. SAL.



Go ex magnis caloribus (non enim meminimus maiores) in Arpinati summa cū amœnitate fluminis me refeci ludorum diebus, Philotimo tribulibus cōmēdatis. In Arcano ad IIII Id. Sept. fui. ibi Mescidium cū Philoxeno, aquamq; quam ij ducebant nō longe à uilla belle sanè fluentē uidi, presertim maxima siccitate, uberioremq; aliquanto sese collecturos esse dicebant. Apud Herū recte erat. In Maniliano offendi Diphilum Diphilo tardiorem: sed tamen nihil ei restabat præter balnearia & ambulationem & auiarium. Villa mihi ualde placuit, propterea q; summam dignitatē pauimentata porticus habebat: quod mihi nunc deniq; apparuit, posteaquam & ipsa tota patet, & columnæ politæ sunt. Totum in eo est quod mihi erit curæ, tectorium ut concinnum sit: pauimenta recte fieri uidebātur: cameras quasdam non probaui, mutariq; iussi. Quo loco in porticu te scribere aiunt, ut atriolum fiat, mihi, ut est, magis placebat: neq; enim satis loci uidebatur esse atriolo: neq; ferè solet, nisi in his ædificijs fieri, in quibus est atrium maius: nec habere poterat adiuncta cubicula, & eiusmodi membra. Nūc hoc uel honestate testudinis, uel ualde boni æstiuum locum obtinebit. Tu tamen si aliter sentis, rescribe quāprimum. In balnearijs, assa in alterum apodyterij angulum promoui, propterea q; ita erant posita, ut eorum uaporariū, ex quo ignis erumpit, esset sub tectum cubiculi: subgrande cubiculum autem & hybernum altum ualde probaui, q; & ampla erant, & loco posita ambulationis uno latere, eo quòd est proximum balnearijs. Colūnas neq; rectas, neq; è regione Diphilus collocarat: eas scilicet demolietur, aliquādo perpendiculo & linea discet uti. Omnino spero paucis mensibus opus Diphili perfectum fore. curat enim diligētissime Cœsius, qui tum mecum fuit. Ex eo loco recta Vitularia uia profecti sumus in Fufidianum fundum, quem tibi proximis nundinis Arpini de Fufidio HS c c. & ↀ ↀ ↀ ∞ emeramus. Ego locū æstate umbrosiorem uidi nūquam. permultis locis aquam profluētem, & eam uberem. Quid quæris? Iugera L prati Cœsius irrigaturum facile te arbitrabatur. Eqdem hoc quod melius ītelligo, affirmo, mirifica suauitate te uillam habiturū, piscina & salientibus additis, palęstra & sylua uiridicata. Fundum audio te hunc Bouilianum uelle retinere. de eo quid uideatur, ipse constitues. Caluus aiebat aqua dempta, & eius aquæ iure cōstituto, & seruitute fundo illi imposita, tamen nos precium seruare posse, si uēdere uellemus. Mescidium mecum habui, is se ternis nūmis in pedem tecum transegisse dicebat: sese aūt mensum pedibus aiebat passuum c c c c ∞, mihi plus uisum est. Sed præstabo, sumptum nusquam melius posse poni. Chilonem arcessiuerā Venafro: sed eo ipso die quatuor eius conseruos & discipulos Venafri cuniculus oppresserat.

Idib. Sept. in Laterio fui, uiã perſpexi, quæ mihi ita placuit, ut opus publicũ uideretur eſſe, præter CL, paſſ. ſum enim ipſe menſus ab eo ponticulo, qui eſt ad Furinæ Satricũ uerſus. eo loco puluis, nõ glarea iniecta eſt, & mutabit, & ea uiæ pars ualde accliuis eſt: ſed intellexi aliter duci non potuiſſe, preſertim cum tu neq; per locuſtæ, neq; Varronis uelles ducere. Veluinus antè ſuũ fundum prope minuerat. Locuſta non attigerat, quem ego Romæ aggrediar, & ut arbitror, cõmouebo: & ſimul inde Taurum, quem tibi audio promiſiſſe, qui nunc Romæ erat, de aqua per fundum eius ducenda rogabo. Nicephorũ uillicum tuum ſanè probaui, quæſiuiq; ex eo & quid ei de illa ædificatiuncula Laterij, de qua mecum locutus es, mandauiſſes: tum is mihi reſpondit ſe ipſum eius operis HS XVI conductorẽ fuiſſe, ſed te poſtea multa addidiſſe ad opus, nihil ad precium. itaq; id ſe omiſiſſe. Mihi hercule ualde placet te illa ut conſtituebas addere: q̃q̃ ea uilla quæ nunc eſt, tanquam philoſophia uidetur eſſe, quæ obiurget ceterarum uillarum inſaniam, uerũtamen illud additũ delectabit. Topiarium laudaui, ita omnia cõueſtiuit edera, qua baſim uillę, qua intercolũnia ambulationis, ut deniq; illi palliati topiariam facere uideantur, & ederam uẽdere. Iam ἀποδυτηρίῳ nihil alſius, nihil muſcoſius. Habes ferè de rebus ruſticis. Vrbanam expolitionem urget ille quidem & Philotimus & Cincius, ſed etiam ipſe crebro interuiſo, quod eſt facile factu. Quamobrem ea te cura liberatum uolo. De Cicerone qđ me ſemper rogas, ignoſco equidẽ tibi, ſed tu quoq; nihil uelim ignoſcas. Non enim concedo tibi, plus ut illum ames q̃ ipſe amo. Atque utinã mihi his diebus in Arpinati, quod & ipſe cupierat & ego, non minus mecum fuiſſet. Quòd ad Pomponiam, ſi tibi uidetur, ſcribas uelim: cum aliquo exibimus, eat nobiſcum puerumq; ducat: clamores efficiã, ſi eũ mecũ habuero otioſum: nã Romæ reſpirandi non ẽ locus. Id me ſcis antea gratis tibi eſſe pollicitum. Quid nunc putas tanta mihi abs te mercede propoſita? Venio nunc ad tuas literas quas pluribus epiſtolis accepi, dum ſum in Arpinati. nam mihi uno die tres ſunt redditæ, equidem ut uidebantur, eodem abs te datæ tempore, una pluribus uerbis, in qua primum erat ꝙ antiquior dies in tuis fuiſſet aſcripta literis, quàm in Cæſaris. Id facit Appius nõnunquam neceſſario, ut cum tabellarios conſtituerit mittere, literasq; à nobis acceperit, aliqua re noua impediatur, & neceſſario ſerius quàm cõſtituerat, mittat: neq; nos datis iam epiſtolis diem cõmutari curemus. Scribis de Cæſaris ſummo in nos amore: hunc & tu fouebis, & nos quibuſcũque poterimus rebus augebimus. De Pompeio & facio diligenter, & faciã quod mones. Quòd tibi mea permiſſio mãſionis tuæ grata eſt, id ego ſummo meo dolore & deſiderio, tamen ex parte gaudeo. In hippodamis, & nõnullis alijs arceſſendis quid cogites, nõ intelligo. Nemo iſtorum eſt quin abs te munus fundi ſuburbani inſtar expectet. Trebatium uero meum ꝙ iſtò admiſceas nihil eſt. Ego illum ad Cæſarem miſi, qui mihi iam ſatiſfecit: ſi ipſi minus, præſtare nihil debeo: teq; item ab eo uindico & libero. Quòd ſcribis te à Cæſare cotidie plus diligi, immortaliter gaudeo. Balbum uero qui eſt iſtius rei quẽadmodum ſcribis adiutor, in oculis fero. Trebonium meum à te amari, teq; ab illo, ꝑgaudeo. De tribunatu quod ſcribis, ego uero nominatim petiui Curtio, & mihi ipſe Cæſar nominatim Curtio paratum eſſe perſcripſit, meamq; in rogando uerecundiam obiurgauit. Si cui præterea petiero (id quod etiam

Appio dixi,ut ad illum scriberet)facile patiar mihi negari,quoniam illi qui sibi molesti sunt,sibi negari à me non facile patiuntur. Ego Curtium id quod ipsi dixi non modo rogatiōe,sed etiam testimonio tuo diligo, ꝙ literis tuis studium illius in salutem nostrā facile perspexi. De Britannicis rebus cognoui ex tuis literis nihil esse,nec quod metuamus,nec quod gaudeamus. De publicis negotijs quæ uis ad te Tironem scribere,negligentius ad te antè scribebam,ꝙ omnia minima,maxima ad Cæsarem mitti sciebam. Rescripsi epistolæ maximæ. Audi nunc de minuscula,in qua primum est,de Clodij ad Cæsarem literis:in quo Cæsaris consilium probo,ꝙ tibi amantissime peteti ueniā non dedit,uti ullum ad illam furiā uerbū rescriberet. Alterū est de Caluenti Marij oratiōe. Quòd scribis,miror tibi placere me ad eū rescribere, p̄sertim cū illā nemo lecturus sit,si ego nihil rescripsero,meā in illum pueri oēs tāquā dictata perdiscant. Libros meos omnes quos expectas inchoaui,sed conficere non possum his diebus. Orationes efflagitatas pro Scauro & pro Plancio absolui. Poema ad Cæsarem quod composueram, incidi. Tibi quod rogas, quoniam ipsi fontes iam sitiunt,si quid habebo spatij,scribam. Venio ad tertiam. Balbum ꝙ ais mature Romam bene comitatum esse uenturum,mecūq; assidue usq; ad Idus Maias futurum,id mihi pergratum perq; iucūdum. Quod me in eadem epistola,sicut sæpe antea,cohortaris ad ambitionem,& ad laborem,faciam equidem. sed quando uiuemus? Quarta epistola mihi reddita est Id. Sept. quam ad IIII Id. Sext. ex Britannia dederas. In ea nihil sanè erat noui, pręter Erigonam: quam si ab Appio accepero, scribam ad te quid sentiam:nec dubito,quin mihi placitura sit:& quod pręterij de eo, quem scripsisti de Milonis plausu scripsisse ad Cæsarem. Ego uero facile patior,ita Cęsarem existimare,illum quam maximum fuisse plausum,& prorsus ita fuit: & tamen ille plausus qui illi datur,quodammodo nobis uidetur dari. Reddita etiam mihi est peruetus epistola,sed sero allata,in qua de ęde Telluris,et de porticu Catuli me admones:fit utrūq; diligēter. Ad Telluris quidem etiam tuam statuam locaui. Item de hortis,me quod admones,nec fui unquam ualde cupidus,& nunc domus suppeditat mihi hortorum amœnitatem. Romā cum uenissem ad XIII Kal. Octob. absolutum offendi in ædibus tuis tectū: quod supra conclauia non placuerat tibi esse multorum fastigiorum, id nunc honeste uergit in tectum inferioris porticus. Cicero noster dum ego adsum, non cessauit apud rhetorem. De eius eruditione quod labores,nihil est,quoniam ingenium eius nosti, studium ego uideo,cetera eius suscipio,ut me putem præstare debere. Gabinium tres adhuc factiones,postulant. L. Lentulus Flaminis F. qui iam de maiestate postulauit: Titius Nero cum bonis subscriptoribus. C. Memmius Trib. pl. cum L. Capitone ad urbem accessit ad XII Kal. Octob. Nihil turpius nec desertius. Sed his iudicijs nihil audeo confidere,ꝙ Cato non ualebat. adhuc de pecunijs repetundis nō erat postulatus. Pōpeius à me ualde contendit de reditu in gratiam,sed adhuc nihil profecit:nec si ullam partem libertatis tenebo,proficiet. Tuas literas uehemēter expecto. Quod scribis te audisse in candidatorum Cōsularium coitione me interfuisse,id falsum est. Eiusmodi enim pactiones in ea coitione factæ, quas postea Memmius patefecit,ut nemo bonus interesse debuerit,& simul mihi cōmittendum nō fuit,ut his coitionibus interessem,quibus Messala excluderetur: cui quidem

cui quidem uehementer satisfacio rebus omnibus, ut arbitror, etiam Mēmio. Domitio ipsi multa iam feci quæ uoluit, quæq; à me petiuit. Scaurum beneficio defensionis ualde obligaui, adhuc erat ualde incertum, & quādo comitia & qui Coss. futuri essent. Cum hāc iam epistolam complicarem, tabellarij à uobis uenerunt ad XI. Kal. Sept. uicesimo die. O me solicitum, quantū ego dolui in Cæsaris suauissimis literis: sed quo erant suauiores, eo maiorem dolorem illius ille casus afferebat. Sed ad tuas uenio literas. Primum tuā remansionem etiam atq; etiā probo, presertim cum ut scribis, cum Cæsare cōmunicaris. Oppiū miror qdq̄ cū Publilio. mihi enim nō placuerat. Quod interiore epistola scribis, me Id. Sept. Pōpeio Legatū iri, id ego nō audiui, scripsiq; ad Cæsarē Vibuliū Cæsaris mandata de mea māsione ad Pōpeium pertulisse, nec ad Oppiū quo cōsilio. qq̄ Oppium ego tenui, q; priores partes Bibuli erant. cum eo enim corā Cæsare egerat, ad Oppiū scripserat. Ego uero nullas δευτέρας φροντίδας habere possum in Cæsaris rebus. Ille mihi secundū te & liberos nostros ita est, ut sit penè par: uideor id iudicio facere, iā enim debeo, sed tñ amore sum incensus. Cū scripsissem hæc infima, quę sunt mea manu, uenit ad nos Cicero tuus ad cenā, cū Pōponia foris cenaret, dedit mihi epistolā legendā tuam, quam paulo ante acceperat Aristophaneo modo, ualde mehercule & suauem & grauem, qua sum admodū delectatus. Dedit etiā alterā illā mihi, qua iubes eū mihi esse affixum tanquā magistro. Quàm illum epistolæ illæ delectarunt? q̄ me? Nihil puero illo suauius, nihil nostri amantius. Hoc inter cenam Tironi dictaui, ne mirere alia manu esse. Annali pergratæ literæ tuæ fuerunt, q; & curares de se diligenter, & tamen consilio seuerissimo iuuares. P. Seruilius pater, ex literis quas sibi à Cæsare missas esse dicebat, significat ualde te sibi gratum fecisse, q; de sua uoluntate erga Cæsarem humanissime diligentissimeq; locutus esses. Cum Romam ex Arpinati reuertissem, dictum mihi est Hippodamum ad te profectum esse. Non possum scribere me miratum esse illum tam inhumaniter fecisse, ut sine meis literis ad te proficisceretur: illud scribo, mihi molestum fuisse, iam enim diu cogitaueram, ex eo quod tu ad me scripseras, ut si quid esset quod ad te diligētius perferri uellem, illi darem: q; mehercule hisce literis, quas uulgo ad te mitto, nihil ferè scribo, quod si in alicuius manus inciderit, moleste ferēdum sit. Minutio me & Saluio & Labeoni reseruabam. Labeo aut tarde proficiscetur, aut hic manebit. Hippodamus, ne nunc quidē quid uelim rogauit. T. Pinarius amabiles ad me de te literas mittit: se maxime literis, sermonibus, cenis deniq; tuis delectari. Is homo semper me delectauit: fraterq; eius mecum est multum: quare, ut instituisti, complectere adolescētem. Quòd multos dies epistolam in manibus habui propter commorationem tabellariorum, ideo multa coniecta sunt, aliud alio tempore, uelut hoc, T. Anitius mihi sæpe iam dixit, sese tibi, suburbanum si quod inuenisset, non dubitaturum eē emere. In eius sermone ego utrunq; soleo admirari, & te de suburbano emendo, cum ad illum scribas, non modo ad me non scribere, sed etiam aliam in sententiam de suburbano scribere: & cum ad illū scribas, nihil te recordari de se, de epulis illis, quas in Tusculano eius tu mihi ostēdisti, nihil de præceptis Epicharmi. γνῶθι πῶς ἄλλῳ κέχρηται. totū deniq; uultū, sermonem, aīum eius, queādmodū conijcio, quasi, sed hæc tu uideris. De suburbano cura ut sciam quid uelis; & simul ne

quid ille turbet, uide. Quid præterea? Quid? etiam Gabinius ad IIII Kalē. Octob. noctu in urbem introiuit: & hodie. H. VIII. cum edicto C. Alfij de maiestate eum adesse oporteret, cōcursu magno et odio uniuersi populi penè afflictus est. Nihil illo turpius, proximus tamen est Piso. Itaque mirificum ἐμβόλιον cogito in secūdū librū meorū librorū includere, dicentem Apollinē in concilio deorū, qualis reditus duorū Imperatorū futurus esset, quorum alter exercitus perdidisset, alter uendidisset. Ex Britannia Cæsar ad me kalen. Sept. dedit literas, quas ego accepi ad IIII Kalen. Octob. satis commodas de Britannicis rebus, quibus, ne admirer ꝙ à te nullas acceperim, scribit se sine te fuisse, cum ad mare accesserit. Ad eas ego ei literas nihil rescripsi, ne gratulādi quidem cā, propter eius luctum. Te oro etiam atꝗ etiā mi frater, ut ualeas.

MARCVS Q. FRATRI SAL.



D VI Id. Oct. Saluius Ostiam uesperi naui profectus erat cū his rebus, quas tibi domo mitti uolueras. Eodem die Gabiniū ad populum luculente calefecerat Memmius: sic, ut Calidio uerbum facere pro eo non licuerit. Postridie autem eius diei, qui erat tum futurus cum hæc scribebam ante lucem, apud Catonem erat diuinatio in Gabinium futura inter Memmium & Ti. Neronem & C. & L. Antonios meos M. F. Putabamus fore ut Memmio daretur, etsi erat Neronis mira cōtentio. Quid quæris? probe premitur, nisi noster Pompeius dijs hominibusꝗ inuitis negotium euerterit. Cognosce nunc hominis audaciam, & aliquid in rep. perdita delectare. Cum Gabinius quacunꝗ ueniebat, triumphum se postulare dixisset, subitoꝗ bonus Imperator noctu in urbem hostium planè inuasisset, in Senatum se non cōmittebat. Interim ipso decimo die, quo ipsum oportebat hostiarum numerum & militum renunciare, in re hæsit. sūma infrequētia, cum uellet exire, à Coss. retentus est: introducti publicani. Homo undiꝗ actus & cum à me maxime uulneraretur, non tulit, & me trementi uoce exulē appellauit. Hic ò dij, nihil unquam honorificentius nobis accidit. Cōsurrexit Senatus cum clamore ad unum, sic ut ad corpus eius accederet: pari clamore atque impetu publicani. Quid quæris? omnes tanquam si tu esses, ita fuerūt. Nihil hominum sermone foris clarius. Ego tamē teneo ab accusando uix me hercule: sed tamen teneo uel quòd nolo cum Pōpeio pugnare. (Satis est qđ instat de Milone) uel ꝙ iudices nullos habemus, ἀπότευγμα formido. addo etiam maleuolētiam hominum: & timeo ne illi me accusante aliquid accidat, nec despero rem, & sine me, & nonnihil per me confici posse. De ambitu postulati sunt omnes qui Consulatum petunt: à Memmio Domitius, à Q. Curtio bono & erudito adolescente Memmius, à Q. Pompeio, Messala, à Triario, Scaurus. Magna res in motu est: propterea quòd aut hominum aut legū interitus ostenditur. Opera datur, ut iudicia ne fiant. Res uidetur spectare ad interregnum. Coss. comitia habere cupiunt, rei nolunt, & maxime Memmius, ꝙ Cæsaris aduentu sperat se futurū Cos. sed mirum in modum iacet. Domitius cum Messala certus esse uidebatur. Scaurus refrixerat. Appius sine lege Curiata confirmat se Lentulo nostro successurum: qui quidem mirificus illo die (quod penè præterij) fuit in Gabinium: accusauit maiestatis, nomina data, cum ille uerbum nullum. Habes forensia. Domi recte, et ipsa domus à redemptoribus tractatur non indiligenter.

MARCVS Q. FRATRI SAL.


Ccupationum mearum tibi signum sit librarij manus. Diem scito esse nullum,quo die non dicam pro reo: ita quidquid conficio aut cogito,in ambulationis tempus ferè cōfero. Negotia se nostra sic habent.Domestica uero,ut uolumus. Valēt pueri,studiose discūt, diligenter docentur,& nos & inter se amant.Expolitiones utriusq; nostrum sunt in manibus,sed tua ad perfectum iam res est rustica Arcani & Laterij. Praeterea de aqua de uia nihil praetermisi quadam epistola,quin enucleate ad te perscriberem,sed me illa cura solicitat angitq; uehementer,q; dierum iam amplius L interuallo nihil à te,nihil à Caesare,nihil ex istis locis,non modo literarum,sed ne rumoris quidem affluxit. Me autem iam & mare istuc et terra solicitat:neq; desino(ut fit in amore)ea quę minime uolo,cogitare.Quare non equidem iam te rogo,ut ad me de te,de rebus istis scribas (nunq̃ enim cum potes,praetermittis)sed hoc te scire uolo,nihil fere unquam me ita expectasse,ut cum haec scribebam,literas tuas.Nunc cognosce ea quae sunt in rep. Comitiorum cotidie singuli dies tolluntur obnunciationibus magna uoluntate bonorum omnium.tanta inuidia sunt Coss.propter suspitionē pactorū à candidatis p̄miorum.Candidati Consulares quatuor,omnes rei,causae sunt difficiles, sed enitemur ut Messala noster saluus sit,quod est etiam cum reliquorum salute coniunctum.Gabinium de ambitu reum fecit P.Sylla subscribente priuigno Memmio fratre Caecilio Syllae filio.Cōtradixit L. Torquatus,omnibusq; libentibus non obtinuit.Quaeris quid fiat de Gabinio? sciemus de maiestate triduo.quo quidem in iudicio odio premitur omnium generum,maxime testibus caeditur,accusatoribus frigidissimis utitur:cōsilium uarium,quaesitor grauis,& firmus Alfius,Pompeius uehemens in iudicibus rogandis. Quid futurum sit,nescio:locum tamen illi in ciuitate nō uideo:animum praebeo ad illius perniciem moderatum,ad rerum euētum lenissimum. Habes ferè de omnibus rebus. Vnum illud addā,Cicero tuus nosterq; summo studio ē Paeonij sui rhetoris,hominis opinor, ualde exercitati & boni: sed nostrum instituendi genus est paulo eruditius,& θετικώτερον, nō ignoras. Quare neq; ego impediri Ciceronis iter,atque illam disciplinam uolo, & ipse puer magis illo clamatorio genere duci & delectari uidetur. In quo quoniā ipsi quoq; fuimus,patiamur illum ire nostris itineribus:eodem enim peruenturum esse confidimus.sed tamen si nobiscum eum rus aliquò eduxerimus,in hanc nostram rationem consuetudinemq; inducemus.Magna enim nobis à te proposita merces est,quam certe nostra culpa nunquā minus assequemur. Quibus in locis & qua spe hiematurus sis, ad me quamdiligentissime scribas,uelim.

MARCVS Q. FRATRI.


Abinius absolutus est:omnino nihil accusatore Lentulo,subscriptoribusq; eius infantius,nihil illo consilio sordidius. Sed tamen nisi incredibilis contentio, preces Pompeij,Dictaturae etiam rumor plenus timoris fuisset,ipsi Lentulo non respondisset, qui tū illo accusatore,illoq; consilio sententijs condemnatus sit.XXII.cum LXX tulissent.Est omnino tam graui fama hoc iudiciū, ut uidetur reliquis iudicijs periturus,& maxime de pecunijs repetundis.Sed uides nullam esse rempub.

nullum Senatum,nulla iudicia,nullam in nullo nostrum dignitatem. Quid plura de iudicibus? duo Prætorij sederunt,Domitius Caluinus,is aperte absoluit,ut omnes uiderent:& Cato,is diruptis tabellis de circulo se subduxit, & Pompeio primus nũciauit, Aiunt nõnulli ut Sallustius, me oportuisse accusare. Iis ego iudicibus cõmitterem? Quid essem si me agente esset elapsus? Sed me alia mouerunt.Non putasset sibi Pompeius de illius salute,sed de sua dignitate mecum esse certamen.In urbem introisset,ad inimicitias res uenisset cum Aesernino Samnite Pacideianus comparatus uiderer,auriculam fortasse mordicus abstulisset,cum Clodio quidem certe redijsset in gratiã. Ego uero meum consilium(si presertim tu non improbas)uehemẽter approbo. Ille cum à me singularibus meis studijs ornatus esset:cumq; ego illi nihil deberem,ille mihi omnia,tamen in rep.me à se dissentientem nõ tulit(Nihil dicam grauius)& minus potens eo tempore,quid in me florentem posset, ostẽdit:nunc,cum ego ne curem quidem multũ posse,Res quidem publ. certe nihil possit,unus ille omnia possit,cum illo ipso contenderem? sic enim faciẽdũ fuisset. Non existimo te putare id mihi suscipiendum fuisse. Alterutrum, inquit idem Sallustius,defendisses,idq; Pompeio cõtendenti dedisses. etenim uehementer orabat. Lepidum amicum Sallustiũ,qui mihi aut inimicitias putet periculosas subeundas fuisse,aut infamiam sempiternã.Ego uero hac mediocritate delector,ac mihi illud iucundum est,q; cum testimonium secũdum fidem & religionem grauissime dixissem,reus dixit,si in ciuitate licuisset sibi esse,mihi se satisfacturũ,neq; me quicquam interrogauit. De uersibus, quos tibi à me scribi uis,deest mihi quidem opera,quæ non modo tempus,sed etiã animum uacuum ab omni cura desiderat,sed abest etiam ἐνθουσιασμός: nõ enim sumus omnino sine cura uenientis anni,etsi sumus sine timore. Simul & illud (sine ulla mehercule ironia loquor) tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo q̃ mihi.De bibliotheca tua græca supplenda, libris commutandis,latinis comparandis,ualde uelim ista confici,presertim cum ad meũ quoque usum spectent.Sed ego mihi ipsi ista per quem agam, non habeo: neque enim uenalia sunt,quæ quidem placeant,& confici nisi per hominem & peritum & diligentem non possunt.Chrysippo tamen imperabo,& cum Tyrannione loquar.De fisco quid egerit Scipio,quęram:quod uidebitur rectũ esse curabo.De Ascanione tu uero quod uoles,facies,me nihil iterpono. De suburbano q; nõ ꝓperas,laudo,ut tu habeas hortor.Hæc scripsi ad VIIII Kal. Nouemb.quo die ludi cõmittebantur,in Tusculanum proficiscens,ducensq; mecum Ciceronem meum in ludum discendi non lusionis: ea re non longius quàm uellem,q; Pomptino ad triũphum ad III No.Nouẽb. uolebã adesse: etenim erit nescio quid negotioli.Nam Cato & Seruilius Prætores prohibituros se minantur,nec quid possint,scio.Ille enim & Appium Cos. secum habebit,& Prętt. & Tribb. pl.sed minatur tamen:in primisq; ἄρειπάγων Q. Scęuola.Cura mi suauissime & carissime frater ut ualeas.

MARCVS Q. FRATRI SAL.


Vod quæris quid de illis libris egerim,quos cum essem in Cumano scribere institui:non cessaui,neq; cesso,sed sæpe iam scribendi totum cõsilium rationemq; mutaui.Nã iam duobus factis libris: in quibus nouẽdialibus ijs ferijs,q̃ fuerunt Tuditano & Aquilio Coss.sermo

Coss. sermo est à me institutus Africani paulo ante mortem, & Lælij Phili, Manlijq; Tuberonis, & Lælij generorum Fannij & Scæuolæ. Sermo aũt in nouem & dies & libros distributus de optimo statu ciuitatis, & de optimo ciue. Sanè texebatur opus luculente, hominumq; dignitas, aliquantum orationi ponderis afferebat. Hi libri cũ in Tusculano mihi legerentur audiente Sallustio, admonitus sum ab illo, multo maiore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de rep. præsertim cum essem non Heraclides Ponticus, sed Consularis, & is, qui in maximis uersatus in rep. rebus essem: quæ tam antiquis hominibus attribuerem, ea uisum iri ficta eẽ. Oratorum sermonem in illis nostris libris, quod esset de ratione dicendi, belle à me remouisse: ad eos tamen retulisse, quos ipse uidissem. Aristotelem deniq;, quæ de rep. & præstante uiro scribat, ipsum loqui. Cõmouit me, & eo magis, q maximos motus nostræ ciuitatis attingere non poteram, q erant inferiores, q̃ illorum ætas, qui loquebantur. Ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens offenderem quempiam. Nunc & id uitabo, & loquar ipse tecum, & tamẽ illa quæ institueram, ad te si Romam uenero, mittam. Puto enim te existimaturum à me illos libros non sine aliquo meo stomacho esse relictos. Cæsaris amore, quem ad me perscripsit, unice delector: promissis ijs, quæ ostendit, non ualde pendeo: nec sitio honores, nec desidero gloriam, magisq; eius uoluntatis perpetuitatem, q̃ promissorũ exitum expecto. uiuo tamẽ in ea ambitione & labore, quum id, quod non postulo, expectem. Quod me de uersibus faciendis rogas, incredibile est mi frater quàm egeam tempore: nec sane satis commoueor animo ad ea quæ uis canenda. ὑποθέσεις uero ad ea, quæ ipse ego ne cogitando quidem consequor, tu qui omnes isto eloquendi & exprimendi genere superasti, à me petis. Facerem tamen ut possem, sed (quod te minime fugit) opus est ad poema quadam animi alacritate, quam plane mihi tempora eripiunt. Abduco equidem me ab omni reipub. cura, dedoq; literis: sed tamen indicabo tibi, quod me hercule in primis te celatum uolebam. Angor mi suauissime frater, angor, nullam esse remp. nulla iudicia, nostrũq; hoc tempus ætatis, quod in illa auctoritate Senatoria florere debet, aut forensi labore iactari, aut domesticis literis sustentari. Illud uero quod à puero adamaram, πολλὸν ἀριςεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων, totum occidisse: inimicos à me partim non oppugnatos, partim etiam esse defensos: meum non modo animum, sed ne odium quidem esse liberum: unumq; ex omnibus Cæsarem esse inuentum, qui me tantum, quantum ego uellem, amaret, aut etiam (sicut alij putant) hunc unum esse, qui uellet. Quorum tamen nihil est eiusmodi, ut ego me non multa consolatione cotidie leniam: sed illa erit consolatio maxima, si unà erimus: nũc ad illa uel grauissimum accedit tui desiderium. Gabinium, si, ut Pansa putat oportuisse, defendissem, concidissem qui illum oderũt. Ii sunt toti ordines: propter quem oderunt, meipsum odisse cœpissent. Tenui me, ut puto, egregie, tantum ut facerem, quantum omnes uiderent. Et in omni summa, ut mones, ualde me ad otium pacemq; conuerto. De libris, Tyrannio est cessator, Chryppo dicam: sed res operosa est, & hoĩs perdiligẽtis. Sentio ipse q in sũmo studio nihil assequor. De latinis uero quo me uertã nescio, ita mẽdose & scribunt & ueneũt: sed tñ quod fieri poterit, non negligã.

Cerbrius, ut ante ad te scripsi, Romę est: & qui omnia adnuat, debere tibi ualde renunciant. Ab ærario puto confectum esse, dum absum.

MARCVS Q. FRATRI SAL.



Quatuor Tragœdias XVI diebus absoluisse cum scribas, tu quidquã ab alio mutuaris, et κλέος quæris? cũ Electram & Troadã scripseris. Cessator esse noli: & illud γνῶθι σεαυτὸν noli putare ad arrogantiã minuendã solũ esse dictũ, uerũ ẽt, ut bona nostra norimus. Sed & istam, et Erigonã mihi uelim mittas. Habes duas epistolas proximas.

MARCVS Q. FRATRI SAL.



Romę & maxime Appia ad Martis, mira alluuies. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ, magna uis aquę usque ad piscinam publicam. Viget illud Homeri. ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ Ζεύς, ὅτε δή γ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ. Cadit enim in absolutionem Gabinij, οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας, Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες. Sed hęc non curare decreui. Romã cũ uenero, quæ perspexero, scribam ad te, & maxime de Dictatura: & ad Labienum & ad Ligurium literas dabo. Hanc scripsi ante lucem, ad Lychnuchum ligneolum, qui mihi erat periucundus, quòd eum te aiebant, cum esses Sami, curasse faciendum. Vale mi suauissime & optime frater.

MARCVS Q. FRATRI SAL.



Superiori epistolæ quid respõdeam, nihil est, quę plena stomachi & querelarum est. quo in genere alterã quoque te scribis pridie Labieno dedisse, qui adhuc non uenerat. Deleuit enim mihi omnem molestiam recentior epistola. Tantum te & moneo & rogo, ut in istis molestijs & laboribus & desiderijs recordere consilium nostrum quod fuerit profectionis tuæ. Non enim cõmoda quædã sequebamur, parua ac mediocria. Quid enim erat quod discessu nostro emendum putaremus? Præsidium firmissimum petebamus ex optimi & potentissimi uiri beneuolẽtia ad omnem statum nostræ dignitatis. Plura ponũtur in spe quàm in pecunijs, reliqua ad iacturam struentur. Quare si crebro referes animum tuum ad rationem & ueteris cõsilij nostri & spei, facilius istos militiæ labores, ceteraque quę te offendunt, feres: & tamen cum uoles, depones. sed eius rei maturitas, nequedum uenit, & tamẽ iam appropinquat. Etiam illud te admoneo, ne qd ullis literis cõmittas, quod si prolatum sit, moleste feramus. Multa sunt quæ ego nescire malo, quàm cũ aliquo periculo fieri certior. Plura ad te uacuo animo scribam, cũ (ut spero) se Cicero meus belle habebit. Tu uelim cures, ut sciam quibus nos dare oporteat eas, quas ad te deinde literas mittemus: Cæsaris ne tabellarijs, ut is ad te protinus mittat, an Labieni. Vbi enim isti sunt Neruij, & q̃ longe absint, nescio. De uirtute & grauitate Cęsaris, quam in summo dolore adhibuisset, magnam ex epistola tua accepi uoluptatem. Q; me institutum ad illum poema iubes perficere, etsi distentus cum opera, tum animo sum multo magis, tamen quoniam ex epistola quã ad te miserã, cognouit Cæsar me aliquid esse exorsum, reuertar ad institutũ: idque perficiam his supplicationum otiosis diebus, quibus Messalam iam nostrum, reliquosque molestia leuatos uehementer gaudeo: eumque q certum Cos. cum Domitio numeratis, nihil

ratis, nihil à nostra opinione dissentitis. Ego Messalam Cæsari præstabo. Sed Memmius in aduentu Cęsaris habet spem, in quo illum puto errare: hic quidem friget. Scaurum autem iampridem Pōpeius abiecit, res prolatæ. ad interregnum comitia adducta. Rumor Dictatoris iniucūdus bonis: mihi ēt magis quæ loquuntur. Sed tota res & timetur & refrigescit. Pompeius plane se negat uelle, antea mihi ipse non negabat. Hirrus auctor fore uidetur. O dīj q̄ ineptus, q̄ se ipse amans sine riuali. Crassum Iunianum hominem mihi deditū per me deterruit: uelit, nolit, scire difficile est. Hirro tamē agente nolle se non probabit. Aliud hoc tempore de rep. nihil loquebātur: agebaī quidem certe nihil. Serrani Domestitij filij funus perluctuosum fuit, ad VIII. Kal. Decemb. Laudauit pater scripto meo. Nunc de Milone. Pompeius ei nihil tribuit, & omnia Guttæ: dicitq́ꝫ se perfecturum, ut in illo Cæsar incūbat. hoc horret Milo: nec iniuria, & si ille Dictator factus sit, pene diffidit. Intercessorem Dictaturæ si iuuerit manu, & præsidio suo, Pompeium metuit inimicum: si non iuuerit, timet ne per uim perferatur. Ludos apparat magnificentissimos, sic inquam ut nemo sumptuosiores. stulte bis terq́ꝫ non postulatus, uel quia munus magnificum dederat, uel quia facultates non erant, uel quia magister, uel quia potuerat magistrum se non Aedilem putare. Omnia fere scripsi. Cura mi carissime frater, ut ualeas. De Gabinio nihil fuit faciēdū istorum, quæ amantissime cogitata sunt, τότε μοι χάνοι. feci summa cum grauitate, ut omnes sentiant, & summa cum lenitate, quæ feci. illū neq́ꝫ ursi, neq́ꝫ leuaui. testis uehemens fui: præterea quieui. Exitum iudicij fœdum & perniciosum lenissime tuli. Quod quidem bonum mihi nunc deniq́ꝫ redundat, ut his malis reip. licentiaq́ꝫ audacium qua ante rumpebat, nunc ne mouear quidem. Nihil est enim perditius his hominibus, his tēporibus. Itaq́ꝫ ex repub. quoniam nihil iā uoluptatis capi potest, cur stomacher nescio. Literæ me & studia nostra & otiū, uillæq́ꝫ delectant, maximeq́ꝫ pueri nostri. Angit unus Milo, sed uelim finē afferat Consulatus, in quo enitar, non minus q̄ sum enisus in nostro. Tuq́ꝫ istinc, q d' facis, adiuuabis. De quo cetera (nisi plane uis eripuerit) recte sunt: de re familiari timeo, ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς, qui ludos HS. C C C⅄ compareat, cuius in hoc uno considerantiam & ego sustinebo ut potero, & tu ut possis, est tuorum neruorum. De motu temporum uenientis anni nihil te intelligere uolueram domestici timoris, sed de communi reip. statu. in quo etiam si nihil procuro, tamen nihil curare uix possum. Quàm autem te uelim cautum esse in scribēdo ex hoc conijcito, q ego ad te ne hæc quidem scribo, quæ palàm in rep. turbantur, ne cuiusquam animum meæ literæ interceptæ offendant. Quare domestica cura te leuatum uolo. In rep. scio q̄ solicitus esse soleas. Video Messalam nostrum Cos. si per Interregem, sine iudicio: si per Dictatorem, tñ sine periculo, odij nihil habet: Hortēsij calor multū ualebit. Gabinij absolutio lex impunitatis putatur ἐν παρέργῳ. De Dictatore tamen actum adhuc nihil est. Pompeius abest. Appius miscet. Hirtius parat. multi intercessores numerantur. populus non curat. principes nolunt. ego quiesco. De mancipijs, quod mihi polliceris, ualde te amo: & sum equidem, uti scribis, & Romæ, & in prædijs infrequens. Sed caue, amabo, quicq̄, quod ad meum incōmodum attineat, nisi maximo tuo cōmodo,

& maxima tua facultate mi frater cogitaris. De epistola Vatinij risi. sed me ab eo ita obseruari scio, ut eius ista odia non sorbeam solum, sed etiam cõcoquam. Quod me hortaris ut absoluam, habeo absolutum suaue mihi quidem, uti uidetur, ἔπος ad Cæsarē, sed quæro locupletem tabellariū accipiat. quod ego nactus, quid, si Cæsare Imperatore iter ex Gallia tutum non fuit: quid, si cæmentū bonū non haberē, deturbem ædificiū? q d' q̄dē cotidie mihi magis placet: in primisq; inferior porticus, et eius conclauia fiunt recte. De Arcano, Cæsaris opus est, uel mehercule etiam elegantioris alicuius: imagines enim istæ, & palæstra, & piscina & nilus multorum Philotimorum ē, nō Diphilorum, sed & ipsi ea adhibebimus, & mittemus, & mandabimus. De Felicis testamēto tum magis quererere, si scias. Duas enim tabulas se putauit obsignare, in q̄bus in uncijs firmissimū. Tenes uero lapsus est p̄ errorē, et sui & Sicuræ serui non obsignauit: quas noluit, eas obsignauit. ἀλλ' οἰμωζέτω, nos modo ualeamus. Ciceronem & ut rogas, amo, & ut meretur, & ut debeo. Dimitto autem à me, & ut à magistris ne abducam, & q̄ mater Pōponia discedit, sine qua edacitatem pueri pertimesco. sed sumus unà tamen ualde multū. Rescripsi ad omnia, mi suauissime & optime frater. Vale.

CICERO OCTAVIANO SAL.



SI per tuas legiones mihi licitū fuisset, quæ nomini meo, Populoq; R. sunt inimicissimæ, uenire in Senatum, coramq; de rep. disputare, fecissem: neque tam libenter, quàm necessario. nulla enim remedia quæ uulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quàm quæ sunt salutaria. Sed q̄m cohortibus armatis circūseptus Senatus, nihil aliud uere pōt decernere, nisi timere: in Capitolio signa sunt, in urbe milites uagātur, in Campo castra ponuntur, & Italia tota legionibus ad libertatem nostram conscriptis, ad seruitutem adductis, equitatuq; exterarum nationum distinetur. Cedam tibi in præsentia foro, curia, & sanctissimis deorum immortalium templis, in quibus reuiuiscēte iam libertate, deinde rursus oppressa, Senatus nihil consulitur, timet multa, assentitur omnia. Post etiam paulo temporibus ita postulantibus, cedam Vrbe, quam per me conseruatam, ut esset libera, in seruitute uidere non potero. Cedam uita, quæ quāquam solicita est, tamen si profutura est reipub. bonæ spe posteritatis me consolatur. qua sublata, non dubitanter occidam. atque ita cedam, ut fortuna iudicio meo, non animus mihi defuisse uideatur. Illud uero, quod & præsentis doloris est iudiciū, & præteritæ iniuriæ testimonium & absentium sensus significatio, non prætermittam, quin, quoniam coram id facere prohibeor, absens prosim. Siquidem mea salus aut utilis reipub. est, aut coniuncta certe publicæ saluti. Nam per deum immortalium fidem (nisi forte frustra eos appello, quorum auris atque animus à nobis abhorret) per'que fortunam P. R. quæ quāquam nobis infesta est, fuit aliquando propitia, & ut spero futura est, quis tam expers humanitatis? quis huius urbis nomini, ac sedibus usqueadeo est inimicus, ut ista aut dissimulare possit, aut non dolere? aut si nulla ratione publicis incommodis mederi queat, non morte proprium periculum uitet? Nam ut ordiar ab initio, & perducam ad extremum, & nouissima cōferā primis, quę non posterior dies acerbior priore? & q̄ nō insequens hora antecedēte cala-

mitosior

mitosior P.R.illuxit? M. Antonius uir animi maximi (utinam etiam sapientis consilij fuisset) C. Cæsare fortissime, sed parum feliciter à reip. dominatione semoto, concupiuerat magis regium, quàm libera ciuitas pati poterat, principatum. Publicam dilapidabat pecuniam, ærarium exhauriebat, minuebat uectigalia, donabat ciuitates, ex commentario Dictaturam gerebat, leges imponebat, prohibebat Dictatorem creari legibus, S. C. ipse repugnabat in Senatu, prouincias unus omnes concupiebat, cui sordebat Macedonia prouincia, quam uictor sibi sumpserat Cæsar, quid de hoc sperare aut expectare nos oportebat? Extitisti tu uindex nostræ libertatis, ut tūc quidem optimus (quod utinam neq; nostra nos opinio, neque tua fides fefellisset) & ueteranis in unum conductis, & duabus legionibus à pernicie patriæ, ad salutē auocatis, subito propè iam affectam ac prostratam Remp. tuis opibus extulisti. Quæ tibi non ante q̃ postulares, maiora q̃ uelles, plura q̃ sperares, detulit Senatus? Dedit fasces, ut cum auctoritate defensorem haberet, non ut imperio se aduersum armaret. Appellauit Imperatorem hostiū exercitu pulso, tribuens honorem: non ut sua cæde cæsus ille fugiens exercitus te nominaret Imperatorem. Decreuit in foro statuam, locum in Senatu, summum honorē ante tempus. Si quid aliud est quod dari possit, addat. Quid aliud est maius q̄d uelis sumere? Sin autem supra ætatem, supra consuetudinem, supra etiā mortalitatem tuam tibi sunt omnia tributa, cur aut ut ingratum, ingratus crudeliter, aut immemorē beneficij sui, scelerate circūscribis Senatum? Quò te misimus? à quibus reuerteris? cōtra quos armauimus? quibus arma cogitas inferre? à quibus exercitum abducis, & quos aduersus aciem struis? Cur hostis relinquitur? ciuis hostis loco ponitur? cur castra medio itinere lōgius aduersariorum castris, & propius urbem mouentur? O me nunquam sapientem, & aliquando id, quod non eram, frustra existimatum: quantum te Popule Romane de me fefellit opinio? O meam calamitosam ac præcipitem senectutem. O turpem exacta, dementiq; ætate canitiem. Ego P.C. ad parricidium induxi, ego rempu. fefelli, ego ipse Senatum sibi manus afferre coegi: cum te Iunonium puerum, & matris tuæ partum aureum esse dixi. At te fata patrię Paridem futurum prædicabant: qui uastares urbem incendio, Italiam bello: qui castra in templis deorum immortalium, Senatum in castris habiturus esses. O miseram & in breui tam celerem & tam uariam reip. cōmutationē. Quisnam tali futurus ingenio est, qui possit hæc ita mandare literis, ut facta non ficta uideantur esse? Quis erit tanta animi facilitate, qui quæ uerissime memoria propagata fuerint, non fabulæ similia sit existimaturus? Cogita enim Antonium hostem iudicatum, ab eo circūsessum Cos. Des. eundemq; reip. parentem. Te profectū ad Cos. liberandum & hostem opprimendum: hostemq; à te fugatum, & Cos. obsidione liberatū. Deinde paulo post fugatum illum hostem accersitū tanq̃ cohæredem mortua rep. ad bona P.R. capiēda, Cos. Des. rursum inclusum eo, ubi se nō mœnibus sed fluminibus & mōtibus tueretur. Hæc quis conabit̃ exponere? qs credere audebit? Liceat semel impune peccare. sit erranti medicina cōfessio. Verū enim dicā, utinam te potius Antoni dominū non expulissemus, q̃ hunc reciperemus. nō quo ulla sit optāda seruitus: sed q̃a dignitate dñi minus turpis est fortuna serui. In duobus aūt malis cū fugiendū maius sit, leuius est eligendū. Ille ea tamē exorabat, q̃ uolebat auferre:

tu extorques. Ille Cōsul prouinciā petebat: tu priuatus concupiuisti. Ille ad maiorum salutem iudicia constituebat, & leges ferebat: tu ad perniciem optimorum. Ille à sanguine & incendio seruorum Capitolium tuebatur: tu cruore & flamma cuncta delere uis. Si qui dabat prouincias Cassio & Brutis, & illis custodibus nominis nostri, regnabat: quid faciet, qui uitā adimit? qui ex urbe eijciebat, Tyrannus erat: quem hunc uocemus, qui ne locum quidem reliquit exilio? Itaque, si quid illæ maiorum nostrorum sepultæ reliquiæ sapiunt, si non unà cum corpore sensus omnis uno atque eodem consumptus est igni, quid illis interrogantibus, quid agat nunc. P. R. respondebit aliquis nostrum, qui proximus in illam æternam domum decesserit? aut quem accipiet de suis posteris nuncium illi ueteres Aphricani, Maximi, Pauli, Scipiones? quid de sua patria audient, quam spolijs, triūphisq; decorarunt? an esse quendam annos XIII. natum, cuius auus fuerit argētarius, adstipulator pater, uterq; uero precarium quæstum fecerit, sed alter usque ad senectutem ut non negaret, alter à pueritia, ut non posset non confiteri, eum agere, rapere remp. cui nulla uirtus, nullæ bello subactæ & ad imperium adiūctæ prouinciæ, nulla dignitas maiorum conciliasset opem potentium, sed forma per dedecus pecuniam, & nomen nobile consceleratum impudicitiæ dedisset: ueteres uulneribus & ætate confectos Iulianos gladiatores, egēteis reliquias Cæsaris ludi ad rudem compulisset? quibus ille septus omnia misceret, nulli parceret, sibi uiueret. Qui tanquam in dotali matrimonio remp. testamento legatam sibi obtineret. Audient duo Decij seruire eos ciueis, qui ut hostibus imperarent, uictoriæ se deuouerunt. Audiet C. Marius impudico domino parere nos, qui ne militem quidem habere uoluit nisi pudicum. Audiet Brutus eum populum, quem ipse primo, post progenies eius à Regibus liberauit, pro turpi stupro datum in seruitutem. Quæ quidē si nullo alio, me tamen internuncio celeriter ad illos deferētur. Nam si uiuus ista subterfugere nō potero, unà cū istis uitā simul fugere decreui.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM. LIBER PRIMVS.

CICERO ATTICO. SAL.



Etitionis nostræ (quam tibi summæ curæ esse scio) huiusmodi ratio est, quod adhuc coniectura prouideri possit, prēsat unus P. Galba sine fuco ac fallacijs, more maiorum. negatur: ut opinio est hominum, non aliena rationi nostræ fuit illius hæc præpropera prensatio. nam illi ita negant uulgò, ut mihi se debere dicant. Ita quiddam spero nobis profici, cū hoc percrebescit, plurimos nostros amicos inueniri. Nos autem initium prēsandi facere cogitaramus eo ipso tempore, quo tuum puerum cum his literis proficisci Cincius dicebat: In cāpo comitijs Tribunitijs ad XVI Kal. Sext. competitores, qui certi esse uidebātur, Galba & Antonius & Q. Cornificius. Puto te in hoc aut risisse, aut ingemuisse, ut frōtem ferias. Sunt qui etiā Cæsonium putent. Aquilium non arbitrabamur, qui denegat & iurauit morbum, et illud suum regnum iudiciale opposuit. Catilina, si iudicatum erit meridie non liquere, certus erit competitor. De Aufidio & de Palicano non puto te expectare, dum scribam, de ijs qui nunc petūt, Cæsar certus putatur. Thermus cū Silano contendere existimatur, qui sic inopes & ab amicis & existimatione sunt, ut mihi uideatur non esse ἀδύνατον Curium obducere, sed hoc prēter me nemini uidetur. Nostris rationibus maxime conducere uidetur, Thermū fieri cum Cęsare. Nemo est enim, ex ijs, qui nunc petunt, qui si in nostrum annū reciderit, firmior candidatus fore uideatur, propterea quod curator est uiæ Flaminiæ: quæ cum erit absoluta, sanè facile eum libenter nunc ceteri Cōsuli accciderim. Petitorum hæc est adhuc informata cogitatio. Nos in omni munere candidatorio fungendo summam adhibebimus diligētiam: & fortasse, quoniam uidetur in suffragijs multum posse Gallia (cum Romę à iudicijs forum refrixerit) excurremus mēse Septembri Legati ad Pisonem, ut Ianuario reuertamur. Cum perspexero uoluntates nobilium, scribam ad te. Cetera spero prolixa esse his dūtaxat urbanis competitoribus. Illam manum tu mihi cura, ut præstes. Quoniam propius abes Pompeij nostri amici, nega me ei iratum fore, si ad mea comitia non uenerit. Atque hæc huiusmodi sunt: sed est qd' abs te mihi ignosci peruelim. Cæcilius auunculus tuus à P. Vario cum magna pecunia fraudaretur, agere cœpit cum eius fratre Caninio Satyro de ijs rebus, quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret. Vnà agebant ceteri creditores, in quibus erat Lucullus & P. Scipio, & is, quem putabant magistrum fore, si bona uenirent, L. Pontius. uerum hoc ridiculum est, de magistro nunc cognoscere. Rogauit me Cæcilius, ut adessem contra Satyrū. dies fere nullus est, quin hic Satyrus domum meam uentitet: obseruat L. Domitium maxime, me habet proximū: fuit & mihi & Q. fratri magno usui in nostris petitionibus. Sane sum perturbatus, cum ipsius Satyri familiaritate, tum

Domitij, in quo uno maxime ambitio nostra nititur. Demonstraui hæc Cæcilio: simul & illud ostendi, si ipse unus cum illo uno contenderet, me ei satisfacturum fuisse: nunc in causa uniuersorum creditorum, hominum presertim amplissimorum, qui sine eo, quē Cæcilius suo nomine perhiberet, facile causam cōmunem sustinerent, æquum esse, eum & officio meo consulere & tempori. Durius accipere hoc mihi uisus est, quàm uellem, & quàm homines belli solent: & postea prorsus ab instituta nostra paucorum dierum consuetudine longe refugit. Abs te peto, ut mihi hoc ignoscas, & me existimes humanitate esse prohibitum, ne contra amici summam existimationē miserrimo eius tempore uenirem, cum is omnia sua studia & officia in me contulisset. Quod si uoles in me esse durior, ambitionem putabis mihi obstitisse. Ego autem arbitror, etiam si id sit, mihi ignoscendum esse. ἐπεὶ οὐχ ἱερήιον οὐδὲ βοείην. Vides enim in quo cursu sumus, & q̄ omnes gratias non modo retinendas, uerumetiam acquirendas putemus. Spero tibi me causam probasse. Cupio quidem certe. Hermathena tua ualde me delectat, & posita ita belle est, ut totum gymnasium ἡλίου ἀνάθημα esse uideatur. Multum te amamus. L. Iulio Cæsare, C. Martio Figulo Coss. filiolo me auctum scito, salua Terentia.

CICERO ATTICO SAL.



Bs te tandiu nihil literarum. Ego de meis ad te rationibus scripsi antea diligēter. Hoc tempore Catilinam competitorem nostrum defendere cogitamus. Iudices habemus, quos uoluimus, sūma accusatoris uoluntate. Spero si absolutus erit, coniunctiorem illum nobis fore in ratione petitionis: sin aliter acciderit, humaniter feremus. Tuo aduentu nobis opus est maturo. Nam prorsus summa hominum est opinio, tuos familiares, nobiles homines, aduersarios honori nostro fore: ad eorū uoluntatem mihi conciliandam, maximo te mihi usui fore uideo. Quare Ianuario mense, ut constituisti, cura ut Romæ sis. Auiam tuam scito desiderio tui mortuam esse: & simul quòd uerita sit, ne Latinæ in officio non manerent, et in montem Albanum hostias non adducerent: eius rei consolationem ad te L. Saufeium missurum esse arbitror. Nos hic te ad mensem Ianuarium expectamus ex quodam rumore, an ex literis tuis ad alios missis? nā ad me de eo nihil scripsisti. Signa quæ nobis curasti, ea sunt ad Caietam exposita: nos ea non uidimus, neque enim exeundi Roma potestas nobis fuit: misimus, q̄ prouectura solueret: te multum amamus, quòd ea abs te diligēter paruoq́ curata sunt. Quod ad me sępe scripsisti de nostro amico placādo, feci, & expertus sum omnia, sed mirandum in modum est animo abalienato: quibus de suspitionibus, etsi audisse te arbitror, tamē ex me cum ueneris, cognosces. Sallustium præsentem restituere in eius ueterē gratiam non potui. Hoc ad te scripsi, q̄ is me accusare de te solebat: in se expertus est illum esse minus exorabilem, meū studium nec tibi defuisse. Tulliolā C. Pisoni L. F. Frugi despōdimus.

CICERO ATTICO SAL.



Rebras expectationes nobis tui cōmoues. Nuper quidē cū iam te aduentare arbitraremur, repente abs te in mēsem Quintil. reiecti sumus. Nunc uero sentio (quod commodo tuo facere poteris) uenias ad id tēpus, quod scribis, obieris Quint. Fratris comitia, nos longo interuallo uiseris, Acutilianam controuersiam transegeris. Hoc me

etiam

etiam Peduceus, ut ad te scriberem, admonuit: putamus enim utile esse, te aliquando iam rem transigere: mea intercessio parata & est & fuit. Nos hic incredibili ac singulari populi uoluntate de C. Macro transegimus: cui cũ ęqui fuissemus, tamen multo maiorem fructum ex populi existimatione illo damnato cepimus, q̃ ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus. Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est, & ornamentum academiæ proprium meę, quod & Hermes cōmune omnium, & Minerua singulare est eius gymnasij. Quare uelim, ut scribis, ceteris quoque rebus quãplurimis eum locum ornes. Quæ mihi antea signa misisti, ea nondum uidi, in Formiano sunt, quo ego nunc proficisci cogitabam. illa omnia in Tusculanum deportabo. Caietam, si quando abundare cœpero, ornabo. Libros tuos cōserua & noli desperare eos meos facere posse: quod si assequor, supero Crassum diuitijs, atque omnium uicos & prata contemno.

CICERO ATTICO SAL.


Vantum dolorem acceperim, & quanto fructu sim priuatus & forensi et domestico. L. fratris nostri morte, in primis pro nostra cōsuetudine tu existimare potes: nam mihi omnia quæ iucunda ex humanitate alterius & moribus homini accidere possunt, ex illo accidebant. Quare non dubito, quin tibi quoque id molestum sit, cum & meo dolore moueare, & ipse omni uirtute officioque ornatissimum, tuique & sua spōte, & meo sermone amantem, affinem, amicumque amiseris. Quod ad me scribis de sorore tua, testis erit tibi ipsa, quantæ mihi curæ fuerit, ut Q. fratris animus in eam esset is, qui esse deberet: quem cum eē offensiorem arbitrarer, eas literas ad eum misi, quibus & placarem ut fratrem, et monerem ut minorem, & obiurgarem ut errantem. Itaque ex ijs, quæ postea sæpe ab eo ad me scripta sunt, confido ita esse omnia, ut & oporteat & uelimus. De literarum missione sine causa abs te accusor: nunquam enim à Pomponia nostra certior sum factus, esse cui dare literas possem. Porrò autem neque mihi accidit ut haberem, qui in Epeirum proficisceretur, neque dum te Athenis esse audiebamus. De Acutiliano autem negotio quod mihi mandaras, ut primum à tuo digressu Romam ueni, confeceram: sed accidit, ut & contentione nihil opus esset, & ut ego, qui in te satis consilij statuerim esse, mallem Peduceum tibi consilium per literas, q̃ me dare. Etenim cũ multos dies aures meas Acutilio dedissem, cuius sermonis genus tibi notum esse arbitror, non mihi graue duxi scribere ad te de illius querimonijs, cum eas audire (quod erat subodiosum) leue putassem. Sed abs teipso, qui me accusas, unas mihi scito literas redditas eē, cũ & otij ad scribendum plus, et facultatem dādi maiorem habueris. Quod scribis, etiam si cuius animus in te esset offensior, à me recolligi oportere, quid dicas: neque id neglexi, sed est miro quodam modo affectus. Ego autem quæ dicenda fuerunt de te, non prætermisi. Quid autem contendēdum esset, ex tua putabam uolũtate statuere oportere: quam si ad me perscripseris, intelliges me, neque diligentiorem esse uoluisse, q̃ tu esses, neque negligentiorem fore, q̃ tu uelis. De Tadiana re, mecum Tadius locutus est, te ita scripsisse, nihil esse iam quod laboraretur, quoniam hæreditas usucapta esset. Id mirabamur te ignorare, de tutela legitima, in qua dicitur esse puella, nihil usucapi posse. Epeiroticam emptionem gaudeo tibi placere. Quæ tibi mandaui, & quæ tu intelliges

conueniri nostro Tusculano, uelim ut scribis, cures quod sine molestia tua facere poteris: nam nos ex omnibus molestijs & laboribus uno illo in loco cõquiescimus, quo fratrem cotidie expectamus. Terentia magnos articulorum dolores habet, & te & sororem tuam & matrem maxime diligit, salutemq́ tibi plurimã ascribit, & Tulliola delicię nostrę. Cura ut ualeas, & nos ames, & tibi persuadeas te à me fraterne amari.

CICERO ATTICO SAL.



On committam posthac, ut me accusare de epistolarum negligentia possis: tu modo uideto in tanto otio, ut par mihi sis. Domum Rabirianam Neapoli, quam tu iam dimensam & exędificatã animo habebas, M. Fontius emit HS. CCCLↃↃↃXXX. Id te scire uolui, si quid forte ea res ad cogitatiões tuas pertineret. Q. Frater (ut mihi uidetur) quo uolumus animo est in Pomponiam, & cum ea nunc in Arpinatibus prędijs erat, & secum habebat hominem χρηστομαθῆ, D. Turranniũ. Pater nobis decessit ad VIII Kal. Dec. Hæc habebam ferè, quæ te scire uellem. Tu uelim, siqua ornamẽta γυμνασιώδη reperire poteris, quæ loci sint eius, quem tu non ignoras, ne prætermittas. Nos Tusculano ita delectamur, ut nobismetipsis tum deniq́, cum illò uenimus, placeamus. Quid agas omnibus de rebus, & quid acturus sis, fac nos quãdiligentissime certiores. Apud matrem recte est, eaq́ nobis curæ est.

L. Cincio HS XXCD constitui me curaturum Id. Feb. Tu uelim ea, quę nobis emisse & parasse scribis, des operã, ut q̃ primum habeamus: & uelim cogites (id quod mihi pollicitus es) quemadmodũ bibliothecam nobis cõficere possis. Omnem spem delectatiõis nostræ, quã cũ in otium uenerimus, habere uolumus, in tua humanitate positam habemus.

CICERO ATTICO SAL.



Pud te est, ut uolumus: mater tua & soror à me Quintoq́ fratre diligitur. Cum Acutilio sum locutus, is sibi negat à suo procuratore quicquam scriptum esse, & miratur istam controuersiã fuisse, q̃ ille recusarat: satisdari amplius abs te non petit. Quod te de Tadiano negotio decidisse scribis, id ego Tadio & gratum esse intellexi & magnopere iucundũ. Ille noster amicus, uir mehercule optimus, et mihi amicissimus, sanè tibi iratus est. hoc si quanti tu æstimes, sciam, tum quid mihi elaborandum sit, scire possim. L. Cincio HS CCLↃↃ.CCLↃↃ.CCCC. pro signis Megaricis, ut tu ad me scripseras, curaui. Hermę tui Pentelici cum capitibus æneis, de quibus ad me scripsisti, iam nunc me admodum delectãt: quare uelim & eos & signa & cetera, quę tibi eius loci & nostri studij & tuę elegantiæ esse uidebuntur, q̃ plurima quãprimũq́ mittas, et maxime quæ tibi gymnasij, xystiq́ uidebũtur esse. nam in eo genere sic studio efferimur, ut abs te adiuuandi, ab alijs prope reprehendendi simus: si Lentuli nauis non erit, quo tibi placebit, imponito. Tulliola deliciolæ nostræ tuum munusculum flagitat, & me ut sponsorem appellat. Mi autem abiurare certius est, quam dependere.

CICERO ATTICO SAL.

NImium raro nobis abs te literæ afferuntur, cum & multo tu facilius reperias qui Romam proficiscantur, q̃ ego, qui Athenas: & certius tibi sit, me

sit,me esse Romæ,quàm mihi te Athenis: Itaq; propter hanc dubitationem meam breuior hæc ipsa epistola est,q; cum incertus essem,ubi esses,nolebam illum nostrum familiarem sermonē in alienas manus deuenire: signa Megarica & Hermas,de quibus ad me scripsisti,uehementer expecto. Quicqd eiusdem generis habebis,dignū academia tibi quod uidebitur,ne dubitaris mittere,& arcæ nostræ confidito. Genus hoc est uoluptatis meæ,quæ γυμνασιώδη maxime sunt,ea quæro. Lentulus nauis suas pollicetur. Peto abs te,ut hęc diligenter cures. Chilius te rogat,& ego eius rogatu Εὐμολπιδῶν πάτρια.

CICERO ATTICO SAL.



Vm essem in Tusculano(erit hoc tibi pro illo tuo,cū essem in Ceramico). Verūtamen cum ibi essem,Roma puer à sorore tua missus epistolam mihi abs te allatā dedit,nunciauitq; eo ipso die post meridiem missurā eum,qui ad te proficisceretur: eo factum est, ut epistolæ tuæ rescriberem aliquid,breuitate temporis tam pauca cogerer scribere. Primum tibi de nostro amico placando,aut etiam planè restituēdo polliceor. quod ego,etsi mea sponte ante faciebam,eo nūc tamen & agam studiosius,& contendam ab illo uehementius,quòd tantam ex epistola uoluntatem eius rei tuam perspicere uideor: hoc te intelligere uolo,pergrauiter illum esse offensum: sed quia nullam uideo grauem subesse causam, magnopere cōfido illum fore in officio & in nostra potestate. Signa nostra & Hermeraclas, ut scribis,cum cōmodissime poteris,uelim imponas,& si quod aliud οἰκεῖον eius loci,quem non ignoras,reperies: & maxime,quæ tibi palæstræ gymnasijq; uidebūtur esse. etenim ibi sedens hæc ad te scribebam,ut me locus ipse admoneret. Præterea typos tibi mando,quos in tectorio atrioli possim includere, & putealia sigillata duo. Bibliothecam tuam caue cuiquā despondeas, quāuis acrem amatorem inueneris: nam ego omnes meas uindemiolas eo reseruo,ut illud subsidium senectuti parem. De fratre confido ita esse,ut semper uolui & elaboraui: multa signa sunt eius rei: non minimum,q; soror prægnās est. De comitijs meis & tibi me permisisse memini, et ego iāpridem hoc cōmunibus amicis,qui te expectant,prædico: te non modo nō arcessam, sed prohibebo: q; intelligam multo magis interesse tua,te agere quod agendum esset hoc tēpore,q̄ mea,te adesse comitijs. Proinde eo animo te uelim eē,quasi mei negotij causa in ista loca missus esses: sin autem eum & offendes erga te, & audies, quasi mihi siquæ parta erunt,non modo te pręsente,sed per te parta sint. Tulliola tibi diem dat,sponsorem appellat.

CICERO ATTICO SAL.



T mea sponte faciebam antea,& post duabus epistolis tuis perdiligenter in eandem rationem scriptis,magnopere sum cōmotus: eo accedebat hortator assiduus Sallustius,ut agerem quādiligentissime cum Lucceio de uestra uetere gratia reconcilianda. Sed cū omnia fecissem,non modo eam uoluntatem eius,quæ fuerat erga te,recuperare non potui,uerum ne causam quidem elicere immutatæ uoluntatis: tametsi iactat ille quidem illud suum arbitrium,& ea,quę iam tum,cum aderas, offendere eius animum intelligebam,tamen habet quiddam profecto, quod magis in animo eius insederit: quod neq; epistolæ tuæ,neq; nostra legatio, tam potest facile delere,quàm tu præsens,non modo oratione, sed tuo uultu illo

familiari tolles: si modo tanti putaris id, quod si me audies, & si humanitati
tuæ constare uoles, certe putabis. Ac ne illud mirere, cur cum ego antea signi-
ficarem tibi per literas, me sperare illum in nostra potestate fore, nũc idem ui
dear diffidere: incredibile est, quãto mihi uideatur illius uoluntas obstinati-
or, & in hac iracundia affirmatior. Sed hæc aut sanabuntur cum ueneris, aut
ei molesta erunt, in utro culpa erit. Quod in epistola tua scriptum erat, me iã
arbitrari designatum esse, scito nihil tam exercitum esse nunc Romæ, q̃ candi
datos omnibus iniquitatibus, nec quãdo futura sint comitia sciri: uerum hæc
audies de Philadelpho. Tu uelim quæ academiæ nostræ parasti, quãprimũ
mittas: mirequam illius loci non modo usus, sed etiam cogitatio delectat. Li-
bros uero tuos caue cuiquam tradas: nobis eos, quemadmodum scribis, cõser
ua: summum me eorum studium tenet, sicut odium iam ceterarum rerũ: quas
tu incredibile est quàm breui tempore, quãto deteriores offensurus sis, quàm
reliquisti . Multa desunt

Teucris illa lentum sane ne-
gotium. neq; Cornelius ad Terentiam postea rediit: opinor ad Considium
Axium Selicium confugiendum est: nam à Cæcilio propinqui minore cẽte-
simis nummum mouere non possunt. Sed ut ad prima illa redeam: nihil ego
illa impudentius, astutius, lentius uidi. Libertum mitto. Tito mãdaui σκύψεις
atq; ἀναβολάς, sed nescio an ταυτόματων ἡμῶν: nã mihi Põpeiani prodromi nũ
ciant aperte Pompeium acturum, Antonio succedi oportere: eodemq; tẽpo-
re aget Prætor ad populum. Res eiusmodi est, ut ego nec per bonorũ, nec per
popularem existimationem honeste possim hominem defendere, nec mihi li
beat, quod uel maximum est: etenim accidit hoc, quod totum cuiusmodi sit,
mando tibi, ut perspicias. Libertum ego habeo sanè nequam hominem, hila-
rem dico ratiocinatorem & clientem tuum. De eo mihi Valerius interpres
nunciat, Chiliusq; se audisse scribit hæc, esse hominem cum Antonio. An-
tonium porrò in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quæri: & à me cu-
stodem cõmunis quæstus libertum esse missum: non sum mediocriter cõmo
tus, neq; tamen credidi, sed certe aliquid sermonis fuit: totũ inuestiga, cogno
sce, perspice, & nebulonem illum, si quo pacto potes, ex istis locis amo-
ue. Huius sermonis Valerius auctorem Cn. Plaucium nominabat, man-
do tibi planè, totum ut uideas cuiusmodi sit. Pompeium nobis amicissimum
constat esse. Diuortium Mutiæ uehemẽter probatur. P. Clodiũ Appii, F. cre
do te audisse cum ueste muliebri deprehensum domi. C. Cæsaris, cum pro po
pulo fieret, eumq; per manus seruulæ seruatum & eductum: rẽ esse insigni in
famia, quod te moleste ferre certe scio. Quid præterea ad te scribam, non ha-
beo, & mehercule eram in scribendo conturbatior. Nã puer festiuus anagno
stes noster Sositheus decesserat, meq; plus, quàm serui mors debere uidebat,
cõmouerat. Tu uelim sæpe ad nos scribas: si rẽ nullam habebis, quod in buc-
cam uenerit scribito. Kal. Ian. M. Messala & M. Pisone Coss.

CICERO ATTICO SAL.



Accepi tuas tris iam epistolas: unam à M. Cornelio, quã tribus ta-
bernis (ut opinor) ei dedisti: alteram, quam mihi Canusinus tuus
hospes reddidit: tertiam quam (ut scribis) anchora soluta de Pha
selo dedisti: quæ fuerunt omnes rhetorum: pure loquuntur, cũ hu
manitatis

manitatis ſparſę ſale,tum inſignes amoris notis:quibus epiſtolis ſum eędem
abs te laceſſitus ad reſcribendum:ſed idcirco ſum tardior,ꝙ nō inuenio fide-
lem tabellarium:quotus enim quiſꝙ eſt,qui epiſtolã paulo grauiorem ferre
poſſit,niſi eam per lectionem releuerit? Accedit eo ꝙ mihi non eſt notum,ut
quiſꝙ in Epeirum proficiſcitur.Ego enim te arbitror cæſis apud Amaltheã
tuam uictimis,ſtatim eſſe ad Sicyonem oppugnandum profectum:neque ta
men idipſum certum habeo,quando ad Antonium proficiſcare, aut quid in
Epeiro temporis ponas:ita neꝗ Achaicis hominibus,neꝗ Epeiroticis pau-
lo liberiores literas cōmittere audeo.Sunt autem poſt diſceſſum à me tuũ res
dignæ literis noſtris,ſed non cōmittendę eiuſmodi periculo, ut aut interire,
aut aperiri,aut intercipi poſſint.Primum igitur ſcito,primum me non eſſe ro
gatum ſententiã,præpoſitumꝗ eſſe nobis pacificatorem Allobrogum : idꝗ
admurmurante Senatu,neꝗ me inuito eſſe factum:ſum enim & ab obſeruã-
do homine peruerſo liber,& ad dignitatem in rep.retinendam contra illius
uoluntatem ſolutus:& ille ſecundus in dicendo locus habet auctoritatem pe-
nè principis,& uoluntatem non minus deuinctam beneficio Coſ. Tertius eſt
Catulus. Quartus(ſi etiam hoc quæris)Hortenſius. Coſ. autem ipſe paruo
animo & prauo,tamen cauillator genere illo moroſo,quod etiam ſine dicaci
tate ridetur,facie magis ꝗ facetijs ridiculus,nihil agens in rep.ſeiũctus ab op
timatibus,à quo nihil ſperes boni reip.quia non uult:nihil ſperes mali, quia
non uidet.Eius autem Collega & in me perhonorificus,& partiũ ſtudioſus,
ac defenſor bonarum:quin nunc leuiter inter ſe diſſident: ſed uereor ne hoc
quod infectum eſt,ſerpat longius.Credo enim te audiſſe,cum apud Cęſarem
pro populo fieret,ueniſſe eo muliebri ueſtitu uirum,idꝗ ſacrificiũ cum Vir-
gines inſtauraſſent,mētionem à Q.Cornificio in Senatu factam:is fuit prin
ceps,ne tu forte aliquem noſtrum putes.poſtea rem ex.S.C.ad Virgines atꝗ
ad Pontifices relatam:idque ab ĳs nefas eſſe decretum:deinde ex S.C.Con-
ſules rogationem promulgaſſe: Vxori Cæſarem nuncium remiſiſſe. In hac
cauſa Piſo amicitia P.Clodĳ ductus operam dat,ut ea rogatio,quã ipſe fert,
& fert ex S.C.& de religione,antiquetur.Meſſala uehementer adhuc agit ſe
uere:boni uiri precibus Clodĳ remouentur à cauſa.operæ comparãtur: noſ-
metipſi qui Lycurgei à principio fuiſſemus,cotidie demitigamur.inſtat et ur
get Cato.Quid multa? uereor ne hæc iniecta à bonis,defenſa ab ĩprobis, ma
gnorum reipub.malorum cauſa ſit:tuus autem ille amicus,ſcin' quem dicam?
de quo tu ad me ſcripſiſti,poſteaquã non auderet reprehendere, laudare cœ-
piſſe:nos(ut oſtendit)admodum diligit,amplectitur, amat, aperte laudat,
occulte(ſed ita ut perſpicuum ſit)inuidet.nihil come,nihil ſimplex, nihil ἐν
τοῖς πολιτικοῖς, nihil honeſtum,nihil illuſtre,nihil forte,nihil liberũ.Sed hęc
ad te ſcribam aliâs ſubtilius:nam neꝗ adhuc mihi ſatis nota ſunt, & huic ter
ræ filio neſcio cui,cōmittere epiſtolam tantis de rebus nō audeo. Prouincias
Prætores nondum ſortiti ſunt.res eodem eſt loci,quo reliquiſti. Τοποθεσίαν
quam poſtulas Miſeni & Puteolorꝫ includã orationi meæ,ad III.Non.De
cemb.mendoſe fuiſſe animaduerterã.Quæ laudas ex orationibus(mihi cre-
de)ualde mihi placebant,ſed non audebã antea dicere:nunc uero,ꝗ à te ꝓba
ta ſunt,multo mi ἀττικώτερα uidentur.In illã orationē Metellinã addidi ꝗdã:
liber tibi mittetur,quoniã te amor noſtri φιλορήτορα reddit.Noui tibi quid-

opera Fauonij fuit. Hoc concursu optimatum comitia dimittuntur: Senatus uocatur: cum decerneretur frequenti Senatu, contrà pugnante Pisone, ad pedes omnium sigillatim accidente Clodio, ut Consules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam, homines ad XV Curioni nullum. S.C. facienti, assenserunt. Ex altera parte facile. CCCC. fuerunt. acta res est. Fusius tertium cōcessit. Clodius conciones miseras habebat, in quibus Lucullum, Hortensium, C. Pisonem, Messalam Consulem cōtumeliose lædebat, me tantum comperisse omnia criminabatur. Senatus & de prouincijs Prętorum, et de legationibus, & de ceteris rebus decernebat, ut antequã rogatio lata esset, ne quid ageretur. Habes res Romanas: sed tamen etiam illud quod nō speraram, audi. Messala Consul est egregius, fortis, constans, diligens, nostri laudator, amator, imitator. Ille alter uno minus uitio uitiosus, ꝙ iners, ꝙ somni plenus, ꝙ imperitus, ꝙ ἀπρακτότατος, sed uoluntate: ita καχέκτης, ut Pompeium post illam concionẽ: in qua ab eo Senatus laudatus est, odisse cœperit. Itaq; mirum in modum omnes à se bonos alienauit: neq; id magis amicitia Clodij adductus fecit, q̃ studio perditarum rerũ atq; partium: sed habet sui similem in magistratibus, præter Fusium, neminem. Bonis utimur Tribb. pl. Cornuto uero Pseudocatone. Quid quæris? nunc ut ad priuata redeã? τεῦκρις promissa patrauit. tu mandata effice, quæ recepisti. Q. Frater, qui Argiletani ædificij reliquum dodrantem emit HS DCCXXV. Tusculanum uenditat, ut si possit, emat Pacilianam domũ. Cum Lucceio in gratiam redi, uidero hominem, ualde petitur, renouabo operam. Tu quid agas, ubi sis, cuiusmodi istæ res sint, fac me q̃ diligentissime certiorem. Idib. Febr.

CICERO ATTICO SAL.



Siam Quinto suauissimo fratri obtigisse audisti: non enim dubito, quin celerius tibi hoc rumor, quàm ullius nostrum literæ nunciarint. Nunc, quoniã & laudis auidissimi semper fuimus, et præter ceteros φιλέλληνες & sumus & habemur, & multorum odia atq; inimicitias reip. causa suscepimus, παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο: curaq; effice, ut ab omnibus & laudemur & amemur. His de rebus plura ad te in ea epistola scribam, quam ipsi Quinto dabo. Tu me uelim certiorẽ facias, quid de meis mandatis egeris: atque ẽt quid de tuo negotio. Nam, ut Brũdisio profectus es, nullæ mihi abs te sunt redditæ literæ. Valde aueo scire quid agas. Id. Mart.

CICERO ATTICO SAL.



Væris ex me, quid acciderit de iudicio, quod tam præter opinionem omnium factum sit: & simul uis scire, quomodo ego, minus quàm soleã præliatus sim. Respōdebo tibi ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς. Ego enim q̃diu Senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter & uehemẽter præliatus sum, ut clamor cōcursusq; maxima cũ mea laude fierẽt. ꝙ si tibi unq̃ sum uisus in rep. fortis, certe me in illa cã admiratus esses: Cum enim ille ad conciones confugisset, in hisq; meo nomine ad inuidiã uteretur, dij immortales, quas ego pugnas & quantas strages edidi? Quos impetus in Pisonẽ, in Curionem, in totam illam manum feci? Quomodo sum insectatus leuitatem senum, libidinem iuuentutis? Sæpe, ita me Dij iuuent, te non solum auctorem consiliorum meorum, uerum etiam spectatorem pugnarum mirificarum desideraui: postea uero q̃ Hortensius excogitauit, ut le-

gem de religione Fuſius Trib.pl.ferret,in qua nihil aliud à Conſulati rogatione differebat, niſi iudicum genus(in eo autem erāt omnia)pugnauitq; ut ita fieret,q̄ & ſibi & alijs perſuaſerat,nullis illum iudicibus effugere poſſe,cōtraxi uela perſpiciens inopiam iudicum:neq; dixi quicq̄ pro teſtimonio, niſi quod erat ita notum atq; teſtatum,ut non poſſem præterire:Itaq; ſi cauſam quæris abſolutionis,ut iam πρὸς τὸ πρότερον reuertar,egeſtas iudicū fuit & turpitudo:id autem ut accideret,cōmiſſum eſt Hortenſij conſilio:qui dum ueritus eſt,ne Fuſius ei legi intercederet,quæ ex.S.C.ferebatur,non uidit illud,ſatius eſſe, illum in infamia relinqui ac ſordibus, quàm infirmo iudicio committi : ſed ductus odio properauit rem deducere in iudicium, cum illum plumbeo gladio iugulatumiri tamē diceret.Sed iudicium ſi quæris quale fuerit,incredibili exitu:ſic uti nunc ex euentu ab alijs,à me tamē ex ipſo initio cōſilium Hortenſij reprehendatur.Nam ut reiectio facta eſt,clamoribus maximis,cum accuſator,tanquam cēſor bonus,homines nequiſſimos reijceret, reus tanquā clemens laniſta frugaliſſimum quenq; ſecerneret:ut primum iudices conſederunt,ualde diffidere boni cœperunt:nō enim unquam turpior in ludo talario conſeſſus fuit,maculoſi Senatores,nudi Equites, Tribuni nō tā ærarij,q̄ ut appellantur ærati:pauci tamen boni inerant,quos reiectiōe fugare ille nō potuerat,qui mœſti inter ſui diſſimiles & mœrentes ſedebāt,& cōtagione turpitudinis uehementer permouebantur.Hic,ut quæq; res ad conſilium primis poſtulationibus referebatur,incredibilis erat ſeueritas nulla uarietate ſententiarum:nihil impetrarat reus,plus accuſatori dabatur,quàm poſtulabat,triumphabat(quid quæris)? Hortenſius,ſe uidiſſe tantum. Nemo erat qui illum reum ac non millies condemnatum arbitraretur:me uero teſte producto,credo te ex acclamatione Clodij aduocatorum audiſſe,quæ cōſurrectio iudicum facta ſit,ut me circūſteterint,ut aperte iugula ſua pro meo capite.P.Clodio oſtentarint.quæ mihi res multo honorificētior uiſa eſt, q̄ aut illa,cum iurare tui ciues Xenocratem teſtimonium dicentem prohibuerunt, aut cum tabulas Metelli Numidici,cum hæ(ut mos eſt)circunferrentur, noſtri iudices aſpicere noluerunt.multo hæc inquam noſtra res maior:itaq; iudicum uocibus,(cum ego ſic ab his ut ſalus patriæ defenderer)fractus reus, & unà patroni omnes cōciderunt: ad me autem eadem frequentia poſtridie conuenit,qua cū abiens Conſulatu ſum domum reductus.Clamare præclari Ariopagitæ ſe non eſſe uenturos,niſi præſidio cōſtituto:refertur ad cōſiliū, una ſola ſententia præſidium non deſiderauit.defertur res ad Senatū, grauiſſime ornatiſſimeq; decernitur:laudantur Iudices,datur negotium magiſtratibus:reſponſurum hominē nemo arbitratur. ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι,ὅπως δὴ πρῶτον ἔπεσε.Noſti Caluum ex Nānelanis,illum,illū laudatorem meum, de cuius oratione erga me honorifica ad te ſcripſerā: biduo per unū ſeruū & eū ex gladiatorio ludo,cōfecit totū negotiū:accerſiuit ad ſe,promiſit,interceſſit,dedit.Iam uero,ô Dij boni,rem perditam:etiā noctes certarū mulierū atq; adoleſcentulorum nobilium introductiones nōnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerūt.Ita ſummo diſceſſu bonorum,pleno foro ſeruorū, XX Iudices ita fortes tn̄ fuerūt,ut ſūmo propoſito periculo,uel perire maluerint,q̄ pdere omnia. XXX fuerūt,quos fames magis,q̄ fama cōmouerit. Quorū Catulus cum uidiſſet quendā,quid uos,inquit,præſidiū uobis poſtulabatis? an ne nūmi uobis

mi uobis eriperentur, timebatis? Habes, ut breuissime potui, genus iudicij & causam absolutionis. Quæris deinceps, qui nunc sit status rerum, & qui meus. Reipub. statum illum, quem tu meo consilio, ego diuino confirmatum putabam, qui bonorum omnium coniunctione & auctoritate Consulatus mei. fixus & fundatus uidebatur, nisi quis nos deus respexerit, elapsum scito eē de manibus uno hoc iudicio: si iudicium est triginta homines populi R. leuissimos ac nequissimos nūmulis acceptis ius ac fas omne delere, & quod omnes non modo homines, uerum etiam pecudes factū esse sciant, id Talnā et Plautum & Spongiam & ceteras huiusmodi quisquilias statuere nunq̄ esse factū: sed tamen, ut de rep. consoler, non ita ut sperarunt mali, tanto imposito reip. uulnere, alacris exultat improbitas in uictoria. Nam plane ita putauerunt, cū religio, cum pudicitia, cum iudiciorum fides, cum Senatus auctoritas cōcidisset, fore, ut aperte uictrix nequitia ac libido pœnas ab optimo quoq; peteret sui doloris, quem improbissimo cuiq; inusserat seueritas Consulatus mei. Idē ego ille (nō enim mihi uideor insolenter gloriari, cum de me apud te loquor in ea presertim epistola, quam nolo alijs legi) idē inquam ego recreaui afflictos animos bonorum, unumquēq; cōfirmans, excitans: insectādis uero exagitādisq; nūmarijs iudicibus, omnem omnibus studiosis ac fautoribus illius uictoriæ παῤῥησίαν eripui. Pisonem Cōsulem nulla in re consistere unquā sum passus: despōsam homini iam Syriam ademi: Senatum ad pristinam suam seueritatem reuocaui, atq; abiectum excitaui. Clodium præsentem fregi in Senatu cum oratione perpetua, plenissima grauitatis, tum altercatione huiusmodi, ex qua licet pauca degustes: nam cetera nō possunt habere, neq; uim, neq; uenustatem remoto illo studio contentionis, quem ἀγῶνα uos appellatis: nā ut Id. Mai. in Senatum conuenimus, rogatus ego sententiam, multa dixi de summa rep. atq; ille locus inductus à me est diuinitus, Ne una plaga accepta P.C. conciderent, ne deficerent: uulnus esse eiusmodi, quod mihi nec dissimulandum, nec pertimescendum uideretur, ne aut ignorando stultissimi iudicaremur. Bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam, hunc tertium iam esse à iudicibus in rempub. immissum. Erras Clodi, non te iudices urbi, sed carceri reseruarunt: neque te retinere in ciuitate, sed exilio priuare uoluerūt. Quamobrem. P.C. erigite animos, retinete uestram dignitatem, manet illa in repu. bonorum consensio, dolor accessit bonis uiris, uirtus non est imminuta, nihil est damni factum noui: sed quod erat, inuentum est in unius hominis perditi iudicio: plures similes reperti sunt: sed quid ago? pene orationem in epistolā inclusi. Redeo ad altercationē, surgit pulchellus puer, obijcit mihi me ad Baias fuisse. Falsum, sed tn̄ quid huic simile est inquā? dicas quasi in operto fuisse. Quid inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? Narra inquam patrono tuo, qui Arpinateis aquas concupiuit: nosti enim Marinas. Quousq;, inquit, hunc Regem feremus? Regem appellas inquam, cum Rex tui mētionē nullam fecerit? ille autem Regis hæreditatem spe deuorarat. Domum inquit emisti. Putas inquam dicere, iudices emisti? Iuranti, inquit, tibi non crediderunt. Mihi uero inquam. XX. iudices crediderunt. XXX, quoniam nummos ante acceperunt, tibi nil crediderunt. Magnis clamoribus afflictus conticuit & concidit. Noster autem status est hic: apud bonos ijdem sumus, quos reliquisti: apud sordem urbis & fæcem, multo melius nunc q̄ reliquisti: nam.

& illud nobis non obest, uideri nostrum testimonium nõ ualuisse: missus est sanguis inuidiæ sine dolore: atq; etiam hoc magis, q̃ omnes illi fautores illius flagitij rem manifestam illam redemptam esse à iudicibus confitentur. Accedit illud, q̃ illa concionalis hirudo ærarij, misera & ieiuna plebecula, me ab hoc Magno unice diligi putat: & Hercule multa et iucunda consuetudine cõiuncti inter nos sumus, usq; eo, ut nostri isti commissatores cõiurationis barbatuli iuuenes illum in sermonibus Cn. Ciceronem appellent: itaq; & ludis, & gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας sine ulla pastoritia fistula auferebamus. Nunc est expectatio in Comitiorum, in qua omnibus inuitis trudit noster Magnus Auli. F. atq; in eo, neq; auctoritate, neq; gratia pugnat: sed quibus Philippus oĩa castella expugnari posse dicebat, in q̃ mõ asellus onustus auro posset ascẽdere. Cõsul autẽ ille deterioris histrionis similis suscepisse negotium dicitur, & domi diuisores habere, quod ego non credo: sed S.C. duo iam facta sunt odiosa, q̃ in Consulem facta putãtur, Catone & Domitio postulante. unum, Vt apud magistratus inquiri liceret: alterum, Cuiusmodi diuisores habitarent aduersus rempub. Lurco autem Trib. ple. qui magistratũ simul cum lege Aelia inijt, solutus est & Aelia & Fusia, ut legẽ de ambitu ferret, quam ille bono auspicio Claudus homo promulgauit. Ita comitia in ad II. Kal. Sex. dilata sunt. Noui est in lege hoc, Vt qui nummos in tribu pronũciarit, si non dederit, impune sit: sin dederit, ut quoad uiuat singulis tribubus HS. ∞∞∞. debeat. Dixi hanc legem P. Clodium iam antea seruasse: pronũciare enim solitum esse & non dare. Sed heus tu? uides ne Consulatum illum nostrum, quem Curio antea ἀποθέωσιν uocabat, si hic factus erit, fabam mimũ futurum? Quare, ut opinor, φιλοσοφητέον, id quod tu facis: & istos Consulatus, non flocifacteon? Quod ad me scribis, te in Asiam statuisse non ire, equidem mallem ut ires: ac uereor, ne quid in ista rè minus cõmode fiat: sed tamẽ non possum reprehendere consilium tuum, presertim cum egomet in prouinciam non sim profectus. Epigrammatis tuis quæ in Amaltheo posuisti, contenti erimus, presertim cum & Chilius nos reliquerit, & Archias nihil de me scripserit: ac uereor, ne Lucullus, quoniam græcum poema condidit, nunc ad Cæcilianam fabulam spectet. Antonio, tuo nomine gratias egi, eamq; epistolam Manlio dedi. Ad te ideo antea rarius scripsi, q̃ non habebam idoneũ, cui darem, nec satis sciebam quid darem. Vale, te uẽditaui, Cincius si quid ad me tui negotij detulerit, suscipiã. sed nunc magis in suo est occupatus, in quo ego ei nõ desum. Tu, si uno in loco es futurus, crebras à nobis literas expecta. Ast plures etiam ipse mittito. Velim ad me scribas cuiusmodi sit ἀμαλθεῖον tuum, quo ornatu, qua τοποθεσία: & quæ poemata, quasq; historias de ἀμαλθείᾳ habes, ad me mittas. lubet mihi facere in Arpinati. Ego tibi aliquid de meis scriptis mittam: nihil erat absoluti.

CICERO ATTICO SAL.



Agna mihi uarietas uoluntatis & dissimilitudo opinionis ac iudicij Q. Fratris mei demonstrata est ex literis tuis, in quibus ad me epistolarum illius exempla misisti. Qua ex re & molestia sum tanta affectus, quantam mihi meus amor summus erga utrũq; uestrũ afferre debuit: & admiratiõe, quidnã accidisset, quod afferret Q. Fratri meo aut offensionem tam grauem, aut cõmutationem tãtam uoluntatis: atq; illud

à me iam

à me iam ante intelligebatur, quod te quoq; ipsum discedentem à nobis suspicari uidebam, subesse nescio quid opinionis incōmodę, sauciumq; eius aīum, & insedisse quasdam odiosas suspitiones: quibus ego mederi cum cuperē & antea sæpe, & uehementius etiam post sortitionem Prouinciæ, nec tantum intelligebam ei esse offensionis, q̄tū literæ tuę declarant, nec tm̄ ꝓficiebā quātum uolebam. Sed tamen hoc me ipse consolabar, ꝙ nō dubitabam, quin te ille aut Dyrrhachij, aut in istis locis uspiam uisurus esset: quod cum accidisset, confidebam ac mihi persuaseram fore, ut omnia placarentur inter uos, nō modo sermone ac disputatione, sed aspectu ipso, congressuq; uestro: nam quāta sit in Q. fratre meo comitas, quanta iucunditas, quàm mollis animus ad accipiendam & ad deponendam offensionem, nihil attinet me ad te, qui ea nosti, scribere. Sed accidit perincōmode, ꝙ eum nusquam uidisti. Valuit enim plus quod erat illi nōnullorum artificijs inculcatum, q̄ aut officium, aut necessitudo, aut amor uester ille pristinus, qui plurimum ualere debuit: atque huius incōmodi culpa ubi resideat, facilius possū existimare, q̄ scribere: uereor enim, ne, dum defendam meos, nō parcam tuis. Nā sic intelligo, ut nihil à domesticis uulneris factum sit: illud quidem quod erat, eos certe sanare potuisse. Sed huiusce rei totius uitium, quod aliquāto etiam latius patet q̄ uidetur, præsenti tibi cōmodius exponam. De his literis, quas ad te Thessalonica misit, & de sermonibus, quos ab illo & Romæ apud amicos tuos, & in itinere habitos putas, & quid tantum causæ sit, ignoro: sed omnis in tua posita est humanitate mihi spes huius leuandæ molestiæ. Nā si ita statueris, & irritabiles animos esse optimorum sæpe hominum, & eosdem placabilis: & esse hāc agilitatem, ut ita dicā, mollitiēq; naturæ plerūq; bonitati: &, id q̄d caput est, nobis inter nos nostra, siue incommoda, siue uitia, siue iniurias esse tolerandas: facile hæc quemadmodum spero mitigabūtur. Quod ego, ut facias, te oro: nam ad me, qui te unice diligo, maxime pertinet, neminem esse meorū qui aut te nō amet, aut abs te non ametur. Illa pars epistolæ tuę minime fuit necessaria, in qua exponis, quas facultates aut prouincialium aut urbanorum cōmodorū & alijs temporibus & me ipso Consule prætermiseris, mihi enim perspecta est integritas & magnitudo animi tui: neq; ego inter me atque te quicquam interesse unquam duxi præter uoluntatem institutæ uitæ: ꝙ me ambitio quædā ad honorum studium, te autem alia minime reprehendenda ratio ad honestum otium duxit. Vera quidem laude probitatis, diligentiæ, religionis neque me tibi neque quenquā antepono: amoris uero erga me, cū a fraterno amore domesticoq; discessi, tibi primas defero. Vidi enim, uidi, penitusq; ꝑspexi in meis uarijs temporibus & solicitudines & lætitias tuas. Fuit mihi sæpe & laudis nostræ gratulatio tua iucunda, & timoris consolatio grata. Quin mihi nunc te absente non solum consilium, quo tu excellis, sed etiam sermonis communicatio, quæ mihi suauissima tecum solet esse, maxime deest. Quid dicā in publica re? quo in genere mihi negligenti esse non licet: an in forēsi labore, quē antea propter ambitionem sustinebam, nunc ut dignitatem tueri gratia possim? an in ipsis domesticis negotijs, in quibus ego cū antea, tum uerò post discessum fratris, te, sermonesq; nostros desidero? Postremo non labor meus, non requies, non negotium, non otium. non forenses res, non domesticæ, nō priuatæ carere diutius tuo suauissimo atque amantissimo consilio ac sermone

possunt. Atque harum rerum cõmemorationem uerecundia sæpe impediuit utriusq; nostrum: nunc autem ea fuit necessaria propter eam partem epistolę tuæ, per quam te ac mores tuos mihi purgatos ac probatos esse uoluisti. Atq; in ista incõmoditate alienati illius animi & offensi, illud inest tamen cõmodi, q; & mihi & ceteris amicis tuis nota fuit & abs te aliquãdo testificata tua uoluntas omittendæ prouinciæ: ut quòd unà non estis, non dissensione ac dissidio uestro, sed uoluntate ac iudicio tuo factũ esse uideatur. Quare & illa quę uiolata, expiabuntur: & hæc nostra, quæ sunt sanctissime conseruata, suã religionem obtinebunt. Nos hic in Repub. infirma, misera, cõmutabiliq; uersamur: credo enim te audisse nostros Equites pene à Senatu esse disiũctos: qui primum illud ualde grauiter tulerunt, promulgatum ex S.C. fuisse, Vt de ijs, qui ob iudicandum pecuniam accepissent, quæreretur. Qua in re decernẽda, cum ego casu nõ affuissem, sensissemq; id equestrem ordinem ferre moleste, neq; aperte dicere, obiurgaui Senatum, ut mihi uisus sum, summa cum auctoritate: & in causa non uerecunda, admodum grauis & copiosus fui. Ecce aliæ deliciæ Equitum uix ferendæ, quas ego nõ solum tuli sed etiam ornaui. Asiani, qui de Censoribus conduxerunt, questi sunt in Senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse: ut induceretur locatio, postulauerũt. Ego princeps in adiutoribus, atque adeo secundus: nam, ut illi auderẽt hoc postulare, Crassus eos impulit. Inuidiosa res, turpis postulatio & confessio temeritatis: summum erat periculum, ne si nihil impetrassent, planè alienarent à Senatu. Huic quoq; rei subuentum est maxime à nobis, perfectumq;, ut frequentissimo Senatu & libentissimo uterentur, multaq; à me de ordinum dignitate & concordia dicta sunt Kal. Decemb. & postridie: neq; adhuc res cõfecta est, sed uoluntas Senatus perspecta. Vnus enim contradixerat Metellus Cos. Desig. Qui erat dicturus (ad quem propter diei breuitatem peruentum non est). Heros, ille noster Cato. Sic ego conseruans rationem institutioneq; nostram, tueor ut possum illam à me conglutinatam concordiam. Sed tñ, quoniam ista sunt tam infirma, munitur quędã nobis ad retinendas opes nostras tuta, ut spero, uia, quam tibi literis satis explicare non possum, significatione parua ostendam tamen. Vtor Pompeio familiarissime: uideo quid dicas: cauebo quæ sunt cauenda, ac scribam aliàs ad te de meis consilijs capessendę reipub. plura. Lucceium scito Consulatum habere in animo statim petere: duo enim soli dicuntur petituri. Cæsar cum eo coire per Arrium cogitat: & Bibulus cum hoc se putat per C. Pisonem posse coniungi. Rides? Non sunt hęc ridicula, mihi crede. Quid aliud scribam ad te? quid? multa sunt: sed in aliud tẽpus expectare uelis: cures ut sciam. iam illud modeste rogo quod maxime cupio, ut quãprimum uenias. Non. Decemb.

CICERO ATTICO SAL.



Ihil mihi nunc scito tam deesse, q̃ hominem eum, quocum omnia quæ me cura aliqua afficiunt, unà cõmunicem, qui me amet, qui sapiat, quicum ego conloquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam: Abest enim Frater ἀφελέστατος & amantissimus Metellus, nõ homo, sed littus atque aer & solitudo mea. Tu aũt, qui sæpissime curam & angorem animi mei sermone & consilio leuasti tuo, qui mihi & in publica re socius, & in priuatis omnibus cõscius, & omnium meorũ sermonum & consiliorum

& consiliorum particeps esse soles, ubinã es? Ita sum ab omnibus destitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore & filiola & mellito Cicero ne consumitur. Nam illæ ambitiosæ nostræ fucosæq; amicitiæ sunt in quodã splendore forensi, fructum domesticum non habent. Itaq;, cum bene cõpleta domus est tempore matutino, cum ad forum stipati gregibus amicorũ descẽdimus, reperire ex magna turba neminem possumus, quicum aut iocari libere aut suspirare familiariter possimus. Quare te expectamus, te desideramus, te iam etiam arcessimus. Multa enim, quæ me solicitant, anguntq;: mihi uideor aureis nactus tuas, unius ambulationis sermone exhaurire posse. Ac domesticarum quidẽ solicitudinum aculeos omnes, & scrupulos occultabo. neq; ego huic epistolæ atq; ignoto tabellario cõmittam: atq; hi (nolo enim te permoueri) non sunt permolesti, sed tamen insident & urgent, & nullius amantis consilio aut sermone requiescunt. In repub. uero, q̃q̃ animus est præsens, tamen uoluntas etiam atque etiã ipsa me deficit. Nam, ut ea breuiter, quę post tuum discessum acta sunt, colligam, iam exclames necesse est, res Romanas diutius stare non posse. Etenim post profectionem tuam primus (ut opinor) introitus fuit in causam fabulæ Clodianæ: in qua ego nactus, (ut mihi uidebar) locum resecandæ libidinis & coercendæ iuuentutis, uehemens fui, & omneis profudi uires animi atque ingenij mei: non odio adductus alicuius, sed animo corrigendæ, & sanandæ ciuitatis. Afflicta respub. est empto stupratoq; iudicio. Vide quæ sint postea consecuta. Consul est impositus nobis is, quem nemo præter nos philosophos aspicere sine suspirio posset. quãtum hoc uulnus, facto. S.C. de ambitu, de iudicijs nulla lex plata, exagitatus, Senatus alienati Equites R. q̃d' erat quidẽ ob rẽ iudicandã. sic ille annus duo firmamenta reipub. per me unum constituta euertit. Nam & Senatus auctoritatem abiecit, & ordinum concordiam disiunxit. Instat hic nunc ille annus egregius. eius initium eiusmodi fuit, ut anniuersaria sacra iuuentutis nõ committerentur. Nam M. Luculli uxorem Memmius suis sacris initiauit. Menelaus ægre id passus diuortiũ fecit. quãquã ille pastor Idæus Menelaũ solũ cõtempserit: hic noster Paris tam Menelaum quàm Agamẽnonem liberũ non putauit. Est autem C. Herennius quidam Trib. pl. quem tu fortasse ne nosti quidem, tametsi potes nosse. Tribulis enim tuus est, & Sextus pater eius nummos uobis diuidere solebat. Is ad plebem Publium Clodium traducit, idẽq; fert, ut Vniuersus populus in campo Martio suffragium de re Clodij ferat. Hunc ego accepi in Senatu, ut soleo: sed nihil est illo homine lentius. Metellus est Consul egregius, & nos amat: sed imminuit auctoritatem suam, quòd habet, ut dicit, causam promulgatam. Illud idem de Clodio. A. autem Filius, O dij immortales, quàm ignauus ac sine animo miles? quam dignus, qui Palicano, sicut facit, os ad male audiendum cotidie præbeat? Agraria autẽ promulgata est à Flauio sanè leuis, eadem ferè quæ fuit Plotia. Sed interea πολιτικὸς ἀνὴρ, οὐδ᾽ ὄναρ quisquã inueniri potest, qui poterat familiaris noster (sic est enim, uolo te hoc scire) Pompeius, legulam illam pictam silẽtio tuetur suam. Crassus uerbum nullum contra gratiam. ceteros iã nosti: qui ita sunt stulti, ut amissa rep. piscinas suas fore saluas sperare uideantur. Vnus est, qui curet constantia magis & integritate, quàm (ut mihi uidetur) consilio aut ingenio Cato: qui miseros Publicanos, quos habuit amantissimos sui, tertiũ iam

minem nequam atq; egentem,sæpe iam de P.Clodio ad plebem traducendo
agere cœpisse.huic frequenter interceditur.Hęc sunt(ut opinor)in rep.Ego
autem,ut semel Nonarum illarum Decembrium iunctam inuidia ac multorũ
inimicitijs eximiam quandam atq; immortalem gloriam consecutus sum,nõ
destiti eadem animi magnitudine in repub.uersari,& illam institutam ac su-
sceptam dignitatem tueri.Sed postea q̃ primum Clodij absolutione leuitatẽ
infirmitatemq; iudiciorum perspexi,deinde uidi nostros Publicanos facile à
Senatu disiungi,q̃q̃ à meipso non diuellerentur,tum autem beatos homines
hos piscinarios(dico amicos tuos)non obscure nobis inuidere,putaui mihi
maiores quasdam opes & firmiora præsidia esse quærenda. Itaq; primũ eũ,
qui nimium diu de rebus nostris tacuerat,Pompeium,adduxi in eam uolun-
tatem,ut in Senatu non semel,sed sæpe,multisq; uerbis suis mihi salutem im-
perij atq; orbis terrarum adiudicarit:quod nõ tam interfuit mea(neq; enim
illæ res aut ita sunt obscuræ,ut testimonium,aut ita dubiæ,ut laudationẽ desi
derent)quàm reipub.q; erant quidam improbi,qui contentionẽ fore aliquã
mihi cum Pompeio ex rerum illarum dissensione,arbitrarentur.Cũ hoc ego
me tanta familiaritate coniunxi,ut uterq; nostrum in sua ratione munitior,&
in repub.firmior hac coniunctione esse possit.Odia autem illa libidinosæ &
delicatæ iuuentutis,quæ erant in me incitata,sic mitigata sunt,comitate qua-
dam mea,me unum ut omnes illi colãt.Nihil iam deniq; à me asperũ in quẽq̃
fit,nec tamen quicquam populare ac dissolutum,sed ita temperata tota ratio
est,ut reipublicæ constantiam præstem,priuatis rebus meis propter infirmi-
tatem bonorum,iniquitatem maliuolorum,odium in me improborũ,adhibe
am quandam cautionem & diligentiam. Atq; ita(tam etsi ijs nouis amicitijs
implicati sumus)ut crebro mihi uafer ille Siculus insusurret Epicharmus can
tilenam illam suam,νῆφε καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Ac nostræ q-
dem rationis ac uitæ,quasi quandam formam(ut opinor)uides. De tuo autẽ
negotio sæpe ad me scribis,cui mederi nũc nõ possumus.Est enim illud S.C.
summa pedariorum uoluntate,nullius nostrum auctoritate factum.Nam,q;
me esse ad scribendum uides,ex ipso.S.C.intelligere potes aliam rem tum re-
latam,hoc autem DE POPVLIS LIBERIS sine causa additum: & ita
factum est à P.Seruilio filio,qui in postremis sententiam dixit: sed īmutari
hoc tempore non potest.Itaq; conuentus,qui initio celebrabantur,iãdiu fieri
desierunt.Tu si tuis blanditijs tamẽ à Sicyonijs nummulorum aliquid expſ
seris,uelim me facias certiorem.Cõmentarium Consulatus mei græce cõposi
tum misi ad te,in quo si quid erit,quod homini Attico minus græcum erudi-
tumq; uideatur,non dicam quod tibi(ut opinor)Panormi Lucullus de suis
historijs dixerat,se,quo facilius illas probaret,Romani hominis esse,idcirco
bárbara quædam & σόλοικα dispersisse:apud me si quid erit eiusmodi,me im-
prudente erit & inuito.Latinum si perfecero,ad te mittam . Tertium poema
expectato,ne quod genus à meipso laudis meæ prętermittatur.Hic tu caue di
cas. τίς πατέρ᾽ αἰνήσει. si est enim apud homines quicquam,quod potius sit,lau-
detur,nos uituperemur,qui non potius alia laudemus.q̃q̃ nõ ἐγκωμιαστικὰ sunt
hæc,sed ἱστορικὰ quæ scribimus.Q.frater purgat se multum per literas,& affir
mat nil à se cuiquam de te secus esse dictum.uerum hæc uobis coram summa
cura & diligentia sunt agenda.Tu modo nos reuise aliquãdo . Cossinius hic,

cui dedi literas, ualde mihi bonus homo, & non leuis, & amans tui uisus est et talis, qualem esse eum tuæ mihi literæ enunciarant. Vale. Idib. Mart.

CICERO ATTICO SAL.


Vm è Pompeiano me Romam recepissem ad. IIII. Id. Ma. Cincius noster eam mihi abs te epistolam reddidit, quam tu Idib. Feb. dederas. Ei nunc epistolæ literis his respõdebo: ac primũ tibi perspectum esse iudicium de te meum, lætor: Deinde te in his rebus, quæ mihi asperius à nobis atque nostris, & iniucundius actæ uidebãtur, moderatissimum fuisse, uehemẽtissime gaudeo: idq; neque amoris mediocris & ingenij summi ac sapientiæ iudico. Qua de re, cum ad me ita suauiter, diligenter, officiose, & humaniter scripseris, ut non modo te hortari amplius nõ debeam, sed ne expectare quidem abs te, aut ab ullo homine tãtum facilitatis ac mansuetudinis potuerim, nihil duco esse cõmodius, quàm de his rebus nihil iam amplius scribere: cum erimus congressi, tum si quid res feret, coràm inter nos conferemus. Quod ad me de rep. scribis, disputas tu quidem & amanter & prudenter, & à meis consilijs ratio tua non abhorret: nam neq; de statu nobis nostræ dignitatis est recedendũ, neq; sine nostris copijs intra alterius præsidia ueniendum: & is, de quo scribis, nihil habet amplum, nihil excelsum, nihil non summissum atque populare: uerũtamen fuit ratio mihi fortasse ad trãquillitatem meorum temporum non inutilis, sed mehercule reipu. multo etiã utilior q̃ mihi, ciuium improborum impetus in me reprimi, cum hominis amplissima fortuna, auctoritate, gratia, fluctuantem sententiam confirmassem, & à spe malorum ad mearum rerum laudem conuertissem: quod si cũ aliqua leuitate mihi faciendum fuisset, nullam rem tanti æstimassem: sed tamen à me ita acta sunt omnia, non ut ego illi assentiens leuior, sed ut ille me probãs grauior uideretur. Reliqua sic à me aguntur & agentur, ut nõ cõmittamus, ut ea, quæ gessimus, fortuito gessisse uideamur in eos bonos uiros illos, quos significas, eam, quam mihi dicis obtigisse λσπάρτην, non modo nunquã deseram, sed etiam si ego ab illa deserar, tamen in mea pristina sententia permanebo. illud tamen uelim existimes, me hanc uiam optimatum post Catuli mortẽ nec præsidio ullo, nec comitatu tenere: nam, ut ait Rhinthon, ut opinor, οἱ μὲν παρ' οὐδέν εἰσιν, οἷς δ' οὐδὲν μέλει. Mihi uero, ut inuideant piscinarij nostri, aut scribã ad te aliâs, aut in cõgressum nostrum reseruabo. à curia autem nulla me res diuellet, uel ꝙ ita rectum est, uel ꝙ rebus meis maxime consentaneum, uel ꝙ à Senatu quãti fiam, minime me pœnitet. De Sicyonijs (ut ad te scripsi antea) non multum spei est in Senatu: nemo est enim iam, qui queratur: quare si id expectas, lõgum est: alia uia, si qua potes, pugna: cũ est actũ, neq; animaduersum est ad quos pertineret, & raptim in eam sententiam pedarij cucurrerunt. Inducendi. S.C. maturitas nondum est: ꝙ neque sunt qui quærantur, & multi partim maleuolentia, partim opinione æquitatis delectantur. Metellus tuus est egregius Cos. unum reprehendo, ꝙ otiũ è Gallia nunciari non magnopere gaudet, cupit credo triumphare: hoc uellem mediocrius. cetera egregia. A. filius uero ita se gerit, ut eius Consulatus non Cõsulatus sit, sed Magni nostri ὑπώπιον. De meis scriptis misi ad te græce perfectum Consulatum meũ. eum librum L. Cossinio dedi: puto te Latinis meis delectari: huic autem Græco Græcum inuidere. Alij si scripserint, mittemus ad te: sed mihi crede, simul atque

atq; hoc nostrum legerunt, nescio quo pacto retardantur. Nũc (ut ad rẽ meam redeam) L. Papyrius Pętus, uir bonus amatorq; nostri, mihi libros eos, quos S. Claudius reliquit, donauit. cum mihi per legem Cinciam licere capere Cincius amicus tuus diceret, libẽter dixi me accepturum, si attulisset. Nũc, si me amas, si te à me amari scis, enitere per amicos, clientes, hospites, libertos denique ac seruos tuos, ut scida nequa depereat: nam & Gręcis his libris, quos suspicor, & Latinis, quos scio illũ reliquisse, mihi uehementer opus est: ego autem cotidie magis quod mihi de forensi labore temporis datur, in his studijs conquiesco. per mihi, per inquã gratum feceris si in hoc tam diligens fueris, q̃ soles in his rebus, quas me ualde uelle arbitraris: ipsiusq; Pęti tibi negotia cõmendo: de quibus tibi ille agit maximas gratias. Et, ut iam inuisas nos, non solum rogo, sed etiam suadeo.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM. LIBER SECVNDVS.

CICERO ATTICO. SAL.



A L. Iun. eunti mihi Antium, & gladiatores M. Metelli cupide relinquenti, uenit obuiam tuus puer: is mihi literas abs te & Cõmentarium Consulatus mei gręce scriptum reddidit: in quo lætatus sum aliquãto antè de ijsdẽ rebus græce itẽ scriptũ librũ L. Cossinio ad te perferendum dedisse. Nam si ego tuum ante legissem, furatum me abs te eẽ diceres. quãq̃ tua illa (legi enim libẽter) horridula mihi atque incompta uisa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, q; ornamenta neglexerant: & ut mulieres, ideò bene olere, quod nihil olebant, uidebantur: meus autem liber totum Isocrati μυροθήκιον, atque omnis eius discipulorum arculas, ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta cõsumpsit: quem tu Corcyræ, ut mihi alijs literis significas, strictim attigisti: post autem, ut arbitror, à Cossinio accepisti: quem tibi ego nõ essem ausus mittere, nisi eum lente ac fastidiose probauissem: quanquam ad me rescripsit iam Rhodo Posidonius, se nostrum illud ὑπόμνημα cum legeret, quod ego ad eũ, ut ornatius de ijsdẽ rebus scriberet, miserã, nõ modo nõ excitatum esse ad scribẽdum, sed etiam planè perterritũ: quid quæris? cõturbaui græcam nationem: ita uulgo qui instabant ut darem sibi quod ornarẽt, iam exhibere mihi molestiam destiterũt. Tu, si tibi placuerit liber, curabis ut & Athenis sit, & in ceteris oppidis Græciæ: uidetur enim posse aliquid nostris rebus lucis afferre. Oratiunculas autem & quas postulas, & pluris etiam mittam, quoniam quidem ea, quæ nos scribimus adolescẽtulorum studijs excitati, te etiam delectãt: fuit enim mihi commodum, quòd in eis orationibus, quæ Philippicæ nominantur, enituerat ciuis ille tuus Demosthenes, & q; se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat, ut σεμνότερός τις & πολιτικώτερος uideretur curare, ut meæ quoque essent orationes, quę Cõsula-

res nominarentur:quarum una est in Senatu Kal. Ian. Altera ad populũ de lege agraria:tertia de Othone:quarta pro Rabirio : quinta de proscriptorũ filijs:sexta,cum prouinciam in concione deposui:septima,quo Catilinã emisi:octaua,quam habui ad populũ postridie,q̃ Catilina profugit:nona in cõcione, quo die Allobroges inuocarũt:decima,in Senatu Non. Decemb. Sũt præterea duæ breues,quasi ἀποσπασμάτια legis agrariæ. Hoc totum σῶμα curabo ut habeas. Et quoniam te,cum scripta,tum res meæ delectant, ijsdem ex libris pspicies,& quæ gesserim & quæ dixerim.aut ne poposcisses,ego enim tibi me non offerebam. Quod quæris quid sit,quo te arcessam ac simul impeditum te negotijs esse significas,neque recusas quin non modo si opus sit,sed etiam si uelim,accurras,nihil sane est necesse:uerũtamen uidebare mihi tẽpora peregrinationis commodius posse describere.nimis abes diu,presertim cũ sis in propinquis locis:neq; nos te fruimur,& tu nobis cares:ac nũc quidem otiũ est:sed si paulo plus furor Pulchelli progredi posset,ualde ego te istinc exercitarem.uerũ præclare Metellus impedit & impediet. Quid quæris? est Cos. φιλόπατρις, & (ut semper iudicaui) natura bonus:ille autem nõ simulat: sed plane Trib.ple.fieri cupit. Quare cum in Senatu ageretur,fregi hominẽ, & inconstantiam eius reprehendi,qui Romæ Trib.pl.peteret,cum in Sicilia Aedilitatem sæpe dictitasset:sed neque magnopere dixi esse nobis laborandum,ꝙ nihilo magis ei liciturum esset plebeio rempub.perdere, q̃ similibus eius me Cos. Patritijs eẽt licitum. Iã cũ se ille septimo die uenisse à freto,neq; sibi obuiam quẽquam prodire potuisse,& noctu se introisse dixisset, in eoq; se in concione iactasset,nihil ei noui dixi accidisse:ex Sicilia septimo die Romam,tribus horis Roma Interamnã noctu introisse:item ante non esse itum obuiam:ne tum quidem,cũ iri maxime debuit. Quid quæris? hominem petulantem,modestum reddo:nõ solum perpetua grauitate orationis, sed etiam hoc genere dictorum. Itaq; iam familiariter cũ ipso cauillor ac iocor. Quinetiam cum candidatum deducerem,is quærit ex me, num consuessem Siculis locum gladiatoribus dare:negaui,at ego,inquit,nouos patronos instituam: sed soror,quæ tantum habeat Consularis loci,unum mihi solum pedem dat: noli inquam de uno pede sororis queri,licet etiam alterum tollas. Non Cõsulare inquies dictũ,fateor,sed ego illam odi male Consularem:ea est enim seditiosa,ea cum uiro bellum gerit:neq; solum cũ Metello,sed etiam cum Fabio, ꝙ eos in hoc esse moleste fert. Quod de agraria lege quæris,sane iam uidetur refrixisse. Quòd me quodammodo molli brachio de Pompeij familiaritate obiurgas,nolim ita existimes,me mei præsidij causa cũ illo cõiunctũ esse: sed ita res erat instituta,ut si inter nos esset aliqua forte dissensio,maximas in rep. discordias uersari esset necesse:quod à me ita præcautum atque ita præuisum est,non ut ego de optima illa mea ratione decederem,sed ut ille esset melior, & aliquid de populari leuitate deponeret:quẽ de meis rebus,in quas eũ multi incitarant,multo scito gloriosius q̃ de suis prædicare:sibi enim bene gestæ, mihi cõseruatæ reipu.dat testimonium:hoc facere illum mihi quàm profuit, nescio,reipu.certe prodest:quid si etiam Cæsarem,cuius nũc uenti ualde sunt secundi, reddo meliorem? num tantum obsum reipubu.? Quinetiam, si mihi nemo inuideret, si omnes, ut erat æquum, fauerent: tamen non minus esset probanda medicina,quæ sanaret uitiosas partis reip.quàm quæ exseca-

ret. Nunc uero cum equitatus ille, quem ego in cliuo Capitolino te signifero ac principe collocaram, Senatū deseruerit, nostri autē principes digito se cœlum putent attingere, si mulli barbati in piscinis sunt, qui ad manum accedāt, alij autem negligant: nōne tibi satis prodesse uideor, si perficio ut nolint obesse, qui possunt? Nam Catonem nostrum nō tu amas plus q̄ ego: sed tn̄ ille optimo animo utens & sūma fide, nocet interdum reip. Dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ. non tanquam in Romuli fece, sententiam. Quid uerius quàm in iudicium uenire, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit? Censuit hoc Cato, assensit Senatus. Equiti, Curiæ bellum, nō mihi: nam ego dissensi. Quid impudentius Publicanis renunciantibus? Fuit tamen retinendi ordinis causa facienda iactura. Restitit & peruicit Cato: itaque nunc Consule in carcere incluso, sæpe item seditione commota, aspirauit nemo eorum, quorū ego concursu, itemq; Consules, qui post me fuerūt, remp. defendere solebāt. Quid ergo istos, inquies, mercede inductos habebimus? quid faciemus, si aliter non possumus? an libertinis atque etiā seruis seruiamus? Sed ut tu ais ἅλις σπουδῆς. Fauonius meam tribum tulit honestius quàm suā, Luccei perdidit, accusauit Nasicam inhoneste: ac modeste tamē dixit, ita ut Rhodi uideretur molis potius, q̄ Moloni operam dedisse: mihi quòd defendissem, leuiter suscensuit. nunc tamen petit iterum reip. causa. Lucceius quid agat. scribam ad te, cum Cæsarem uidero, qui aderit biduo. Quòd Sicyonij te lædunt, Catoni & eius æmulatori attribuas Seruilio. Quid? ea plaga nōne ad multos bonos uiros pertinet? Sed si ita placuit, laudemus, deinde in dissensionibus soli relinquamur. Amalthea mea te expectat, & indiget tui. Tusculanum & Pompeianum ualde me delectant, nisi q; me illum ipsum uindicem æris alieni, ære non Corinthio, sed hoc circumforaneo obruerunt. In Gallia speramus esse otiū. Prognostica mea cum oratiunculis propediem expecta: & tamen, quid cogites de aduentu tuo, scribe ad nos: nam mihi Pomponia nunciari iussit, te mense Quintili Romæ fore: id à tuis literis, quas ad me de accessu tuo miseras, discrepabat. Pætus, ut antea ad te scripsi, omnes libros, quos frater suus reliquisset, mihi donauit. Hoc illius munus in tua diligentia positum est: si me amas, cura ut conseruentur, & ad me perferantur: hoc mihi nil potest esse gratius: & cum Græcos, tum uero diligenter Latinos ut cōserues uelim: tuum ēē hoc munusculum putabo. Ad Octauium dedi literas, cum ipso nil erā locutus: neque enim ista tua negotia prouincialia ēē putabam, neq; te in Toculionibus habebam: sed scripsi ut debui diligenter.

CICERO ATTICO SAL.



Vra, amabo te, Ciceronem nostrum: ei nos δέον uidemur. πολιτειῶν in manibus tenebam, & hercule magnum aceruum Dicæarchi mihi ante pedes extruxeram. O magnum hominem, et à quo multo plura didiceris, q̄ de Procilio. Κορινθίων & Ἀθηναίων puto me Romæ habere. mihi Herodes. lege hæc doceo, mirabilis uir est. Ἡρώδης (si homo esset) eum potius legeret, q̄ unam literam scriberet. Qui me epistola petiuit, ad te, ut uideo, comminus accessit: coniurasse mallem quàm restitisse cōiurationi, si illū mihi audiēdū putassem: de Lollio sanus nō es, de Vinio laudo: Sed heus tu, ecquid uides Kalend. uenire? Antonium non uenire? Iudices cogi? nam ita ad me mittunt: Nigidium minari in concione se iudicem, qui non

affuerit, compellaturum. Velim tamen, si quid est de Antonij aduentu quod audieris, scribas ad me: & quoniam huc nō uenis, cenes apud nos, utiq; prid. Kal. Caue aliter facias. Cura ut ualeas.

CICERO ATTICO SAL.



Rimum, ut opinor, εὐαγγέλια. Valerius absolutus est Hortensio defendente: id iudicium Attilio condonatum putabatur, & Epicratem suspicor, ut scribis, lasciuū fuisse: etenim mihi caligæ eius, ut fasciæ cretatæ non placebant. Quid sit, sciemus cum ueneris. Fenestrarum angustias, quòd reprehendis, scito te Κύρου παιδείαν reprehendere. nam cum ego idem istuc dicerem, Cyrus aiebat, radiorum διαφάσεις latis luminibus, nō tā esse suaueis. etenim ἴσω ὄψις μὲν ἡ α. τὸ δὲ ὁρώμενον β, γ. ἀκτῖνες δὲ δ, καὶ ε. Vides enim cetera. nam si κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις uideremus, ualde laborarent εἴδωλα in angustijs: nunc fit lepide illa ἔκχυσις radiorum. Cetera si reprehenderis, non feres tacitū: nisi si q̄d erit eiusmodi, quod sine sumptu corrigi possit. Venio nunc ad mensem Ianuarium, & ad ὑπόστασιν nostram ac πολιτείαν, in qua σωκρατικῶς εἰς ἑκάτερον, sed tamen ad extremum, ut illi solebant, τὴν ἀρέσκουσαν. Est res sanè magni consilij: nā aut fortiter resistēdum est legi agrariæ, in quo est quædam dimicatio, sed plena laudis: aut quiescēdum, quod est non dissimile atque ire in Solonium aut Antium, aut etiam adiuuandū, quod à me aiunt Cæsarem sic expectare, ut non dubitet: nam fuit apud me Cornelius, hunc dico Balbum Cæsaris familiarem: is affirmabat illum omnibus in rebus meo & Pompeij consilio usurum, daturumq; operam, ut cum Pompeio Crassum cōiungeret. Hic sunt hæc. coniunctio mihi summa cum Pompeio, si placet etiam cum Cæsare reditus in gratiā, cū inimicis pax, cū multitudine senectutis ociū. Sed me κατάκλεισις mea illa cōmouet, quæ est in libro tertio.

Interea cursus, quos prima à parte iuuentæ,
Quosque adeo Consul uirtute animoq; petisti,
Hos retine, atq; auge famam laudesq; bonorum.

Hæc mihi cum in eo libro, in quo multa sunt scripta ἀριστοκρατικῶς, Calliope ipsa præscripserit, non opinor esse dubitandum, quin semper nobis uideatur εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Sed hæc ambulationibus Cōpitalitijs reseruemus. Tu pridie Compitalia memento. Balineum calfieri iubebo & Pomponiam (Terentia rogat) matrem adiungemus. Θεοφράστου περὶ φιλοτιμίας affer mihi de libris Q. Fratris.

CICERO ATTICO SAL.



Ecisti mihi pergratū, q̄ Serapionis librū ad me misisti: ex quo q̄dem ego (q̄d inter nos liceat dicere) millesimā partē uix ītelligo. pro eo tibi p̄sentem pecuniā solui imperaui, ne tu expensum muneribus ferres: at qm̄ numorū mentio facta est, amabo te, cura ut cū Ticinio, quoquomō poteris, transigas. Si in eo quod ostēderat, nō stat, mihi maxime placet ea, quę male empta sunt, reddi: si uolūtate Pōponiæ fieri poterit: si ne id quidē, nūmi potius reddant, q̄ ullus sit scrupulus: ualde hoc uelim * anteq̄ proficiscare, amāter, ut soles, diligenterq; cōficias: Clodius ergo, ut ais, ad Tigranē: uelim syrpię cōditione: sed facile patior: accōmodatius. n. nobis est ad liberā legationē tps illud, cū & Quintus noster iā, ut speramus, in otio cōsederit, et iste sacerdos Bonę Deę cuiusmodi futurus sit, sciri possit. Interea

quidem

quidē cū Musis nos delectabimus aïo æquo, ĩmo uero ēt gaudenti ac libēti: neq; mihi unq̃ ueniet in mētem, Crasso inuidere: neq; pœnitere, q̃ à me ipse non desciuerim. De Geographia dabo operam ut tibi satisfaciam, sed nihil certi polliceor: magnum opus est, sed tamē, ut iubes, curabo ut huius peregrinationis aliquod tibi opus extet. Tu quicquid indagaris de rep. & maxime, quos Coss. futuros putes, facito ut sciam. tametsi minus sum curiosus, statui enim nihil iam de rep. cogitare. Terentiæ saltum perspeximus: quid quæris? præter quercum Dodoneam nihil desideramus, quo minus Epeirum ipsam possidere uideamur. Nos circiter Kalē. aut in Formiano erimus, aut in Pompeiano. Tu, si in Formiano non erimus (si nos amas) in Pompeianum uenito: id & nobis erit periucundum & tibi non sane deuium. De muro imperaui Philotimo, ne impediret quo minus id fieret, quod tibi uideretur: ut cēseo tamen, adhibeas Vectium. His temporibus tam dubia uita optimi cuiusque, magni æstimo unius æstatis fructum palæstræ palatinæ: sed ita tamen, ut nihil minus uelim, q̃ Pomponiam & puerum uersari in timore ruinæ.

CICERO ATTICO SAL.



Vpio equidem & iampridem cupio Alexandream, reliquã q; Aegyptum uisere, & simul ab hac hominum satietate nostri discedere, & cum aliquo desiderio reuerti: sed hoc tempore & ijs mittentibus, Αἰδέομαι τρῶας καὶ τρωάδας ἑλκεσιπέπλους. Quid enim nostri optimates, si qui reliqui sunt, loquentur? an me aliquo præmio de sentētia esse deductum? πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει Cato ille noster, qui mihi unus est pro centum millibus? Quid uero historiæ de nobis ad annos. DC. prædicarint? quas quidem ego multo magis uereor q̃ eorum hominum, qui hodie uiuunt, rumusculos: sed opinor excipiamus, & expectemus. si enim deferetur, erit quædam nostra potestas & tum deliberabimus: & iã hercule est in non accipiendo nonnulla gloria. Quare si quid Θεοφάνης tecum forte contulerit, ne omnino repudiaris. De istis rebus expecto tuas literas, quid Arrius narret, quo animo se destitutum ferat: & qui Coss. parentur, utrum (ut populi sermo) Pompeius & Crassus, an, ut mihi scribitur, cū Gabinio Ser. Sulpicius: & num quæ nouæ leges, & num quid noui omnino: & quoniam Nepos proficiscitur, cuinam Auguratus deferatur, quo quidem uno ego ab istis capi possum. uidete ciuitatem meam. Sed quid ego hæc, quę cupio deponere, & toto animo atque omni cura φιλοσοφεῖν. Sic inquam in animo, sic uellem ab initio. Nunc uero, quoniam, quæ putaui esse pręclara, expertus sum quàm essent inania, cum omnibus Musis rationem habere cogito. Tu tamē de Curtio ad me rescribe certius, & nunc quis in eius locum paret, & quid de P. Clodio fiat: & omnia quemadmodū polliceris, ἐπὶ σχολῆς scribe: & quo die Romã te exiturum putes, uelim ad me scribas, ut certiorem te faciã quibus in locis futurus sim: epistolamq; statim des de his rebus, de q̃bus ad te scripsi: ualde enim expecto tuas literas.

CICERO ATTICO SAL.



Vod tibi superioribus literis ꝓmiseram, fore ut opus extaret huius peregrinationis, nihil iã magnopere cōfirmo: sic enim sum cōplexus otium, ut ab eo diuelli non queã. Itaque aut libris me delecto, quorum habeo Antij festiuã copiã, aut fluctus numero: nã ad

lacertas captandas tempestates non sunt idoneæ. A scribendo prorsus abhorret animus: etenim γεωγραφικὰ quæ constitueram, magnum opus est: ita ualde Eratosthenes, quem mihi proposueram, à Serapione & ab Hipparcho reprehenditur. Quid censes, si Tyrãnio accesserit? & hercule sunt res difficiles ad explicandum, & ὁμοειδεῖς, nec tam possunt ἀνθηρογραφεῖσθαι, quàm uidebantur: & quod caput est, mihi quæuis, satis iusta causa cessandi est. Quinetiã dubitem, an hic Antij considam, & hoc tempus omne consumam. ubi quidem ego mallẽ diu nimirum, quàm Romæ fuisse: tu uero sapientior, Buthroti domum parasti: sed, mihi crede, proxima est illi municipio hæc Antiatum ciuitas. Esse locum tam propè Romã, ubi multi sint, qui Vatinium nunquam uiderint: ubi nemo sit, præter me, qui quenquam ex XX Viris unum esse saluum uelit: ubi me interpellet nemo, diligant omnes. Hic, hic nimirũ πολιτεύτέον: nam istic non solum non licet, sed etiam tædet. Itaque ἀνέκδοτα, quæ tibi uni legamus, Theopomponio genere, aut etiam asperiore multo pangẽtur: neque aliud iam quicquam πολιτεύομαι, nisi odisse improbos, & id ipsum nullo cum stomacho, sed potius cum aliqua scribendi uoluptate: sed ut ad rem: Scripsi ad Quæstores Vrbanos de Q. Fratris negotio. uide quid narrent, et quæ spes sit denarij, an cistophoro Pompeiano iaceamus. Præterea de muro statue, quid faciendum sit, aliud: quid, etiam, quãdo te proficisci istinc putes, fac ut sciam.

CICERO ATTICO SAL.

DE Geographia etiam atq; etiam deliberabimus. Orationes me autem duas postulas: quarum alteram non libebat mihi scribere, qa abscideram: alteram, ne laudarem eum, quem non amabam: sed id quoq; uidebimus. Denique aliquid extabit, ne tibi planè cessasse uideamur. De Publio, quæ ad me scribis, sanè mihi iucunda sunt: eaq; etiã uelim omnibus uestigijs indagata ad me afferas, cum uenies: & interea scribas, si quid intelliges aut suspicabere, & maxime de legatiõe quid sit acturus. Equidem antè q̃ tuas legi literas, in hominem ire cupiebam: non mehercule ut differrem cum eo uadimonium, nam mira sum alacritate ad litigãdum: sed uidebatur mihi, si quid esset in eo populare, q; plebeius factus esset, id amissurus: quid enim ad plebem transisti: ut Tigranem ires salutatum? Narra mihi, Reges Armenij patricios salutare non solẽt? Quid quæris? acueram me ad exagitandam hanc eius legationem: quam si ille contemnit, & si (ut scribis) bilem id cõmouet, & latoribus & auspicibus legis Curiatæ spectaculũ egregium. Hercule, uerum ut loquamur, subcõtumeliose tractatur noster Publius, primum qui cum in domo Cęsaris quondam unus uir fuerit, nunc ne in uiginti quidem esse potuerit: deinde alia legatio dicta erat, alia data est: illa opima ad exigendas pecunias, Druso, ut opinor, Bisaurensis nebuloni Vatinio reseruatur. Hæc ieiuna tabellarij legatio datur ei, cuius Tribunatus ad istorũ tempora reseruatur. Incende hominem, amabo te, quoad potes: una spes est salutis, istorum inter istos dissensio, cuius ego quædam initia sensi ex Curione. Iã uerò Arrius Consulatum sibi ereptum fremit. Megabocchus, & hæc sanguinaria iuuentus inimicissima est: accedat uero, accedat etiam ista rixa Auguratus: spero me præclaras de istis rebus epistolas ad te sępe missurum. Sed illud quid sit scire cupio, quod iacis obscure iam etiã ex ipsis Quinqueuiris loqui *

quosdam.

quosdam. Quidnam id est? si est enim aliquid, plus est boni, quàm putarã. Atque hæc sic uelim existimes, non me abs te κατὰ τὸ πρακτικὸν quærere, quòd gestiat animus aliquid agere in rep. iampridem gubernare me tædebat, etiam cum licebat: nũc uero cũ cogar exire de naui nõ abiectis sed receptis gubernaculis, cupio istorũ naufragia ex terra intueri: cupio, ut ait tuus amicus Sophocles, Καὶ ὑπὸ στέγῃ πυκνὰς ἀκοῦσαι ψεκάδος εὑδούσῃ φρενί De muro quid opus sit, uidebis. Castricianum mendum nos corrigemus, & tamen ad me Q. C I Ↄ. C C I Ↄ Ↄ. I Ↄ Ↄ Ↄ. scripserat, non ad sororem tuam HS X X X. Terentia tibi salutem dicit. Cicero tibi mandat, ut Aristodemo idem de se respondeas, quod de fratre suo sororis tuæ filio respõdisti. De Amalthea quod me admones, non negligemus. Cura ut ualeas.

CICERO ATTICO SAL.



Epistolam cum à te auide expectarem ad uesperum, ut soleo, ecce tibi nuncius, pueros uenisse Roma. Voco, quæro, ecquid literarum? negãt. Quid ais inquam, nihil ne à Pomponio? perterriti uoce & uultu, confessi sunt se accepisse, sed excidisse in uia. Quid quæris? permoleste tuli. Nulla enim abs te per hos dies epistola inanis aliqua re utili & suaui uenerat: nunc, si quid in ea epistola, quam ante diem. XVI. Kalen. Mai dedisti, fuit historia dignum, scribe quamprimũ, ne ignoremus: sin nihil præter iocationem, redde id ipsum: & scito Curionem adolescentẽ uenisse ad me salutatum: ualde eius sermo de Publio cum tuis literis congruebat. Ipse uero mirandum in modum, Reges odisse superbos. Peræque narrabat incensam esse iuuentutem, neque ferre hæc posse. Bene habemus nos: si in ijs spes est, opinor, aliud agamus. Ego me do historiæ: quanquam licet me Saufeium putes esse: nihil me est inertius. Sed cognosce itinera nostra, ut statuas ubi nos uisurus sis. In formianum uolumus uenire Parilibus: inde (quoniam putas prætermittẽdum nobis esse hoc tempore cratera illum delicatum) Kal. Mai de Formiano proficiscemur, ut Antij simus ad. V. Non. Mai. Ludi enim Antij futuri sũt à. IIII. Kalẽ. ad Prid. Non. Mai. eos Tullia spectare uult: inde cogito in Tusculanum: deinde Arpinum: Romam ad Kal. Iun. Te, aut in Formiano, aut Antij, aut in Tusculano, cura ut uideamus. Epistolam superiorẽ restitue nobis, & appinge aliquid noui.

CICERO ATTICO SAL.



Svbito cum mihi dixisset Cæcilius Quæstor puerum se Romam mittere, hęc scripsi raptim, ut tuos mirificos cũ Publio dialogos, cum eos de quibus scribis, tum illum, quem addis, & ais longum esse, quæ ad ea responderis, perscribere: illum uero qui nondũ habitus est, quem illa βοῶπις, cum è Solonio redierit, ad te est relatura. Sic uelim putes, nihil hoc posse mihi esse iucundius: si uerò quæ de me pacta sunt, ea nõ seruantur, in cœlo sum: ut sciat hic noster Hierosolymarius traductor ad plebem, quàm bonam meis putissimis orationibus gratiam retulerit, quarũ expecta diuinam παλινῳδίαν: etenim quantum coniectura auguramur, si erit nebulo iste cum his Dynastis in gratia: non modo de Cynico Consulari, sed ne de istis quidem piscinarum Tritonibus poterit se iactare: non enim poterimus ulla esse inuidia spoliati opibus, & illa Senatoria potentia: sin autem ab ijs dissentiet, erit absurdum in nos inuehi: uerũtamen inuehatur: festiue, mihi

crede,& minore sonitu quàm putaram,orbis hic in rep.est conuersus: citius omnino quàm potuit,id culpa Catonis: sed rursus improbitate istorum, qui auspicia,qui Aeliam legem,qui Iuniam & Liciniam,qui Cæliam et Didiam neglexerunt,qui omnia remedia reip,effuderunt,qui regna, qui prædia Tetrarchis,qui immanes pecunias paucis dederunt. Video iam quo inuidia trãseat,& ubi sit habitatura: nihil me existimaris, neq; usu, neque à Theophrasto didicisse.nisi breui tẽpore desiderari nostra illa tempora uideris: etenim si fuit inuidiosa Senatus potentia,cum ea non ad populum, sed ad tres homines immoderatos redacta sit,quid nam censes fore? Proinde isti licet faciant quos uolent Coss. Tribb.pl.denique etiam Vatinij strumam sacerdotij διβάφῳ uestiant: uidebis breui tempore magnos,non modo eos qui nihil titubarunt,sed etiam illum ipsum,qui peccauit,Catonem.nam nos quidẽ, si per istum tuum sodalem Publium licebit, σοφισεύειν cogitamus, Si ille cogitat, tãtum dũtaxat nos defendere,& quod est proprium artis huius, ἐπαγγέλλομαι ἀνδρ' ἀπαμύνασθαι ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ, Patria propitia sit,habet à nobis etiã si non plus q̃ debitum est,plus certe q̃ postulatum ẽ: male uehi malo alio gubernante,quàm tam ingratis uectoribus bene gubernare: sed hæc corã commodius: nũc audi quod quæris. Antium me ex Formiano recipere cogito ad V.Non.Mai. Antio uolo Non.Mai.proficisci in Tusculanum: sed cũ ẽ Formiano rediero,ibi eẽ usque ad pr.Kal.Mai.uolo.faciam statim te certiorem. Terentia tibi salutem, Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζεται Τίτον Ἀθηναῖον

CICERO ATTICO SAL.

VOlo ames meã constantiam: ludos Antij spectare non placet. Est enim ὑποσόλοικον, quum uelim uitare omnium deliciarum suspitionem,repente ἀναφαίνεσθαι non solum delicate, sed etiam inepte peregrinãtem: quare usq; ad Non.Mai te in Formiano expectabo. Nunc fac ut sciam,quo die te uisuri simus. Ab Appij Foro, hora quarta dederam aliam paulo ante Tribus Tabernis.

CICERO ATTICO SAL.

NArro tibi,planè relegatus mihi uideor, posteaquam in Formiano sum: dies enim nullus erat, Antij cum essem,quo die non melius scirem Romæ quid ageretur,quàm ij,qui erant Romæ: etenim literæ tuæ non solum quid Romæ,sed etiam quid in rep.neque solum quid fieret,uerum etiam quid futurum esset,indicabant. Nũc,nisi si quid ex prætereunte uiatore exceptum est,scire nihil possumus: quare, quãquam iam teipsum expecto: tamen isti puero,quem ad me statim iussi recurrere,da ponderosam aliquam epistolam,plenam omnium non modo actorum, sed etiam opinionum tuarum: ac diem,quo Roma sis exiturus, cura ut sciã. Nos in Formiano esse uolumus usque ad pr.Non.Maias: eò si ante eam diem nõ ueneris,Romæ te fortasse uidebo. Nam Arpinum quid ego te inuitem? τρηχεῖ' ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος οὔτι ἔγωγε ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι. Hæc igitur,cura ut ualeas.

CICERO ATTICO SAL.

NEgent illi Publium Trib.pl.factum esse: hoc uero regnum esse, ferre nullo pacto potes: emittat ad me Publius,qui obsignent,iurabo Cn. nostrum Collegam Balbi, Antij mihi narrasse in auspicio fuisse. O suaues

suaues epiſtolas tuas uno tempore mihi datas duas, quibus εὐαγγέλια quæ reddam neſcio, deberi quidem planè fateor. Sed uide συγκύρημα. emerſam cõmode ex Antiati in Appiam ad Tres Tabernas, ipſis Cerialibus, cum in me incurrit Roma ueniens Curio meus, ibidem ilico puer abs te cum epiſtolis. Ille ex me, nihil ne audiſſe noui? ego negare: Publius, inqt, Trib. pl. petit. Quid ais? & inimiciſſimus quidem Cæſaris, & ut omnia, inqt, iſta reſcindat. Quid Cæſar inquam? Negat ſe quicquam de illius adoptione tuliſſe: deinde ſuum, Memmij, Metelli, Nepotis exprompſit odium. Complexus iuuenem dimiſi, properans ad epiſtolas. Vbi ſunt qui aiunt, ζώσης φωνῆς, quanto magis uidi ex tuis literis, q̃ ex illius ſermone, quid ageretur de ruminatione cotidiana, de cogitatione Publij, de lituis βοώπιδος, de ſignifero Athenione, de literis miſſis ad Cn. de Theophanis Memmijq́ ſermone. Quantam porro mihi expectationem dediſti conuiuij iſtius ἀσελγοῦς, ſum in curioſitate ὀξύπεινος, ſed tamen facile patior te id ad me συμπόσιον nõ ſcribere, præſentẽ audire malo. Quòd me ut ſcribã aliquid hortaris, creſcit mihi quidẽ materies, ut dicis, ſed tota res etiam nunc fluctuat κατ' ὀπώρην τραχὺς quæ ſi deceſſerit, magis erunt iudicata quæ ſcribam: quæ ſi ſtatim à me ferre non potueris, primus habebis, tamẽ id aliquãdiu ſolus. Dicæarchum recte amas, luculentus homo eſt, & ciuis haud paulo melior, quàm iſti noſtri ἀδικαίαρχοι. Literas ſcripſi H. X. Cerialibus ſtatim ut tuas legeram, ſed eas eram daturus, ut putarã, poſtridie ei qui mihi primus obuiam ueniſſet. Terentia delectata eſt tuis literis, & impertit tibi multã ſalutem. καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται.

CICERO ATTICO SAL.

FAcinus indignum, epiſtolã αὐθωρεὶ tibi à Tribus Tabernis reſcriptam ad tuas ſuauiſſimas epiſtolas, neminem reddidiſſe? At ſcito eum faſciculum, quo illam conieceram, domum eo ipſo die latum eſſe, quo ego dederam, et ad me in Formianum relatum eſſe. Itaq; tibi tuam epiſtolam iuſſi referri, ex qua intelligeres q̃ mihi tum illæ gratæ fuiſſent. Romæ q; ſcribis ſileri, ita putabam: at hercule in agris non ſiletur, nec iam ipſi agri regnum ueſtrum ferre poſſunt. Si uero in hanc τηλέπυλον ueneris λαιστρυγονίην, Formias dico, qui fremitus hominũ? quàm irati animi? quanto in odio noſter amicus Magnus? cuius cognomẽ unà cum Craſſi diuitis cognomine conſeneſcit. Credas mihi uelim, neminem adhuc offendi, qui hæc tã lente, q̃ ego fero, ferret. Quare, mihi crede, φιλοσοφῶμεν. iuratus tibi poſſum dicere, nihil eſſe tanti. Tu ſi literas ad Sicyonios habes, aduola in Formianum, unde nos pr. Non. Mai cogitamus.

CICERO ATTICO SAL.

QVantam tu mihi moues expectationem de ſermone Bibuli? quantam de colloquio βοώπιδος? quantam etiam de illo delicato conuiuio? Proinde ita fac uenias ad ſitientes aures: quãquam nihil ẽ iam quod magis timendum nobis putem, q̃ ne ille noſter Sampſiceramus, quum ſe omnium ſermonibus ſentiet uapulare, & cum has actiones δυσκατρέπτους uidebit, ruere incipiat: ego aũt uſque eo ſum eneruatus, ut hoc otio, quo nunc tabeſcimus, malim ἐντυραννεῖσθαι, quàm cum optima ſpe dimicare. De pangendo, quod me crebro adhortaris, fieri nihil poteſt. Baſilicam habeo non uillam frequentia Formianorum, at quam partem baſilicæ? tribũ Aemi-

liam sed omitto uulgus. post horam quartam molesti ceteri non sunt. C. Arrius proximus est uicinus, immo ille quidem iam contubernalis: qui etiã se idcirco Romam ire negat, ut hic mecum totos dies philosophetur. Ecce ex altera parte Sebosus ille Catuli familiaris. quo me uertam? statim me hercule Arpinum irem, ni te in Formiano cõmodissime expectari uiderem, dũtaxat ad pri. Non. Mai. Vide enim quibus hominibus aures sint deditæ meæ: occasionem mirificam, si qui nunc, dum ij apud me sunt, emere de me fundũ Formianum uelit: & tamẽ illud probem. Magnum quid aggrediamur, & multæ cogitationis atque otij. sed tamen satisfiet à nobis, neq; parcetur labori.

CICERO ATTICO SAL.

VT scribis, ita uideo non minus incerta in rep. quàm in epistola tua: sed tamen ista ipsa me uarietas sermonum opinionumq; delectat. Romæ enim uideor esse, cum tuas literas lego: & ut fit, in tantis rebus, modo hoc modo illud audire: illud tamen explicare non possum, quidnã inuenire possit, nullo recusante ad facultatẽ agrariã. Bibuli autẽ ista magnitudo animi in comitiorũ dilatiõe, q̃d habet, nisi ipsius iudiciũ sine ulla correctiõe reip.? nimirum in Publio spes est, fiat, fiat Trib. pl. si nihil aliud, ut eo citius tu ex Epeiro reuertare. nam ut illo tu careas, nõ uideo posse fieri, presertim si mecum aliquid uolet disputare. Sed id quidem non dubiũ est, quin si quid erit eiusmodi, sis aduolaturus. Verum ut hoc non fit, tamen siue ruet rẽp. præclarum spectaculum mihi propono, modo te consessore spectare liceat. Cum hęc maxime scriberem: ecce tibi Sebosus (nondũ planè ingemuerã) Salue, inquit Arrius. hoc est Roma decedere? quos ego homines effugi, cum in hos incidi? Ego uero in montes patrios, & ad incunabula nostra pergam: deniq; si solus non potuero, cum rusticis potius, quàm cum ijs perurbanis: ita tamen, ut quoniã tu certi nihil scribis, in Formiano tibi præstoler usq; ad. III. Non. Mai. Terentiæ pergrata est assiduitas tua & diligentia in cõtrouersia Muluiana: nescit omnino te communem causam defendere eorum, qui agros publicos possideant: sed tamen tu aliquid publicanis pendis, hæc ẽt id recusat. Ea tibi igitur, & Κικέρων ἀριστοκρατικώτατος παῖς salutem dicunt.

CICERO ATTICO SAL.

CEnato mihi, & iam dormitanti pr. Kal. Mai. epistola est illa reddita, in qua de agro Campano scribis. Quid quæris? primo ita me pupugit, ut somnũ mihi ademerit: sed id cogitatione magis, q̃ molestia. Cogitanti autem hæc ferè succurrebãt: primum ex eo quod superioribus literis scripseras, ex familiaritate illius audisse prolatum iri aliquid, quod nemo improbaret. maius aliquid timuerã: hoc mihi eiusmodi nõ uidebatur: deinde ut me ego consoler, omnis expectatio largitionis agrariæ in agrum Campanum uidetur eẽ deriuata: qui ager ut dena iugera sint, non amplius hominum quinque millia potest sustinere: reliqua omnis multitudo ab illis abalienet, necesse est. Præterea, si ulla res est, quæ bonorũ animos, quos iam uideo esse commotos, uehementius possit incedere, hæc certe est, & eo magis, quòd portorijs Italiæ sublatis, agro Campano diuiso, quod uectigal superest domesticum præter uicesimam? quæ mihi uidetur una cõciuncula, clamore pedisequorũ nostrorũ eẽ peritura. Cnæus qdẽ noster iã planè q̃d cogitet nescio. φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι, ἀλλ᾽ ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ:

qui quidem

qui quidem etiam istuc adduci potuerit. nam adhuc hoc ἰσοφίζετο, Si leges Cæsaris probaret, actiones ipsum præstare debere: agrariam legem sibi placuisse, potuerit intercedi nec ne, nihil ad se pertinere. De Rege Alexandrino placuisse sibi aliquando confici: Bibulus de cœlo tum seruasset, nec ne, sibi quærendum non fuisse. De Publicanis uoluisse illi ordini commodare: quicquid futurum fuerit, si Bibulus tum in forum descendisset, se diuinare nō potuisse: nunc uero Sampsicerame quid dices? uectigal te nobis in monte Antilibano cōstituisse, agri Campani abstulisse? Quid hoc quemadmodum obtinebis? Oppressos uos, inquit, tenebo exercitu Cæsaris. Non mehercule me tu quidē tam isto exercitu, q̄ ingratis animis eorum hominum, qui appellantur boni. qui mihi non modo præmiorū, sed ne sermonū quidem unq̄ fructum ullum aut gratiā retulerūt. Q. si in eā me partē incitarē, profecto iam aliquā reperirem resistendi uiā: nūc prorsus hoc statui, ut, qm̄ tanta controuersia est Dicæarcho familiari tuo, cū Theophrasto amico meo, ut ille tuus τὸν πρακτικὸν βίον longe omnibus anteponat, hic aūt τὸν θεωρητικόν, utrūq; à me mos gestus esse uideatur: puto enim me Dicæarcho affatim satisfecisse. Respicio nūc ad hāc familiā, quæ mihi nō mō ut requiescā permittit, sed reprehendit, quia nō semp quierim. Quare incūbamus ô noster Tite ad illa p̄clara studia, & eò unde discedere non oportuit, aliqñ reuertamur. Quod de Q. fratris epistola scribis, ad me quoq; fuit προσθελύμνον, ὄπιθεν δέ. Quid dicam nescio. Nā ita deplorat primis uersibus mansionem suam, ut quēuis mouere possit: ita rursus remittit, ut me roget, ut annales suos emendē, & edā. illud tn̄ quod scribis, animaduertas uelim de portorio circūuectionis: ait se de consilij sñia rem ad Senatū reiecisse: nondū uidelicet meas literas legerat, quibus ad eum re cōsulta & explorata perscripserā non deberi. Velim siqui Græci iam Romam ex Asia de ea cā uenerunt, uideas, & (si tibi uidebit̄) ijs demonstres, quid ego de ea re sentiā. Si possum discedere, ne causa optima in Senatu pereat, ego satisfaciā Publicanis: εἰ δὲ μὴ, (uere tecū loquar) in hac re malo uniuersæ Asiæ, & negotiatoribus, nam eorū quoq; uehementer interest. Hoc ego sentio ualde nobis opus esse. Sed tu id uidebis. Quæstores aūt quæso, num etiam de cistophoro dubitant? Nam si aliud nihil erit, cum erimus omnia experti, ego illud ne quidem contemnam, quod extremum est, te in Arpinati uidebimus, & hospitio agresti accipiemus, quoniam maritimum hoc contempsisti.

CICERO ATTICO SAL.



Rorsus, ut scribis, ita sentio: turbat̄ Sampsiceramus: nihil est q̄d non timendum sit ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται. Quid enim ista repentina affinitatis coniunctio? quid ager Campanus? quid effusio pecuniæ significant? quæ si essent extrema, tamen esset nimium mali: sed ea natura rei est, ut hæc extrema esse non possint. Quid enim eos hæc ipsa per se delectare possunt? nunquam huc uenissent, nisi ad alias res pestiferas aditus sibi compararent. Verum, ut scribis, hæc in Arpinati ad VI circiter Id. Mai. non defleamus, ne opera & oleum philologiæ nostræ perierit, sed conferamus tranquillo animo. Dij immortales, neque tam me εὐελπιστία consolatur, ut antea, quàm ἀδιαφορία, qua nulla in re tā utor, quàm in hac ciuili & publica. Quin etiā, quod est subinane in nobis, & non ἀφιλόδοξον (bellū est enim sua uitia nosse) afficitur quadā delectatiōe. Solebat enim

me pungere, ne Sampsicerami merita in patriam ad annos sexcentos maiora uiderentur, quàm nostra. Hac quidem cura certe iam uacuus est: iacet enim ille sic ut Phocis Curiana, stare uideatur: sed hæc coràm. Tu tamē uideris mihi Romæ fore ad nostrum aduentum: quod sanè facile patiar, si tuo commodo fieri possit: sin ut scribis ita uenies, uelim è Theophane expiscere, quonā in me animo sit Arabarches, quę res scilicet κατὰ τὸ κινδυνευτικόν, & ad me ab eo quasi ὑποθήκας afferre, quemadmodum me geram: aliquid ex eius sermone poterimus περὶ τῶν ὅλων suspicari.

CICERO ATTICO SAL.

Accepi aliquot epistolas tuas, ex quibus intellexi, q̄ suspēso animo et solicito scire aueres, qd eēt noui. tenemur undiq;, neq; iā quo minus seruiamus, recusamus: sed mortem & eiectionem, quasi maiora timemus, quæ multo sunt minora: atq; hic status, qui una uoce omnium gemitur, neq; uerbo cuiusquam subleuatur, σκοπὸς est: ut suspicor, illis qui tenēt, nullam cuiquam largitionem relinquere: unus loquitur, & palàm aduersat adolescēs Curio: huic plausus maximi, cōsalutatio forensis phonorifica, signa præterea beneuolentiæ permulta à bonis impertiuntur. Fusiū clamoribus & conuicijs & sibilis consectantur. His ex rebus non spes, sed dolor est maior: cum uideas ciuitatis uoluntatem solutam, uirtutem alligatam. Ac ne forte quæras κατὰ λεπτὸν de singulis rebus, uniuersa res est eo deducta, spes ut nulla sit, aliquando non modo priuatos, uerumetiam magistratus liberos fore. Attamen in oppressione, sermo in circulis dūtaxat, & in cōuiuijs est liberior, q̄ fuit: uincere incipit timorem dolor, sed ita, ut omnia sint plenissima desperationis. Habet etiam Campana lex execrationē in coitione cādidatorum, si mentionem fecerint, quo aliter ager possideatur atq; ut ex legibus Iulijs. Nō dubitant iurare ceteri, Laterensis existimatur recte fecisse, q Trib. pl. petere destitit, ne iuraret. Sed de repub. non libet plura scribere: displiceo mihi, nec sine summo scribo dolore. Me tueor, ut oppressis omnibus, non demisse: ut tantis rebus gestis, parum fortiter. A Cæsare ualde liberaliter inuitor in legatiōem illam, sibi ut sim Legatus, atque etiam libera legatio uoti causa datur: sed hæc & præsidij apud furorem Pulchelli nō habet satis, & à fratris aduentu me ablegat: illa & munitior est, & non impedit, quo minus adsim cum uelim: hanc ego teneo, sed usurum me nō puto: neq; tamē scit quisquam: non libet fugere, aueo pugnare, magna sunt hominum studia: sed nihil affirmo, tu hoc silebis. De Statio manumisso, & nōnullis alijs rebus angor equidem: sed iam prorsus occallui. Tu uellem, ego ue cuperē adesses: nec mihi cōsiliū, nec consolatio deesset. sed ita te para, ut si inclamaro, aduoles.

CICERO ATTICO SAL.

Multa me solicitant, & ex reip. tanto motu, & ex his periculis q̄ mihi ipsi intenduntur, & sexcenta sunt. sed mihi nil est molestius, q̄ Statium manumissum: nec meum imperium, ac mitto imperium, non simultatem meam uereri saltem. Nec quid faciam, scio neq; tantum est in re, quantus est sermo. Ego autem ne irasci possum quidem ijs, quos ualde amo: tantum doleo, ac mirifice quidē. Cetera in magnis rebus, minæ Clodij contentionesq;, quæ mihi pponuntur, modice me tangūt: etenim uel subire eas uideor mihi summa cum dignitate, uel declinare nulla cum mo-

lestia

lestia posse. Dices fortasse, Dignitatis ἅλις tanquam δρυός. saluti, si me amas, consule. Me miserum, cur non ades? nihil profectò te præteriret. Ego fortasse τυφλώττω, & nimium τῷ καλῷ προσπέπονθα. Scito nihil unquam fuisse tã infame, tam turpe, tam peræque omnibus generibus, ordinibus, ætatibus offensum, q̃ hunc statum, qui nunc est: magis mehercule q̃ uellem, non modo q̃ putarẽ. Populares isti iam ẽt modestos homines sibilare docuerunt. Bibulus in cœlo est, nec quare scio: sed ita laudatur, quasi unus homo nobis cunctãdo restituit rẽ. Pompeius nostri amores, quod mihi summo dolori est, ipse se afflixit: neminẽ tenet: uoluntate an metu necesse sit ijs uti, uereor. Ego aũt neq; pugno cũ illa cã propter illam amicitiã, neq; approbo, ne omnia improbẽ, quę antea gessi. Utor uia. populi sensus maxime theatro & spectaculis perspectus ẽ. Nã gladiatoribus, qua dominus, qua aduocati, sibilis cõscissi. Ludis Apollinaribus, Diphilus Tragœdus in nostrũ Pompeiũ petulãter inuectus est. Nostra miseria tu es magnus, millies coactus est dicere. Eandẽ uirtutẽ istã, ueniet tẽpus, cũ grauiter gemes, totius theatri clamore dixit, itẽq; cetera. Nã & eiusmodi sũt ij uersus, uti in tẽpus ab inimico Põpeij scripti eẽ uideanť. Si neq; leges, neq; mores cogũt, & cetera magno cũ fremitu & clamore sũt dicta. Cæsar cũ uenisset mortuo plausu, Curio filius est insecutus. Huic ita plausum ẽ, ut salua rep. Põpeio plaudi solebat. Tulit Cæsar grauiter, literæ Capuã ad Põpeium uolare dicebanť: inimici erant equitibus, qui Curioni stãtes plauserãt, hostes omnibus. Rosciæ legi, ẽt frumentariæ minitabanť: sanè res erat pturbata. Eq dem maluerã, quod erat susceptũ ab illis, silentio transire: sed uereor ne nõ liceat: nõ ferunt homines quod uidetur esse tñ ferẽdũ. Sed est iã una uox oĩum magis odio firmata, q̃ præsidio. Noster aũt Publius mihi minitať, inimicus est, impẽdet negotium, ad quod tu scilicet aduolabis: uideor mihi nostrũ illũ Consularẽ exercitũ bonorũ oĩum, etiã satis bonorũ habere firmissimũ. Pompeius significat studiũ erga me nõ mediocre, idẽ affirmat uerbũ de me illũ nõ esse facturum: in quo nõ me ille fallit, sed ipse fallitur. Cosconio mortuo, sum in eius locũ inuitatus. id erat uocari in locũ mortui. Nihil me turpius apud homines fuisset, neq; uero ad istam ipsam ἀσφάλειαν quicquã alienius. Sunt enim illi apud bonos inuidiosi: ego apud improbos meam retinuissem inuidiã, alienam adsumpsissem. Cęsar me sibi uolet esse Legatum: honestior hæc declinatio piculi, sed ego hoc nõ repudio. Quid ergo est? pugnare malo, nihil tamen certi. Iterum dico, utinã adesses: sed tamẽ si erit necesse, arcessemus. Quid aliud? quid? hoc opinor, certi sumus perisse oĩa. Quid enim ἀκκιζόμεθα tã diu? Sed hæc scripsi properans, & mehercule timide. Posthac ad te aut, si perfidelem habebo cui dem, scribam planè omnia: aut si obscure scribam, tu tamẽ intelliges. In his epistolis me Lælium, te Furium faciã: cetera erunt ἐν αἰνιγμοῖς. Hic Cæcilium colimus & obseruamus diligenter. Edicta Bibuli audio ad te missa. ijs ardet dolore & ira noster Pompeius.

CICERO ATTICO SAL.



Nicato, ut te uelle ĩtellexerã, nullo loco defui: Numestiũ ex lr̃is tuis studiose scriptis, libẽter in amicitiã recepi: Cæciliũ q̃bus rebus possum tueor diligẽter: Varro satisfacit nobis: Põpeius amat nos carosq; habet. Credis inq̃es? credo, p̃rsus mihi p̃suadet: sed q̃a, ut uideo, pragmatici hoĩes oĩbus historicis p̃ceptis, uersibus deniq; cauere iu-

bent, & uetāt credere: alterū facio, ut caueā: alterū, ut non credam, facere non possum. Clodius adhuc mihi denunciat periculum: Pompeius affirmat, non esse periculum, adiurat: addit etiam se prius occisum iri ab eo, quàm me uiolatum iri. Tractatur res, simul & quid erit certi, scribam ad te: si erit pugnandum, arcessam ad societatem laboris: si quies dabitur, ab Amalthea te non cōmouebo. De rep. breuiter ad te scribā. iam enim charta ipsa ne nos prodat, pertimesco: itaque posthac, si erunt mihi plura ad te scribēda, ἀλληγορίαις obscurabo: nunc quidem nouo quodam morbo ciuitas moritur, ut cum oēs ea quæ sunt acta, improbent, querantur, doleant, uarietas in re nulla sit, aperteq́ loquantur, & iam clare gemant, tamen medicina nulla afferatur: neque enim resisti sine internecione posse arbitramur: nec uidemus qui finis cedendi pręter exitium futurus sit. Bibulus hominum admiratione & beneuolentia in cœlo est: edicta eius & conciones describunt et legunt: nouo quodā genere in summam gloriam uenit: populare nūc nihil tā est quàm odium popularium. Hęc quo sint eruptura, timeo: sed si dispicere q̄d cœpero, scribā ad te apertius: tu si me amas tantum, quantum profectò amas, expeditus facito ut sis: si inclamaro, ut accurras: sed do operam & dabo, ne sit necesse. Quòd scripseram te Furium scripturum, nil necesse est tuum nomen mutare: me faciam Lælium, & te Atticum: neque utar meo chirographo neque signo, si modo erunt eiusmodi literæ, quas in alienum incidere nolim. Diodotus mortuus est, reliquit nobis HS fortasse centies. Comitia Bibulus cum Archilochio edicto in ante diem XV. Kal. Nou. distulit. A Vibio libros accepi: Poeta ineptus, nec tamen scit nihil, sed est non inutilis. describo & remitto.

CICERO ATTICO SAL.



DE rep. quid ego tibi subtiliter? tota perijt: atque hoc est miserior, quàm reliquisti, quòd tum uidebatur eiusmodi dominatio ciuitatem oppressisse, quę iucunda esset multitudini, bonis autē ita molesta, ut tamen sine pernicie: nunc repente tanto in odio est omnibus, ut quorsus eruptura sit, horreamus: nam iracundiam atq́ intemperantiā illorum sumus experti, qui Catoni irati, omnia perdiderunt: sed ita lenibus uti uidebantur uenenis, ut posse uideremur sine dolore interire: nunc uero sibilis uulgi, sermonibus honestorū, fremitu Italiæ uereor ne exarserint. Equidem sperabam, ut sæpe etiam loqui tecum solebam, sic orbem reipub. esse cōuersum, ut uix sonitum audire, uix impressam orbitam uidere possemus: & fuisset ita, si homines trāsitum tempestatis expectare potuissent: sed cum diu occulte suspirassent, postea iam gemere, ad extremum uero loqui oēs, & clamare cœperunt. Itaq́ ille amicus noster insolēs infamiæ, semper in laude uersatus, circūfluens gloria, deformatus corpore, fractus animo, quo se conferat, nescit: progressum præcipitem, incōstantem reditum uidet, bonos inimicos habet, improbos ipsos nō amicos. Ac uide mollitiē animi: nō tenui lacrimas, cū illum ante VIII Kal. Sextil. uidi de edictis Bibuli cōcionantē, qui antea solitus esset iactare se magnificētissime illo in loco, summo cū amore populi, cunctis fauentibus, ut ille tū humilis, ut demissus erat, ut ipse ēt sibi, non ijs solum qui aderant, displicebat: O spectaculum uni Crasso iucūdum, ceteris nō itē: nam quia deciderat ex astris, lapsus quàm progressus potius uidebatur. Et ut

Apelles

Apelles si Venerem, aut si Protogenes Hialysum illum suũ cœno oblitum uideret, magnum credo acciperet dolorem: sic ego hunc omnibus à me pictũ & politum artis coloribus, subito deformatum, non sine magno dolore uidi: quãquam nemo putabat propter Clodianum negotium, me illi amicum esse debere: tamen tantus fuit amor, ut exhauriri nulla posset iniuria: itaq; Archilochia in illum edicta Bibuli populo ita sunt iucunda, ut eum locum, ubi proponuntur, præ multitudine eorũ qui legunt, transire nequeamus: ipsi ita acerba, ut tabescat dolore: mihi mehercule molesta, quod & eum, quẽ semper dileximus, excruciant: & timeo, tam uehemens uir, tamq; acer in ferro, & tã insuetus contumeliæ, ne omni animi impetu, dolori, & iracundiæ pareat. Bibuli qui sit exitus futurus, nescio: ut nunc res se habet, admirabili gloria est: qui cum comitia in mensem Octob. distulisset, q; solet ea res populi uoluntatẽ offendere, putarat Cæsar oratione sua posse impelli concionem, ut iret ad Bibulum: multa cum seditiosissime diceret, uocẽ exprimere nõ potuit. Quid quæris? sentiunt se nullam ullius partis uoluntatem tenere, eo magis uis nobis est timẽda. Clodius inimicus est nobis. Pompeius confirmat eum nihil ẽẽ factu rum contra me: mihi periculosum est credere: ad resistẽdum me paro, studia spero me summa habiturum omniũ ordinum. Te cum ego desidero, tum uero res ad tẽpus illud uocat: plurimum cõsilij, animi, præsidij deniq; mihi, si te ad tẽpus uidero, accesserit. Varro mihi satis facit. Põpeius loquit diuinitus, spero nos aut certe cum sũma gloria, aut ẽt sine molestia discessuros. Tu quid agas, queadmodum, te oblectes, quid cum Sicyonijs egeris, ut sciam cura.

CICERO ATTICO SAL.



Vàm uelle Romæ mansisses, profectò si hæc fore putassemus: nã Pulchellum nostrum facillime teneremus: aut certe quid esset facturus, scire possemus: nunc se res sic habet, uolitat, furit, nil habet certi, multis denũciat: quod fors obtulerit, id acturus uidet. Cum uidet quo sit in odio status hic rerum, in eos qui hęc egerunt, impetum facturus uidetur: cum aũt rursus opes, & uim exercitus recordatur, conuertit se in nos: nobis autem ipsis, cum uim, tum iudicium minatur. Cum hoc Pompeius egit, & ut ad me ipse referebat (aliũ enim habeo neminem testem) uehementer egit, cum diceret in summa se perfidiæ & sceleris infamia fore, si mihi periculum crearetur ab eo, quem ipse armasset, quum Plebeium fieri passus esset: sed fidem recepisse sibi, & ipsum, & Appium de me: hanc si ille non seruaret, ita laturum, ut omnes intelligerent, nihil sibi antiquius amicitia nostra fuisse. Hæc, & in eam sententiam cum multa dixisset, aiebat illum primo sanè diu multa contra, ad extremum autem manus dedisse, & affirmasse nil se contra eius uoluntatẽ esse facturum. sed postea tamen ille nõ destitit de nobis asperrime loqui: quod si nõ faceret, tamẽ ei nihil crederemus, atque omnia, sicut facimus, pararemus: nunc ita nos gerimus, ut in dies singulos, & studia in nos hominum, & opes nostræ augeantur, Rempub. nulla ex parte attingimus, in causis atque in illa opera nostra forensi summa industria uersamur: quod egregie non modo ijs qui utuntur opera, sed etiam in uulgus gratum esse sentimus: domus celebratur, occurritur, renouatur memoria Cõsulatus, studia significantur: in eam spem adducimur, ut nobis ea cõtẽtio, quæ impendet, interdum non fugienda uideatur. Nunc mihi & consilijs opus est

tus in familiaritatē adolescentis,& cū eo,ut res indicat,sępe cōgressus rē in eū locū deduxit,ut diceret sibi certū esse cū suis seruis in Pōpeium impetū facere,eumq́ occidere:hoc Curio ad patrem detulit:ille ad Pompeium:res delata ad Senatum est. Introductus Vectius,primo negabat se unq̄ cum Curione restitisse:neq́ id sanè diu:nam statim fidem publicam postulauit,reclamatum est:tum exposuit,manum fuisse iuuentutis duce Curione,in qua Paulus initio fuisset,& Cn.Cepio hic Brutus,& Lētulus Flaminis F.conscio patre: postea C. Septimuim Scribā Bibuli pugionem sibi à Bibulo attulisse.quod totum irrisum est,Vectio pugionē defuisse,nisi ei Consul dedisset. Eoq́ magis id eiectum est,q ad. III. Id. Mai Bibulus Pompeium fecerat certiorē,ut caueret insidias,in quo ei Pompeius gratias egerat. Introductus Curio F. dixit ad ea quæ Vectius dixerat,maximeq́ in eo tum quidem Vectius est rēprehensus,q dixerat adolescentum consilium,ut in foro cum gladiatoribus Gabinij Pompeium adorirentur,in eo principē Paulum fuisse,quē cōstabat eo tempore in Macedonia fuisse. Fit S.C. ut Vectius, q confessus esset se cū telo fuisse,in uincula conijceretur:qui eum emisisset,contra remp.esse facturū. Res erat in ea opinione,ut putarent id esse actum,ut Vectius in foro cum pugione,& item serui eius comprehēderentur cum telis:deinde ille se diceret indicaturum. Idq́ ita actum esset,nisi Curiones rem ante ad Pompeium detulissent: tum S.C. in concione recitatum est. Postero autem die Cæsar,is qui olim Prætor cum esset,Q. Catulum ex inferiore loco iusserat dicere, Vectiū in rostra produxit,eumq́ in eo loco instituit,quo Bibulo Cos. aspirare nō liceret. Hic ille omnia quæ uoluit de repu.dixit,ut qui illuc factus institutusq́ uenisset. Primum Cepionem de oratione sua sustulit,quem in Senatu acerrime nominarat,ut appareret noctem,& nocturnam deprecatiōem intercessisse. Deinde quos in Senatu,ne tenuissima quidem suspicione attigerat, eos nominauit. Lucullum,à quo solitum esse ad se mitti C. Fannium illum,qui in P. Clodium subscripserat,L. Domitium,cuius domum constitutam fuisse unde eruptio fieret,me non nominauit:sed dixit Consularē disertum uicinū Cos. sibi dixisse, Ahalam Seruilium aliquem,aut Brutum opus esse reperiri: addidit ad extremum,cum iam dimissa cōcione reuocatus à Vatinio fuisset,se audisse à Curione his de rebus cōscium esse Pisonem generum meū,& M. Laterēsem. Nunc reus erat apud Crassum diuitē Vectius de ui:& cum eēt damnatus,erat iudicium postulaturus:quod si impetrasset,iudicia fore uidebantur: ea nos,utpote qui nihil contemnere solemus,non pertimescebamus. Hominum quidem summa erga nos studia significabantur:sed prorsus uitæ tędet, ita sunt omnia omnium miseriarum plenissima. Modo cædem timueramus, quæ oratio fortissimi senis Q. Considij discusserat:ea,quā cotidie timere potueramus,subito exorta est. Quid quæris? nihil me fortunatius & Catulo,cū splendore uitę,tum hoc tempore:nos tamē in ijs miserijs erecto animo & minime perturbato sumus, honestissimeq́ & dignitatem nostram magna curā tuemur. Pompeius de Clodio iubet nos eē sine cura,& summam in nos beneuolētiam omni oratione significat. Te habere consiliorum auctorē,solitudinum socium,omni in cogitatione coniunctum cupio:quare,ut Numestio mandaui,tecum ut ageret,itē atq́ eo si potest acrius te rogo, ut planè ad nos aduoles,respiraro,si te uidero.

CICERO ATTICO SAL.

VTinam illum diem uideam, cum tibi agā gratias, ꝙ me uiuere coegisti. Adhuc equidē ualde me pœnitet, sed te oro, ut ad me Vibonem statim uenias, quo ego multis de causis conuerti iter meum. Sed eò si ueneris, de toto itinere, ac fuga mea consilium capere potero: si id non feceris, mirabor. sed confido te esse facturum.

CICERO ATTICO SAL.

MIseriæ nostræ potius uelim, ꝗ inconstantiæ tribuas, ꝙ à Vibone, quo te arcessebamus, subito discessimus, allata est enim nobis rogatio de pernicie mea: in qua quod confectū esse audieramus, erat eiusmodi, Vt mihi ultra quadringenta millia liceret esse. Illò cum peruenire non liceret, statim iter Brundisium uersus contuli ante diem rogationis, ne & Sica, apud quem eram, periret, & ꝙ Melitæ esse nō licebat. Nūc tu propera, ut nos cōsequare, si modo recipiemur: adhuc inuitamur benigne, sed quod superest, timemus. Me mi Pōponi ualde pœnitet uiuere, qua in re apud me tu plurimum ualuisti. sed hæc coràm, fac modo, ut uenias.

CICERO ATTICO SAL.

TErentia tibi & sæpe & maximas agit gratias, id est mihi gratissimum. Ego uiuo miserrimus, & maximo dolore conficior. Ad te quid scribam, nescio. Si enim es Romæ, iam me assequi nō potes: sin es in uia, cum eris me assecutus, coràm agemus, quæ erunt agenda. tantum te oro, ut quoniam meipsum semper amasti, ut eodem amore sis. Ego enim idem sum. Inimici mei mea mihi, non meipsum ademerunt. Cura ut ualeas. Dat. VIII. Id. Apr. Turi.

CICERO ATTICO SAL.

NOn fuerat mihi dubium, quin te Tarenti aut Brundisij uisurus essem: idꝗ ad multa pertinuit, in eis, & ut in Epeiro consisteremus, & de reliquis rebus tuo consilio uteremur. quoniam id non contigit, erit hoc quoꝗ in magno numero nostrorum malorū. Nobis iter est in Asiam, maxime Cyzicum. Tibi meos commendo: me uix misereꝗ sustento. Dat. XIIII. Kal. Mai. de Tarentino.

CICERO ATTICO SAL.

BRundisium ueni ad Kal. Mai. eo die pueri tui mihi à te literas reddiderunt, & alij pueri post diem tertium eius diei alias literas attulerunt. Quòd me rogas & hortaris, ut apud te in Epeiro sim, uoluntas tua mihi ualde grata est, & minime noua, sed consilium mihi quidem optatum, si liceret ibi omne tempus consumere. Odi enim celebritatem, fugio homines, lucē aspicere uix possum. Esset mihi ista solitudo, presertim tam familiari in loco, non amara: sed itineris causa, ut diuorterem, primum est deuiū: deinde ab Antronio, & ceteris quatridui: deinde sine te. Nā Castellum munitum habitanti mihi prodesset, transeunti non est necessariū. Quòd si auderem, Athenas peterem, sanè ita cadebat, ut uellē: nunc & nostri hostes ibi sunt, & te non habemus, & ueremur ne interpretentur, illud quoꝗ oppidum ab Italia non satis abesse: nec scribis, quam ad diem te expectemus. Quòd me ad uitam uocas, unum efficis, ut à me manus abstineā: alterum non potes, ut me non nostri consilij uitęꝗ pœniteat. Quid enim est, quod me reti

pulsi ac proditi simus,iam profecto uides:atq; utinā iam antè uidisses,neq; totum animum tuum mœrori mecum simul dedisses. Quare,cum me afflictum & confectum luctu audies,existimato me stultitiæ meæ pœnam ferre grauius,quàm euenti,q; ei crediderim,quem esse nefariū nō putarim. Me & meorum malorum memoria,& metus de fratre in scribendo impedit. Tu ista oīa uide & guberna. Terentia tibi maximas gratias agit. Literarum exēplum, quas ad Pompeium scripsi, misi tibi. Dat. IIII. Kal. Mai. Thessalonicæ.

CICERO ATTICO SAL.



Q. Frater cum ex Asia discessisset ante Kal. Mai. & Athenas uenisset. Id. Mai, ualde fuit ei properādum,ne quid absens acciperet calamitatis,si quis forte fuisset,qui contentus nostris malis nō esset. Itaq; eū malui ꝓperare Romā,q̄ ad me uenire:& simul (dicā enī quod uerum est,ex quo magnitudinē miseriarum mearū perspicere possis) animum inducere non potui,ut aut illum amantissimum mei,mollissimo animo,tanto in mœrore aspicerem,aut meas miserias luctu afflictas, & perditā fortunam illi offerrem,aut ab illo aspici paterer. Atq; etiam illud timebam, quod profectò accidisset,ne à me digredi nō posset.uersabatur mihi tempus illud ante oculos,cum ille aut lictores dimitteret,aut ui euelleretur ex complexu meo. Huius acerbitatis euentum,altera acerbitate non uidēdi fratris uitaui.in hunc me casum uos uiuendi auctores impulistis. Itaq; mei peccati luo pœnas: quāquam me tuæ literæ sustentant,ex quibus quātum tu ipse speres. facile perspicio.& quæ quidem tamen aliquid habebant solatij antequam eo uenisti à Pompeio. Nūc hortēsium allice & eiusmodi uiros. Obsecro mi Pōponi,nondum perspicis,quorum opera,quorum insidijs,quorum scelere perierimus? Sed tecum hæc omnia coràm agemus.tantum dico,quod scire te puto,nos non inimici,sed inuidi perdiderunt. Nunc si ita sunt,quæ speras,sustinebimus nos,& spe,qua iubes,nitemur:sin,ut mihi uidenī,firma sunt, quod optimo tempore facere non licuit,minus idoneo fiet. Terentia tibi sæpe agit gratias. Mihi etiam unū de malis in metu est,fratris miseri negotium, quod si sciam cuiusmodi sit,sciam quid agendum mihi sit. Me etiam nunc istorum beneficiorum & literarū expectatio,ut tibi placet, Thessalonicæ tenet. Si q̄d erit noui allatum,sciam de reliquo quid agendum sit. Tu,si ut scribis, Kalen. Iun. Roma profectus es,propediē nos uidebis. Literas, quas ad Pompeium scripsi,tibi misi. Dat. Id. Iun. Thessalonicæ.

CICERO ATTICO SAL.



Acta quæ essent usq; ad. VIII. kal. Iun. cognoui ex tuis literis, reliqua expectabam(ut tibi placebat) Thessalonicæ:quibus allatis, facilius,statuere potero,ubi sim. Nam si erit causa, si quid agetur, si spem uidero,aut ibidē operiar,aut me ad te conferam: sin, ut tu scribis,ista euanuerint,aliquid aliud uidebimus,omnino adhuc nihil mihi significatis,nisi discordiam istorum: quæ tamē inter eos de omnibus potius rebus est,quàm de me. itaq; quid ea mihi ꝓsit,nescio. Sed tamē quoad me uos sperare uultis,uobis obtemperabo. Nam q; me tam sæpe & tam uehemēter obiurgas,& animo infirmo esse dicis,quæso,ecquod tātum malum est,quod in mea calamitate nō sit? Ecquis unquā ex tam amplo statu,in tā bona causa, tantis facultatibus ingenij,consilij,gratiæ,tantis præsidijs bonorū omnium

concidit? possum obliuisci qui fuerim, non sentire qui sim? quo caream hono re? qua gloria? quibus liberis? quibus fortunis? quo fratre? quem ego, (ut nouum calamitatis genus attendas), cum pluris facerem quàm meipsum, sem per<del></del>que fecissem, uitaui ne uiderem: ne aut illius luctum squalloremque aspicere, aut me, quem ille florentissimum reliquerat, perditum illi afflictumque offerrem. Mitto cetera intolerabilia, etenim fletu impedior. Hic utrum tandē sum accusandus? quòd doleo, an quòd cōmisi, ut hæc aut nō retinerem, quod facile fuisset, nisi intra parietes meos de mea pernicie cōsilia inirentur, aut certe uiuus non amitterem? Hæc eo scripsi, ut potius releuares me, quod facis, quàm aut castigatione, aut obiurgatione dignum putares: eoque ad te minus multa scribo, quòd & mœrore impedior, & quid expectem istinc magis habeo, quàm quid ipse scribam: quæ si erunt allata, faciam te nostri consilij certiorem. Tu, ut adhuc fecisti, quamplurimis de rebus ad me uelim scribas, ut prorsus ne quid ignorem. Dat. XIIII. Kal. Quint. Thessalonicæ.

CICERO ATTICO SAL.



ME & tuæ literæ & quidam boni nuncij, non optimis tamen auctoribus, & expectatio uestrarum literarum, & quòd tibi ita placuerat, adhuc Thessalonicæ tenebant. Si accepero literas, quas expecto, si spes erit ea, quæ rumoribus afferebatur, ad te me conferam: si non erit, faciā te certiorē, quid egerim. Tu me, ut facis, opa, cōsilio, gratia iuua: cōsolari iam desine, obiurgare uero noli. quod cum facis, ut ego tuum amorem & dolorem desidero, quem ita affectum mea ærūna esse arbitror, ut teipsum cōsolari nemo possit. Q. fratrē optimum humanissimumque sustēta. Ad me, obsecro te, ut omnia certa perscribas. Dat. IIII. Kal. Quintil.

CICERO ATTICO SAL.



TV quidem sedulo argumentaris quid sit sperandum, & maxime per Senatum: idemque caput rogatiōis proponis. Scribis quare in Senatu dici nihil liceat: itaque siletur. Hic tu me accusas, quòd me afflictem, cum ita sim afflictus ut nemo unquam, quod tute intelligis. Spem ostendis secundum comitia. quæ ista est eodē Trib. pl. & inimico Cos. Des? percussisti aūt me, etiam de oratione prolata: cui uulneri, ut scribis, medere, si quid potes. Scripsi equidem olim ei iratus, quòd ille prior scripserat: sed ita compresseram, ut nunquam manaturam putarem: quomodo exciderit, nescio. sed quia nunquam accidit, ut cum eo uerbo uno concertarem, & quia scripta mihi uidetur negligētius, quàm ceteræ, puto posse probari, non esse meā. Id, si putas me posse sanari, cures uelim: sin planè perij, minus laboro. Ego ēt nūc eodem in loco iaceo sine sermone ullo, sine cogitatione ulla. Licet tibi, ut scribis, significarem, ut ad me uenires Sidona, tamen intelligo te istic prodesse, hic ne uerbo quidē leuare me posse. Non queo plura scribere, nec est quod scribam: uestra magis expecto. Dat. XVI. kal. Sextil. Thessalonicæ.


CICERO ATTICO SAL.



QVod ad te scripseram, me in Epeiro futurum, posteaquā extenuari spem nostram, & euanescere uidi, mutaui cōsiliū: nec me Thessalonica cōmoui, ubi esse statuerā, quod aliquid ad me de eo scriberes, quod proximis literis scripseras, fore, uti secūdum comitia aliquid de nobis in Senatu ageretur: id tibi Pompeium dixisse. Qua de re, quoniam

quoniam comitia habita sunt,tuq; nil ad me scribis,proinde habebo,ac si scri psisses nihil esse,meq; temporis non longinqui spe ductum esse moleste ferã. Quem autem motum te uidere scripseras,qui nobis utilis fore uideretur, eũ nunciant,qui ueniunt,nullum fore. In Tribb.pl.Des.reliqua spes est: quam si expectaro,non erit,quòd putes me causæ meæ, uoluntati meorum defuis-se. Quòd me sæpe accusas,cur hunc meum casum tam grauiter feram, debes ignoscere:cum ita me afflictum uideas,ut neminem unquam nec uideris, nec audieris. Nam quòd scribis te audire,me etiam mẽtis errore,ex dolore affici: mihi uero mens integra est.atque utinam tam in periculo fuisset,cum ego ijs, quibus meam salutem charissimam esse arbitrabar, inimicissimis crudelissi-misq; usus sum:qui ut me paulum inclinari timore uiderunt,sic impulerũt,ut omni suo scelere & perfidia abuterentur ad exitium meum. Nunc quoniã est Cyzicum nobis eundum,quo rarius ad me literæ perferentur, hoc uelim dili gentius omnia,quæ putaris me scire opus esse,perscribas. Q. fratrem meum fac diligas,quem ego miser,si incolumem relinquo,non me totum perisse ar-bitrabor. Dat. Non. Sextil.

CICERO ATTICO SAL.


X tuis literis plenus sum expectatione de Pompeio, quidnam de nobis uelit aut ostendat. Comitia enim credo esse habita, quibus absolutis scribis illi placuisse agi de nobis. Si tibi stultus esse uide-or,qui sperem,facio tuo iussu:& scio te me ijs epistolis potius, & meas spes solitum esse remorari. Nunc uelim mihi planè perscribas, quid ui-deas. Scio nos nostris multis peccatis in hanc ærumnam incidisse:ea si qui ca sus aliqua ex parte correxerint,minus moleste feremus nos uixisse, & adhuc uiuere. Ego propter uiæ celebritatem & cotidianam expectationem rerũ no uarum,non cõmoui me adhuc Thessalonica:sed iam extrudimur, nõ à Plan cio(nam is quidem retinet)uerum ab ipso loco minime apposito ad tolleran dam in tanto luctu calamitatem. In Epeirum ideo,ut scripseram,nõ iui, q; su-biti mihi uniuersi nuncij uenerant & literæ,quare nihil esset necesse quãpro xime Italiam esse. Hinc si aliquid à comitijs audierimus,nos in Asiam cõuer-temus:neq; adhuc stabat,quo potissimum, sed scies. Dat. XII. Kalend. Sex-til. Thessalonicæ.

CICERO ATTICO SAL.


Ccepi Idib. Sext. quatuor epistolas à te missas. unam, qua me ob-iurgas,ut sim firmior:alteram, qua Crassi libertũ ais tibi de mea solicitudine macieq; narrasse:tertiam,qua demonstras acta in Se natu:quartam de eo,quod à Varrone scribis tibi esse cõfirmatum de uoluntate Pompeij. Ad primam tibi hoc scribo,me ita dolere, ut non mo do à mente non deserar,sed id ipsum doleam,me tam firma mente ubi utar,ce quibuscum non habere. Nam si tu me uno nõ sine mœrore cares,quid me cen ses,qui & te,& omnibus?& si tu incolumis me reqris,quomodo à me ipsam incolumitatem desiderari putas? Nolo commemorare quibus rebus sim spo liatus,non solum quia non ignoras,sed etiam ne scindam ipse dolorẽ meum. hoc confirmo,neq; tantis bonis esse priuatum quẽquam,neq; in tantas mise-rias incidisse. Dies autem non modo non leuat luctum hunc,sed etiam auget. nam ceteri dolores mitigantur uetustate,hic non põt non & sensu præsentis

miseriæ,& recordatione præteritæ uitæ cotidie augeri. Desidero enim non mea solum,neq; meos,sed meipsum. Quid enim sum? sed non faciam, ut aut tuum animum angam querelis,aut meis uulneribus sæpius manus afferã. Nã q purgas eos,quos ego mihi scripsi inuidisse,& in eis Catonẽ: ego uero tan tum illum puto ab isto scelere absuisse,ut maxime doleã plus apud me simulationem aliorum,q̃ istius fidẽ ualuisse. Ceteri quos purgas,debent mihi pur gati esse,tibi si sunt. sed hæc serò agimus. Crassi libertum nihil puto syncere locutum. in Senatu rem probe scribis actam. sed quid Curio? an illam oratio nem non legit? quæ unde sit prolata nescio. Sed Axius eiusdem diei scribens ad me acta,nõ ita laudat Curionem. At potest ille aliquid prætermittere: tu, nisi quod erat,profecto non scripsisti. Varronis sermo facit expectationem Cæsaris: atq; utinam ipse Varro incumbat in causam: quod profecto cũ sua sponte,tum te instante faciet. Ego,si me aliquando uestri & patriæ compotẽ fortuna fecerit,certe efficiã,ut maxime lætere unus ex omnibus amicis,meaq; officia & studia,quæ parum antea luxerunt,(fatẽdum est enim) sic exequar, ut me æque tibi,ac fratri & liberis nostris restitutum putes. Si quid in te peccaui,ac potius quoniam peccaui,ignosce: in me enim ipsum peccaui uehementius. Neq; hæc eò scribo,quò te non meo casu maximo dolore esse affectũ sciam: sed profectò,si quantum me amas,& amasti,tantũ amare deberes ac debuisses,nunquam esses passus me,quo tu abundabas,egere consilio: nec esses passus mihi persuaderi,utile nobis esse legem de collegijs perferri. Sed tu tantum lacrimas præbuisti dolori meo,quod erat amoris,tãquam ipse ego: qđ meritis meis perfectum esse potuit,ut dies & noctes quid mihi faciẽdũ esset, cogitares,id abs te meo,non tuo scelere prętermissum est. Q; si nõ modo tu, sed quisq̃ fuisset,q me Põpeij minus liberali respõso perterritũ à turpissimo consilio reuocaret,qđ unus tu facere maxime potuisti,aut occubuissem honeste,aut uictores hodie uiueremus. Hic mihi ignoscas,me enim ipsum multo magis accuso. deinde te,quasi me alterum,& simul meæ culpæ socium quero, si restituor,etiam minus uidebimur deliquisse,abs teq; certe, quoniam nullo nostro,tuo ipsius beneficio diligemur. Quòd te cum Culleone scribis de priuilegio locutum,est aliquid,sed multo est melius abrogari. si enim nemo impediet,sic est firmius: sin erit qui ferri nõ sinat,idem S.C. intercedet,nec quicquam aliud opus est,quàm abrogari. nam prior lex nos nihil lædebat: quam si,ut est promulgata,laudare uoluissemus, aut ut erat negligenda, negligere, nocere omnino nobis non potuisset. Hic mihi primum meum consilium defuit,sed etiam obfuit. Cæci,cæci inquam fuimus in uestitu mutando, in populo rogando: quod nisi nominatim mecum agi cœptum eẽt,fieri perniciosum fuit: sed pergo præterita,ueruntamen,ob hanc causam ut si quid ageretur, legem illam,in qua popularia multa sunt,ne tangatis. uerùm est stultũ me præcipere,quid agatis,aut quomodo: utinam modo agatur aliquid. Multa occultant tuæ literæ,credo ne uehemẽtius desperatione pturber. Quid enim uides agi posse,aut quõo? per Senatũ ne? at tute scripsisti ad me,quoddam caput legis Clodium in curiæ poste fixisse,ne referri,néue dici liceret. Quomodo igitur Domitius se dixit relaturum? Quomodo autem ijs,quos tu scribis, & de re dicentibus,& ut referretur postulantibus,Clodius tacuit? Ac si per populum,poterit ne nisi de omniũ Tribb.pl. sñia? quid de bonis? quid de domo?

poterit

poterit ne restitui? aut si nō poterit, egomet quomodo potero? Hęc nisi uides expediri, quā in spem me uocas? si aūt spei nihil est, q̄ est mihi uita? Itaq; expecto Thessalonicæ acta kal. Sextil. ex quibus statuam in tuos ne agros cōfugiam, ut neq; uideam homines quos nolim, & te, ut scribis, uideam, & propius sim, si quid agatur: idq; intellexi, cū tibi, tum Q. fratri placere, an abeam Cyzicum. Nunc Pomponi, quoniā nihil impertisti tuæ prudētiæ ad salutē meā, q aut in meipso satis esse cōsilij decreras, aut te nil plus mihi debere, q̄ ut præsto esses, quando quidem ego proditus, inductus, coniectus in fraudē omnia mea præsidia neglexi, totam Italiam in me erectam ad me defendendū destitui & reliqui, me meis tradidi inimicis, inspectante & tacēte te: qui si nō plus ingenio ualebas, q̄ ego, certe timebas minus: si potes, erige afflictos & in eo nos iuua: sin oīa sunt obstructa, id ipsum fac ut sciamus, & nos aliquando aut obiurgare, aut comiter cōsolari desine. Ego si tuā fidem accusarem, nō me potissimum tuis tectis crederē: meam amentiā accuso, q à te tantum amari, q̄tū ego uellem, putaui: quod si fuisset, fidem eandē, curam maiorem adhibuisses, me certe ad exitium præcipitantē retinuisses: istos labores, quos nunc in naufragijs nostris suscipis, non subisses. Quare fac, ut omnia ad me perspecta & explorata perscribas, meq; ut facis, uelis esse aliquē, quoniam qui fui & q esse potui, iam esse non possum: & ut his literis, non te, sed meipsum à me eē accusatum putes. Si qui erunt, quibus putes opus esse meo nomine literas dari, uelim conscribas, curesq; dandas. Dat. XIIII. Kal. Septem.

CICERO ATTICO SAL.



Otum iter mihi incertum facit expectatio literarum uestrarū kal. Sextil. datarū: non aliud aliquid, si spes erit, Epeirum: sin minus, Cyzicum, aut aliud quid sequemur. Tuæ quidem literę, quo sæpius à me leguntur, hoc spem faciunt mihi minorem, quàm cū lectæ sunt: tum id, quod attulerunt ad spem, infirmant: ut facile appareat, te & consolationi seruire & ueritati: idq; te rogo planè, ut ad me, quæ scis, ut erūt, quę putabis, ita scribas. Dat. XII. kal. Septemp.

CICERO ATTICO SAL.



E Q. fratre nuncij nobis tristes, nec uarij uenerant, ex ante diem Non. Iun. usque ad prid. kalē. Sept. Eo autē die Liuinus. M. Reguli lib. ad me à Regulo missus uenit. is omnino mentionem nullam factam esse nunciauit, sed fuisse tamē sermonem de C. Clodij filio: isq; mihi tum à fratre literas attulit: sed postridie Sestij pueri uenerunt, qui à te literas attulerunt, non tā exploratas à timore, quàm sermo Liuini fuerat. Sane sum in meo infinito mœrore solicitus, & eo magis, q Appij spectio est. Cetera quæ ad me eisdem literis scribis de nostra spe, intelligo esse languidiora, quàm alij ostendunt. Ego autem, quoniam nō longe ab eo tēpore absumus, in quo res diiudicabitur, aut ad te conferam me, aut etiam nūc circum hæc loca commorabor. Scribit ad me frater omnia sua per te unum sustineri. Quid te aut horter, quod facis, aut agam gratias, quod non expectas? Tantū uelim fortuna det nobis potestatē, ut incolumes amore nostro perfruamur. Tuas literas semper maxime expecto: in quibus caue, ne aut diligētia tua mihi molesta, aut ueritas acerba sit. Dat. prid. Non. Sept.

CICERO ATTICO SAL.

EXpectationem nobis non paruam attuleras,cũ scripseras Varronẽ tibi pro amicitia cõfirmasse,cãm nostram Pompeiũ certe suscepturũ,& simul à Cæsare ei literæ,quas expectaret,remissæ essent, auctorẽ ẽt daturum.utrum id nihil fuit?an aduersatæ sunt Cæsaris literæ?an est aliquid in spe?Etiã illud scripseras,eundẽ secundum comitia dixisse. Fac(si uides quãtis in malis iaceam,& si putas esse humanitatis tuæ) me,fac de tota cã nostra certiorem.Nam Q.frater homo mirus,qui me tã ualde amat,omnia mittit spei plena,metuens credo defectionẽ animi mei. Tuæ aũt literæ sunt uariæ,neq; enim me desperare uis,nec temere sperare.Fac obsecro te,ut omnia quæ perspici à te possunt,sciamus.

CICERO ATTICO SAL.

QVoad eiusmodi mihi literæ à uobis afferebantur,ut aliquid ex ijs esset expectandum,spe & cupiditate Thessalonicæ retentus sum. Posteaq̃ omnis actio huius anni cõfecta nobis uidebatur,in Asiã ire nolui,q& celebritas mihi odio est,& si fieret aliqd à nouis magistratibus,abesse longe nolebam.Itaq; in Epeirum ad te statui me cõferre: non q mea interesset loci natura,qui lucem omnino fugerem:sed ad salutem libẽtissime ex tuo portu proficiscar:& si ea præcisa erit,nusquam facilius hãc miserrimã uitam uel sustentabo,uel quod multo est melius,abiecero cũ paucis,multitudinẽ dimittam.Me tuæ literæ nunq̃ in tantam spem adduxerunt, quantam aliorum.attamen mea spes etiam tenuior semper fuit,q̃ tuæ literæ. Sed tamen quoniã cœptum est,ego,quoquo modo cœptum est,& quacunq; de causa,nõ deseram,neq; optimi atq; unici fratris miseras ac luctuosas pces, nec Sesti,ceterorũq; promissa,nec spem ærumnosissimæ mulieris Terentię, nec miserrimæ mulieris Tulliolæ obsecrationem,& fideles literas tuas. mihi Epeirus aut iter ad salutẽ dabit,aut quod scripsi supra,te oro & obsecro Pomponi,si me omnibus amplissimis,charissimis,iucundissimisq; rebus perfidia hominum spoliatum,si me à meis consiliarijs proditum & proiectum uides, si intelligis me coactum,ut ipse me & meos perderem,ut me tua misericordia iuues:& Q.fratrem,qui potest esse saluus,sustentes:Terentiã liberosq; meos tueare:me,si putas te istic uisurum,expectes:si minus, inuisas si potes: mihique ex agro tuo tantum assignes,quantum meo corpore occupari potest: & pueros ad me cum literis quamprimum & quamsæpissime mittas. Dat. XVI.Kal.Octob.

CICERO ATTICO SAL.

CIcero. Cæcilio Q.F.Põponiano Attico,quod quidẽ ita esse,& auũculum tuũ functũ esse officio,uehemẽtissime probo. gaudere me tũ dicam,si mihi hoc uerbo licebit uti.Me miserũ,q̃ oĩa eẽnt ex snĩa, si nobis animus,si cõsiliũ,si fides eorũ,quibus credidimus, nõ defuisset.quæ colligere nolo,ne augeam mœrorem.Sed tibi uenire in mẽtẽ certe scio,quæ uita esset nostra,quæ suauitas,quæ dignitas: ad quæ recuperãda per fortunas incũbe,ut facis:dieq; natalem reditus mei cura,ut in tuis ædibus amœnissimis agàm tecũ & cũ meis.Ego huic spei & expectationi,quę nobis proponitur,maxime tñ uolui præstolari apud te in Epeiro:sed ita ad me scribitur,ut putem esse commodius nos eisdem in locis eẽ.De domo, & Curionis oratione,

nis oratione,ut ſcribis,ita eſt.in uniuerſa ſalute,ſi ea modo nobis reſtituetur, inerunt omnia,ex quibus nihil malo,q̃ domũ:ſed tibi nihil mando nominatim:totũ me tuo amori fideique commẽdo. Quòd te in tanta hæreditate ab omni occupatione expediſti,ualde mihi gratum eſt. Quòd facultates tuas ad meam ſalutem polliceris,ut omnibus rebus à te præter ceteros iuuer, id quantum ſit præſidium,uideo:intelligoq́ multas parteis meæ ſalutis & ſuſcipere,& poſſe ſuſtinere,neque ut ita facias rogandum eſſe. Quod me uetas quidquam ſuſpicari accidiſſe ad animum tuum,quod ſecus à me erga te cõmiſſum aut prætermiſſum uideretur,geram tibi morem,& liberabor iſta cura:tibi tamẽ eo plus debebo,quo tua in me humanitas fuerit excelſior,q̃ in te mea. Velim quid uideas,quid intelligas,quid agatur,ad me ſcribas,tuosq́ omnes ad noſtram ſalutẽ adhortere. Rogatio Seſtij,neq́ dignitatis ſatis habet,nec cautionis.nam & nominatim ferre oportet,& de bonis diligentius ſcribi, & id animaduertas uelim. Dat. IIII. Non. Octob. Theſſalonicæ.

CICERO ATTICO SAL.

TRiginta dies erant ipſi,cum has dabãliteras,per quos nullas à uobis acceperam. Mihi autem erat in animo iã,ut antea ad te ſcripſi, ire in Epeirum,& ibi omnem caſum potiſſimum expectare. Te oro,ut ſi quid erit,quod perſpicias quãcunque in partem,quãplaniſſime ad me ſcribas:& meo nomine,ut ſcribis,literas quibus putabis opus eſſe,ut des. Dat. V. kal. Nou.

CICERO ATTICO SAL.

ETſi diligenter ad me Q. frater & Piſo,quæ eſſent acta, ſcripſerãt, tamen uellem tua te occupatio non impediſſet,quo minus,ut conſueſti,ad me quid ageretur,& quid intelligeres, perſcriberes. Me adhuc Plancius liberalitate ſua retinet iam aliquoties conatum ire in Epeirum. Spes homini eſt iniecta non eadem quæ mihi,poſſe nos unà decedere. quam rem ſibi magno honori ſperat fore. Sed iam cum aduẽtare milites dicentur,faciendum nobis erit,ut ab eo diſcedamus. quod cum faciemus, ad te ſtatim mittemus,ut ſcias,ubi ſimus. Lentulus ſuo in nos officio,quod et rẽ & promiſſis & literis declarat,ſpẽ nobis nullam affert Pompeij uolũtatis. ſæpe enim tu ad me ſcripſiſti eum totum eſſe in illius poteſtate. De Metello ſcripſit ad me frater,quantum ſperaret,profectum eſſe. per te mi Põponi pugna,ut tecum,& cum meis mihi liceat uiuere,& ſcribe ad me omnia. premor cum luctu,tum deſiderio omnium rerum,quæ mihi me cariores ſemper fuerant. Cura ut ualeas.

Ego,q́ per Theſſaliam ſi irẽ in Epeirum,perdiu nihil eram auditurus, et q́ mei ſtudioſos habeo Dyrrhachinos,ad eos perrexi,cũ illa ſuperiora Theſſalonicæ ſcripſiſſem. inde cum ad te me cõuertam,faciã ut ſcias. Tuq́ ad me uelim omnia quãdiligentiſſime,cuiuimodi ſunt,ſcribas. Ego iam aut rẽ, aut ne ſpem quidem expecto. Dat. VI. kal. Decemb. Dyrrachij.



CICERO ATTICO SAL.

AD. V. kalend. Decemb. treis epiſtolas à te accepi. unam, datam ad VIII. kalend. Nou. in qua me hortaris, ut forti animo menſem Ianua. expectem; eaq́ quæ,ad ſpem putes pertinere de Lentuli

studio, de Metelli uoluntate, de tota Pompeij ratione perscribis. In altera epistola præter consuetudinem tuam diem non adscribis, sed satis significas tempus. Lege enim ab octo Tribb. pl. promulgata, scribis te eas literas eo ipso die dedisse, id est ad. IIII. Kalē. Nou. & quid putes utilitatis eam promulgationem attulisse, scribis. In quo si hæc iam nostra salus cum hac lege desperata erit, uelim pro tuo in me amore hanc inanem meam diligentiam miserabilem potius, quàm ineptam putes: sin est aliquid spei, des operam, ut maiore diligētia posthac à nostris magistratibus defendamur. Nā ea ueterū Tribb. pleb. rogatio tria capita habuit. Vnum, de reditu meo scriptum incaute. nihil enim restituitur præter ciuitatem & ordinem, quod mihi pro meo casu satis est: sed quæ cauenda fuerint, & quo modo, te nō fugit. Alterum caput est tralatitium de impunitate, si quid contra alias leges eius legis ergô factū sit. Tertium caput, mi Pomponi, quo cōsilio, & à quo sit inculcatum, uide. scis enim Clodium sanxisse, ut uix aut omnino nō posset, nec per Senatum, nec per populum infirmari sua lex. Sed uides nunquam esse obseruatas sanctiones earū legum quæ abrogarentur. nā si id esset, nulla ferè abrogari posset: neq; enim ulla est, quæ non ipsa se sepiat difficultate abrogationis: sed cum lex abrogatur, illud ipsum abrogaretur, quomodo eam abrogari oporteat. Hoc quum re uera ita sit, cū semper ita habitum obseruatumq; sit, octo nostri Tribb. pl. caput posuerunt hoc, SI QVID IN HAC ROGATIONE SCRIPTVM EST, QVOD PER LEGES PLEB. VE SC. HOC EST, QVOD PER LEGEM CLODIAM PROMVLGARE, ABROGARE, DEROGARE, OBROGARE S. F. SVA NON LICEAT, NON LICVERIT: QVOD VEL QVI PROMVLGAVIT, DEROGAVIT, OB EAM REM POENÆ MVLTAE'VE SIT EH. INR. hoc in illis Tribb. pl. nō lædebat. Lege enim collegij sui non tenebantur, quo maior est suspitio malitiæ alicuius, cū id, quod ad ipsos nihil pertinebat, erat autem contra me, scripserūt, ut noui Tribb. pl. si essent timidiores, multo magis sibi eo capite utendum putarent. Neque id à Clodio prætermissum est. dixit enim in concione ad. III. Non. hoc capite designatis Tribb. ple. præscriptum esse, quid liceret. Tamen in lege nulla esse eiusmodi caput, te non fallit. quòd si opus esset, omnes in abrogando uterentur. aut Ninnium, aut ceteros fugerit, inuestiges uelim, & quis attulerit, & quare octo Tribb. pl. ad Senatum de me referre non dubitarint. siue quòd obseruandum illud caput nō putabant: ijdem in abrogando tam cauti fuerunt, ut id metuerent, soluti cum essent, quod ne ijs quidem qui lege tenentur, est curandum. Id caput sanè nolim nouos Tribb. pl. ferre, sed perferāt modo quidlibet, uno capite, quo reuocabor (modo res cōficiatur) ero cōtentus. Iādudū pudet tam multa scribere. Vereor enim ne re iā despata legas: ut hæc mea diligētia miserabilis tibi, alijs irridēda uideatur. Sed si est aliquid in spe, uide legē, quā T. Fadio scripsit T. Visellius. ea mihi perplacet: nā Sestij nostri quā tu tibi ꝓbari scribis, mihi nō placet. Tertia ē epistola pri. Id. Nou. data, in qua exponis prudēter & diligēter q̄ sint, quæ rē distinere uideantur, de Crasso, de Pōpeio de ceteris. Quare oro te, ut si qua spes erit posse studijs bonorū, auctoritate multitudine cōparata rem cōfici, des operam, ut uno impetu perfringatur, in eam rem incumbas, ceterosq;

ceterosq́ tu excites:sin,ut ego perspicio cum tua coniectura, tum etiam mea, spei nihil est,oro obtestorq́ te,ut Q.fratrē ames,quē ego miserum misere perdidi:ne'ue quid cum patiare grauius consulere de se,q̃ expediat sororis tuæ filio. Meum Ciceronem,cui nihil misello relinquo prëter inuidiam & ignominiam nominis mei,tuere,quoad poteris. Terētiam unam omnium ærumnosissimam sustentes tuis officijs.Ego in Epeirum proficiscar, cum primorum dierum nuncios excepero. Tu ad me uelim proximis literis,ut se initia dederint,perscribas. Dat.Prid.Kal.Decemb.

CICERO ATTICO SAL.



Ntea q̃ ad me scripsissetis uestro consensu Consulum prouincias ornatas esse,etsi uerebar quorsum id casurum esset, tamē sperabā uos aliquid aliquādo uidisse prudētius.Postquam mihi & dictū est,& scriptum,uehemēter consilium uestrum reprehendi: grauiter sum cōmotus,q illa ipsa spes exigua,quæ erat,uidetur esse sublata:nam si Tribb.pl.nobis suscensent,quæ potest spes esse?ac uidentur iure suscensere, cum & expertes consilij fuerint,& qui causam nostram susceperāt, & nostra concessione omnem uim sui iuris amiserint:presertim cum ita dicāt,se nostra causa uoluisse suam potestatem esse de Consulibus ornandis,nō ut eos impedirent,sed ut ad nostram causam adiungerent.Nunc si Coss. à nobis alieniores esse uelint,posse id libere facere:sin uellent nostra causa,nihil posse se inuitis.Nam quod scribis,ni ita nobis placuisset,illos hoc idem per populū assecuturos fuisse:inuitis Tribb.pl.fieri nullo modo potuit.ita uereor ne et studia Tribunorum amiserimus:& si studia maneant,uinclum illud adiungendorum Coss.amissum sit. Accedit aliud nō paruum incōmodum, q grauis illa opinio,ut quidem ad nos perferebatur, Senatum nihil decernere antequā de nobis actum esset,amissa est:presertim in ea causa,quæ non modo necessaria non fuit,sed etiam inusitata ac noua.neq; enim unquam arbitror ornatas esse prouincias designatorum;ut cum in hoc illa constantia,quę erat mea causa suscepta,imminuta sit,nihil iam possit non decerni.Iis ad quos relatū est, amicis placuisse non mirum sit.erat enim difficile reperire,qui cōtra tanta cōmoda duorum Consulum palàm sentētiam diceret:fuit omnino difficile non obsequi uel amicissimo homini Lentulo,uel Metello,qui simultatem humanissime deponeret. Sed uereor ne hos tamē tenere potuerimus, Tribb.pl. miserimus. Hæc res quemadmodum ceciderit,& tota res quo loco sit, uelim ad me scribas,& ita ut instituisti.nam ista ueritas,etiam si iucunda non est,mihi tamen grata est. Dat.IIII.Id.Decemb.

CICERO ATTICO SAL.



Ost tuum à me discessum literæ mihi Roma allatę sunt,ex quibus prospicio nobis in hac calamitate tabescendū esse:neq; enim (sed bonam in partem accipies) si ulla spes salutis nostræ subesset,tu,pro tuo amore in me,hoc tempore discessisses. Sed ne ingrati, aut ne omnia uelle nobiscum unà interire uideamur,hoc omitto. Illud abs te peto, des operam, id quod mihi affirmasti, ut te ante Kalend. Ianua. ubicunque erimus,sistas.

CICERO ATTICO SAL.



Iteræ mihi à Q.fratre cũ S.C. quod de me est factum, allatæ sunt, mihi in animo est, legum lationem expectare. Et si obtrectabitur, utar auctoritate Senatus: & potius uita q̃ patria carebo. Tu quæso, festina ad nos uenire. Vale. VI. Kal. Ian.

CICERO ATTICO SAL.


X tuis literis & ex re ipsa nos funditus perisse uideo. Te oro, ut quibus in rebus tui meis indulgebant, nostris miserijs ne desis. Ego te, ut scribis, cito uidebo.

M.T. CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM. LIBER QVARTVS.

CICERO ATTICO SAL.


Vm primum Romam ueni, fuitq́ cui recte ad te literas darem, nil prius faciendũ mihi putaui, q̃ ut tibi absenti de reditu nostro gratularer. Cognoram enim, (ut uere scribam), te in consilijs mihi dandis, nec fortiorem, nec prudentiorem quàm meipsum, nec etiam propter meam in te obseruãtiam nimium in custodia salutis meæ diligentem: eundemq́ te qui primis temporibus erroris nostri, aut totius furoris particeps, & falsi rumoris socius fuisses, acerbissime dissidium nostrum tulisse: plurimũq́ operæ, studij, diligentiæ, laboris, ad conficiendum reditum meum contulisset itaq; hoc tibi uere affirmo, in maxima lætitia, & exoptatissima gratulatione, unum ad cumulandum gaudium conspectum, aut potius cõplexum mihi tuum defuisse, quem semel nactus nunquam dimisero: ac nisi etiam prætermissos fructus tuæ suauitatis præteriti temporis omnes exegero, profectò hac restitutione fortunæ me ipse non satis dignum iudicabo. Nos adhuc in nostro statu quod difficillime recuperari posse arbitrati sumus, splendorem nostrũ illum forensem, & in Senatu auctoritatem, & apud uiros bonos gratiam magis q̃ optamus consecuti sumus: in re autem familiari, quæ quemadmodũ fracta, dissipata, direpta sit, non ignoras: ualde laboramus, tuarumq́ non tam facultatum, quas ego nostras esse iudico, quàm consiliorum ad colligendas & constituendas reliquias nostras indigemus. Nunc etsi omnia aut scripta esse à tuis arbitror, aut etiam nuncijs ac rumore perlata, tamẽ ea inscribam breui, quæ te puto potissimũ ex meis literis uelle cognoscere. Prid. Non. Sext. Dyrrachio sum profectus, ipso illo die, quo lex est lata de nobis. Brundisium ueni Non. Sext. ibi mihi Tulliola mea fuit præsto natali suo ipso die, qui casu idẽ natalis erat & Brundisinæ coloniæ & tuæ uicinæ salutis: quæ res animaduersa à multitudine summa Brundisinorum gratulatione celebrata est. Ante diẽ VI. Id. Sextil. cognoui, literis Q. fratris, mirifico studio omnium ætatũ atq; ordinum, incredibili cõcursu Italię, legem comitijs centuriatis esse perlatam:

inde

inde à Brundisinis honestissimis ornatus, iter ita feci, ut undiq; ad me cũ gratulatione Legati conuenerint. Ad urbem ita ueni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obuiam non uenerit, præter eos inimicos, quibus idipsum, non liceret aut dissimulare aut negare. Cum uenissem ad portam Capenam, gradus templorũ ab infima plebe completi erãt: à qua plausu maximo, cum esset mihi gratulatio significata, similis & frequentia, & plausus me usq; ad Capitoliũ celebrauit. In foroq; & in ipso Capitolio, miranda multitudo fuit: postridie in Senatu, qui fuit dies Non. Septemb. Senatui gratias egimus. Eo biduo cum esset ãnonæ summa caritas, & homines ad theatrum primo, deinde ad Senatum concurrissent impulsu Clodij, mea opera frumenti inopiam esse clamarent, cum per eos dies Senatus de annona haberetur, & ad eius procurationem sermone non solum plebis, uerum etiã bonorũ Põpeius uocaretur, idq; ipse cuperet, multitudoq; à me nominatim, ut id decernerem, postularet: feci & accurate sententiam dixi, cum abessent Cõsulares, q; tuto se negarent posse sententiam dicere, præter Messalã & Afranium. Factum est. S.C. in meam sententiam, ut cum Pompeio ageretur, ut eã rem susciperet, lexq; ferretur. Quo S.C. recitato, cõtinuo populus more hoc insulso & nouo, plausum eo nomine in recitando dedisset, habui concionem: omnes magistratus præsentes, præter unum Prætorem & duos Tribb. plc. dederunt. Postridie Senatus frequens, & omnes Consulares nihil Pompeio postulanti negarunt. Ille Legatos quindecim cum postularet, me principem nominauit, & ad omnia me alterum se fore dixit. Legem Coss. conscripserũt, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariæ, toto orbe terrarum daretur. Alteram Messius, qui omnis pecuniæ dat potestatem, & adiunxit classem & exercitum, & maius imperium in prouincijs, q̃ sit eorum qui eas obtineant. Illa nostra lex Consularis nũc modesta uidetur: hæc Messij non ferenda. Pompeius illam uelle se dicit: familiares hanc. Cõsulares duce Fauonio fremũt: nos tacemus: & eo magis, q; de domo nostra nihil adhuc Pontifices rñderũt: qui si sustulerint religionẽ, aream præclaram habemus, superficiem Coss. ex S.C. æstimabunt: sin aliter, demolientur, suo nomine locabunt, rem totam æstimabunt. Ita sunt res nostræ, ut in secundis fluxæ, ut in aduersis bonæ. In re familiari ualde sumus, ut scis, perturbati. Præterea sunt quædam domestica, quæ literis non cõmitto. Q. fratrem insigni pietate, uirtute, fide præditum sic amo, ut debeo. Te expecto & oro, ut matures uenire, eoq; animo uenias, ut me tuo cõsilio egere non sinas. Alterius uitæ quoddam initium ordimur. Iam quidam, qui nos absentis defenderũt, incipiũt præsentibus occulte irasci, aperte inuidere: uehementer te requirimus.

CICERO ATTICO SAL.


SI forte rarius tibi à me quàm à ceteris literæ reddũtur, peto à te, ut id non modo non negligentiæ meæ, sed ne occupationi quidẽ tribuas: quæ etsi summa est, tamẽ nulla esse potest tanta, ut interrumpat iter amoris nostri, & officij mei: nam ut ueni Romam, iterum nũc sum certior factus, esse cui darem literas: itaq; has alteras dedi. Prioribus tibi declaraui, aduentus noster qualis fuisset, & quis esset status, atque omnes res nostræ quemadmodum essent, ut in secundis fluxæ, ut in aduersis bonæ. Post illas datas literas, secuta est summa contentio de domo. Diximus apud

Pontifices prid. Kal. Octob. acta res est accurate à nobis: & si unquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si unquam aliâs fuimus, tum profecto dolor, & magnitudo uim quandam nobis dicendi dedit. Itaq; oratio iuuentuti nostræ debere non potest: quam tibi, etiam si non desideras, tamen mittam cito. Cum Pontifices decressent ita, SI NEQVE POPVLI IVSSV, NEQVE PLEBISCITI IVSSV, QVI SE DEDICASSE DICERET, NOMINATIM EI REI PRAEFECTVS ESSET, NEQVE POPVLI IVSSV, AVT PLEBISCITI IVSSV ID FACERE IVSSVS ESSET, VIDERI POSSE SINE RELIGIONE IAM PARTEM AREAE MI RESTITVI: mihi facta statim est gratulatio. Nemo enim dubitat, quin domus nobis esset adiudicata: cū subito ille in concionem ascendit, quam Appius ei dedit: nunciat iam populo Pontifices secū dum se decreuisse, me autē ui conari in possessionem uenire. hortatur, ut se & Appium sequantur, & suam libertatem ut defendant. Hic cum etiam illi infirmi partim admirarentur, partim irriderent hominis amentiam, ego statuerā illuc non accedere, nisi cum Coss. ex S.C. porticum Catuli restituendam locassent. Kal. Octob. habetur Senatus frequens, adhibentur omnes Pōtifices, qui erant Senatores: à quibus Marcellinus, qui erat cupidissimus mei, sententiam primus rogatus, quæsiuit quid essent in decernēdo secuti: tum Lucullus de omnium Collegarum sententia respondit, Religionis iudices Pontifices fuisse, legis Senatum: se & Collegas suos de religione statuisse, in Senatu de lege. Ita suo quisq; horum loco sentētiam rogatus, multa secundū causam nostram disputauit. Cum ad Clodium uentum est, cupijt diem consumere, neq; ei finis est factus: sed tamē cum H. III. ferè dixisset, odio & strepitu Senatus, coactus est aliquando perorare. Cum fieret S.C. in sentētiam Marcellini, omnibus præter unū assentientibus, Serranus intercessit, de intercessione statim ambo Coss. referre cœperunt. Cum sentētiæ grauissimæ dicerentur, Senatuī placere mihi domum restitui, porticum Catuli locari; auctoritatē ordinis ab omnibus magistratibus defendi: siquæ uis esset facta, Senatum existimaturū eius opera factum esse, qui S.C. intercessisset: Serranus pertimuit, & Cornicinus ad suam ueterem fabulam redijt, abiecta toga se ad generi pedes abiecit: ille noctem sibi postulauit, non concedebant: reminiscebantur enim Kalend. Ian. uix tamen sibi de mea uoluntate cōcessum est: Postridiè S.C. factum est id, quod ad te misi: Deinde Coss. porticum Catuli restituendam locarunt: illam porticum redemptores statim sunt demoliti libentissimis omnibus. Nobis superficiem ædium Coss. de consilij sententia æstimarunt HS uicies, cetera ualde inliberaliter. Tusculanam uillam quingentis mil. Formianū HS ducentis quinquaginta mil. quæ æstimatio non mō uehemēter ab optimo quoque, sed etiam à plebe reprehenditur. Dices, quid igitur causę fuit? Dicunt illi quidem, pudorem meum, quod neq; negarim, neq; uehemētius postularim: sed non est id: nam hoc quidem etiam profuisset. uerum ijdem mi T. Pomponi, ijdem inquam illi, quos ne tu quidem ignoras, qui mihi pinnas inciderāt, nolunt easdem renasci: sed, ut spero, iam renascuntur. Tu modo ad nos ueni, quod uereor ne tardius interuentu Varronis tui nostriq; facias. Quoniā acta quæ sint, habes, de reliqua nostra cogitatione cognosce. Ego me à Pompeio legari ita sum passus, ut nulla re impedirer: quod, nisi uellem, mihi esset integrum,

grum,aut si comitia Censorum proximi Coss.haberent,petere posse: aut uo tiuam legationem sumpsisse propè omnium fanorum ac sacrorum locorum. Sic enim nostræ rationes,utilitates meæ postulabant.Sed uolui meam potestatem esse uel petendi,uel ineunte æstate exeundi: & interea me esse in oculis ciuium de me optime meritorum,non alienum putaui. Ac forēsium quidem rerum hæc nostra consilia sunt, domesticarū aūt ualde impedita:domus ædificatur,scis quo sumptu,qua molestia reficiatur Formianū, quod ego nec relinquere possum,nec uidere.Tusculanum proscripsi. Suburbano non facile careo.Amicorū benignitas exhausta est in ea re,quæ nihil habuit præter decus,quod sensisti tu absens,præsentes:quorum studijs ego & copijs,si esset per meos defensores licitum,facile essem omnia cōsecutus,quo in genere nūc uehemēter laboratur.Cetera quæ me sollicitant. μυστικώτερα sunt. Amamur à fratre: & à filia expectamur.

CICERO ATTICO SAL.



Vere certò scio,cum scire quid hic agatur, tum ea à me scire: non quo certiora sint ea,quæ in oculis omnium geruntur, si à me scribantur,q̄ cum ab alijs aut scribantur tibi,aut nunciantur: sed uerū ut perspicias ex meis literis,quo animo ea feram,quæ geruntur,& qui sit hoc tempore aut mentis meæ sensus,aut omnino uitæ status. Armatis hominibus ante diem tertium Non.Nouemb.expulsi sunt fabri de area nostra.Disturbata porticus Catuli,quæ ex S.C.Coss.locatione reficiebatur,& ad tectum penè peruenerat.Q.fratris domus primo fracta cōiectu lapidū ex area nostra,deinde inflammata iussu Clodij inspectante urbe,coniectis ignibus,magna querela & gemitu,nō dicam bonorum,qui nescio an ulli sint, sed planè hominum omnium.Ille uehemēs ruere:post hunc furorē,nihil nisi cædem inimicorum cogitare,uicatim ambire,seruis aperte spem libertatis ostēdere.Etenim antea cum iudicium nolebat,habebat ille quidem difficilem ma nifestamq; causam,sed tamē causam:id poterat inficiari,poterat in alios deriuare,poterat etiam aliquid iure factum defendere.Post has ruinas, incendia, rapinas,desertus à suis,uix iam Decimum designatorem, uix Gelliū retinet. Seruorum cōsilijs utitur.uidet,si omnis quos uult,palàm occiderit:nihilo suā causam difficiliorem,q̄ adhuc sit,in iudicio futuram.Itaq; ante diem tertium Id.Nouemb.cum sacra uia descēderem,insecutus est me cum suis. clamor, lapides,fustes,gladij,hæc improuisa omnia.discessimus in uestibulū. Tetij Damionis:qui erant mecum facile operas aditu prohibuerūt.ipse occidi potuit. Sed ego diæta curari incipio,chirurgiæ tędet.Ille omnium uocibus cū se non ad iudicium,sed ad supplicium præsens trudi uideret,omneis Catilinas Acidinos postea reddidit.Nam Milonis domū meamq; Ceramio prid.Id. Nouemb.expugnare & incēdere ita conatus est,ut palàm hora quinta cum scutis homines deductis gladijs,alios cum accēsis facibus adduxerit: ipse domū P. Sullæ pro castris sibi ad eam impugnationem sumpserat. Tum ex Anniana Milonis domo Q.Flaccus eduxit uiros acris,occidit homines ex omni latrocinio Clodiano notissimos,ipsum cupiuit: sed ille ex interiorem ædium Sil- * la se ī senatu postridie Idus domi Clodius,egregius Marcellinus, oēs acres. Metellus calumnia dicendi tempus exemit,adiuuante Oppio, etiam hercule familiari tuo,de cuius constantia uirtute uerissimæ literæ Sestius furere. Ille

poftea,fi comitia fua non fierent,urbi minari.Propofita Marcellini fententia: quam ille de fcripto ita dixerat,ut totam noftram caufam areæ,incendiorum, periculi mei,iudicio complecteretur,eaq; omnia comitijs anteferret: profcripfit fe per omnes dies comitiales de cœlo feruaturum. Conciones turbulētæ Metelli,temerariæ Appij,furiofiffimæ Publij.Hæc tamen fumma nifi Miloni C.Appius obnunciaffet,comitia futura ante diem.XII.Kalē.Decemb. Milo ante mediam nocte cum magna manu in campum uenit. Clodius cum haberet fugitiuorum delectas copias,in campum ire nō eft aufus. Milo permanfit ad meridiem,mirifica hominum lætitia,fumma cum gloria. Contētio fratrum trium turpis,fracta uis,contemptus furor.Metellus tamē poftulat, ut fibi poftero die in foro obnuncietur:nihil effe quòd in campum nocte ueniretur,fe hora prima in comitio fore.Itaq; ante diem.XI.kal.Ian.in comitium Milo de nocte uenit:Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus prope deuijs currebat.Affequitur inter lucos hominem Milo,obnūciat:ille fe recepit magno & turpi Q.Flacci conuicio. Ante diem.X.Kal.nundinæ,concio biduo nulla ante diem.VIII.kal.Hæc ego fcribebam hora noctis nona.Milo campum iam tenebat:Marcellus candidatus ita ftertebat,ut ego uicinus audirem.Clodij ueftibulum uacuum fanè mihi nunciabatur.paucis pānofis fine laterna.eo cōfcio oia illi fieri querebātur,ignari q̄tū in illo heroe eēt aī,q̄tū ēt cōfilij.mirāda uirtus eft, noua quædā diuina mitto.Sed hęc fumma eft,comitia fore nō arbitror.Reum Publium(nifi ante occifus erit) fore à Milone puto:fi fe interim obuiam obtulerit,occifum iri ab ipfo Milone uideo:non dubitat facere,præ fe fert,cafum illum noftrum nō extimefcit: nūquam enim cuiufquam inuidi & perfidi confilio eft ufus,nec inerti nobili crediturus.Nos animo dūtaxat uigemus,etiam magis q̄ cum florebamus. re familiari comminuti fumus,Q.fratris tamē liberalitati pro facultatibus noftris,ne omnino exhauftus effem,illo recufante fubfidijs amicorum refpondemus.Quid confilij de omni noftro ftatu capiamus te abfente nefcimus. Quare appropera.

CICERO ATTICO SAL.

Periucūdus mihi Cincius fuit ante diem.III.Kal.Feb.ante lucem: dixit enim mihi te eē in Italia,fefeq; ad te pueros mittere:quos fine meis literis ire nolui:non quo haberem quod tibi, prefertim iā propè præfenti fcriberem,fed ut hoc ipfum fignificarem, mihi tuum aduentum fuauiffimum expectatiffimumq; effe:quare aduola ad nos,eo animo ut nos ames,te amari fcias:cetera corām agemus:hæc properantes fcripfimus.Quo die uenies,utiq; cum tuis apud me fis:perbelle feceris, fi ad nos ueneris,offendes defignationem Tyrannionis,mirificam librorum meorum bibliothecam,quorum reliquiæ multo meliores funt q̄ putaram. Etiā uellem mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos,quibus Tyrānio utatur glutinatoribus,ad cetera adminiftres,ijsq; imperes,ut fumāt membranulam,ex qua indices fiant,quos uos Græci(ut opinor)συλλάβους appellatis:fed hæc fi tibi erit cōmodū,ipfe uero utiq; fac uenias,fi potes in his locis adhærefcere,& Piliā adducere.Ita enim & æquum eft,& cupit Tullia.Mediuffidius næ tu emifti locum præclarū.Gladiatores audio pugnare mirifice : fi locare uoluiffes, duobus his muneribus liberaffes,fed hęc pofterius.Tu fac uenias,& de librarijs,fi me amas,diligenter.

CICERO ATTICO SAL.



AN tu? an existimas ab ullo malle mea legi probari'q; q̃ à te? cur igitur cuiquam misi prius? urgebar ab eo ad quem misi, & nõ habebam exemplar. Quid? etiam (dudum enim circumrodo, quod deuorandum est) subturpicula mihi uidebatur esse παλινῳδία: sed ualeant recta, uera, honesta consilia. Non est credibile, quæ sit perfidia in istis principibus, ut uolunt esse, & ut essent, si quidquam haberent fidei. Sẽseram, noram, inductus, relictus, proiectus ab ĳs: tamẽ hoc erat in animo, ut cum ĳs in rep. consentirem: Iidem erant qui fuerant. Vix aliquando te auctore resipiui. Dices ea te monuisse, suasisse, quæ fecerã, non etiam ut scriberẽ: ego mehercule mihi necessitatẽ uolui imponere huius nouę coniunctionis, ne qua mihi liceret, labi ad illos, qui etiam tum, cum misereri mei debẽt, non desinũt inuidere: sed tamẽ modici fuimus ὑπόθεσιν ut scripsi: erimus uberiores, si & ille libenter accipiet, & hi subringentur, qui uillam me moleste ferũt habere, quę Catuli fuerat, aut etiam emisse non cogitant: qui domum negant oportuisse me ædificare, uendere aiunt oportuisse. Sed quid ad hoc? sed quibus sentẽtĳs dixti, quod & ipsi probarent, lætati sunt tamen me contra Pompeĳ uoluntatem dixisse: sed quoniam qui nihil possunt, ĳ me nolũt amare, demus operã, ut ab ĳs qui possunt, diligamur. Dices, uellem iampridem: scio te uoluisse, & me asinum germanum fuisse. Iam tempus est meipsum à me amari, quãdo ab illis nullo modo possum. Domum meam, ꝙ crebro inuisis, est mihi ualde gratum. Viaticum Crassipes præripit, tu de uia rectà in hortos. Videtur commodius ad te, postridie scilicet: quid enim tua? sed uiderimus. Bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione, & sittybis, eos uelim laudes.

CICERO ATTICO SAL.



DE Lentulo scilicet sic fero, ut debeo, uirum bonum & magnũ hominem, & in summa magnitudine animi multa humanitate tẽperatum perdidimus: nos'q; malo solatio, sed non multo tamẽ consolamur, ꝙ ipsius uicem minime dolemus, non ut Saufeius, & uestri mehercule: quia sic amabat patriam, ut mihi aliquo deorum beneficio uideatur ex eius incẽdio esse ereptus. Nã qui fœdius nostra uita? pręcipue mea? Nam tu quidem, etsi es natura πολιτικός, tamen nullam habes propriam seruitutem, cõmuni frueris nomine: ego uero, qui si loquor de rep. quod oportet, insanus: si quod opus est, seruus existimor: si taceo, oppressus & captus: quo dolore eẽ debeo? quo sũ scilicet: hoc ẽt acriore, ꝙ ne dolere qdẽ possum, ut non ingratus uidear. Quid si cessare libeat, & in otĳ portum confugere? nequicquam: immo etiam in bellum & in castra. Ergo erimus ὀπαδοί qui ταγοί esse noluimus? sic faciundũ est, tibi enim ipsi, (cui utinã semper paruissem), sic uideo placere. Reliq est, σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. Non mehercule possum, & Philoxeno ignosco, qui reduci in carcerem, maluit uerũtamen, idipsum mecum in his locis commentor, ut ista improbem: id'q; tu cum unà erimus, confirmabis. A te literas crebro ad me scribi uideo, sed omnes uno tẽpore accepi. Quæ res etiam auxit dolorem meum. Casu enim trinas antè legerã, quibus meliuscule Lentulo esse, scriptũ erat. ecce quartę fulmen. sed ille, ut scripsi, non miser, nos uero serui. Quòd me admones, ut scribam illa Horten-

ſiana,in alia incidi non immemor iſtius mandati tui:ſed mehercule incipiēdo refugi,ne quod uideor non ſtulte illius amici intemperiem tuliſſe,rurſus ſtulte iniuriam illius faciam illuſtrem,ſi quid ſcripſero:& ſimul ne βαθύτης mea, quæ in agendo apparuit,in ſcribendo ſit occultior,& aliquid ſatiſfactio leuitatis habere uideatur.ſed uiderimus.Tu modo quamſæpiſſime ad me aliqd. Epiſtolam,Lucceio quam miſi,qua res meas ut ſcribat rogo, fac ut ab eo ſumas:ualde bella eſt:eumq́ ut approperet,adhorteris:& q̃ mihi ſe ita facturum reſcripſit,agas gratias.Domum noſtram quoad poteris,inuiſas.Veſtorio aliquid ſignifices.ualde enim eſt in me liberalis,nihil δυκαιρότερον.

CICERO ATTICO SAL.



Piſtola tua quæ me ſolicitū de Q.noſtro puero optimo ualde leuauit,uenerat horis duabus antè Cherippus:mera monſtra nunciarat.De Apollonio quod ſcribis,qui illi Dij irati, homini Græco,qui conturbare quidem putat ſibi licere,quod Equitibus Romanis,nam Terentius ſuo iure.De Metello, οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν. ſed tamen multis annis ciuis nemo erát mortuus.Quid quidem tibi nummi? meo periculo ſint.Quid enim uereris quencunq́ hæredem fecit?niſi Publium fecit. uerum fecit non improbe,quāquam fuit ipſe. Quare in hoc thecam numariam non retexeris,in alijs eris cautior.Mea mandata de domo curabis,præſidia locabis,Milonem admonebis.Arpinatum fremitus eſt incredibilis . De Laterio quid quæris?Equidem dolui, ὁ δ' οὐκ ἐμπάζετο μύθων. Quod ſupereſt etiā puerum Ciceronem curabis & amabis,ut facis .

CICERO ATTICO SAL.



Vlta me in epiſtola tua delectarunt,ſed nihil magis quàm patina Tyrotarichi. nam de Rauduſculo quod ſcribis,

μήπω μέγαν εἴπης πρὶν τελευτήσαντ' ἴδῃς

ædificati tibi in agris nihil reperio:in oppido eſt quiddā, de quo ett dubium,ſit ne uenale, ac proximum quidē noſtris ædibus.Hoc ſcito, Antium Buthrotum eſſe Romæ,ut Corcyræ illud tuum:nihil quietius,nihil alſius,nihil amœnius ΕΙΜΗΙΧΗΤΩΦΙΛΟΟΙΚΟΣ Poſtea uero q̃ Tyrāniomi hi libros diſpoſuit,mens addita uidetur meis ædibus:qua quidem in re mirifica opera Dionyſij & Menophili tui fuit.Nihil uenuſtius q̃ illa tua pegmata.poſtquam miſit libros,illuſtrarūt ualde.Et ſcribas ad me uelim de gladiatoribus:ſed ita,bene ſi rem gerunt:non quæro,male ſic egiſſe.Aperias uix diſceſſerat cum epiſtola.Quid ais?putas ne fore,ut legem non ferat? dic oro te clarius:uix enim mihi exaudiſſe uideor:uerū ſtatim fac,ut ſciam, ſi modo eſt commodum.Ludis quidem quoniam dies eſt additus,eo etiam melius hic eū diem cum Dionyſio cōteremus. De Trebonio prorſus tibi aſſentior.De Domitio σύκῳ μὰ τὴν δήμητρα σῦκον οὐδὲ ἓν οὕτω ὅμοιον γέγονεν, q̃ eſt iſta περίστασις noſtra,uel quod ab iiſdem,uel quod præter opinionem,uel quod uiri boni nuſquam unum diſſimile,quod huic merito:nam de ipſo caſu neſcio an illud melius:quid enim hoc miſerius,q̃ eum qui tot annos,quot habet,Deſ. Coſ. fuerit,fieri Coſ.non poſſe?preſertim,cum aut ſolus,aut certe non plus q̃ cum altero,petat.Si uero id eſt,quod neſcio an ſit,ut non minus longas iam in codicillorum faſtis futurorum Coſſ.paginulas habeat,q̃ factorum,quid illo miſerius?niſi reſpub.in qua nec ſperatur quidem melius quicquam.De Natta ex

tuis primum

tuis primum sciui literis, oderam hominem. De poemate quod quæris, quid si cupiat effugere? quid sinat? De Fabio Lusco quod erã exorsus, homo peramans semper nostri fuit, nec mi unquam odio: satis enim acutus et permodestus ac bonæ frugi: eum quia non uidebam, abesse putabam: audiui ex Gauio hoc Firmano, Romæ esse hominem, & fuisse assiduum: percussit animũ. Dices, Tantula ne causa? Permulta ad me detulerat non dubia de Firmanis fratribus, quid sit quod se à me remouit, si modo remouit, ignoro. De eo qđ me mones, ut πολιτικῶς me geram, et in eo γραμμὴν teneam, ita faciã, sed opus est maiore prudentia, quam à te, ut soleo, petam. Tu uelim è Fabio, si quẽ habes aditum, odorere, & istum conuiuam tuum degustes, & ad me de his rebus & de omnibus cotidie scribas. Vbi nihil erit quod scribas, id ipsum scribito. Cura ut ualeas.

CICERO ATTICO SAL.

SAne uelim scire num censum impendãt Tribuni diebus uitiãdis, (est enim hic rumor) totaꝗ de censura quid agant, quid cogitẽt. Nos hic cum Pompeio fuimus, multa mecum de repu. sane sibi displicens, ut loquebatur, (sic est enim in hoc homine dicẽdum) Syriam spernens, Hispaniam iactãs. hic quoꝗ, ut loquebatur, & opinor usquequaꝗ. De hoc cum dicemus, sit hoc quasi καὶ τόδε Φωκυλίδου. Tibi etiam gratias agebat, ꝙ signa componenda suscepisses. In nos uero suauis mehercule & effusus: uenit etiam ad me in Cumanum, ac se nihil minus uelle mihi uisus est, ꝙ Messalam Consulatum petere: de quo ipso si quid scis, uelim scire. Quòd Lucceio scribis te nostram gloriam cõmendaturum: & ædificium nostrum, quod crebro inuisis, gratum. Q. Frater ad me scripsit se, quoniam Ciceronẽ suauissimum secum haberet, ad te No. Mai uenturũ. Ego me de Cumano moui ante diem. V. kal. Mai. eo die Neapoli apud Lætum ante diem. IIII. Kal. Mai. iens in Pompeianũ bene mane, hæc scripsi. Puteolis magnus est rumor Ptolemæum esse in regno. Si quid habes certius, uelim scire. Ego hic pascor bibliotheca Fausti: fortasse tu putabas his rebus Puteolanis & Lucrinensibus: ne ista quidem desunt, sed mehercule à ceteris oblectationibus deseror et uoluptatibus propter rempub. Sic literis sustentor & recreor: maloꝗ in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis, sedere, quàm in istorũ sella curuli: tecumꝗ apud te ambulare, ꝙ cum eo quocum uideo esse ambulãdũ: sed de illa ambulatione fors uiderit, aut si qui est qui curet deus. Nostram ambulationem & laconicum. eaꝗ quæ Cyrea sint, uelim, cum poteris, inuisas: & urgeas Philotimum, ut properet, ut possim tibi aliquid in eo genere respõdere. Pompeius in Cumanum Parilibus uenit: misit ad me statim, qui salutẽ nũciaret, Ad eum postridie mane uadebam, cum hæc scripsi.

CICERO ATTICO SAL.

DElectarũt me epistolæ tuæ, quas accepi uno tpe, duas ante diẽ. V. kal. perge reliqua: gestio scire ista oĩa: ẽt illud cuiusmodi sit, uelim perspicias: potes à Demetrio. Dixit Põpeius Crassum à se in Albano expectari ante diem. IIII. kalẽ. is cum uenisset, Romam esse statim uenturos, ut rationes cum Publicanis putarent. Quæsiui, Gladiatoribus ne? respondit, Ante quàm inducerentur. Id cuiusmodi sit, aut nunc si scias, aut cum is Romam uenerit, ad me mittas uelim. Nos hic uoramus literas

cum homine mirifico (ita mehercule sentio) Dionysio, qui te omnesq; uos salutat. οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντα εἰδέναι. Quare ut homini curioso, ita perscribe ad me, quid primus dies, quid secūdus, quid Cēsores, quid Appius, quid illa populi apuleia: denicq; etiam quid à te fiat ad me uelim scribas: non enim (ut uere loquamur) tam rebus nouis, q̄ tuis literis delector. Ego mecū præter Dionysium duxi neminem, nec metuo tamē ne mihi sermo desit abs te, opere delector. Tu Lucceio nostrum librū dabis. Demetrij Magnetis tibi mitto, statim ut sit qui à te mihi epistolam referat.

CICERO ATTICO SAL.



Gnatius Romæ est, sed ego cum eo de re Halimeti uehemēter ante egi: grauiter se acturum cum Aquilio confirmauit: Videbis ergo hominem, si uoles. Macroni uix uideor p̄sto esse, Idibus enim auctionem Larini uideo, & biduum prętereà: id tu, quoniam Macronem tanti facis, ignoscas mi uelim: sed si me diligis, postridie Kalen. cena apud me cum Petilia. prorsus id facies. Kalend. cogito in hortis Crassipedis, quasi in diuersorio, cenare. Facio fraudem S.C. Inde domum cenatus, ut sim mane præsto Miloni: ibi te igitur uidebo, & promouebo. Domus te nostra tota salutat.

CICERO ATTICO SAL.



Os in Tusculanum uenisse ad. XVII. Kalen. Decemb. uideo te scire. ibi Dionysius nobis præsto fuit. Romæ ad. XVIII. Kal. uolumus esse: quid dico uolumus? immo uero cogimur. Milonis nuptiæ, comitiorum nōnulla opinio est. Ergo ut sit rata, abfuisse me in altercationibus, quas in Senatu factas audio, fero non moleste. Nā aut defendissem, quod non placeret: aut defuissem, cui non oporteret. Sed mehercule uelim res istas, & præsentem statum reipub. æquo animo Coss. ferant. Hūc σκυλμὸν rescribas ad me quantum pote. ual.

Sum ἀξύπνευος. & si quæris, omnia mihi sunt suspecta. Crassum quidem nostrum minore dignitate aiunt profectum paludatū, q̄ olim æqualem eius L. Paulum iterum Cos. O hominem nequam. De libris Oratorijs factum est à me diligenter, diu multumq; in manibus fuerunt, describas licet. Illud etiam te rogo τὴν παροῦσαν κατάστασιν τυπωδῶς ne istuc hospes ueniam.

CICERO ATTICO SAL.



Estorius noster me per literas fecit certiorem, te Roma ad. VI. Id. Mai putari profectum esse tardius, quàm dixerat, quòd minus ualuisses: si iam melius uales, uehementer gaudeo. Velim domum ad te scribas, ut mihi tui libri pateant, nō secus ac si ipse adesses, cū ceteri, tum Varronis: est enim mihi utendū quibusdam rebus ex ijs libris ad eos quos in manibus habeo, quos ut spero, tibi ualde probabo. Tu uelim si quid forte noui habes, maxime à Q. fratre, deinde à C. Cæsare, & si quid forte de comitijs, de repub. (soles enim tu hæc festine odorari) scribas ad me. Si nil habebis, tamen scribas aliquid: nunquam enim mihi tua epistola aut intempestiua, aut loquax uisa est. Maxime autem rogo, rebus tuis, totoq; itinere ex sententia confecto, nos quamprimum reuisas. Dionysium iube saluere. Cura ut ualeas.

CICE.

CICERO ATTICO SAL.


E Eutychide gratū, qui uetere prænomine, nouo nomine, T. erit Cæcilius: ut est ex me & ex te iūctus Dionysius, M. Pomponius. Valde mehercule mihi gratum, si Eutychides tuā erga me beneuolentiam, cognoscet suam illam in meo dolore συμπάθειαν, neque tum mihi obscuram, neq; post ingratam fuisse. Iter Asiaticum tuū puto tibi suscipiendum fuisse: nunquam enim tu sine iustissima causa tam lōge à tot tuis & hominibus, & rebus carissimis & suauissimis abesse uoluisses. Sed humanitatem tuā amoremq; in tuos, reditus celeritas declarabit. Sed uereor ne lepôre suo detineat diutius Pr. Clodius, & homo pereruditus, (ut aiunt) & nunc quidem deditus Græcis literis pituanios. Sed si uis homo esse, recipe te ad nos, ad quod tempus confirmasti: cum illis tamen, cum salui uenerint, Romæ uiuere licebit. Auere te scribis accipere aliquid à me literarū. Dedi ac multis quidem de rebus ἡμερόλεγδον perscripta omnia: sed ut coniicio, quoniā mihi uero uideris in Epeiro diu fuisse, redditas tibi non arbitror: genus autem mearum ad te quidem literarum eiusmodi ferè est, ut non libeat cuiq; dare, nisi de quo exploratum sit, tibi eum redditurum. Nunc Romanas res accipe. Ad III. No. Quintil. Sufenas & Cato absoluti. Procilius condemnatus: ex quo intellectum est tres ἀρεοπαγίτας ambitum, comitia, interregnum, maiestatē, totam deniq; remp. flocci non facere. Debemus patremfamilias domi suæ occidere nolle, neq; tamen id ipsum abunde. Nam absoluerunt. XXII. cōdemnarunt. XXVIII. Publius sanè diserto epilogo criminari, mētes iudicū mouerat: Otalus in ea causa fuit cuiusmodi solet: nos uerbum nullum: ueritas est enim pusilla, quæ nunc laborat, ne animū Publio offenderet. His rebus actis Reatini me ad sua τέμπη duxerunt, ut agerem causam contra Interamnates apud Cos. & decem Legatos, q; lacus Velinus à M. Curio emissus, interciso monte in Nar defluit, ex quo est uilla siccata, & humida tamen modice. Rosiæ uixi cum Axio: quin etiā me ad. VII. Aquas duxit. Rediī Romā Fōteii causa: ad. VII. Id. Quintil. ueni. Spectaculum primum magno & æquabili plausu: sed hoc ne curaris, ego ineptus, q scripserim: deinde Antiphōti operam: is erat ante manumissus q̄ productus: ne diutius pēdeas, palmam tulit. Sed nihil tam pusillum, nihil tam sine uoce, nihil tam uerum, hæc tu tecum habeto. In Andromacha tamen maior fuit quàm Astyanax. in ceteris parē habuit neminem. Quæris nunc de Arbuscula: ualde placuit. Ludi magnifici & grati. Venatio in aliud tempus dilata. Sequere nunc me in campum, ardet ambitus σῆμα δέ τοι ἐρέω, fœnus ex triente Id. Quintil. factum erat bessibus. Dices, istuc quidem non moleste fero ô uirum, ô ciuem. Memmium Cęsaris oēs opes confirmant, cum eo Domitiū Cos. iunxerunt: qua pactione, epistolæ cōmittere non audeo. Pompeius fremit, queritur, Scauro studet: sed utrū fronte an mente, dubitatur. ὑπεροχὴ nulla est: pecunia, omnium dignitatem exæquat. Messala languet, non quo aut animus desit, aut amici, sed coitio Cos. & Pomp. obsunt: sed comitia puto fore, ut ducantur. Tribunicii candidati iurarunt se arbitrio Catonis petituros, Apud eum HS. quingena deposuerunt, ut qui à Catone damnatus esset, id perderet, & competitoribus tribueretur.

Hæc ego pridie scribebam q̃ comitia fore putabantur: sed ad te. V. Kal. Sextil. si facta erunt, & tabellarius non erit profectus, tota comitia perscribam: quæ si, ut putantur, gratuita fuerint, plus unus Cato potuerit q̃ omnes q̃dem iudices. Messius defendebatur à nobis, è legatione reuocatus: nam eum Cæsari legerat Appius. Seruilius edixit, ut adesset, tribus habet Pontinam, Veliam, Mætiam: pugnatur acriter, agitur tñ satis. Deinde me expedio ad Drusum, inde ad Scaurum, paranẽ orationibus indices gloriosi. Fortasse accedẽt etiam Coss. Des. in quibus si Scaurus non fuerit, in hoc iudicio ualde laborabit. Ex Q. fratris literis suspicor iam eum esse in Britania: suspẽso animo expecto quid agat. Illud quidem sumus adepti quod multis & magnis indicijs possumus iudicare, nos Cæsari & carissimos & iucundissimos esse. Dionysium uelim saluere iubeas, & eum roges, & hortere, ut quamprimum ueniat, ut possit Ciceronem meum atq; etiam me ipsum erudire.

CICERO ATTICO SAL.



Occupationum mearum uel hoc signũ erit, q̄ epistola librarij manu est. De epistolarum frequentia te nihil accuso, sed plerœq; tantummodo mihi nunciabãt ubi esses, quod erat abs te: uel etiam significabant recte esse, quo in genere maxime delectarunt duæ fere eodem tempore abs te Bruto datæ: scire enim uolebam te commode nauigasse. Sed hæc epistolarum frequentia, non tam ubertate sua q̃ celeritate delectauit: illa fuit grauis & plena rerum, quã mihi M. Paccius hospes tuus reddidit: ad eam rescribam igitur, & hoc quidem primum. Paccio ratione & uerbis & re ostendi, quid tua commẽdatio ponderis haberet: itaq; in intimis est meis, cum antea notus non fuisset. Nunc pergam ad cetera. Varro, de quo ad me scribis, includetur in aliquem locũ, si modo erit locus: sed nosti genus dialogorum meorum, ut in Oratorijs, quos tu in cœlum fers, non mentio potuit fieri cuiusquã ab ijs qui dispután, nisi eius qui illis notus aut auditus esset. Hãc ego de repu. quam institui disputationem, in Aphricani personã, & Phili, et Pæti Manlij contuli: adiunxi adolescentis, Q. Tuberonem, P. Rutiliũ, duo Lælij generos Scæuolam & Fannium: itaq; cogitabam, qm̃ in singulis libris utor procemijs, ut Αριστοτέλης in his quos ἐξωτερικοὺς uocat, aliquid efficere, ut nõ sine causa istum appellarem, Id quod intelligo tibi placere, utinam modo conata efficere possim: rem enim (quod te non fugit) magnam complexus sum, & grauem, & plurimi otij, quo ego maxime egeo. Q. in his libris quos laudas, personam desideras Scæuolæ, non eam temere dimoui, sed feci idem quod in πολιτείᾳ deus ille noster Plato: cum in Piręum Socrates uenisset ad Cephalum locupletem & festiuum senẽ, quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex: deinde cũ ipse quoq; cõmodissime locutus eẽt, ad rem diuinam dicit se uelle discedere, neq; postea reuertitur. Credo Platonem uix putasse satis consonum fore, si hominem id ætatis in tam longo sermone diutius retinuisset. Multo ego satius hoc mihi cauendum putaui in Scæuola, qui & ætate & ualetudine erat ea, qua esse meministi, & ijs honoribus, ut uix satis decorum uideretur eum pluris dies esse in Crassi Tusculano. Et erat primi libri sermo, non alienus à Scæuolæ studijs, reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut scis. Huic ioculatorem senem illum, ut noras, interesse sane nolui. De re

filiæ quod ſcribis, erit mihi curæ:etenim eſt luculenta res. Aureliani, ut ſcribis,indicis & in eo me etiam Tulliæ meæ uenditabo. Veſtorio non deſum: gratum enim tibi id eſſe intelligo,& ut ille intelligat,curo. Sed ſcis,qui,cum habeat duo faciles,nihil difficilius. Nũc ad ea quæ quæris de C. Catone: lege Iunia,& Licinia ſcis abſolutum: Fuſia ego tibi nuncio abſolutumiri,necꝗ patronis ſuis tam libentibus ꝗ̃ accuſatoribus. Is tamen & mecum,& cum Milone in gratiam rediȷt. Druſus reus eſt factus à Lucretio,iudicibus reȷciẽdis. * Ad V. No. Quintil. de prælio rumores nõ boni,ſed iudicia noſti. Hirrus cũ Domitio in gratia eſt. S.C. quod hic Coſſ. de prouinciȷs fecerunt, Q V I cũꝗ poſthac,non mihi,ut quod iam intelligebamus,enunciationem illam Memmȷ ualde Cæſari diſplicere. Meſſala noſter,& eius Domitius competitor liberalis in populo ualde fuit: nihil gratius, certi erant Coſſ. ac Senatus decreuit,ut tacitum iudicium ante comitia fieret,ab ȷs conſilȷs,quæ erãt omnibus ſortita in ſingulos candidatos,magnus timor candidatorum. Sed quidam iudices,in his Opimius Veiẽtor, Antius Tr. pl. appellarunt,ne iuſſu populi iudicarent: reſcidit,comitia dilata ex S.C. cum lex de tacito iudicio ferretur: uenit legi dies, Terentius interceſſit: Coſſ. qui illud leui brachio egiſſent, rẽ ad Senatum detulerunt. Hic Abdera non tacente me. Dices,tamen tu non quieſcis? ignoſce,uix poſſum. Verũtamen,quid tam ridiculum? Senatus decreuerat,ne prius comitia haberẽtur,ꝗ̃ lex lata eſſet: ſi qui interceſſiſſet,res integra referretur. Cœpta ferri leuiter. Interceſſum non inuitis,res ad Senatũ. De ea re ita cenſuerunt, Comitia primo quoꝗ tempore haberi cenſere. Scaurus qui erat paucis diebus illis abſolutus,cum ego patrem eius ornatiſſime defendiſſem,obnunciationibus per Scæuolam interpoſitis, ſingulis diebus uſque ad prid. Kal. Octob. quo ego hæc die ſcripſi,ſublatis,populo tributim domi ſuę ſatiſfecerat: ſed tamen,etſi uberior liberalitas huius,gratior eẽ uidebatur eorum,qui occuparant,cuperem uultum uidere tuum,cum hæc legeres: nã profecto rem habes nullam,hæc negotia multarum nundinarum fore. Sed Senatus hodie fuerat futurus,id eſt kal. Octob. iã enim Luciſcit,ibi loquetur præter Antium & Fauonium libere nemo: nam Cato ægrotat,de me nihil timueris,ſed tamen ꝓmitto nihil. Quid quæris? aliud. Iudicia credo, Druſus, Scaurus nõ feciſſe uidenẽ: tres Candidati fore rei putabanẽ. Domitius à Mẽmio, Meſſala à Q. Põpeio Ruffo, Scaurus à Triario,aut à L. Cæſare. Quid poteris,inquies,pro ȷs dicere? ne uiuam,ſi ſcio,in illis quidem tribus libris, quos tu dilaudas, nihil repio. Nũc,ut opinionẽ habeas rerũ,ferẽdum eſt. Quæris, ego me ut geſſerim: conſtanter & libere. Quid ille? inquies,ut ferebatẽ humaniter,meæꝗ dignitatis quoad mihi ſatiſfactum eſſet, habendam ſibi rationẽ putabat. Quomodo ergo abſolutus? omnino πορπαπτμνα accuſatorũ incredibilis infantia,id eſt L. Lentuli, L. F. quem fremunt omnes præuaricatum. Deinde Pompeȷ mira contentio. Iudicum ſordes. Attamen XXXII. condemnarunt. XXXVIII. abſoluerunt, iudicia reliqua impendent. Nondum eſt plane expeditus. Dices tu,ergo hæc quomodo fers? belle mehercule, & in eo me ualde amo: Amiſimus, mi Pomponi, omnem ſucum ac ſanguinem, ſed etiam colorem & ſpeciem priſtinam ciuitatis. Nulla eſt reſpu. quæ delectet, in qua acquieſcam. Id ne igitur,inquies, facile fers? id ipſum: recordor enim quàm bella pauliſper nobis gubernantibus ciuitas fuerit,quæ

mihi gratia relata ſit:nullus dolor me angit:unum omnia poſſe,diſrumpuntur ij,qui me aliquid poſſe doluerunt,multa mihi dant ſolatia:nec tamen ego de meo ſtatu demigro:quæq; uita maxime eſt ad naturam,ad eam me refero, & literas,& ſtudia noſtra,dicendi laborem delectatione oratoria conſolor. Domus me,& rura noſtra delectant:non recordor unde ceciderim, ſed unde ſurrexerim.Fratrem mecum & te ſi habebo,per me iſta pedibus trahunt. Vobis ἐμφιλοσοφῆσαι poſſum.Locus ille animi noſtri,ſtomachus ubi habitabat olim concalluit.Priuata modo,& domeſtica nos delectant.miram ſecuritatē uidebis,cuius plurimę mehercule partes ſunt in tuo reditu.Nemo enim in terris eſt,mihi tam conſentientibus ſenſibus. Sed accipe alia.Res fluit ad Interregnum,& eſt nōnullus odor Dictaturæ.Sermo quidem multus,qui ēt Gabinium apud timidos iudices adiuuit.Candidati Conſulares omnes rei ambitus:accedit etiam Gabinius,quem P.Sulla non dubitans quin foris eſſet,poſtularat contradicente & nihil obtinente Torquato.Sed omnes abſoluētur, nec poſthac quiſquam damnabitur,niſi qui hominem occiderit. Hoc tamen agitur ſeuerius.Itaque iudicia calēt.M.Fuluius Nobilior condemnatus eſt. Multi alij urbani ne rn̄dent quidem.Quid aliud noui?& tn̄,abſoluto Gabinio ſtomachātes alij iudices. Hora poſt,Antiochū Gabinium,neſcio quē, ſolidis pictoribus libertum accenſum Gabinij lege Papia condemnarūt.Itaq; dixit ſtatim reſp.lege maieſtatis ΟΥCΟΙΜΡΙCΑΜΑΦΙΗΙ Pomptinus uult ad IIII.Non.Nouemb.triumphare.Huic obuiam Cato & Seruilius Præt.apte,& Q.Mutius Tr.Negāt enim latum de imperio:& eſt latum hercule inſulſe,ſed erit cum Pomptino Appius Coſ.Cato tamē affirmat ſe uiuo illum non triumphare. id ego puto,ut multa eiuſdem,ad nihil recaſurum. Appius ſine lege ſuo ſumptu in Ciliciam cogitat.Ab Q.fratre & à Cæſare accepi ad IX.Kal.Nou.literas(confecta Britannia, obſidibus acceptis, nulla præda, imperata tamen pecunia)datas à litoribus Britanniæ,proximo ad VI.kalē. Octob.exercitum Britannia reportabant.Q.Pilius erat iā ad Cæſarē profectus.Tu,ſi aut amor in te eſt noſter,ac tuorum,aut ulla ueritas, aut ſi etiam ſapis,ac frui tuis cōmodis cogitas,aduētare,& propè adeſſe iam debes. nō mehercule æquo animo te careo.te autem quid mirum,qui Dyoniſium tantopere deſiderem?quem quidem abs te,cum dies uenerit,& ego, & Cicero meus flagitabit.Abs te proximas literas habebam,Epheſo ad.V.Id.Sextil.dat.

CICERO ATTICO SAL.

Expectatas mihi tuas literas:O gratum aduentum:O conſtantiā promiſſi,& fidem miram:O nauigationem amādam, quam mehercule ego ualde timebam,recordans ſuperioris tuæ tranſmiſſionis δῆξις. Sed fallor,citius te q̄ ſcribis,uidebo:Credo enim te putaſſe tuas mulieres in Apulia eſſe:quod cum ſecus erit,quid te Apulia moretur?nam Veſtorio dādi ſunt dies,& ille Latinus ἀττικισμὸς ex interuallo regustandus.Quin tu huc aduolas:& inuiſis illius noſtræ reip.germanę.Putauide nummis ante comitia tributim uno loco diuiſis, palàm inde abſolutum * Gabinium:detur eſſe ualiturum.De Meſſala quod quæris,quid ſcribam neſcio:nūquam ego uidi tam pares candidatos.Meſſalę copias noſti. Scaurum Triarius reum fecit.Si quæris,nulla eſt magnopere commota συμπάθεια. ſed tamen habet Aedilitas eius memoriam non ingratam,& eſt pondus apud ru

ſticos

ſticos in patris memoriam. Reliqui duo plebei ſic exæquantur, ut Domitius ualeat amicis, adiuuetur tamen, non gratiſſimo munere: Memmius Cæſaris cõmendatur militibus, Pompeij Gallia nitatur. quibus ſi non ualuerit, putãt fore aliquem, qui comitia in aduentum Cæſaris detrudat, Catone preſertim abſoluto. Paccianæ epiſtolæ reſpondi, cognoſce cetera. Ex fratris literis incredibilia quædã de Cæſaris in me amore cognoui, eaq; ſunt ipſius Cęſaris uberrimis literis confirmata. Britannici belli exitus expectatur, conſtat enim aditus inſulæ eſſe munitos mirificis molibus: etiam illud iam cognitum eſt, neq; argenti ſcrupulum eſſe ullum in illa inſula, neq; ullã ſpem prædę, niſi ex mancipijs, ex quibus nullos puto te literis aut muſicis eruditos expectare. Paulus in medio foro baſilicã iam penè texerit ijſdẽ antiquis colũnis: illam aũt quã locauit, facit magnificentiſſimam. Quid quæris? nihil gratius illo monimento, nihil glorioſius. Itaq; Cæſaris amici (me dico & Oppium) diſrũparis licet, monimẽtum illud, quod tu tollere laudibus ſolebas, ut forum laxaremus, & uſq; ad atrium libertatis explicaremus, contempſimus ſexcenties HS. Cũ priuatis non poterat tranſigi minore pecunia, efficiemus rẽ glorioſiſſimã: nã in cãpo Martio ſepta tributis comitijs marmorea ſumus, et tecta facturi, eaq; cingemus excelſa porticu, ut mille paſſuum conficiatur. Simul adiũgeẽ huic operi uilla etiam publica. Dicis, Quid mihi hoc monimentum proderit? ad quid laboramus res Romanas? non enim te puto de luſtro, quod iam deſperatum eſt, aut de iudicijs, quæ lege Coctia fiant, quærere. Nunc te obiurgari patere, ſi iure: ſcribis enim in ea epiſtola, quã C. Decimius mihi reddidit Buthroto datam, in Aſiam tibi eũdũ eſſe, te arbitrari: mihi me hercule nihil uidebatur eſſe, in quo tantulum intereſſet, utrum per procuratores ageres, an per teipſum: ut abes toties, & tam longe abes. Sed hæc mallẽ integra re tecũ egiſſe: profectò enim aliquid egiſſem. Nũc reprimam ſuſceptam obiurgationẽ: utinam ualeat ad celeritatẽ reditus tuus. Ego ad te propterea minus ſæpe ſcribo, q; certum non habeo ubi ſis, aut ubi futurus ſis: huic tamẽ, neſcio cui, q; ui debatur is te uiſurus eſſe, putaui dandas eſſe literas. Tu quoniam iturum te in Aſiam eſſe putas, ad quæ tempora te expectemus, facias me certiorem uelim, & de Eutychide quid egeris.

CICERO ATTICO SAL.



PVto te exiſtimare me nunc oblitum cõſuetudinis & inſtituti mei, rarius ad te ſcribere, q̃ ſolebam: ſed cũ loca & itinera tua nihil habere certi uideo, neque in Epeirum, neq; Athenas, neq; in Aſiam, neq; cuiquam, niſi ad te ipſum proficiſcẽti dedi literas. Neq; enim ſunt epiſtolæ noſtræ, q̃ ſi perlatæ non ſint, nihil ea res nos offenſura ſit: quæ tantum habent myſteriorum, ut eas ne librarijs quidem ferè committamus,

* Lepidum quo excidat. Coſſ. flagrant infamia, q; C. Memmius cãdidatus pactionem in Senatu recitauit, quam ipſe ſuus cõpetitor Domitius cum Coſſ. feciſſet, uti ambo HS quadragena Coſſ. darẽt, ſi eẽnt ipſi Coſſ. facti: niſi tris Augures dediſſent, qui ſe affuiſſe dicerent, cum lex curiata ferretur, quæ lata non eſſet: & duo Conſulares, qui ſe dicerent in ornandis prouincijs Conſularibus ſcribendo affuiſſe, cum omnino ne Senatus quidem affuiſſet. Hæc pactio non uerbis, ſed nominibus & perſcriptionibus, multorum tabulis, cum eſſe facta diceretur, prolata à Memmio eſt, nominibus inductis auctore Pō-

peio. Hic Appius erat idē, nihil sanè iacturæ; corruerat alter, & planè inquā iacebat. Memmius autem dirempta coitiōe, inuito Caluino planè refrixerat, & eo magis nunc concitare Dictaturam, fauere iustitio, & omnium rerum licentiæ. Perspice æquitatem animi mei, & ludum, & contemptionem Seleucianæ prouinciæ, & mehercule cum Cæsare suauissimam coniunctionē: hæc enim me una ex hoc naufragio tabula delectat, qui quidem Quintum meū, tuumq;. (Dij boni) quemadmodum tractat honore, dignitate, gratia, nō secus ac si ego essem Imperator. Hybernam legionē eligendi optio delata. Cō modum, ut ad me scribit, hunc tu nō ames? Quem igitur istorum? Sed heus tu? scripseram ne tibi me esse Legatum Pompeio: & extra urbem quidem fore ex Id. Ian. Visum est hoc mihi ad multa quadrare. Sed quid plura? coràm (opinor) reliqua, ut tu tamē aliquid expectes. Dionysio plurimam salutem: cui quidem ego non modo seruaui, sed etiam ædificaui locum. Quid quæris? Ad summam lætitiam meam, quam ex tuo reditu capio, magnus illius aduentus cumulus accedit. Quo die ad me uenies, ut si me amas, apud me cum tuis maneas.

M.T. CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM, LIBER QVINTVS.

CICERO ATTICO. SAL.



EGo uero & tuum in discessu uidi animum, et meo sum ipse testis: quo magis erit tibi uidendum, ne quid noui decernatur, ut hoc nostrum desideriū ne plus sit annuum. De Annio Saturnino curasti probe: de satisdādo uero te rogo quoad eris Romę, tu ut satisdes: et sūt aliquot satisdationes secūdum mācipiū in his & Mennianorum prædiorum, uel Hatilianorum. De Oppio factum est ut uolui, & maxime quòd DCCC. aperuisti: quæ quidē ego utiq; uel uersura facta solui uolo, ne extrema exactio nostrorum nominum expectetur. Nunc uenio ad transuersum illū extremæ epistolæ tuæ uersiculū, in quo me admones de sorore, quæ res se sic habet. Vt ueni in Arpinas, cū ad me frater uenisset, in primis nobis sermo, isq; multus de te fuit: ex quo ego ueni ad ea, quæ fueramus ego & tu inter nos de sorore in Tusculano locuti, nihil tam uidi mite, nihil tam placatū, q̄ tū meus frater erat in sororem tuam: ut etiam si qua fuerat ex ratione sumpta offensio, non appareret. Ille sic dies: Postridie ex Arpinati profecti sumus: ut in Arcano Quintus maneret, dies fecit: ego Aquini: sed prandimus in Arcano: nosti hūc fundum: quo ut uenimus, humanissime Quintus, Pōponia, inquit, tu inuita mulieres, ego acciuero pueros. Nihil potuit, mihi quidē ut uisum est, dulcius, idque cum uerbis, tum etiam animo ac uultu: at illa audiētibus nobis, ego sum, inquit, hic hospita? Id autem ex eo, ut opinor, cp antecesserat Statius, ut prandiū nobis uideret. Tū Quintus, En, inquit mihi, hæc ego patior cotidie. Dices, quid? quasi istuc erat magnum: itaq; meipsum commouerat: sic absurde

& aspere

& aspere uerbis uultuq; responderat. Dissimulaui dolens: discubuimus omnes præter illam, cui tamen Quintus de mēsa misit, illa reiecit. Quid multa? nihil meo fratre lenius, nihil asperius tua sorore mihi uisum est: & multa prætereo, quæ tum mihi maiori stomacho, q ipsi Quinto fuerunt. Ego inde Aquinum, Quintus in Arcano remansit: & Aquinum ad me postridie mane uenit, mihiq; narrauit, nec secum illam dormire uoluisse: cū discessura esset, fuisse eiusmodi, qualem ego uidissem. Quid quæris? uel ipsi hoc dicas licet, humanitatem ei meo iudicio illo die defuisse. Hæc ad te scripsi fortasse pluribus, q necesse fuit, ut uideres tuas quoq; esse partis instituendi & monendi. Reliquum est, ut antequam proficiscare, mandata nostra exhaurias: scribas ad me omnia, Pomptinum extrudas. Cum profectus eris, cures ut sciam. Sic habeas, nihil mehercule te mihi nec carius esse nec suauius. A. Torquatum amantissime dimisi Minturnis, optimum uirum, cui me ad te scripsisse aliquid, in sermone significes uelim.

CICERO ATTICO SAL.



D.VI. Id. Mai, cum has dabam literas, ex Pompeiano proficiscebar, ut eò die manerem in Trebulano apud Pontium. Deinde cogitabam sine ulla mora iusta itinera facere. In Cumano cum essem, uenit ad me (quod mihi pergratū fuit) noster Hortēsius: cui deposcenti mea mandata, cetera uniuerse mandasti: illud probe, ne pateretur, quantum esset in ipso, prorogari nobis prouincias: in quo eum tu uelim cōfirmes, gratumq; mihi fecisse dicas, q & uenerit ad me, & hoc mihi, prætereaq; si quid opus esset, promiserit. Confirmaui ad eam causam etiam Furnium nostrum, quem ad annum Trib. pl. uidebam fore. Habuimus in Cumano quasi pusillam Romam, tanta erat in his locis multitudo. Cum interim Rufio noster, q se à Vestorio obseruari uidebat, strategemate hominem percussit: nā ad me non accessit. Ita ne? cum Hortensius ueniret, & infirmus & tam longe Hortensius, cum maxima præterea multitudo, ille non uenit? non inquā. Nō uidisti igitur hominem, inquies? Qui potui non uidere, cum per Emporium Puteolanorum iter facerem? in quo illum agētem aliquid credo salutaui. Postea iam iussi ualere, cum me spectans è sua uilla, nunquid uellē, rogasset. Hūc hominem parum gratum quisquam putet, aut non in eo ipso laudandum, q audiri non laborarit? Sed redeo ad illud. Nolim putare mihi aliam consolationem esse huius ingentis molestiæ, nisi quod spero non lōgiorem annua fore: hoc me ita uelle multi non credunt ex consuetudine aliorum. Tu qui scis, omnem diligētiam adhibebis, tum scilicet, cum id agi debebit. Cum ex Epeiro redieris, de rep. scribas ad me uelim, si quid erit, quod operiare: nondum enim satis huc erat allatum quoquo modo Cæsar feret de auctoritate perscripta: eratq; rumor de Transpadanis, eos iussos. IIII. uiros creare. Quod si ita est, magnos motus timeo. Sed aliquid ex Pompeio sciam.

CICERO ATTICO SAL.



D.VI. Id. Mai ueni in Trebulanum ad Pontium: ibi mihi tuæ literæ binæ redditæ sunt tertio abs te die, eodem autem ex Pompeiano Philotimo dederam ad te literas, nec uero nunc erat sane qd scriberem. qui de rep. rumores, scribe quæso: in oppidis enim summum uideo timorem, sed multa inania: quid de ijs cogites, & quādo, scire ue-

lim. Ad quas literas tibi rescribi uelis, nescio. nullas enim adhuc acceperã, prę ter quæ mihi binæ semel in Trebulano redditæ sunt. quarum alteræ edictum P. Licinij habebant (erant autem Non. Mai datæ) alteræ rescriptæ ad meas Minturnenses. Quàm uereor, ne quid fuerit ἀσουδαιότερον in ijs, quas nõ acce- pi, quibus rescribi uis. Apud Lentulum ponam te in gratiã. Dionysius no bis cordi est. Nicanor tuus operam mihi dat egregiam. Iam deest quid scri- bam. Et lucet Beneuenti, cogitabam hoc de nostra continentia & diligentia esse satis. Faciemus satis à Pontio. Ex Trebulano ad. V. Id. Mai.

CICERO ATTICO SAL.



Eneuentum ueni ad. V. Id. Mai. ibi accepi eas literas, quas tu su- perioribus literis significaueras te dedisse, ad quas ego ipse eo die dederam ex Trebulano. L. Pontio. Ac binas quidem tuas Bene- uenti accepi: quarum alteras Funisulanus multo mane mihi de- dit: alteras scriba Tullius. Gratissima est mihi tua cura de illo meo primo & maximo mandato: sed tua profectio spem meã debilitat, ac me ille illud non- quo, sed inopia cogimur eo contenti esse. De illo altero quẽ scribis tibi uisum esse non alienũ, uereor adduci ut nostra possit, & tuis δυσδιάγνωστον esse. Equi- dem sum facilis, sed tu aberis, & me absente rei habebis rationem meæ. Nam posset aliquid, si uteruis nostrum adesset, agente Seruilio, Seruio fieri proba bile. Nunc si iam res placeat, agendi tamen uiam non uideo. Nunc uenio ad il lam epistolam, quam accepi à Tullio. De Marcello fecisti diligenter: igitur S.C. si erit factum, scribes ad me: sin minus, rem tamen conficies: mihi enim attribui oportebit, item Bibulo: sed non dubito, quin S.C. expeditum sit, in quo presertim sit compẽdium populi. De Torquato ꝓbe: de Masone & Li gure cum uenerint. De illo quod Cherippus, quoniam hic quoq; προόσνδυαν su stulisti, ô prouincia, etiam ne hic mihi curandus est? Curandus autem, hacte- nus, ne quid ad Senatum Consule aut numera. nam de ceteris, sed tamen com mode. Quod cum Scrofa de Põptino, recte scribis: est enim ita, ut si ante kal. Iun. Brũdusij futurus sit, minus urgẽdi fuerint M. Annius & Tullius. Quæ de Sicinio audisti, ea mihi probantur, modo ne illa exceptio in aliquẽ incur- rat bene de nobis meritum: sed considerabimus: rem enim probo. De nostro itinere, quid statuero: de quinq; præfectis, quid Pompeius facturus sit, cum ex ipso cognoro, faciam ut scias. De Oppio bene curasti, ꝙ ei. DCCC. expo suisti: idq;, quoniam Philotimum habes, perfice, & cognosce rationem, & ut agam amplius, si me amas, priusquam proficiscaris, effice, magna me cura le- uaris. Habes ad omnia, etsi penè præterij, chartã tibi deesse: mea cautio ẽ: siq dem eius inopia minus multa ad me scribis. Tu uero aufer ducentos, etsi meã in eo parsimoniam huius paginæ contractio significat, dum acta & rumores uellet. Iam si qua certa habes de Cæsare, expecto literas, & alias Pomptino de omnibus rebus diligentis dabis.

CICERO ATTICO SAL.



Lane deest quod scribam: nã nec quid mãdem habeo, nihil enim prætermissum est: nec quid narrem noui: enim mihi nec iocãdi lo cus est, ita me multa solicitant. tantum tamẽ scito, Id. Mai nos Ve nusia mane proficiscentes has dedisse: eo autem die credo aliquid actum in Senatu. Sequantur igitur nos tuæ literæ, quibus non modo res oĩs, sed etiam

sed etiam rumores cognoscamus: eas accipiemus Brundisii. Ibi enim Pōptinum ad eam diem, quam tu scripsisti, expectare cōsiliū est. Nos Tarēti quos cum Pompeio διαλόγους de repu. habuerimus, ad te perscribemus. Et si id ipsum scire cupio, quod ad tēpus recte ad te scribere possem, id est quādiu Romæ futurus sis: ut aut quoad dem posthac literas sciā, aut ne dem frustrà. Sed antequam proficiscare, utique explicatum sit illud HS XX & DCCC. hoc uelim in maximis rebus, ne cessaris habeas, ut quod auctore te uelle cœpi, adiutore assequar.

CICERO ATTICO SAL.


Arentum ueni ad XV Kal. Iun. q̄ Pomptinum statueram expectare, cōmodissimum duxi dies eos quoad ille ueniret, cum Pompeio consumere: eoq; magis, q̄ ei gratum esse id uidebam, qui etiā à me petierit, ut secum & apud se essem cotidie, quod concessi libē ter: multos enim eius præclaros de rep. sermones accipiam. instruar etiā consiliis idoneis ad hoc nostrum negotium. Sed ad te breuior iam in scribēdo incipio fieri, dubitans Romæ ne sis, an iam profectus: quod tamen quoad ignorabo, scribā aliqd potius, q̄ cōmittā, ut tibi cum possint reddi à me literę, non reddantur: nec tamen iam habeo, quid aut mandem tibi, aut narrem. Mandaui omnia, quæ quidem tu, ut polliceris, exhauries: narrabo, cum aliquid habebo noui: illud tamen non desinam, dum adesse putabo, de Cęsaris nomine rogare, ut confectū relinquas. Auide expecto tuas literas, & maxime, ut norim tempus profectionis tuæ.

CICERO ATTICO SAL.


Otidie uel potius in dies singulos breuioris literas ad te mitto. cotidie enim magis suspicor te in Epeirum iam profectum: sed tamē ut mandatum scias me curasse, quod antè ait se Pompeius, quinos præfectos delaturum nouos, uacatiōes, iudiciariam causam. Ego cum triduum cum Pompeio, & apud Pompeium fuissem, proficiscebar Brūdisium ad XIIII Kal. Iun. ciuem illum egregium relinquebā, & ad hæc quæ timentur, propulsanda paratissimum. Tuas literas expectabo, cum ut quid agas, tum ut ubi sis, sciam.

CICERO ATTICO SAL.


E & incōmoda ualetudo, qua iam emerserā, utpote cum sine febri laborassem, & Pomptini expectatio, de quo adhuc ne rumor quidem uenerat, tenebat duodecimum iam diē Brundisii: sed cursum expectabamus. Tu si modo es Romæ (uix enim puto) sin es, hoc uehementer animaduertas uelim. Romæ acceperam literas Milonem meum queri per literas iniuriam meam, q̄ Philotimus socius esset in bonis suis. Id ego ita fieri uolui de C. Duronii sentētia, quem & amicissimum Miloni perspexeram, & talem uirum, qualem tu iudicas, cognoram: eius autem consiliū, meumq; hoc fuerat. Primum, ut in potestate nostra esset res, ne illū malus emptor alienis mancipiis, quæ permulta secum habet, spoliaret: deinde, ut Faustæ, cui cautum ille esse uoluisset, ratum esset: erat etiam illud, ut ipsi nos, si qd seruari possit, quàm facillime seruaremus. Nunc rem totam perspicias uelim, nobis enim scribuntur sæpe maiora. Sed si ille queritur, si scribit ad amicos, si idem Fausta uult, Philotimus (ut ego ei corām dixeram, mihiq; ille recepat)

ne sit(inuito Milone)in bonis,nihil nobis fuerat tanti:sin hæc leuiora sunt, tu iudicabis. Loquere cum Duronio. Scripsi etiam ad Camillium, ad Lamiam,eoꝗ magis,q non confidebam Romæ te esse. Summa erit hæc,statues ut ex fide,fama,reꝗ mea uidebitur.

CICERO ATTICO SAL.


Ctium uenimus ad. XVII. kal. Quintil. cum quidem & Corcyræ & Sybotis muneribus tuis,quæ & Areus,& meus amicus Eutychides opipare,& φιλοπροσηνέστατα nobis concesserãt, epulati essemus saliarẽ in modũ. Actio maluimus iter facere pedibus, q incõmodissime nauigassemus,& Leucaten flectere molestũ uidebatur. Actuarijs autem minutis Patras accedere sine ijs impedimentis,non satis uisum est decorum. Ego ut sæpe tu me currentem hortatus es, cotidie meditor, præcipio meis,faciam denique ut summa modestia, & summa abstinentia munus hoc extraordinarium traducamus. Parthus uelim quiescat,& fortuna nos iuuet,nostra præstabimus. Tu quæso quid agas,ubi quoque hoc tempore futurus sis,qualis res nostras Romę reliqris,maxime de CXX, & de DCCC cura,ut sciamus. id unis diligenter literis datis,(quæ ad me utiꝗ perferãtur) consequere. Illud tamen(quoniam nunc abes,cum id non agitur,aderis autẽ ad tempus,ut mihi rescripsisti)memẽto curare per te,& per omnes nostros: in primis per Hortensium,ut annus noster maneat suo statu,ne quid noui decernatur. Hoc tibi ita mando,ut dubitem an etiam te rogem,ut pugnes,ne intercaletur: sed non audeo tibi omnia onera imponere: annum quidem utique teneto. Cicero meus modestissimus & suauissimus puer tibi salutẽ dicit. Dionysium semper equidẽ,ut scis,dilexi,sed cotidie pluris facio,& mehercule in primis ꝙ te amat,nec tui mentionem intermitti sinit.

CICERO ATTICO SAL.


T Athenas ad. XV. kal. Quintil. ueneram, expectabã ibi iã quartum diem Pomptinum,neꝗ de eius aduẽtu certi quidquam habebam. Eram autem totus(crede mihi)tecum: & quanquam sine ijs per me ipse,tamen acrius uestigijs tuis monitus, de te cogitabam. Quid quęris? Non mehercule alius ullus sermo nisi de te: sed tu aliqd de meipso scire fortasse mauis: hæc sunt. Adhuc sumptus nec in me aut publice, aut priuatim,nec in quẽquam comitum. Nihil accipitur lege Iulia,nihil ab hospite,persuasum est omnibus meis,seruiendum esse famæ meæ: belle adhuc. hoc animaduersum Græcorum laude,& multo sermone celebratur: quod superest,elaboratur in hoc à me,sicut tibi sensi placere: sed hæc tum laudemus cum erunt perorata. Reliqua sunt eiusmodi,ut meum consilium sæpe reprehendã, ꝙ non aliqua ratione ex hoc negotio emerserim. O rem minime aptam meis moribus. O illud uerum ἔρδοι τις,dices,quid adhuc? Nondum enim in negotio uersaris? nescio,& puto molestiora restare. Et si hæc fero equidem ẽt fronte,ut puto,& uultu bellis,sed angor intimis sensibus. Ita multa uel iracunde uel insolenter,uel in omni genere stultitiæ,insulse,arroganter & dicuntur & tacentur cotidie: quæ non quo te celem non perscribo,sed quia δυσέκλυτα sũt: itaꝗ admirabere meam βαθύτητα,cum salui redierimus: tanta mihi μελέτη huius uirtutis datur. Ergo hæc quoꝗ hactenus: etsi mihi nihil erat propositum ad scribendum,quia quid ageres,ubi terrarum esses,ne suspicabar quidẽ: nec

hercule

hercule unquam tādiu ignarus rerum mearum fui. Quid de Cæsaris, quid de Milonis nominibus actū sit, ac nō mō nemo, ne rumor quidem quisquam, ut sciremus in rep. quid ageretur. Quare si qd erit, quod scias de his rebus quas putabis scire me uelle, per mihi gratum erit, si id curaris ad me perferendum. Quid est ptereaꝰ nihil sanè, nisi illud, ualde me Athenæ delectarunt. Vrbs dūtaxat, & urbis ornamētum, & hominum amores in te, in nos quadam beneuolentia. Sed multum ea philosophia sursum deorsum, siquidem, æstimaris tu, apud quem eram: nam Xenonem tuum, uel nostrum potius, Quinto concesseram: & tamē propter uicinitatem totos dies simul eramus iuncti. Cū primum poteris, tua consilia ad me scribas, ut sciam quid agas, ubi quoq;, & maxime quando Romæ futurus sis.

CICERO ATTICO SAL.



Vi toties ne me literas dedisse Romam, cum ad te nullas daremꝰ at uero posthac frustra potius dabo, quàm si recte dari potuerint, committo, ut non dem. Ne prouincia nobis prorogetur per fortunas, dum ades, quidquid prouideri potest, prouide: non dici potest, quàm flagrem desiderio urbis, quàm uix harum rerum insulsitatem ferā. Marcellus sedendi comes: etsi ille magistratum non gesserit, erat tamē Transpadanus, ita mihi uidetur non minus stomachi nostro Cęsari fecisse, sed hoc ipse uiderit. Pompeius mihi quoq; uidebatur (quod scribis Varronem dicere) in Hispaniam certe iturus: id ego minime probabam: qui quidem Theophani facile persuasi, nihil esse melius quàm illum nusquam discedere: ergo Græcus incumbet: ualet autem auctoritas eius apud illum plurimū. ego has prid. Non. Quintil. proficiscens Athenis dedi: cum ibi decem ipsos fuissem dies, uenerat Pomptinus: nā Cn. Volusius aderat Quæstor tuus. Vnus Tullius aberat. ἄφρακτα Rhodiorum, & dicrota Mitylenæorum habebam & aliquid ἐπίκωπον. De Parthis erat silentium, quod superest, Dij iuuēt, nos adhuc iter per Græciam summa cum admiratione fecimus. Nec mehercule habeo quod adhuc, quem accusem meorum. Vidētur mihi nosse nos, nostram causam, & conditionem profectionis suæ: planè seruiunt existimationi meæ. Quod superest, si uerum illud est, οἷα τ' ἂν δέσποινα, certe permanebunt. Nihil enim à me fieri ita uidebunt, ut sibi sit delinquendi locus. Sin id parū quid fuerit, fiet aliquid à nobis seuerius: nā adhuc lenitate dulces sumus, & (ut spero) proficimus aliquantum. Sed ego hanc, ut singuli dicūt, ἀνεξίαν in unum annum meditatus sum: proinde pugna, ne si quid prorogatum sit, turpis inueniar. Nunc redeo ad, quę mihi mandas. In præfectis excusatio: ijs quos uoles deferto, nō ero tam μετέωρος q̄ in Apuleio fui. Xenonē tam diligo, q̄ tu, quod ipsum sentire certe scio. Apud Patronem & reliquos Barones te in maxima gratia posui, & hercule merito tuo feci: nā mihi is ter dixit te scripsisse ad se, mihi ex illius literis rem illam curæ fuisse, quod ei pergratum erat: sed cū Patron nunc mecum egisset, ut peterē à uestro Areopago ὑπομνηματισμὸν tolleret, quē Polycharmo Pręt. fecerāt, cōmodius uisum est, & Xenoni me, (et post ipsi Patroni) ad Mēmiū scribere, qui pridie q̄ ego Athenas ueni, Mytilenas profectus erat: ut is ad suos scriberet, posse id sua uolūtate fieri: nō enim dubi

tabat Xeno,quin ab Ariopagitis inuito Mēmio impetrari non posset. Memius autem ædificandi consilium abiecerat,sed erat Patroni iratus:itaq; scripsi ad eum accurate,cuius epistolæ misi ad te exemplum. Tu uelim Piliā meis uerbis consolere:indicabo enim tibi:tu illi nihil dixeris:accepi fasciculum,in quo erat epistola Piliæ:abstuli,aperui,legi,ualde scripta est συμπαθῶς. Brūdisio quæ tibi epistolæ redditæ sunt sine mea,tum uidelicet datæ,cum ego me non belle haberem:nam illam νομοαδρίαν excusationem ne acceperis.Cura ut omnia sciam,sed maxime ut ualeas.

CICERO ATTICO SAL.



NEgotium magnum est nauigare,atq; id mēse Quintili. Sexto die Delum Athenis uenimus.Prid.Non.Quintil.à Piræo ad Zosteram uento molesto,qui nos ibidem Nonis tenuit. Ad. VIII. Id.ab Ceo iucunde,inde Gyarum sæuo uento,non aduerso:hinc Scyrū, inde Delum,utroq; citius,q̄ uellemus,cursum confecimus:iam nosti ἄφρακτα Rhodiorum.nihil,quod minus fluctum ferre possit:itaq; erat in animo nihil festinare,Delo nec me mouere,nisi omnia ἀκρωτηρίων iura uidissem.De Messala ad te statim,ut audiui,de Gyaro dedi literas,& idipsum cōsiliū nostrum etiam ad Hortensium,cui quidem ualde συνηγωνίων. Sed tuas de eius iudicij sermonibus,& mehercule omni de reip.statu literas expecto πολιτικώτερον quidem scriptas(quoniam meos cū Thallumeto nostro peruolutas libros)eiusmodi inquam literas,ex quibus ego,non quid fiat(nam id uel Helonius uir gratissimus potest efficere cliens tuus)sed quid futurum sit. Etiam cum hæc leges,habebimus Coss.Omnia perspicere poteris,de Cęsare,de Pompeio,de ipsis iudicijs.Nostra autem negotia(quoniam Romæ commoraris)amabo te explica,cui rei fugerat me rescribere. De strue salinarum plane rogo.De aqua si quid poterit fieri,eo sis animo quo soles esse.De aqua,quam ego cum mea sponte,tum tuis sermonibus æstimo plurimi,ergo aliquid conficies,Pręterea si quid Philippus rogauit,quod in tua re faceres,id uelim facias. Plura scribam ad te,cum constitero:nunc eram planè in medio mari.

CICERO ATTICO SAL.



EPhesum uenimus ad. XI. Kal. Sextil. sexagesimo & quinto post pugnā Bouillam.Nauigauimus sine timore,& sine nausea,sed tardius ꝓpter Aphractorū Rhodiorū imbecillitatē. De concursu legationū,priuatorū,& de incredibili multitudine,quę mihi iā Sami,sed mirabilē in modū Ephesi pſto fuit,aut audisse te puto,aut quid ad me attinet? Verūtamē,cum de Cumanis uenissem cū imperio,Græci quasi Ephesio Præt.se alacres obtulerūt:ex quo te intelligere certe scio,multorū annorū ostentationes meas nūc in discrimē esse adductas:sed ut spero, utemur ea palæstra,quam à te didicimus,omnibusq; satisfaciemus,& eo facilius, q; in nostra prouincia confectæ sunt pactiones.Sed hactenus,presertim cum cenanti mihi nunciaret Cestius se de nocte proficisci. Tua negotiola Ephesi curæ mihi fuerunt:Thermoq;,tametsi ante aduentū meū liberalissime erat pollicitus tuis omnibus,tamē Philogenē,& Seium tradidi, Apollonicēsem Xenonem

cōmendaui

cõmẽdaui: omnino omnia ſe facturum recepit. Ego præterea rationẽ Philogeni, permutatiõis eius, quam tecum feci, edidi: ergo hęc quoqꝫ hactenus. Redeo ad urbana. Per fortunas (quoniam Romæ manes) primum illud pręfulci atque præmuni quæſo, ut ſimus annui, ne intercaletur quidem. Deinde exhauri mea mandata: maximeqꝫ ſi quid poteſt, de illo domeſtico, ſcrupulum, quem non ignoras. Deinde de Cæſare, cuius in cupiditatem te auctore incubui, nec me piget. Et ſi intelligis quàm meum ſit ſcire, & curare quid in repu. fiat, fiat aũt, immo uero etiam quid futurum ſit, perſcribe ad me omnia, ſed diligentiſſime. In primisqꝫ quid iudiciorum ſtatus aut factorũ, aut futurorum etiam laboret. De aqua, ſi curæ eſt, ſi quid Philippus aget, animaduertes.

CICERO ATTICO SAL.



ANtequam aliquo loco conſedero, neqꝫ longas à me, neqꝫ ſemper mea manu literas expectabis: cum autẽ erit ſpatium, utrunqꝫ pręſtabo. Nunc iter conficiebamus æſtuoſa & puluerulẽta uia. dederam Epheſo pridie, has dedi Trallibus. In prouincia mea fore me putabam kal. Sextil. Ex ea die, ſi me amas παράγγελμα ἐνιαύσιον cõmoueto, tamen interea hæc, quę uellem mihi adferebantur. Primum otium Parthicum: dein confectæ pactiones publicanorum: poſtremo ſeditio militum ſedata ab Appio, ſtipẽdiumqꝫ eis uſqꝫ ad Id. Quintil. perſolutum. Nos Aſia accepit admirabiliter, aduẽtus noſter nemini ne minimo quidẽ fuit ſumptui. Spero meos omnes ſeruire laudi meę, tñ magno timore ſum, ſed bene paramus: omnes iam noſtri præter Tullium tuum uenerunt. Erat mihi in animo recta proficiſci ad exercitũ, æſtiuos mẽſes reliquos rei militari dare, hybernos iuriſdictioni. Tu uelim (ſi me nihilominus noſti curioſum in repu. q̃ te) ſcribas ad me omnia quæ ſint, quæ futura ſint: nihil mihi gratius facere potes: niſi tamen id erit mihi gratiſſimum, ſi quæ tibi mandaui, confeceris. in primis quid illud ἐνδόμυχον: quo mihi ſcis nihil eſſe carius. Habes epiſtolam plenam feſtinationis & pulueris, reliquæ ſubtiliores erunt.

CICERO ATTICO SAL.



LAodiceam ueni prid. Kal. Sextil. ex hoc die clauũ amouebis. Nihil exoptatius aduentu meo, nihil carius: ſed eſt incredibile, quàm me negotij tædeat: non habeat ſatis magnum campum, ille tibi non ignotus curſus animi & induſtriæ meæ: præclara opera ceſſet: Quippe ius Laodiceæ me dicere, cum Romæ A. Plotius dicat: & cum exercitum noſter amicus habeat, tantum me nomen habere duarum legionũ exilium: Denique hæc non deſidero: lucem, forum, urbem, domum, uos deſidero. Sed feram, ut potero, ſit modo annuum: ſi prorogatur, actum eſt. Verum perfacile reſiſti poteſt, tu modo Romæ ſis. Quęris quid hic agam: ita uiuã, ut maximos ſumptus facio: mirifice delector hoc inſtituto, admirabilis abſtinentia ex præceptis tuis, ut uerear, ne illud quod tecum permutaui, uerſura mihi ſoluendum ſit. Appij uulnera non refrico, ſed apparent, nec oculi poſſunt. Iter Laodicea faciebam ad. III. Non. Sextil. cum has literas dabam in caſtra in Lycaoniam: inde ad Taurũ cogitabã, ut cũ Mophragine ſignis collatis, ſi poſſem, de ſeruo tuo decidere. Clitellæ boui ſũt impoſitę, illa ne, nõ eſt

nostrum onus, sed feremus, modo, si me amas, sit annus. Adsis tu ad tempus, ut Senatum excites. Mirifice solicitus sum, quod iamdiu ignota sunt mihi ista omnia. Quare, ut ad te antè scripsi, cum cetera, tum respu. cura ut mihi nota sit. Plura scribam aliàs tarde tibi reddituro, sed dabam familiari homini ac domestico C. Andronico Puteolano: tu autem sæpe dare tabellarijs publicanorum poteris per magistros scripturæ, & portus, & nostrarum diœcesium.

CICERO ATTICO SAL.



TSi in ipso itinere & uia discedebant publicanorum tabellarij, & eramus in cursu, tamē surripiēdum aliquid putaui spatij, ne me immemorem mandati tui putares: itaq; subsedi in ipsa uia, dum hęc quæ longiorem desiderant orationem, summatim tibi perscriberem. Maxima expectatione in perditam, & planè euersam in perpetuum prouinciam nos uenisse scito pridie kal. Sextil. moratus triduum Laodiceæ, triduum Apameæ, totidē dies Synnade: audiuimus nihil aliud, nisi imperata ἐπικεφάλια soluere non posse: ὠνὰς omnium uenditas, ciuitatum gemitus, ploratus, monstra quædam non hominis, sed feræ nescio cuius immanis. Quid quæris? tædet omnium nos uitæ. Leuantur tamen miseræ ciuitates, quòd nullus fit sumptus in nos, neq; in Legatos, neq; in Quæstorem, neque in quenquam. Scito non modo nos fœnum, aut quod de lege Iulia dari solet, nō accipere, sed ne ligna quidem, nec præter quatuor lectos & tectum, quenquā accipere quidq̄: multis locis ne tectum quidē, & in tabernaculo manere plerūq;. Itaq; incredibilem in modum cōcursus fiūt ex agris, ex uicis, ex domibus omnibus: Mehercule etiam aduentu nostro reuiuescunt, iustitia, abstinentia, clementia tui Ciceronis. Itaq; opiniones omnium superauit. Appius, ut audiuit nos uenire, in ultimam Prouinciam se coniecit Tarsum usq;, ibi forum agit. De Partho silentium est, sed tamē concisos equites nostros à barbaris nūciabant ij qui ueniebant. Bibulus ne cogitabat quidē etiam nūc in Prouinciā suā accedere: id autem facere ob eam causam dicebant, quod tardius uellet decedere. Nos in castra properabamus, quæ aberant bidui.

CICERO ATTICO SAL.



ACcepi Roma sine epistola tua fasciculum literarum, in quo si modo ualuisti, et Romæ fuisti, Philotimi duco esse culpam nō tuam. Hanc epistolam dictaui sedens in rheda, cum in castra proficiscerer, ab quibus aberā bidui. Paucis diebus habebam certos homines, quibus darem literas, itaq; eo me seruaui: nos tamen, etsi hoc te ex alijs audire malo, sic in prouincia nos gerimus, (qđ ad abstinētiā attinet) ut nullus teruncius insumatur in quēquā: id fit etiam & Legatorū, & Tribunorum, et Præfectorū diligentia: nam omnes mirifice συμφιλοδοξοῦσιν glorię meæ. Lepta noster mirificus est, sed nunc ꝑpero: perscribā ad te paucis diebus oīa. Cicerones nostros Deiotarus filius, q̄ Rex ab Senatu appellatus est, secū in regnū: dum in ęstiuis nos essemus, illū pueris locū esse bellissimū duximus. Sestius ad me scripsit, quę secū eēt de mea domestica & maxima cura locutus, et qđ tibi esset uisum. Amabo te, incūbe in eā rem, & ad me scribe, qđ & possit, & tu censeas; idē scripsit Hortensiū de ꝓrogāda nostra ꝓuincia dixisse nescio quid: mihi in Cumano diligētissime, se, ut ānui essemus, defensurū receperat. Si quidquam me amas, hūc locū ama. Dici non pōt q̄ inuitus à uobis absim:

& simul

& simul hanc gloriam iustitiæ & abstinentiæ fore inlustriorem spero, si cito decesserimus, id quod Sceuolæ contigit, qui solos nouem menses Asiæ præfuit. Appius noster, cũ me aduẽtare uideret, profectus est Tarsum usq; Laodicea: ibi forum agit, cum ego sum in prouincia: quam eius iniuriam non insector: satis enim habeo negotij in sanãdis uulneribus, quæ sunt impofita prouinciæ: quod do operam, ut faciam quam minima illius contumelia. Sed hoc Bruto nostro uelim dicas, illum fecisse non belle, qui aduentu meo quamlongissime potuerit, discesserit.

CICERO ATTICO SAL.



QVam uellem Romæ esses, si forte non es. Nihil enim certi habebamus, nisi accepisse nos tuas literas ad. XIIII. kal. Sextil. datas. in quibus scriptum eẽt, te in Epeirum iturum circiter kal. Sextil. Sed siue Romæ es, siue in Epeiro, Parthi Euphratem transierunt duce Pacoro Orodis Parthorum Regis filio, cunctis referto copijs. Bibulus nondum audiebatur esse in Syria. Cassius in oppido Antiochiæ cum omni exercitu: nos in Cappadocia ad Taurum cũ exercitu ad Cybistra. Hostis in Cyrhestica, quæ Syriæ pars proxima est prouinciæ meę. His de rebus scripsi ad Senatum: quas literas, si Romæ es, uidebis putes ne reddendas. Et multa, immo omnia, quorum κεφάλαιον, ne quid inter cæsa & proiecta (ut aiunt) oneris mihi addatur aut temporis. Nobis enim hac infirmitate exercitus, inopia sociorum, presertim fidelium, certissimũ subsidiũ est hyems. Ea si uenerit, nec illi antè in meam prouinciam trãsierint, unum uereor, ne Senatus propter urbanarum rerum metum, Pompeium nolit dimittere: Quòd si aliũ ad uer mittit, non laboro: nobis modo temporis ne quid prorogetur. Hæc igitur si Romæ es: sin abes, aut etiam si ades, hæc negotia sic se habent. Stamus animis, & quia consilijs ut uidemur, bonis utimur, speramus. Et in Amano tuto cõsedimus, copioso frumento, Ciliciam propè conspiciente, expedito ad mutãdum locum, paruo exercitu, sed ut spero, ad beneuolentiam erga nos consentiente, quem nos Deiotari aduentu cum suis omnibus copijs duplicaturi eramus. Socijs multo fidelioribus utimur quàm quisquam usus esset: quibus incredibilis uidetur & nostra mansuetudo & abstinentia. Delectus habetur Ciuium R. frumentum ex agris in loca tuta comportatur: si fuerit occasio, manu, sin minus, locis nos defendemus. Quare bono animo es: uideo enim te, & quasi coram adsis, ita çerno, συμπάθειαν amoris tui. Sed te rogo, si ullo pacto fieri poterit, si integra in Senatu nostra causa ad kal. Ian. manserit, ut Romæ sis mense Ian. profectò nihil accipiam iniuriæ, si tu aderis. Amicos Coss. habemus nostros, Trib. pl. Furnium. Verum tua est opus assiduitate, prudentia, gratia: tempus est necessarium, sed turpe est me pluribus uerbis agere tecũ. Cicerones nostri sunt apud Deiotarum: sed, si opus erit, deducentur Rhodum. Tu, si es Romæ, ut soles, diligentissime: si in Epeiro, mitte tamẽ ad nos de tuis aliquem tabellariũ, ut & tu, quid nos agamus, & nos quid tu agas, quidq; acturus sis, scire possimus. Ego tui Bruti rem sic ago, ut suam ipse non ageret. sed iam exhibeo pupillum, neque defendo, sunt enim negotia & lenta & inania. Faciam tamen satis tibi, cui quidem difficilius est quàm ipsi: sed certe satisfaciam utrique.

CICERO ATTICO SAL.



Bſignaram iam epiſtolam meam, quam puto te modo perlegiſſe ſcriptam mea manu, in qua omnia continentur, cum ſubito Appij Tabellarius ad. XI. Kal. Octob. ſeptimo quadrageſimo die Roma celeriter (hui tam longe) mihi tuas literas reddidit, ex quibus non dubito, quin tu Pompeium expectaris, dum Ariminio rediret, & iam in Epeirũ profectus ſis: magiſq; uereor, ut ſcribis, ne in Epeiro ſolicitus ſis non minus q̃ nos hic ſumus. De Atelliano nomine ſcripſi ad Philotimum ne appellaret Meſſalam. Itineris noſtri famam ad te perueniſſe lætor, magiſq; lætabor, ſi reliqua cognoris. Filiolam tuam tibi iam Romæ iucundam eſſe gaudeo: eamq; quam nunquam uidi, tamen & amo, & amabilem eſſe certo ſcio. Etiam atq; etiam uale. De Patrone, & tuis condiſcipulis, quæ de Tarentinis in militia laboraui, ea tibi grata eſſe gaudeo. Quod ſcribis, libenter repulſam tuliſſe eum, qui cum ſororis tuæ filij patruo certaret, magni amoris ſignum. Itaque me etiam admonuiſti, ut gauderem: nam mihi in mentem non ueneꝛat. Non credo, inquis, ut libet, ſed planè gaudeo, quoniam τὸ ἠμιοῦν interest τοῦ φθονεῖν.

CICERO ATTICO SAL.



Aturnalibus mane ſe mihi Pendentiſſæ dederũt ſeptimo & q̃nquageſimo die, poſtquam oppugnare eos cœpimus. Qui, malũ, iſti Pendentiſſæ? qui ſunt inquies? nomen audiui nũquam. Quid ego faciam? non potui Ciliciam, Aetoliam, aut Macedoniam reddere. Hoc iam ſic habeto, nec hoc exercitu hic tanta negotia geri potuiſſe, quę cognoſces ἐν ἐπιτομῇ, ſic enim cõcedis mihi proximis literis. Epheſum ut uenerim noſti, qui etiam mihi gratulatus es illius diei celebritate, qua nihil me unquã delectauit magis: inde oppidis, his quæ erant: mirabiliter accepti Laodiceam prid. Kal. Sextil. uenimus: ibi morati biduũ, perilluſtres fuimus, honorificiſq; uerbis omnes iniurias reuellimus ſupiores, quod Dein Apameæ quinq; dies morati, & Synnadis triduum, Philomeli quinq; dies, Iconij. X. fecimus. nihil ea iuriſdictione æquabilius, nihil lenius, nihil grauius. Inde ad caſtra ueni ad. VII. kal. Septemb. ad. III. exercitũ luſtraui apud Iconium. Ex his caſtris cum graues de Parthis nuncij uenirent, perrexi in Ciliciam per Cappadociæ partem eam, quę Ciliciam attingit, eo conſilio ut Armenius Artauaſdes, & ipſi Parthi Cappadocia ſe excludi putarent. Cũ dies q̃nq; ad Cybiſtra Cappadocię caſtra habuiſſem, certior ſum factus Parthos ab illo aditu Cappadociæ lõge abeſſe, Ciliciæ magis ĩminere. Itaq; cõfeſtim iter in Ciliciã feci p̃ Tauri pylas. Tarſum ueni ad III Non. Octob. Inde ad Amanũ cõtendi, q̃ Syriã à Cilicia aquarũ diuortio diuidit, qui mons erat hoſtiũ plenus ſempiternorũ. Hic ad. III. Id. Octob. magnum numerũ hoſtium occidimus. Caſtella munitiſſima nocturno Pomptini aduentu, noſtro matutino cepimus, incendimus, Imperatores appellati ſumus. Caſtra paucos dies habuimus, ea ipſa, quæ contra Darium habuerat apud Iſſum Alexãder Imperator haud paulo melior, quàm aut tu aut ego. Ibi dies quinq; morati, direpto & uaſtato Amano: inde diſceſſimus: ſcis enim dici quædam πανικὰ, dici item τὰ κενὰ τοῦ πολέμου. Rumore aduentus noſtri & Caſſio, qui Antiochia tenebatur

tenebatur,animus accessit,& Parthis timor iniectus est. Itaq; eos cedentis ab
oppido Cassius insecutus,rē bene gessit: qua in fuga magna auctoritate Osa
ces dux Parthorum uulnus accepit,eoq; interijt paucis post diebus. Erat in
Syria nostrum nomen in gratia. Venit interim Bibulus,credo uoluit appel-
latione hac inani nobis esse par. In eodem Amano cœpit loreolam in musta-
ceo quærere. At ille cohortem primam totam perdidit,Centurionēq; primi-
pili nobilem sui generis Asinium Dentonem,& reliquos cohortis eiusdem,
& Sex. Luciliū, T. Gauij Cepionis locupletis,& splendidi hominis. F. Trib.
mil. sanè plagam odiosam acceperat,cum re,tum tēpore. Nos Pēdentissum,
quod oppidum munitissimum Eleutherocilicum omniū memoria, in armis
fuit (feri homines & acres,& omnibus rebus ad defendendum parati) cinxi
mus uallo & fossa,aggere maximo,uineis,turre altissima, magna tormento-
rum copia,multis sagittarijs,magno labore,apparatu,multis saucijs nostris,
incolumi exercitu negotium confecimus. Hilara sanè Saturnalia. Militibus
quoq; equis exceptis reliquam prædam concessimus. Mancipia uenibāt Sa-
turnalibus tertijs. Cum hæc scribebam in tribunali, res erat ad HS CXX.
Hinc exercitum in hyberna agri male pacati,deducendum Q. fratri dabā,ip-
se me Laodiceam recipiebam. Hæc adhuc: sed ad præterita reuertamur. Q;
me maxime hortaris,& quod pluris est q̃ omnia,in quo laboras,ut etiam Li
gurino μώμῳ satisfaciam,moriar,si quidquam fieri potest elegantius. Nec tā
ego hanc continētiam appello,quæ uirtus uoluptati resistere uidetur. Ego in
uita mea nulla unquam uoluptate tanta sum affectus,quanta afficior hac inte
gritate: nec me tam fama (quæ summa est) quàm res ipsa delectat: Quid quę
ris? fuit tanti,me ipse non noram: nec satis sciebam,quid in hoc genere face-
re possem recte πεφυσίωμαι. nihil est p̄clarius. Interim hæc λαμπρά. Ario-
barzanes opera mea uiuit. regnat ἐν παρόδῳ consilio & auctoritate: & ꝙ
insidiatoribus eius ἀπρόσιτον me non modo ἀδωροδόκητον præbui,Regem
regnumq; seruaui. Interea è Cappadocia ne pilum quidem. Brutū abiectum
quantum potui,excitaui: quem non minus amo,quàm tu, pene dixi quàm te:
atque etiam spero toto anno Imperij nostri teruncium sumptus in prouincia
nullum fore. Habes omnia. Nunc publice literas Romam mittere parabam.
uberiores erunt quàm si ex Amano misissem: at te Romæ non fore: sed est to
tum,quid kal. Martij futurum est. Vereor enim ne cum de prouincia geret.
si Cæsar resistet,nos retineamur. His tu si adesses,nihil timerē. Redeo ad ur-
bana,quæ ego diu ignorans ex tuis iucūdissimis literis ad. V. Kal. Ian. deniq;
cognoui: eas diligentissime Philogenes libertus tuus curauit perlonga,et nō
satis tuta uia perferendas: nam quas Lemnij pueris scribis datas,non accepe-
ram. Iucunde de Cæsare & quæ Senatus decreuit,& quæ tu speras: quibus il
le,si cedit,salui sumus. Incendio Pletoriano ꝙ Leius adustus est, minus mo-
leste fero. Lucceius de Q. Cassio cur tam uehemens fuerit,& quid actum sit,
aueo scire. Ego cum Laodiceam uenero, Quinto sororis tuę filio togam pu-
ram iubeor dare,cui moderabor diligētius. Deiotarus,cuius auxilijs magnis
usus sum,ad me,ut scripsit,cum Ciceronibus Laodiceam uenturus erat. Tuas
etiam Epeiroticas expecto literas,ut habeam rationem non modo negotij,
uerum etiam otij tui. Nicanor in officio est,& à me liberaliter tractatur, quē,
ut puto,Romam cum literis publicis mittam,ut & diligentius perferātur, &

idem ad me certa de te & à te referat. Alexis quòd mihi toties salutem adscribit, est gratum. Sed cur non suis literis idem facit, quod meus ad te Alexis facit? Phemio queritur κέρας. Sed hæc hactenus. Cura ut ualeas, & ut sciã, qñ cogites Romam. Etiam atq; etiam uale.

Tua tuosq; Thermo, & præsens Ephesi diligentissime cõmendaram, & nunc per literas. ipsumq; intellexi esse perstudiosum tui. Tu uelim quod antea ad te scripsi, de domo Pammeni des operã, ut quod tuo meoq; beneficio puer habet, cures nequa ratione cõuellatur. utriq; nostrum existimo, tum mihi erit pergratum.

CICERO ATTICO SAL.



E in Epeirum saluum uenisse, & ut scribis, ex sententia nauigasse, uehementer gaudeo: non esse Romę meo tempore pernecessario, submoleste fero. Hoc me tamen consolor, non spero te istic iucũ de hyemare, & libenter requiescere. Cassius frater Q. Cassij famiiaris tui pudentiores illas literas miserat. (de quibus tu ex me requiris quid sibi uoluerint) quàm eas quas postea misit, quibus per se scribit confectũ esse Parthicum bellum: recesserant illi quidem ab Antiochia ante Bibuli aduentum, sed nullo nostro εὐημερήματι, hodie uero hyemant in Cyrhestica, maximumq; bellum pendet: Nam & Orodes Regis parthorum filius in prouincia nostra est: nec dubitat Deiotarus, cuius filio pacta est Arthauasdis filia (ex quo sciri potest) quin cum omnibus copijs ipse prima æstate Euphratẽ transiturus sit. Quo autem die Cassij literæ uictrices in Senatu recitatæ sunt, id est Non. Octob. eodem meæ tumultum nunciantes. Axius noster ait nostras auctoritatis plenas fuisse, illis negat creditum. Bibuli nondum erant allatæ, quas certo scio plenas timoris fore. Ex ijs rebus hoc uereor, ne cũ Pompeius propter metum rerum nouarum nusquã dimittatur, Cæsari nullus honos à Senatu habeatur, dum hic nodus expediatur, nõ putet Senatus, nos ante quàm successum sit, oportere decedere: nec in tanto motu rerum tantis prouincijs singulos Legatos præesse. Hic ne quid mihi prorogetur, quod ne intercessor quidem sustinere possit, horreo: atq; eo magis q tu abes qui consilio, gratia, studio, multis rebus occurreres. Sed dices meipsum mihi solicitudinẽ struere: cogor, & uelim ita sit. Sed oĩa metuo, etsi bellum ἀκροτελεύτιον habet illa tua epistola, quã dedisti nauseans Buthroto. TIBI, VT VIDEO ET SPERO, NVLLA AD DECEDENDVM MORA: mallem, ut uideo: nihil opus fuit, ut spero. Acceperam autem satis celeriter Iconij per Publicanorum tabellarios à Lentuli triumpho datas. in his, γλυκύπικρον illud confirmas, moram mihi nullam fore. Deinde addis, si quid secus, te ad me fore uẽturum. Pungunt me dubitationes tuæ, simul & uides, quas acceperim literas. Nam quas Hemoni Centurioni Scamulæ ipse scribis te dedisse, non accepi. Lenij pueris te dedisse sæpe ad me scripseras: eas Laodiceę deniq; cũ eò uenissem III. Id. Febr. Lenius mihi reddidit datas ad. X. Kal. Octob. Lenio tuas cõmendationes, & statim uerbis, & reliquo tempore re probabo. Hæ literæ cetera uetera habebãt: unũ hoc nouũ, de Cibyratis pantheris. Multũ te amo quòd respõdisti M. Octauio te non putare: sed posthac omnia, quæ certa nõ erunt pro certo negato. Nos enim & nostra sponte bene firmi, & mehercule auctoritate tua inflãmati uicimus omnes. Hoc tu ita reperies cum abstinẽtia,

tum

tum iustitia, facilitate, clementia. Caue putes quidquam homines magis unq̃ esse miratos, q̃ nullum teruncium, me obtinēte prouinciam, sumptus factum esse, nec in remp. nec in quēquam meorum, præterquam in L. Tullium Leg. is ceteroqui abstinens (sed, Iulia lege transita semel tamen in diem, nō ut alij solebant omnibus uicis, præter eum semel nemo accepit) facit, ut mihi excipiendus sit, cum teruncium nego sumptus factum: præter eum accepit nemo. Has à nostro Q. Titinio sordes accepimus. Ego æstiuis confectis, Q. fratrē hybernis & Ciliciæ præfeci. Q. Volusium tui Tiberij generum certū hominem, sed mirifice abstinētem, misi in Cyprum, ut ibi pauculos dies esset, ne ciues Romani pauci, qui illic negotiantur, ius sibi dictum negarent: nam euocari ex insula Cyprios nō licet. Ipse in Asiam profectus sum Tarso, Non. Ian. Non mehercule dici potest, qua admiratione Ciliciæ ciuitatū, maximeq; Tarsensium. Postea uero q̃ Taurū transgressus sum, mirifica expectatio Asiæ nostrarum diœcesium, quæ sex mensibus imperij mei nullas meas acceperat literas, nunquam hospitem uiderat: illud autem tempus quotannis ante me fuerat in hoc quæstu. Ciuitates locupletes ne in hyberna milites reciperent, magnas pecunias dabant. Cyprij talenta Attica CC, qua ex insula (non ὑπερβολικῶς, sed uerissime loquor) numus nullus me obtinente erogabatur. Ob hæc beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi, nisi uerborum decerni sino, statuas ænea τέθριππα prohibeo: nec sum in ulla alia re molestus ciuitatibus, sed fortasse tibi, qui hæc prædicem de me: perfer, si me amas: tu enim me hæc facere uoluisti. Iter igitur ita per Asiam feci, ut etiam fames, qua nihil miserius est, quæ tum erat in hac mea Asia (messis enim nulla fuerat) mihi optanda fuerit. Quacunq; iter feci, nulla ui, nullo iudicio, nulla contumelia, auctoritate & cohortatione perfeci, ut & Græci & ciues R. qui frumentum cōpresserant, magnum numerum populis pollicerētur. Id. Febr. quo die has literas dedi, forum institueram agere Laodiceæ Cibyraticum, & Apamēse: ex Idib. Martijs, ibidem Synadense, Pamphylium, cum Phemio dispiciā κέρασ aonium, Isauricum, ex Idib. Mai in Ciliciam, ut ibi Iunius cōsumatur, uelim tranquille à Parthis, Quintilis, (si erit ut uolumus), in itinere est per prouinciam redeuntibus consumendus. Venimus enim in prouinciam Laodiceam Sulpicio & Marcello Coss. prid. Kal. Sextil. inde nos oportet decedere ad IIII. Kal. Sextil. Primum cōtendam à Q. fratre, ut se præfici patiatur, quod & illo & me inuitissimo fiet, sed aliter honeste fieri nō potest: presertim cum uirum optimum Pomptinum ne nunc quidem retinere possim. rapit hominem enim Postumus Romā, fortasse etiam Postuma. Habes consilia nostra, nunc cognosce de Bruto. Familiaris habet Brutus tuus quosdam creditores Salaminiorum ex Cypro, M. Scaptium & P. Matinium, quos mihi maiorē in modum commendauit. Matinium nō noui. Scaptius ad me in castra uenit, pollicitus sum curaturum me Bruti causa, ut ei Salaminij pecuniam soluerēt: egit gratias: præfecturam petiuit. negaui me cuiquam negotianti dare, quod idem tibi ostēderam. Cn. Pompeio petenti probaram institutum meū, quid dicam Torquato? de M. Lenio tuo? multis alijs? si præfectus uellet eē syngraphæ causa, me curaturū ut exigeret: gratias egit, discessit. Appius noster turmas aliquot equitum dederat huic Scaptio, per quas Salaminios coerceret, et eundem habuerat præfectū, uexabat Salaminios. Ego equites ex Cypro decedere iussi, moleste tulit Scaptius. Quid multa? ut ei fidem meā præstarem,

cum ad me Salaminij Tarsum uenissent,& in ijs Scaptius,imperaui ut pecuniam soluerent. Multa de syngrapha,de Scaptij iniurijs,negaui me audire. Hortatus sum,petiui etiam,pro meis in ciuitatem beneficijs,ut negotium cōficerent. Deniq; dixi me coacturum,homines non modo non recusare,sed ēt hoc dicere,se à me soluere: quod enim Prætori dare consuessent, quoniā ego non acceperam,se à me quodāmodo dare: atq; etiam minus esse aliquanto in Scaptij nomine,q̄ in uectigali Prætorio. Collaudaui homines, Recte, inquit Scaptius,sed subducamus summam. Interim cum ego in edicto trāslatitio cētesimas me obseruaturum haberem cum anatocismi anniuersario,ille ex syngrapha postulabat. IIII. Quid ais,inquam? possum ne cōtra meū edictum? At ille profert. S.C. Lētulo Philippoq; Coss. Vt qui Ciliciam obtineret, ius ex illa syngrapha diceret. Cohorrui primo,et erat enim interitus ciuitatis. Reperio duo. S.C. ijsdem Coss. de eadem syngrapha. Salaminii,cum Romæ uersuram facere uellent,non poterant,q lex Gabinia uetabat. Tum ijs Bruti familiares,freti gratia Bruti,dare solebant. IIII. si sibi. S.C. caueretur. Fit gratia Bruti. S.C. Vt néue Salaminijs,néue qui eis dedisset fraudi esset. Pecuniam numerarunt: & postea uenit in mentem fœneratoribus nihil se iuuare illud. S.C. q ex syngrapha ius dici lex Gabinia uetaret. Tum fit. S.C. Vt et ea syngrapha eēt,quam ceteræ,sed ut eodem. Cum hæc disseruissem, seducit me Scaptius: ait se nihil contradicere,sed illos putare talenta. CC. se debere: ea se uelle accipere,debere aūt illo paulo minus: rogat ut eos ad. CC. pducā. Optime inquam,uoco illos ad me remoto Scaptio. Quid uos? quantum inquā debetis? respondent. CVI. Refero ad Scaptium,homo clamare. Quid opus ē, inquam? rationes conferatis. Adsidunt,subducunt ad nūmum,conuenit. Illi se numerare uelle: urgere,ut acciperet. Scaptius me rursus seducit,rogat ut rē sic relinquam. Dedi ueniam homini impudenter petēti,Græcis querentibus: ut in Fano deponerēt postulantibus,nō cōcessi. Clamare omnes qui aderāt, nihil impudentius Scaptio,qui cētesimis cū anatocismo contentus non esset, alijs nihil stultius. Mihi aūt impudens magis,q̄ stultus uidebatur. Nā aut bono nomine cētesimis contētus erat,aut non bono quaternas cētesimas sperabat. Habes meam causam: quæ si Bruto non probatur,nescio cur illum amemus: sed auunculo eius certe probabitur,presertim cum S.C. modo factū sit, puto,postq̄ tu es profectus,in creditorum causa,ut centesimę perpetuo fœnore ducerentur. Hoc quid intersit,si tuos digitos noui,certe habes subductum, in quo quidē ὁδοῦ πάρεργον. Lucceius M.F. queritur apud me per literas, summum esse periculum,ne culpa Senatus his decretis,res ad tabulas nouas perueniat: cōmemorat quid olim mali C. Iulius fecerit,cū dieculam dixerit, nunquam respub. plus: sed ad rem redeo. Meditare aduersus Brutum causam meam,si hæc causa est,contra quam nihil honeste dici potest. presertim cum integrā rem et cām reliquerim. Reliqua sunt domestica. De ἐνδομύχῳ,probo idē quod tu Postumiæ filiæ, qm̄ Pontidia nugatur. sed uellē adesses. A Q. fratre his mensibus nihil expectaris: nā Taurus propter niueis ante mēsem Iunium transiri non pōt. Hermum ut rogas creberrimis literis fulcio. P. Valeriū negat habere quidq̄ Deiotarus Rex: cumq; ait à se sustētari. Cū scies Romæ intercalatū sit, nec'ne,uelim ad me scribas certū,quo die mysteria futura sint. Literas tuas minus paulo expecto q̄ si Romæ esses,sed tamen expecto.

M.T. CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM.

LIBER SEXTVS.

CICERO ATTICO. SAL.



ACcepi tuas literas ad quintum miliare Laodiceæ, quas legi libentiſſime, pleniſſimas amoris, humanitatis, officij, diligentiæ. Iis igitur reſpõdebo, ſic enim poſtulas, nec οἰκονομίαν meam inſtituam: ſed ordinem conſeruabo tuum. Recentiſſimas à Cybiſtris te meas literas habere ais ad. X. Kal. Octob. datas, & ſcire uis, tuas ego quas acceperim: omnis fere, quas commemoras, præter eas quas ſcribis Lentuli pueris, & Equotutico, & Brundiſio datas. Quare non οἴχεται tua induſtria quod uereris, ſed præclare ponitur: ſiquidem id egiſti, ut ego delectarer: nam nulla re ſum delectatus magis. Quod meam βαθύτητα in Appio tibi, libertatem etiã in Bruto probo, uehementer gaudeo, ac putaram ſecus. Appius enim ad me ex itinere bis ter'ue ὑπομεμψιμοίρους literas miſerat, ꝙ quædam à ſe cõſtituta reſcinderem. Vt ſi medicus cum ægrotus alij medico traditus ſit, iraſci uelit ei medico qui ſibi ſucceſſerit, ſiquæ ipſe in curando conſtituerit, mutet ille: ſic Appius, cum ἐξ ἀφαιρέσεως prouinciam curarit, ſanguinem miſerit, ꝗdquid potuit detraxerit, mihi tradiderit enectam, προσανατρεφομένην. eam à me, non libenter uidit, ſed modo ſuſcenſet, modo gratias agit. Nihil enim à me fit cum ulla illius contumelia: tantummodo diſſimilitudo meæ rationis offendit hominem. Quid enim poteſt eſſe tam diſſimile, ꝗ illo imperante exhauſtam eẽ ſumptibus & iacturis Prouinciam: nobis eam obtinentibus, numum nullũ eſſe erogatum, nec priuatim, nec publice? Quid dicã de illius Præfectis? comitibus? Legatis? etiam de rapinis? de libidinibus? de contumelijs? Nunc aũt domus mehercule nulla tanto conſilio, aut tãta diſciplina gubernatur, aut tam modeſta eſt ꝗ noſtra tota Prouincia. Hanc nonnulli amici Appij ridicule interpretantur, qui me idcirco putent bene audire uelle, ut ille male audiat: & recte facere non meæ laudis, ſed illius contumeliæ cauſa. Sin Appius, ut Bruti literæ, quas ad te miſit, ſignificabant, gratias nobis agit, non moleſte fero: ſed tamẽ eo ipſo die, quo hæc ante lucem ſcribebam, cogitabam eius multa inique cõſtituta & acta tollere. Nunc uenio ad Brutum, quem ego omni ſtudio, te auctore, ſum complexus: quem etiam amare cœperã, ſed dico reuocaui me ne te offenderem: noli enim putare me quidquam maluiſſe, ꝗ ut mandat is facerẽ, nec ulla de re plus laboraſſe: mandatorum autem mihi libellũ dedit, iiſdemq; de rebus tu mecũ egeras. Omnia ſum diligentiſſime perſecutus. Primũ ab Ariobarzane ſic contendi, ut talenta quæ mihi pollicebatur, illi daret: quoad mecũ Rex fuit, perbono loco res erat, poſt à Pompeij procuratoribus ſexcentis premi cœptus eſt. Pompeius autem cum ob ceteras cauſas plus poteſt unus ꝗ ceteri omnes, tum ꝙ putatur ad bellum Parthicum eſſe uẽturus, ei tamẽ ſic nũc ſoluitur, triceſimo quoq; die talẽta Attica XXXIII. & hoc ex tributis. Nec

id satis efficitur in usuram menstruam, sed Cn. noster clementer id fert: sorte caret usura, nec ea solida contentus est. Alij neq; soluit cuiquã, nec potest soluere. Nullum enim ærarium, nullum uectigal habet. Appij instituto tributa imperat: ea uix in fœnus Pompeij, quod satis sit, efficiunt. Amici Regis duo tres'ue perdiuites sũt, sed ij suum tam diligenter tenẽt q̃ ego aut tu. Equidem non desino tamen per literas rogare, suadere, accusare Regem. Deiotarus ẽt mihi narrauit, se ad eum Legatos misisse de re Bruti: eos sibi responsum retulisse, illum nõ habere. & mehercule ego ita iudico, nihil illo regno spoliatius, nihil Rege egentius: itaq; aut tutela cogito me abdicare, aut ut pro Glabrione Scæuola, fœnus & impendium recusare. Ego tamen quas per te Bruto promiseram præfecturas, M. Scaptio L. Gauio, qui in regno rem Bruti procurabant, detuli: nec enim in Prouincia mea negotiabantur. Tu autem meministi nos sic agere, ut quot uellet præfecturas sumeret, dum ne negotiatori. Itaq; duas ei præterea dederam, sed ij, quibus petierat, de Prouincia decesserant.

Nunc cognosce de Salaminijs, quod uideo tibi etiam nouum accidisse tãquã mihi. Nunquam enim ex illo audiui ullam pecuniam esse suam. Quin etiam libellum ipsius habeo, in quo est, SALAMINII PECVNIAM DEBENT M. SCAPTIO ET P. MATINIO FAMILIARIBVS MEIS. eos mihi cõmendat: adscribit etiam, & quasi calcar admouet, intercessisse sese pro ijs magnam pecuniam. Confecerã ut soluerent centesimis sexennij ductis cum renouatiõe singulorum annorum: at Scaptius quaternas postulabat. Metui si impetrasset, ne tu ipse me amare desineres: nam ab edicto meo recessissem, & ciuitatem in Catonis, & in ipsius Bruti fide locatam, meisq; beneficijs ornatam, funditus perdidissem. Atq; hoc tpe ipso impingit mihi epistolam Scaptius Bruti, rem illam suo periculo eẽ. Quod nec mihi unq̃ Brutus dixerat, nec tibi, etiam, ut præfecturam Scaptio deferrem: id uero per te exceperamus negotiatori, quod si cuiq̃, huic tamen non: fuerat enim Præfectus Appio, & quidem habuerat turmas equitũ, quibus inclusum in curia Senatum Salamine obsederat, ut fame Senatores quinq; morerentur. Itaque ego quo die tetigi Prouinciam, cum mihi Cyprij Legati Ephesum obuiã uenissent, literas misi, ut equites ex insula statim decederẽt. His de causis credo Scaptium iniquius de me aliquid ad Brutum scripsisse: sed tamẽ hoc sum animo, si Brutus putabit me quaternas cẽtesimas oportuisse decernere, qui in tota Prouincia singulas obseruarem, itaq; edixissem, idq; etiã acerbissimis fœneratoribus probaretur; si præfecturam negotiatori denegatam queretur, quod ego Torquato nostro in tuo Lenio, Pompeio ipsi in Sex. Statio negaui, & ijs probaui: si equites deductos moleste feret, accipiam equidem dolorem, mihi illum irasci, sed multo maiorem, non esse eum talem qualem putassem. Illud quidem fatebitur Scaptius, me ius dicente, sibi omnem pecuniam ex edicto meo auferẽdi potestatem fuisse. Addo etiam illud quod uereor tibi ipsi ut probem: consistere usura debuit, quæ erat in edicto meo, deponere uolebant. Impetraui ab Salaminijs, ut silerẽt. Veniam illi quidẽ mihi dederũt: sed quid ijs fiet, si huc Paulus uenerit? Sed totũ hoc Bruto dedi, qui de me ad te humanissimas literas scripsit. Ad me autem, etiam cum rogat aliquid contumaciter, arroganter, ἀκοινωνήτως solet scribere. Tu autem uelim ad eũ scribas de his rebus, ut sciam quomodo hæc accipiat: facies enim me certiorem.

Atq;

Atq; hæc superioribus literis ad te diligẽter perscripseram: sed planè te intel-ligere uolui, mihi nõ excidisse illud quod tu ad me quibusdam literis scripsis-ses: si nihil aliud de hac Prouincia, nisi illius beneuolentiã deportassem, mihi id satis esse. Sit sanè, quoniam ita tu uis, sed tamẽ cum eo credo, quod sine pec-cato meo fiat. Igitur meo decreto soluta res Scaptio, stat inquam decretum, si tu iudicabis, ne ad Catonẽ quidẽ prouocabo. Sed noli me putare ἐγκλεῖσματα illa tua abiecisse, quæ mihi in uisceribus hærent. Flens mihi meam famam commendasti: quæ epistola tua est in qua mẽtionem non facias? Itaq; irasca-tur qui uolet, patiar. τὸ γὰρ εὖ μετ᾽ ἐμοῦ, presertim cum sex libris tanq̃ prædi-bus meipsum obstrinxerim, quos tibi tã ualde probari gaudeo. E q̃bus unũ ἰσορικὸν requiris de Cn. Flauio Annij. F. ille uero ante. X uiros non fuit, quip-pe qui Aedilis Curulis fuerit, qui magistratus multis annis post. X uiros in-stitutus est. Quid ergo profecit ꝙ protulit fastos? Occultatam putant quodã tempore istam tabulam, ut dies agẽdi peterẽtur à paucis. Nec uero pauci sunt auctores Cn. Flauium Scribam, fastos protulisse, actionesq; composuisse, ne me hoc, uel potius Aphricanum (is enim loquitur) commentum putes. οὐκ ἔλαθες, Illud de gestu histrionis tu scelestè suspicaris, ego ἀφελῶς scripsi. De me Impatore scribis, te ex Philotimi literis cognosse: sed credo te iã in Epei-ro cum esses, binas meas de omnibus rebus accepisse, unas à Pendentisso ca-pto, alteras à Laodicea, utrasq; tuis pueris datas: quibus de rebus propter ca-sum nauigandi, per binos tabellarios misi Romam literas publice. De Tullia mea tibi assentior, scripsiq; ad eam & ad Terentiam, mihi placere. Tu enim ad me iam ante scripseras. Ac uellem te in tuum ueterem gregem retulisses. Correcta uero epistola Memmiana, nihil negotij fuit: multo enim malo hũc à Pontidia quàm illum à Seruilia: quare adiunges Aufium nostrum, hominẽ semper amantẽ mei, nunc credo eo magis, ꝙ debet etiam fratris Appij amo-rem erga me cum reliqua hæreditate creuisse. qui declarauit quãti me faceret cum sæpe, tum in Bursa. Næ tu me solicitudine magna liberaris. Furnij exce-ptio mihi non placet, nec enim ego ullum aliud tempus timeo, nisi quod ille solum excipit: sed scriberem ad te de hoc plura si Romæ esses. In Pompeio te spem omnem otij ponere non miror: ita res est, remouendumq; censeo illum dissimulantem. Sed enim οἰκονομία si perturbatior est, tibi assignato: te enim sequor σχεδιάζοντα. Cicerones pueri amant inter se, discunt, exercẽtur: sed al-ter, uti dixit Isocrates in Ephoro & Theopõpo, frenis eget, alter calcaribus. Quinto togam puram Liberalibus cogitabam dare, mãdauit enim pater: ea sic obseruabo, quasi intercalatum non sit. Dionysius mihi quidẽ in amoribus est: pueri aũt aiũt se furẽter irasci: sed homo nec doctior nec sanctior fieri po-test, nec tui meiq; amantior. Thermum Syluium uere audis laudari, ualde ho-neste gerunt. Adde M. Noniũ, Vibullũ, me, si uoles. Iam Scrofa uellem habe-ret, ubi posset: est enim lautum negotium. Ceteri infirmant πολίτευμα Cato-nis. Hortensio ꝙ causam meam commẽdas, ualde gratum. De Amiano, spei nihil putat esse Dionysius. Terẽtij nullum uestigiũ agnoui. Meragenes certe perijt: feci iter p eius possessionẽ, in qua animal reliquum nullum est. Hęc nõ noram tum, cũ Democrito tuo locutus sum. Rhosij causam mãdaui. Sed heus tu, quid cogitas infelicitatis? Lancibus & splendidissimis canistris, olusculis nos soles pascere. Quid te in uasis fictilibus appositurum putem? κέρας Phe-

enim nón dixit εὔπολιν τὸν τῆς ἀρχαίας ab Alcibiade nauigāte in Siciliam, deiectum eſſe in mare? Redarguit Eratoſthenes, Affert enim quas ille poſt id tempus fabulas docuerit: nū idcirco Duris Samius, homo in hiſtoria diligēs, ꝙ cum multis errauit, irridetur? Quis Zaleucum leges Locris ſcripſiſſe non dixit? Num igitur iacet Theophraſtus, ſi id à Timæo tuo familiari reprehenſum eſt? Sed neſcire proauum ſuum Cenſorem non fuiſſe turpe eſt, preſertim cum poſt eum Coſ. nemo Cornelius illo uiuo Cenſor fuerit. Quod de Philotimo, & de ſolutione HS. XXDC. ſcribis, Philotimum circiter Kalen. Ian. in Cherſoneſſum audio ueniſſe: ac mi ab eo nihil adhuc. Reliqua mea Camillius ſcribit ſe accepiſſe: ea quæ ſint, neſcio. & aueo ſcire. Verum hęc poſterius, & corám fortaſſe cōmodius. Illud me mi Attice in extrema fere parte epiſtolæ cōmouit. Scribis enim ſic, τὸ λοιπόν? Deinde me obſecras amantiſſime, ne obliuiſcar uigilare, & ut animaduertam quæ fiant. Num quid de quo inaudiſti? etſi nihil eiuſmodi eſt, πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Nec enim me fefelliſſet nec fallet. Sed iſta admonitio tua tam accurata, neſcio quid mihi ſignificare uiſa eſt. De M. Octauio iterum tibi reſcribo, te illi probe reſpondiſſe: paulo uellem fidētius: nam Cælius libertum ad me miſit, & literas accurate ſcriptas, & de Pantheris, ſed à Cibyratibus. Reſcripſi, alterū me moleſte ferre, ſi ego in tenebris laterem, nec audiretur Romæ nullum in mea Prouincia nummum niſi in æs alienum erogari: docuiq́ nec mihi conciliare pecuniam licere, nec illi capere: monuiq́ eum quē planè diligo, ut cum alios accuſaſſet, cautius uiueret. Illud aūt alterū, alienū eē exiſtimatione mea, Cibyratas impio meo publice uenari.

Lepta tua epiſtola gaudio exultat, etenim ſcripta belle eſt, meq́ apud eum magna in gratia poſuit. Filiola tua gratum mihi fecit, ꝙ tibi diligenter mandauit, ut mihi ſalutem adſcriberes: gratum etiam Pilia: ſed illa officioſius, ꝙ mihi, quē iāpridem nunꝙ̄ uidet. Igitur tu quoq́ ſalutem utriq́ adſcribito. Literas daturus prid. Kal. Ian. ſuauem habuit recordationem clariſſimi iuriſiurandi, quod ego non eram oblitus. Magnus enim prætextatus illo die fui. Habes ad omnia, non ut poſtulaſti, χρύσεια χαλκείων, ſed paria paribus reſpondimus. Ecce autem alia puſilla epiſtola, quam non relinquam ἀναντιφώνητον, Bene mehercule potuit Lucceius Tuſculanum, niſi forte, ſolet enim cū ſuo tibicine: & uelım ſcire, quis ſit ſtatus eius. Lentulum quidem noſtrum Prætorem Tuſculanum proſcripſiſſe audio, cupio hos expeditos uidere, cupio etiam Seſtium, addes etiam ijs Cęlium, quibus omnibus eſt αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι. De Memmio reſtituēdo ut Curio cogitet, te audiſſe puto. De Egnatij Sidicini noīe, & nec nulla nec magna ſpe ſumus. Pinariū quem mihi cōmēdas, diligētiſſime Deiotarus curat, grauiter ægrū. Rn̄di etiam minori. Tu uelim, dum ero Laodiceę, id eſt ad Id. Mai, q̄ ſępiſſime mecum per literas colloquare: & cum Athenas ueneris (Iā enim ſciemus de rebus urbanis, de ꝓuincijs, quæ oīa in menſem Martiū ſunt collata) utiq́ ad me tabellarios mittas.

* Et heus tu genuarios, à Cęſare per Orodē talēta Attica L extorſiſtis: in quo, ut audio, magnū odium Pōpeij ſuſcepiſtis. putat enim ſuos nūmos uos cōmediſſe, Cęſarē in merito reædificando diligentiorem fore. Hoc ego ex. P. Vedio magno nebulone, ſed Pompeij tamen familiari audiui. Hic Vedius uenit mihi obuiā cū duobus eſſedis, & rheda equis iuncta, & lectica, & familia magna, ꝑ qua ſi Curio legē pertulerit, HS centena pēdat neceſſe eſt. Erat ꝑterea

Cynocephalus in essedo, nec deerant onagri: nunquam uidi hominē nequiorem: sed extremum audi. Diuersatus est Laodiceę apud Pompeium Vindullum, ibi sua deposuit cum ad me profectus est. Moritur interim Vindullus, quæ res ad Magnum Pompeium pertinere putabatur. C. Vennonius domū Vindulli uenit. cum omnia obsignaret, in Vedianas res incidit. In his inuentæ sunt quinq; lagunculæ matronarum, in quibus una sororis amici tui hominis Bruti, qui hoc utatur: & illius Lepidi, qui hæc tam negligenter ferat. Hęc te uolui παριστορῆσαι: sumus enim ambo belle curiosi. Vnum etiam uelim cogites. Audio Appium προπύλαιον Eleusine facere: num inepti fuerimus, si nos quoq; academiæ fecerimus? Puto inqes: ergo id ipsum scribes ad me. Equidē ualde ipsas Athenas amo. Volo esse aliquod monimentum: odi falsas inscriptiones statuarum alienarum: sed ut tibi placebit, faciesq; me in quem diem Romana incidant mysteria, certiorem, & quomodo hyemaris. Cura ut ualeas. Post leuctricam pugnam die septingentesimo sexagesimo quinto.

CICERO ATTICO SAL.


Vm Philogenes libertus tuus Laodiceam ad me salutandi causa uenisset, & se statim ad te nauigaturum eē diceret, has ei literas dedi, quibus ad eas rescripsi, quas acceperam à Bruti tabellario. Et respondebo primum postremæ tuæ paginæ, quæ mihi magnæ molestiæ fuit. Quòd ad te scriptum est ab Cincio de Statij sermone, in quo hoc molestissimum est, Statium dicere à me quoq; id consilium probari, probari autem. De isto hactenus dixerim, me uel plurima uincla tecum summæ coniunctionis optare, etsi sunt amoris arctissima, tantum abest, ut ego ex eo quo astricti sumus, laxari aliquid uelim. Illum autem multa de istis rebus asperius solere loqui, sæpe sum expertus, sępe etiam leniui iratū. Id scire te arbitror. In hac autem peregrinatione militiá ue nostra, sæpe incensum ira uidi, sæpe placatum. Quid ad Statium ascripserit, nescio, quidquid acturus de tali re fuit, scribendum tamen ad libertum non fuit. Mihi autem erit maxime curæ, nę quid fiat secus quàm uolumus, quamq; oportet. Nec satis est in eiusmodi re, se quenq; præstare, ac maxime partes istius officij sunt pueri Ciceronis, siue iam adolescentis, quod quidem illum soleo hortari, ac mihi uideē matrem ut ualde debeat, amare, teq; mirifice. Sed est magnum illud quidem, uerūtamen multiplex pueri ingenium, quod ego regendo habeo negotij satis. Quoniā respōdi postremę tuę paginę prima mea, nūc ad primā reuertar tuā. Peloponnesias ciuitates omnes maritimas esse hominis nō nequā, sed etiam tuo iudicio ꝓbati, Dicęarchi tabulis credidi. is multis noībus in Trophoniana Charonis narratiōe Gręcos in eo reꝑhēdit, ꝙ mare tā secuti sunt, nec ullū in Pelopōneso locū excipit. Cū mihi auctor placeret. (Etenim erat ἱστορικώτατος, & uixerat in Peloponneso) admirabar tñ, & uix aggrediens cōmunicaui cum Dionysio: atq; is primo est cōmotus, deinde ꝙ tum de isto Dicęarcho nō minus bene existimabat, q̄ tu de C. Vestorio, ego de M. Eluiuo, nō dubitabat, quin ei crederemus. Arcadię censebat esse Lepreon quoddā maritimū. Tene aūt, & Aliphera, & Tritia νεόκτιστα ei uidebanī, idq; τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ cōfirmabat, ubi mentio non fit istorū. Itaq; istum ego locū totidem uerbis à Dicęarcho transtuli, Phliasios dici sciebam, & ita fac ut habeas, nos quidem sic habemus. Sed primo me ἀναλογία deceperat φλιοῦς, ὀποῦς, σιποῦς, quod ὀπούντιοι σιπούντιοι

ἀπονοηνοι. Sed hoc continuo correximus. Lætari te nostra moderatione & cõtinentia uideo. Tum id magis faceres, si adesses. atq; hoc foro quod egi ex Id. Febr. Laodiceæ ad Kal. Mai omnium diœcesium præter Ciliciæ mirabilia quædam effecimus. Ita multæ ciuitates omni ære alieno liberatæ, multæ ualde leuatæ sunt, omnes suis legibus & iudicijs usæ αὐτονομίαν adeptæ, reuixerunt. His ego duobus generibus facultatem ad se ære alieno liberandas aut leuandas dedi. Vno, quòd omnino nullus in imperio meo sumptus factus ẽ. nullum cum dico, non loquor ὑπερβολικῶς. nullus, inquam, ne teruncius quidem. Hac autem re incredibile est, quantum ciuitates emerserint. Accessit alterum. Mira erant in ciuitatibus ipsorum furta Græcorum, quę magistratus ui fecerant. Quæsiui ipse de ijs, qui annis. X. proximis magistratum gesserant, aperte fatebãtur. Itaq; sine ulla ignominia suis humeris pecunias populis retulerũt: populi autem nullo gemitu publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil soluerant, etiã superioris lustri reddiderũt. Itaq; publicanis in oculis sumus, gratis inquis uiris, sensimus. Iam cetera iurisdictio nec imperita, & clemẽs cũ admirabili facilitate. Aditus aũt ad me minime prouinciales, nihil per cubicularium, ante lucẽ inambulabã domi, ut olim candidatus. Grata hęc & magna, mihiq; nondum laboriosa ex illa uetere militia. Non. Mai in Ciliciam cogitabam: ibi cum Iunium mensem cõsumpsissem, atq; utinam in pace (magnum enim bellũ impẽdet à Parthis) Quintilẽ in reditu ponere. Annuæ enim mihi operæ ad III. Kal. Sextil. emerẽtur. Magna autem in spe sum, mihi nihil tẽporis prorogatum iri. Habebam acta urbana usq; ad Non. Mart. ex quibus intelligebam Curionis nostri constantia, omnia potius actũ iri quàm de prouincijs. Ergo, ut spero, propediem te uidebo. Venio ad Brutum tuum, immo nostrum (sic enim mauis) equidem omnia feci, quæ potui aut in mea prouincia perficere, aut in regno experiri. omnia igitur: modo egi cum Rege, & ago cotidie, per literas scilicet: ipsum enim triduum quatriduum'ue mecum babui turbulentis in rebus, quibus eum liberaui. Sed & tum præsens, & postea creberrimis non destiti rogare & petere mea causa, suadere & hortari sua. Multum profeci, sed quantum, non planè (quia lõge absum) scio. Salaminios autem (hos enim poteram coercere) adduxi, ut totum nomen Scaptio uellẽt soluere: sed cẽtesimis ductis à proxima quidẽ syngrapha, nec perpetuis, sed renouatis quotannis numerabantur nummi. Noluit Scaptius. Tu, qui ais Brutũ cupere aliquid ꝑdere, quaternas habebat in syngrapha. fieri non poterat: nec si posset, ego pati possem. Audio omnino Scaptium pœnitere: nam qđ S.C. esse dicebat, ut ius ex syngrapha diceretur, eo consilio factum est, quòd pecuniam Salaminij contra legẽ Gabiniam sumpserant. Vetabat aũt A. lex, ius dici de ita sumpta pecunia: decreuit igitur Senatus, ut ius diceretur ista syngrapha: nũc ista habet iuris idẽ quod ceteræ, nihil præcipui. Hæc à me ordine facta, puto me Bruto probaturũ, tibi nescio, Catoni certe ꝓbabo. Sed iã ad teipsum reuertor. Ain tandẽ Attice laudator integritatis & elegantiæ nostræ, ausus es hoc ex ore tuo, inquit Ennius, ut equites Scaptio ad pecuniã cogẽdam darẽ, me rogare? an tu si mecũ esses (q scribis morderi te interdũ, ꝙ nõ simul sis) paterere me id facere, si uellẽ? Nõ amplius, inquis, ꝗnquaginta. Cũ Spartaco minus multi primo fuerũt. Quid tandẽ isti mali in tam tenera insula nõ fecissent? non fecissent aũt, immo quid ante aduentum meum non fecerunt?

Inclusum in curia Senatum habuerunt Salaminiũ,ita multos dies,ut interierint nonnulli fame.Erat enim præfectus Appij Scaptius,& habebat turmas ab Appio.Id me igitur tu,cuius mehercule os mihi ante oculos solet uersari cum de aliquo officio ac laude cogito,tu me inquam rogas præfectus ut Scaptius sit? Aliàs hoc statueramus,ut negociatorem neminem: idq́; Bruto probaueramus. Habeat is turmas,cur potius q̃ cohortes? sumptu iam nepos euadit Scaptius? Volunt,inquis,principes:scio.nam ad me Ephesum usq; uenerunt,flentesq́; equitum scelera & miserias suas detulerunt. Itaq; statim dedi literas,ut ex Cypro equites ante certã diem decederent.Ob eamq́; causam,tũ ob ceteras,Salaminij nos in cœlum decretis suis sustulerũt. Sed iam qd opus equitatu? soluunt enim Salaminij:nisi forte id uolumus armis efficere, ut fœnus quaternis centesimis ducant.Et ego audebo legere unquam,aut attingere eos libros,quos tu dilaudas,si tale quid fecero? Nimis,inquã, in isto Brutum amasti,dulcissime Attice:nos,uereor,ne parum. Atq; hęc scripsi ego ad Brutum,scripsisse te ad me.Cognosce nũc cetera.Pro Appio nos hic omnia faciamus,honeste tamẽ,sed planè libenter.nec enim ipsum odimus,& Brutũ amamus,& Pompeius mirifice à me contendit, quem mehercule plus plusq́; in dies diligo.C.Cælium Quæstorem huc uenire audisti.Nescio quid sit,sed Pammenia illa mihi non placent.Ego me spero Athenis fore mense Septẽb. tuorum itinerum tẽpora scire sanè uelim. σύνθεων: Sẽpronij Rufi cognoui ex epistola Corcyræa. Quid quæris? inuideo potẽtiæ Vestorij: cupiebam etiam nunc plura garrire, sed lucet, urget turba,festinat Philogenes. Valebis igitur,& ualere Piliam & Cæciliam nostram iubebis literis, & saluebis à meo Cicerone.

CICERO ATTICO SAL.



ETsi nil sanè habebam noui,quod post accidisset, quàm dedissem ad te Philogeni liberto tuo literas, tamen cum Philotimum Romam remitterem, scribẽdum aliquid ad te fuit: ac primum illud, quod me maxime angebat,nõ quo me aliquid iuuare posses,quippe res enim est in manibus,tu autem abes longe gentium.

ἡ πολλὰ ἀδ᾽ ἐν μεταιχμίῳ
νότος κυλίνδει κύματ᾽ εὐρείης ἁλὸς

obrepsit dies,ut uides.Mihi enim ad.III.Kal.Sextil. de prouincia decedẽdũ est,nec succeditur.quem relinquam,qui prouinciæ præsit? ratio quidẽ & opinio hominum postulat fratrem:primum quòd uidetur esse honos,nemo igitur potior:deinde q; solum habeo prætorium:Pomptinus enim ex pacto & conuẽtu(nam ea lege exierat)iam à me discesserat.Quæstorem nemo dignũ putat:etenim est leuis,libidinosus,sagax. De fratre autem primum illud est, persuaderi ei nõ posse arbitror:odit enim prouinciam,& hercule nihil odiosius,nihil molestius.Deinde ut mihi nolit negare,quidnam mei sit officij, cũ bellum esse in Syria magnum putetur,id uideatur in hãc prouinciam erupturum,hic præsidij nihil sit,sumptus annuus decretus sit. Videatur ne aut pietatis esse meæ,fratrem relinquere? aut diligẽtiæ,nugarum aliquid relinquere? Magna igitur,ut uides,solicitudine afficior,magna inopia cõsilij. Quid quęris? toto negotio nobis opus nõ fuit.Quãto tua prouincia melior? Decedes, cum uoles,nisi forte iam decessisti:quem uidebitur,præficies Thesprotiæ, & Chaoniæ.

Chaoniæ. Necdum tamen ego Quintum conueneram, ut iam si id placeret, scirem, posset ne ab eo impetrari: nec tamē nisi posset, quid uellem habebam. Hoc est igitur eiusmodi: reliqua plena adhuc & laudis, & gratiæ, digna ijs libris, quos dilaudas. conseruatæ ciuitates, cumulate publicanis satisfactum, offensus contumelia nemo, decreto iusto, iusto & seuero perpauci: nec tamē q̄squam, ut queri audeat. Res gestæ dignæ triumpho, de quo ipso nihil cupide agemus: sine tuo quidem consilio certe nihil. Clausula est difficilis in tradēda prouincia, sed hæc deus aliquis gubernabit. De urbanis rebus scilicet plura, tu scis, sæpius & certiora audis. equidem doleo non me tuis literis certiorem fieri: huc enim odiosa afferebantur de Curione, de Paulo: non quo ullum periculum uideam stante Pompeio, uel etiam sedente, ualeat modo: sed mehercule Curionis & Pauli meorum familiarium uicē doleo. Formam igitur mihi totius reipublicæ, si iam es Romæ, aut cum eris, uelim mittas, quæ mihi obuiam ueniat: ex qua me fingere possim, & præmeditari, quo animo accedam ad urbem: est enim quiddam, aduenientem non esse peregrinum atq; hospitē. Et quod penè prætcrij, Bruti tui causa, ut sæpe ad te scripsi, feci omnia: Cyprij numerabant, sed Scaptius centesimis renouato in singulos annos fœnore cōtentus non fuit. Ariobarzanes non in Pompeium prolixior per ipsum q̄ per me in Brutum: quem tamē ego præstare nō poteram, erat enim Rex perpauper: aberamq; ab eo ita longe, ut nihil possem nisi literis, quibus pugnare nō destiti. Sūma hęc est pro ratione, pecunia liberius est Brutus tractatus, quàm Pompeius. Bruto curata hoc anno talenta circiter C. Pompeio in sex mensibus promissa CC. Iam in Appij negotio quantum tribuerim Bruto, dici uix potest. Quid est igitur, quod laborem? amicos habet, meras nugas M. Scaptium, qui quia non habuit à me turmas equitum, quibus Cyprū uexaret, ut ante me fecerat, fortasse suscenset: aut quia præfectus non est, quod ego nemini tribui negotiatori, non C. Vennonio meo familiari, non tuo M. Lœnio: & quod tibi Romæ ostēderam, me seruaturum, in quo perseueraui. Sed q̄d poterit queri is, quia auferre pecuniam cum posset, noluit Scaptius: qui in Cappadocia fuit, puto esse satisfactum. Is à me Tribunatum cum accepisset, quem ego ex Bruti literis ei detulissem, postea scripsit ad me, se uti nolle eo Tribunatu: Gaius est quidam, cui cū Præfecturam detulissem Bruti rogatu, multa & dixit & fecit cum quadam mea contumelia P. Clodij canis. Is me nec ꝓficiscentem Apameam prosecutus est, nec cum postea in castra uenisset, atque inde discederet, num quid uellem, rogauit: & fuit aperte mihi, nescio quare, nō amicus. Hūc ego si in Præfectis habuissem, quem tu me hominē putares? qui, ut scis potētissimorum hominum contumaciam nunquam tulerim, ferrē huius adseculæ? Etsi hoc plus est, quàm ferre, tribuere etiam beneficij aliquid & honoris. Is igitur Gaius, cum Apameæ me nuper uidisset Romam proficiscens, me ita appellauit. culleolum uix auderem. Vnde, inquit, me iubes petere cibaria? Profecto respondi lenius, q̄ putabant oportuisse, qui aderant, męq; non instituisse iis dare cibaria, quorum opera non essem usus. Abijt iratus. Huius nebulonis opatione si Brutus moueri potest, licebit eū solus ames, me æmulum non habebis: sed illum eum futurum eē puto, qui esse debet: Tibi tamen causam notam esse uolui, & ad ipsum hęc perscripsi diligētissime. omnino, (soli enim sumus) nullas unquam ad me literas misit Brutus, (ne ꝓximę

quidem de Appio) in qbus non ineſſet arrogans ἀκοινώνητον aliquid. Tibi autem ualde ſolet in ore eſſe, Grauius aũt, non contẽnere ſe, & Reges odiſſe ſuperbos. In quo tamẽ ille mihi riſum magis q̃ ſtomachũ mouere ſolet: ſed planè parum cogitat, quid ſcribat, aut ad quẽ. Q. Cicero puer legit, ut opinor, & certe epiſtolam inſcriptam patri ſuo: ſolet enim aperire, idq́ de meo conſilio, ſi quid forte ſit quod opus ſcit ſciri: in ea aũt epiſtola erat illud idẽ de ſorore, quod ad me: mirifice conturbatum uidi puerum, lacrimans mecũ eſt queſtus. Quid quæris? miram in eo pietatẽ, ſuauitatẽ, humanitatẽq́ perſpexi, quo maiorẽ ſpem habeo nihil fore aliter ac deceat: id te igitur ſcire uolui. ne illud quidem prætermittam, Hortẽſius filius fuit Laodiceæ Gladiatoribus flagitioſe & turpiter: hunc ego patris cauſa uocaui ad cenam, quo die uenit: & eiuſdẽ patris cauſa, nihil amplius. Is mihi dixit ſe Athenis me expectaturum, ut mecum decederet. Recte inquam, qd enim dicerẽ? Omnino puto nihil eẽ quod dixit. Nolo quidẽ, ne offendam patrẽ, quẽ mehercule multum diligo: ſin fuerit meus comes, moderabor ita, ne quid eũ offendam, quẽ minime uolo. Hæc ſunt. Etiam illud, Orationẽ Q. Celeris mihi uelim mittas contra M. Seruilium. Literas mitte quãprimum, ſi nihil fuerit, uel per tuum tabellarium. Pilię & filiæ ſalutem. Cura ut ualeas.

CICERO ATTICO SAL.

TArſum uenimus Non. Iun. ibi me multa mouerunt, magnũ in Syria bellum, magna in Cilicia latrocinia, multa difficilis ratio adminiſtrandi, quòd paucos dies habebam reliquos annui muneris: illud aũt difficillimum, relinquẽdus erat ex S. C. qui præeſſet. Nihil minus probari poterat, q̃ Quæſtor Meſcinius, nam de Cælio nihil audiebamus. Rectiſſimum uidebatur fratrem cum imperio relinquere: in quo multa moleſta, diſceſſus noſter, belli periculum, militum improbitas, ſexcẽta præterea. O rem totam odioſam: ſed hæc fortuna uiderit, quoniam conſilio non multum uti licet. Tu quando Romam ſaluus, ut ſpero, ueniſti, uidebis, ut ſoles, omnia quę intelliges noſtra intereſſe. In primis de Tullia mea: cuius de conditione quid mihi placeret, ſcripſi ad Terentiam, cum tu in Græcia eſſes. Deinde de honore noſtro: q enim tu abfuiſti, uereor ut ſatis diligẽter actum in Senatu ſit de literis meis. Illud præterea μυστικώτερον ad te ſcribam, tu ſagacius odorabere. τῆς διαμαρτίας μου ὁ ἀπελεύθερος (οἶσθα ὃν λέγω) ἔδοξέ μοι πρώην, ἐξ ὧν ἀλογευόμενος παρεφθέγγετο, πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐκ τῆς ὠνῆς τῶν ὑπαρχόντων τοῦ κροτωνιάτου τυραννοκτόνου. δέδοικα δὴ, μή τι νοήσῃς. εἰς δή που τοῦτο δὴ περισκεψάμενος, τὰ λοιπὰ ἐξασφαλίσαι. Non queo tantum, quantum uereor ſcribere. Tu aũt fac, ut mihi tuæ literæ uolent obuiæ. Hæc feſtinans ſcripſi in itinere atq́ agmine. Piliæ & puellæ Cæciliæ belliſſimæ ſalutem dices.

CICERO ATTICO SAL.

NVnc quidem profecto Romæ es, quo te (ſi ita eſt) ſaluum ueniſſe gaudeo. Vnde quidẽ quãdiu abiſti, magis à me abeſſe uidebare, q̃ ſi domi eſſes: minus enim mihi meæ notæ res erãt, minus etiam publicæ. Quare uelim, etſi (ut ſpero) te hæc legẽte aliquantum tamẽ uiæ proceſſero, tamẽ obuias mihi literas quamargutiſſimas de omnibus rebus crebro mittas. In primis de quo ſcripſi ad te antea, τῆς ξυνωρίδος τῆς ἐμῆς οὐ φελεύθερος, ἔδοξέ μοι θαμὰ βαττάριζων, καὶ ἀλύων τοῖς συλλόγοις καὶ ταῖς λέσχαις ὑποπεφυρακέναι τὰς

κἂν καὶ τὰς ψήφους ἐν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς τοῦ Κροτωνιάτου. Hoc tu indaga, ut soles. Ast hoc magis ἐξ ἄστεως ἐκ παλτοῦ πεχῶν παρέδωκεν ἡμῶν ΚΑΜΗ ὀφειλημάτων Καμίλλῳ αὐτόν τι ὀφείλοντα μνᾶς. κδ'. ἐκ τῶν κροτωνιατικῶν, καὶ ἐκ τῶν χερρονησιατικῶν. μν. καὶ τινας κληρονομήσας. χμ. κμ. τούτων δὲ μηδὲ ὀβολὸν διαλύσασθαι πάντων ὀφειληθέντων τοῦ δευτέρου μηνὸς τῇ νουμηνίᾳ. τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτοῦ ὄντα ὁμώνυμον τῷ Κόνομος πατρὶ μηδὲν ὅλως ἐρῶς πεφροντικέναι. ταῦτα οὖν πρῶτον μὲν ἵνα πάντα σώζηται, δεύτερον δὲ ἵνα μηδὲ τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃς τῶν ἀπὸ τοῖς προκειμένης ἡμέρας. ὅσας αὐτὸν ἐπέγκαμεν, σφόδρα δέδοικα. καὶ γὰρ παρῆν πρὸς ἡμᾶς κατασκεψόμενος, καὶ τι χεδὸν ἐλπίσας. ἀποχνοὺς δὲ, ἄλλως ἀπέστη, ἐπειπών, αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν. Me'q; obiurgauit uetere prouerbio, τὰ μὲν διδόμενα. Reliqua uide, & quãtum fieri poteſt, perſpiciamus. Et ſi ãnuum tempus prope tamen emeritum habebamus, dies enim XXXIII erant reliqui, ſolicitudine prouinciæ tamen uel maxime urgebamur: cum enim arderet Syria bello, & bibulus in tanto mœrore ſuo maximam curam belli ſuſtineret, ad meq́; Legati eius, & Quæſtor & amici eius literas mitterent, ut ſubſidio uenirẽ, et ſi exercitum infirmum habebam, auxilia ſanè bona, ſed ea Galatarum, Piſidarum, Lyciorum (hęc enim ſunt noſtra robora) tñ eſſe officium meũ putaui, exercitum habere quamproxime hoſtem, quo ad mihi præeſſe prouinciæ p.S.C. liceret: ſed (quo ego maxime delectabar) Bibulus moleſtus mihi nõ erat. de omnibus rebus ſcribebat ad me potius, & mihi deceſſionis dies λεληθότως obrepebat: qui cum aduenerit, ἄλλο πρόβλημα quem præficiam, niſi Cælius Quæſtor uenerit, de quo adhuc nihil certi habebamus. Cupiebam mehercule longiorem epiſtolam facere, ſed nec erat res de qua ſcriberem, nec iocari præ cura poteram. Valebis igitur, & puellæ ſalutem articulate dices, noſtræq́; Piliæ.

CICERO ATTICO SAL.



Go dum in prouincia omnibus rebus Appium orno, ſubito ſum factus accuſatoris eius ſocer. Id quidem, inquis, Dŋ approbẽt. Ita uelim, teq́; ita cupere certo ſcio. Sed crede mihi, nihil minus putarã ego, qui de Ti. Nerone, qui mecum egerat, certos homines ad mulieres miſeram, qui Romam uenerunt factis ſponſalibus: ſed hoc ſpero melius. Mulieres quidem ualde intelligo delectari obſequio & comitate adoleſcẽtis: cetera noli ἐξακανθίζειν Sed heus tu, πυροὺς εἰς δῆμον Athenis. placet hoc tibi? Etſi non impediebant mei certe libri: nõ enim iſta largitio fuit in ciuis, ſed in hoſpites liberalitas: me tamẽ de academiæ προπύλῳ iubes cogitare, qm̃ Appius de Eleuſine non cogitet. De Hortenſio te certo ſcio dolere, equidem excrucior: decreram enim cum eo ualde familiariter uiuere. Nos prouinciæ præfecimus Cælium: puerum inquies, & fortaſſe fatuum, & non grauem, & non continentem. Aſſentior, fieri nõ potuit aliter: nam quas multo ante tuas acceperam literas, in quibus ἐπέχειν ter ſcripſeras, quid eſſet mihi faciẽdum de relinquendo eæ me pungebant? Videbã enim, quæ tibi eſſent ἐποχῆς cauſæ: & erant eædem mihi puero tradere. Fratri autem, illud nõ utile nobis? nã præter fratrem nemo erat quem ſine contumelia Quæſtori, nobili preſertim anteferrem: tamen dum impendere Parthi uidebantur, ſtatueram fratrem relinquere, aut etiam reip. cauſa contra. S.C. ipſe remanere: qui poſteaquam incredibili felicitate diſceſſerunt, ſublata dubitatio eſt: uidebam ſermones. Hui fratrem reliquit? Num eſt hoc non plus annum obtinere prouinciam? Quid

quòd Senatus eos uoluit præesse prouincijs, qui non præfuissent? At hic triennium. Ergo hæc ad populum. Quid quæ tecum, nũquam essem sine cura, si quid iracundius, aut contumeliosius, aut negligentius, quæ fortuita hoĩum, quid si quid filius puer, & puer bene sibi fidens? qui esset dolor, quẽ pater nõ dimittebat, teq; id censere moleste ferebat? At nunc Cælius, non dico equidẽ quod egerit, sed tamen multo minus laboro. Adde illud: Pompeius eo robore uir, his radicibus Q. Cassium sine sorte delegit, Cæsar Antonium, ego sorte datum offenderem, ut etiam inquireret in eũ, quem reliquissem? Hoc melius, & huius rei plura exẽpla. Senectuti quidem nostræ profecto aptius. At te apud eum, Dij boni, quanta in gratia posui: eiq; legi literas non tuas, sed librarij tui. Amicorum literæ me ad triumphum uocant: rem à nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν nostrã, non negligendã. Quare tu quoq;, mi Attice, incipe id cupere, quo nos minus inepti uideamur.

CICERO ATTICO SAL.

Cicero Q. Filius pie sanè, me quidem certe multũ hortante, sed currentem, animum patris sui, sorori tuæ recõciliauit. Eum ualde tuę literæ excitarunt. Quid quæris? confido rem ut uolumus esse. Bis ad te antea scripsi de re mea familiari, si mõ tibi redditę literę sunt, græce ἐν αἰνιγμοῖς. scilicet nihil est mouendum: sed tamen ἀφιλῶς percõtando de nominibus Milonis, et ut expediat, ut mihi recepit, hortando aliqd aut proficies. Ego Laodiceæ Quęstorem Mescinium expectare misi, ut cõfectas rationes lege Iulia apud duas ciuitates possim relinquere. Rhodum uolo puerorum causa. inde quamprimum Athenas, etsi Etesiæ ualde reflant: sed uolo his magistratibus, quorum uoluntatem in supplicatione sum expertus. Tu tamen mitte mihi quæso obuiam literas, nunquid putes reip. nomine tardandũ esse nobis. Tiro ad te dedisset literas, nisi eum grauiter ægrum Efeæ reliquissem: sed nunciant melius esse, ego tamen angor: nihil enim illo adolescẽte castius, nihil diligentius.

CICERO ATTICO SAL.

Cvm instituissem ad te scribere, calamumq; sumpsissem, Batonius è naui recta ad me uenit, domum Ephesi, & epistolam tuam reddidit prid. Kal. Octob. Lætatus sum felicitate nauigationis tuæ, opportunitate Piliæ, etiam mehercule sermone eiusdem de coniugio Tulliæ meæ: Batonius autem miros terrores ad me attulit Cæsarianos: cum Lepta etiam plura locutus est: spero falsa, sed certe horribilia: exercitum nullo modo dimissurum. Cum illo Prætt. DESS. Cassium Trib. pl. Lentulum Cos. facere. Põpeio in aĩo esse urbem relinquere. Sed heus tu, nũ quid moleste fers de illo, q se solet anteferre patruo sororis tuę filij? At à quibus uictus? Sed ad rem. Nos Etesię uehementissime tardarũt. Detraxit uiginti ipsos dies etiam aphractus Rhodiorum. Kal. Octob. Epheso conscendentes hãc epistolam dedimus L. Tarquinio simul ẽ portu egredienti, sed expeditius nauiganti. Nos Rhodiorum aphractis, ceterisq; longis nauibus tranquillitates aucupaturi eramus: ita tamẽ properabamus, ut non posset magis. De Raudusculo Puteolano gratum. Nũc uelim dispicias res Romanas: uideas quid nobis de triumpho cogitandum putes, ad quem amici me uocãt. Ego nisi Bibulus, qui

dũ unus

dum unus hospes in Syria fuit, pedem porta nō plus extulit, q̄ domo sua, adniteretur de triumpho, æquo animo essem. Nunc uero εὐχερὸν σκοπεῖν: sed explora rem totam, ut quo die congressi erimus, consilium capere possimus. At multa, qui & properarē, & ei literas darem, qui aut mecū, aut paulo ante uenturus esset. Cicero tibi plurimam salutem dicit. Tu dices utriusq; nostrū uerbis & Piliæ tuæ & filiæ.

CICERO ATTICO SAL.



IN Piræea cum exissem pridie Id. Octob. accepi ab Acasto seruo meo statim tuas literas: quas quidem cum expectassem iādiu admiratus sum, ut uidi obsignatam epistolam, breuitatē eius: ut aperui rursus σύγχυσιν literularum, quę solent tuæ compositissimę & clarissimæ esse: ac ne multa cognoui ex eo, φ ita scripseras, te Romam uenisse ad XII Kal. Octob. cum febri. Percussus uehementer, nec magis q̄ debui, statim quæro ex Acasto. Ille, Et tibi & sibi uisum, & ita se domi ex tuis audisse, ut nihil esset incommode. Id uidebatur approbare, quod erat in extremo, febriculam tum te habentem scripsisse. Sed amaui tamē, admiratusq; sum, φ nihilo minus ad me tua manu scripsisses. Quare de hoc satis: spero enim, quæ tua prudentia & temperantia est: hercule ut me iubet Acastus, cōfido te iam ut uolumus ualere. A Turannio te accepisse meas literas gaudeo. παραφύλαξον, si me amas, τὴν τοῦ φυρατοῦ φιλοτιμίαν αὐτότατα. Hanc, quæ mehercule mihi magno dolori est: (dilexi enim hominem), procura (quantulacūq; est) Precianam hæreditatem, prorsus illam ne attingas. Dices, nūmos mihi opus esse ad apparatum triumphi: in quo, ut præcipis, nec me κενὸν in expetendo cognosces, nec ἄτυφον in abiiciendo. Intellexi ex tuis literis te ex Turānio audisse, à me prouinciam fratri traditam. Adeon' ego non perspexeram prudentiam literarum tuarum: ἐπέχειν ter scribebas, quid erat dubitatione dignū? Si esset quidquam cur placeret fratrem, & talem fratrem relinqui, ἀθέτησις ista mihi tua, non ἐποχὴ uidebatur. Monebas de Q. Cicerone puero, ut eum quidem neutiquam relinquerem. τοὐμὸν ὄναρ ἐρῶν ἐμοί. eadem omnia quasi collocuti essemus, uidimus. Non fuit faciendum aliter, meq; ἐπιχειρονία ἐποχὴ tua dubitatione liberauit: sed puto te accepisse de hac re epistolam scriptam accuratius.

Ego tabellarios postero die ad uos eram missurus, quos puto ante uenturos, q̄ nostrum Saufeium: sed eum sine meis literis ad te uenire uix rectū erat. Tu mihi, ut polliceris de Tulliola mea, id est de Dolabella perscribas, de rep. quam præuideo in summis periculis: de Cēsoribus maximeq; de signis, tabulis quid fiat, referantur'ne. Id Octob. has dedi, literas, quo die, ut scribis, Cæsar Placentiam legiones quatuor. Quæso quid nobis futurū est, in arce. Athenis statio mea nunc placet.

nostro in illo diuino tertio Consulatu. aliter sensero, αἰδέομαι non Pompeium modo, sed Τρῶας, καὶ Τρῳάδας, πουλυδάμας μοὶ πρῶτος ἐλεγχείην καταθήσει. Quis? Tuipse scilicet laudator & factorum & scriptorum meorum. Hanc ego plagam effugi per duos superiores Marcellorum Consulatus, cum est actum de prouincia Cæsaris. Nunc incido in discrimen ipsum: itaque ut stultus primus suam sentẽtiam dicat, mihi ualde placet, de triumpho nos moliri aliquid, extra urbem esse cum iustissima causa: tamen dabunt operam, ut eliciant sententiam meam. Ridebis hoc loco fortasse, q̃ uellem etiam nunc in prouincia morari. Planè opus fuit, si hoc impendebat, etsi nil miserius. Nam ὅδου πάρεργον, uolo te hoc scire, omnia illa prima, quæ etiam tuis literis in cœlum ferebas, ἐπίπλαστα fuerunt. Quàm nõ est facilis uirtus, q̃ uero difficilis eius diuturna simulatio. Cum enim hoc rectum & gloriosum putarem, ex annuo sumptu, qui mihi decretus esset, me C. Cælio Quæstori relinquere annuum, referre in ærarium ad HS C I Ↄ, ingemuit nostra cohors, omne illud putans distribui sibi oportere, ut ego amicior inuenirer Phrygum & Ciliciũ ærarijs, q̃ nostro: sed me non mouerunt: nã & mea laus apud me plurimũ ualuit. Nec tamẽ quicquam honorifice in quẽquam fieri potuit, quod prætermiserim: sed hæc fuerit, ut ait Thucydides, ἐκβολὴ λόγου non inutilis: tu autem de nostro statu cogitabis. Primum, quo artificio tueamur beneuolentiam Cæsaris: deinde de ipso triumpho, quem uideo, nisi reipub. tẽpora impedient, εὐπόριστον: iudico aũt, cum ex literis amicorum, tum ex supplicatione, quam qui non decreuit, plus decreuit: q̃ si omneis decresset triũphos. Ei porrò assensus est unus familiaris meus Fauonius, alter iratus Hirrus: Cato autem & scribẽdo affuit, & ad me de sentẽtia sua iucundissimas literas misit, sed tamẽ gratulans mihi Cæsar de supplicatione, triumphat de sentẽtia Catonis, nec scribit quid ille sentẽtiæ dixerit, sed tantum supplicationẽ eum mihi non decreuisse. Redeo ad Hirrum. Cœperas eum mihi placare: perfice: habes Scrofam, habes Siliũ, ad eos ego etiam antea scripsi, ad ipsum Hirrum. locutus enim erat cum ijs commode, se potuisse impedire, sed noluisse. assensum tamen esse Catoni amicissimo meo, cum is honorificentissimam in me sententiam dixisset: nec me ad se ullas literas misisse, cum ad omnes mitterem. Verum dicebat. Ad eum enim solum, & ad Crassipedẽ nõ scripserã: atque hæc de rebus forensibus. Redeamus domũ, diiungere me ab illo uolo. Mirus est φυράτης germanus Lartidius, ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Reliqua expediamus. Hoc primum, quod accessit cura dolori meo. Sed hoc tamẽ quidquid est, Precianum cum his rationibus, quas ille meas tractat, admisceri nolo. Scripsi ad Terentiam, scripsi ẽt ad ipsum, me quidquid posset nũmorum ad apparatum sperati triũphi ad te redacturum. Ita puto ἀμεμπτα fore, uerum ut lubebit. Hanc quoque suscipe curã, quemadmodum experiamur. Id & ostendisti quibusdam literis ex Epeiro Athenas datis, & in eo ego te adiuuabo.

CICERO ATTICO SAL.

Brundisium uenimus VII Kal. Decẽb. usi tua felicitate nauigandi. Ita belle nobis flauit ab Epeiro lenissimus Auster mitis. Hunc ασυνδεάζοντα, si cui uoles τῶν νεωτέρων pro tuo uẽdito. Inualetudo tua me ualde cõturbat: significãt enim tuæ literæ te prorsus laborare. Ego autem cum sciam q̃ sis fortis, uehementius esse quiddam suspicor, quod

te cogat cedere,& propemodum infringat:etsi alteram quartanã Pamphilus tuus mihi dixit decessisse,& alteram leuiorẽ accedere:Terẽtia uero,quæ quidem eodẽ tempore ad portam Brundisinã uenit,quo ego in portum, mihiq́; obuia in foro fuit,L.Pontium sibi in Trebulano dixisse narrabat,etiam eam decessisse:quod si ita est,quod maxime mehercule opto, idq́; spero tua prudentia & tẽperantia te cõsecutũ. Venio ad epistolas tuas,quas ego sexcentas uno tẽpore accepi aliam alia iucundiorẽ,quæ quidẽ erant tua manu:nam Alexidis animum amabã,ꝙ tã prope accedebat ad similitudinẽ tuæ literæ:manũ non amabã,quod indicabat te non ualere.Cuius qm̃ mentio iam facta est, Tironẽ Patris ægrum reliqui,adolescentem ut nosti,& adde si quid uis,probũ: nihil uidi melius:itaq; careo ægre:quanq̃ uidebatur se non grauiter habere, tamẽ sum solicitus,maximamq́; spem habeo in M.Curij diligẽtia, de qua ad me scripsit Tiro,& multi nunciarũt.Curius aũt ipse sensit,q̃ tu uelles à me diligi,& eo sum admodum delectatus:& mehercule est, quam facile diligas. αὐτόχθων in homine urbanitas.Eius testamentũ de Tortorio Ciceronum signis obsignatum,cohortisq́; Prætoriæ,fecit palàm te ex libella, me ex terũcia. In Actio Corcyræ Alexion me opipare muneratus est. Quinto Ciceroni obsisti non potuit,quo minus Thyamim uideret.Filiola tua te delectari lætor,& probari tibi φυσικὴν esse τὴν πρὸς τὰ τέκνα. Etenim si hęc non est,nulla potest homini esse ad hoĩem naturæ adiunctio:qua sublata uitæ societas tollitur.Bene eueniat,inquit Carneades,spurce,sed tñ pudentius,q̃ Lucius noster et Patron,qui cũ omnia ad se referãt,quidq̃ alterius causa fieri putent:cũ ea re bonum uirũ oportere esse dicant,ne malũ habeat,nõ quo id natura rectũ sit, nõ intelligunt se de callido homine loqui,nõ de bono uiro. Sed hæc opinor sũt in his libris,quos tu laudãdo,animos mihi addidisti.Redeo ad rẽ.Q̃uo expectabam epistolã,quam Philoxeno dedisses? (scripseras enim in ea esse de sermone Põpeij Neapolitano) eã mihi Patron Brũdisij reddidit. Corcyræ, ut opinor,acceperat:nihil potuit esse iucũdius:Erat enim de repu.de opinione, quã is uir haberet integritatis meæ:de beneuolẽtia,quã ostendit eo sermone quẽ habuit de triumpho.Sed tñ hoc iucundissimũ,ꝙ intellexi te ad eũ uenisse,ut eius animũ erga me perspiceres:hoc mihi inquã accidit iucũdissimũ. De triumpho aũt nulla me cupiditas unq̃ tenuit ante Bibuli impudẽtissimas literas:quas amplissime supplicatio cõsecuta est. A quo si ea gesta sunt quæ scripsit,gaudere,& honori fauerẽ.Nunc illũ qui pedẽ porta,quoad hostis cis Euphratẽ fuit,nõ extulerit,honore augeri,me in cuius exercitu spem illius exercitus habuit,idẽ nõ assequi,dedecus est nostrũ,nostrũ inq̃ te cõiungens:itaq; omnia experiar,& ut spero,assequar. Q̃ si tu ualeres,iam mihi quædã explorata eẽnt:sed (ut spero) ualebis.De Rauduscululo Numeriano multũ te amo. Hortensius quid egerit,aueo scire.Cato quid agat? quid? equidem in me turpiter fuit maliuolus:dedit integritatis,iustitiæ,clementiæ,fidei mihi testimonium,quod nõ quærebã:quod postulabã,negauit.Id itaq; Cæsar his literis, quibus mihi gratulatur,& omnia pollicet,quõ exultat Catonis in me ingratissimi iniuria? At hic idẽ Bibulo dierũ xx.Ignosce mihi,nõ possum hęc ferre,nec ferã.Cupio ad oẽs tuas epistolas,sed nihil necesse est,iã enim te uidebo. Illud tñ de Chrysippo:nã de altero illo minus sum admiratus opario homine,sed tamen ne illo quidẽ quidquã improbius.Chrysippũ uero,quẽ ego ꝓpter

pter literularum nescio quid, libẽter uidi, in honore habui, discedere à puero insciente me? Mitto alia quæ audio multa, mitto furta, fugam nõ fero, qua mihi nihil uisum est sceleratius. Itaq; usurpaui uetus illud Drusi, ut ferunt, Prę. in eo, qui eadem liber non iuraret, me istos liberos non addixisse: presertim cum adesset nemo, à quo recte uindicarentur. Id tu, ut uidebitur, ita accipies: ego tibi assentiar. Vni tuę disertissimæ nõ rescripsi: in qua est de piculis reip. Quid rescriberem? ualde eram perturbatus, sed ut nihil magnopere metuã, Parthi faciunt, qui repente Bibulum semiuiuum reliquerunt.

CICERO ATTICO SAL.


D VIII Id. Decemb. Herculanũ ueni. & ibi tuas literas legi, quas Philotimus mihi reddidit: è quibus hanc primo aspectu uoluptatem cepi, quòd erant à te ipso scriptæ: deinde earum accuratissima diligentia sum mirum in modum delectatus: ac primum illud, in quo te Dicæarcho assentiri negas, etsi cupidissime expetitum à me sit, & te approbante, ne diutius anno in prouincia essem, tamen non est nostra cõtentione perfectum: sic enim scito, uerbum in Senatu factum esse nunquam de ullo nostrũ, qui prouincias obtinuimus, quo in his diutius, q̃ ex S.C. maneremus: ut iam ne istius quidem rei culpam sustineam, quod minus diu fuerim in Prouincia q̃ fortasse fuerit utile. Sed, quid si hoc melius? opportune dici uidetur, ut in hoc ipso. Siue enim ad concordiam res adduci potest, siue ad bonorũ uictoriam, utriusuis rei me aut adiutorem uelim esse, aut certe non expertẽ. Sin uincuntur boni, ubicunq; essem unà cum ijs uictus essem. Quare celeritas nostri reditus ἀμεταμέλητος debet esse. Q. si ista nobis cogitatio de triũpho iniecta non esset, quam tu quoq; approbas, næ tu haud multum requireres illum uirũ, qui in sexto libro informatus est. Quid enim tibi faciã, qui illos libros deuorasti? quin nunc ipsum non dubitabo rem tãtam abijcere, si id erit rectius: utrũq; uero simul agi nõ potest, & de triumpho ambitiose, & de rep. libere. Sed ne dubitaris, quin quod honestius, id mihi futurum sit antiquius. Nã quod putas utilius eẽ uel mihi q̃ tutius sit, uel etiam ut reip. prodesse possim, me esse cum imperio, id corãm considerabimus quale sit. Habet enim res deliberationẽ, etsi ex parte magna tibi assentio. De animo autem meo erga rẽpu. bene facis q̃ non dubitas, & illud probe iudicas, nequaq̃ satis pro meis officiis, pro ipsius in alios effusione, illum in me liberalem fuisse: eiusq; rei cãm uere explicas, & eis, quæ de Fabio Caninioq; acta scribis, ualde cõsentiunt: quę si secus essent, totũq; se ille in me profudisset, tamen illa, quam scribis, custos urbis me præclarę inscriptionis memorẽ esse cogeret, nec mihi concederet, ut imitarer Volcatium, aut Seruiũ, quibus tu es cõtentus: sed aliquid nos uellet nobis dignũ & sentire & defendere, quod quidem agerẽ, si liceret alio mõ, ac nunc agendũ est. De sua potẽtia dimicant homines hoc tpe periculo ciuitatis: nã si resp. defenditur, cur ea Cos. isto ipso defensa nõ est? Cur ego in cuius cã reip. salus cõsistebat, defensus postero anno nõ sum? cur imperiũ illi? aut cur illo mõ prorogatum est? cur tãtopere pugnatum est, ut de eius absentis ratione habenda decem Tribb. pl. ferrent? His ille rebus ita conualuit, ut nunc in uno ciui resp. ad resistendum sit: qui mallem tantas ei uires nõ dedisset, quàm nunc tam ualenti resisteret. Sed quoniam res eo deducta est, nõ quærã, ut scribis, ποῦ σκάφος τὸ τῶν ἀτρειδῶν. Mihi σκάφος unum erit, quod à Põpeio guberna-

bitur. Illud ipſum quod ais, quid fiet dum erit dictum? Dic Marce Tulli σύνθομα Cn. Pompeio aſſentiar, ipſum tamen Pompeium ſeparatim ad concordiam hortabor: ſic enim ſentio, maximo in periculo rem eſſe. Vos ſcilicet plura, qui in urbe eſtis. Verũtamen hæc uideo, cum homine audaciſſimo paratiſſimoq́ negotium eſſe. Omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione ignominiaq́ dignos, illac facere: omnem ferè iuuentutem, omnem illam urbanam ac perditam plebem. Tribunos ualenteis addito C. Caſſio, omnes qui ære alieno premãtur: quos plureis eſſe intelligo, quàm putaram. Cauſam ſolum illa cauſa non habet, ceteris rebus abundat. Hic omnia facere omnis, ne armis decernatur: quorum exitus ſemper incerti, nunc etiam uero in alteram partem magis timendi. Bibulus de prouincia deceſſit, Veientonem præfecit: in decedendo erit, ut audio, tardior: quem cum ornauit Cato, declarauit ĳs ſe ſolis non inuidere, quibus nihil aut non multum ad dignitatem poſſet accedere. Nunc uenio ad priuata. Ferè enim reſpondi tuis literis de repub. & ĳs, quas in ſuburbano, & ĳs, quas poſtea ſcripſiſti. Ad priuata uenio. unum etiam de Cælio. Tantum abeſt, ut meam ille ſentẽtiam moueat, ut ualde ego, ipſi ꝙ de ſua ſententia deceſſerit, pœnitendum putem. Sed quid eſt quod ei uici luccei ſint addicti, hoc te prætermiſiſſe miror. De Philotimo faciam equidem, ut mones, ſed ego mihi ab illo non rationes expectabam, quas tibi edidit. Verum id reliquum, quod ipſe in Tuſculano me referre in cõmentarium mea manu uoluit, quodq́ idem in Aſia mihi ſua manu ſcriptum dedit: id ſi præſtaret, quantum mihi æris alieni eſſe ibi edidit, tantum & plus ẽt ipſe mihi deberet: ſed in hoc genere, ſi modo per remp. licebit, non accuſabimur poſthac: Neq́ hercule antea negligentes fuimus, ſed amicorum multitudine occupati. Ergo utemur, ut polliceris, & opera & cõſilio tuo, nec tibi erimus, ut ſpero, in eo moleſti. De Serpiraſtris cohortis meæ, nihil eſt, quod doleas: ipſi enim ſe collegerunt admiratione uitæ integritatis meæ. ſed me mouerat nemo magis, quàm is quem tu neminem putas. Idem & initio fuerat & nunc eſt egregius: ſed in ipſa deceſſione ſignificauit ſperaſſe ſe aliquid: & id quod animum induxerat pauliſper, non tenuit, ſed cito ad ſe redĳt, meisq́ honorificentiſſimis erga ſe officĳs uictus, pluris ea duxit, quàm omnem pecuniam. Ego à Curio tabulas accepi, quas mecum porto. Hortenſĳ legata cognoui. Nunc aueo ſcire quid hominis ſit, & quarum rerum actionẽ inſtituat: Neſcio enim cur cum portam Flumentanam Cęlius occuparit, ego Puteolos nõ faciam meos. Venio ad Piręea, in quo magis reprehendendus ſum, ꝙ homo Romanus Piræea ſcripſerim, non Piræeum (ſic enim oẽs noſtri locuti ſunt) ꝙ ꝙ, in, addiderim. Non enim hoc ut oppido prępoſui, ſed ut loco: & tñ Dionyſius noſter, qui eſt nobiſcũ, Nicias Cous nõ rebatur oppidũ eẽ Piręea: ſed de eo uidero. Noſtrũ qdẽ ſi eſt peccatũ, in eo eſt, ꝙ non ut de oppido locutus ſum, ſed ut de loco: ſecutusq́ ſum nõ dico Cęciliũ, Mane ut ex portu ĩ Pirgeeum (malus enim auctor latinitatis eſt) ſed Terentiũ, cuius fabellę ꝓpter elegantiã ſermonis putabantur à C. Lælio ſcribi, Heri aliquot adoleſcẽtuli coimus in Pirgeum. Et idẽ, Mercator hoc addebat, captam è Sunio. Quòd ſi δήμους oppida uolumus eſſe, tam eſt oppidũ Suniũ q̃ Piræeus. Sed qm̃ Grãmaticus es, ſi hoc mihi ζήτημα pſolueris, magna me moleſtia liberaris. Ille mihi literas blandas mittit, facit idem pro eo Balbus. mihi certũ eſt ab honeſtiſſima

fententia digitũ nuſq̃:ſed ſcis illi reliquũ q̃tũ ſit:putas ne igit uerendũ eſſe, ne aut obijciat id nobis aliqs,ſi lãguidius:aut repetat,ſi fortius quid ad hæc repe ris? Soluamus inquis. Age à Cælio mutuabimur:hoc tu tamen conſideres ue lim:puto enim in Senatu,ſiquando præclare pro repub. dixero, Tarteſium iſtum tuum,mihi exeunti,iube ſodes nummos curare. Qui ſupereſt etiam ge ner,eſt ſuauis mihi, Tulliæ Terentiæ,quantum uis uel ingenij uel humanita tis ſatis.reliqua,quæ noſti,ferenda. Scis enim quos aperierimus,qui oẽs,præ ter eum de quo per te egimus,reum me facere rentur:ipſis enim expẽſum ne mo feret. Sed hęc coràm:nam multi ſermonis ſunt. Tironis reficiendi ſpes eſt in M.Curio, cui ego ſcripſi tibi eum gratiſſimum facturum. Dat V.Id.De cemb.à Pontio ex Trebulano.

CICERO ATTICO SAL.



Ionyſium flagrantem deſiderio tui miſi ad te,nec mehercule ęquo animo,ſed fuit concedendum:quem quidem cognoui cum doctũ (quod mihi iam ante erat notum) tum ſanctũ,plenum officij, ſtu dioſum etiam meæ laudis,frugi hominem, ac ne libertinũ lauda re uidear,planè uirum bonum. Pompeium uidi IIII Id. Decẽb. fuimus unà horas duas fortaſſe,magna lætitia mihi uiſus eſt affici meo aduentu. de trium pho hortari,ſuſcipere partis ſuas,monere ne ante in Senatũ accederẽ, qtiàm rem confeciſſem,ne dicendis ſententijs aliquem Tribunum alienarem. Quid quæris? in hoc officio ſermonis nihil potuit eſſe prolixius. De repub. autẽ ita mecum locutus eſt,quaſi non dubium bellum haberemus.nihil ad ſpem con cordiæ.planè illum ab ſe alienatum cum ante intelligeret,tum uero proximę iudicaſſe:ueniſſe Hirtium à Cæſare,qui eſſet illi familiariſſimus,ad ſe non ac ceſſiſſe. Et cum ille ad VIII.Id.Decemb.ueſperi ueniſſet,Balbus de tota re conſtituiſſet,ad VII ad Scipionem ante lucem uenire. multa de nocte eũ pro fectum eẽ ad Cæſarem. Hoc illi τεκμηριώδες uidebatur eſſe alienatiõis. Quid multa? nihil me aliud conſolatur,niſi q̃ illum,cui etiam inimici alterum Con ſulatum,fortuna ſummam potentiam dederat,non arbitror fore tam amen tem,ut hæc in diſcrimen adducat:quòd ſi ruere cœperit,næ ego multa timeo, quæ non audeo ſcribere:ſed ut nunc eſt,ad III Non.Ian.ad urbem cogito.

CICERO ATTICO SAL.



Vltas uno tempore accepi epiſtolas tuas:quæ mihi,quanquam re centiora audiebam ex ijs qui ad me ueniebant,tamen erant iucun dæ. Studium enim & beneuolentiam declarabant. Inualetudine tua moueor:et Piliam in idem genus morbi delapſam,curam tibi afferre maiorem ſentio:date igitur operam,ut ualeatis. De Tirone uideo tibi curæ eſſe:quem quidem ego,etſi mirabilis utilitates mihi præbet, cum ualet, in omni genere uel negotiorũ uel ſtudiorũ meorum: tñ propter humanitatẽ & modeſtiam,malo ſaluũ,q̃ propter uſum meũ. Philogenes mecũ nihil unq̃ de Luſcenio locutus eſt:de ceteris rebus habes Dionyſiũ. Sororem tuã nõ ue niſſe in Arcanũ miror. De Chryſippo,meũ conſilium probari tibi nõ mole ſte fero. Ego in Tuſculanum nihil ſanè hoc tempore.deuium eſt τοῖς ἀπαντῶ σιν, & habet alia δύσχρηστα. Sed de Formiano Tarracinam prid.Kal. Ian. Inde Pomptinũ ſumã,inde Albanum Põpeij.ita ad urbem III Non. natali meo.

De rep. cotidie magis timeo: non enim boni, ut putant, consentiũt: quos ego equites R. quos Senatores uidi, qui acerrime cum cetera, tum hoc iter Pōpeij uituperarent. Pace opus est. Ex uictoria cum multa mala, tum certe Tyrãnus existet. Sed hæc propediē coràm. Iam planè mihi deest, quid ad te scribam. Nec enim de rep. ꝙ uterq; nostrum scit eadem: & domestica nota sunt ambobus. Reliquum est iocari, si hic sinat: nam ego is sum, qui illi concedi putē utilius esse quod postulat, quàm signa conferri: sero enim resistimus ei, quē per annos decem aluimus contra nos. Quid sentis igitur inquis? nihil scilicet, nisi de sententia tua, nec prius quidem, q̃ nostrum negotium, aut confecerimus, aut deposuerimus. Cura igitur ut ualeas. Aliquando ἀπότεμε quartanã istã diligentia, quæ in te summa est.

CICERO ATTICO SAL.


Lanè deest quid ad te scribã. nota omnia tibi sunt: nec ipse habeo à te quid expectem. Tãtum igitur nostrum illud solēne seruemus, ut ne quem istuc euntem sine literis dimittamus. De rep. ualde timeo, nec adhuc fere inueni, qui non concedendum putaret Cæsari quod postularet, potius q̃ depugnandum. Est illa quidē postulatio opinione ualētior. Cur aũt nunc primum ei resistam, οὐ γὰρ ἂν τόδε μᾶζον ἔπι κακόν, q̃, cũ quinquēnium prorogabamus, aut cũ ut absentis ratio haberetur, ferebamus? nisi forte hæc illi tum arma dedimus, ut nunc cum bene parato pugnaremus. Dices, Quid tu igitur sensurus es? Non idem quod dicturus: sentiam enim omnia faciēda, ne armis decertetur. Dicã idem, quod Pompeius: neque id faciam humili animo. Sed rursus hoc permagnum reip. malum est, & quodammodo mihi præter ceteros, nō rectum me in tantis rebus à Pōpeio dissidere.

CICERO ATTICO SAL.


IONYSIVS VIR OPTIMVS, VT MIHI QVOQVE EST PERSPECTVS, ET DOCTISSIMVS, TVIQVE AMANTISSIMVS ROMAM VENIT XV. KAL. IAN. ET LITERAS À TE MIHI REDDIDIT. Tot enim uerba sunt de Dionysio in epistola tua. Illud (puto) nō adscribis, & tibi gratias egit. Atqui certe ille agere debuit: & si eēt factum, quæ tua est humanitas, adscripsisses. Mihi autem nulla de eo παλινῳδία datur propter superioris epistolę testimonium. Sit igitur sanè bonus uir: hoc enim ipsum bene fecit, ꝙ mihi sui cognoscēdi penitus etiam istam facultatem dedit. Philogenes recte ad te scripsit: curauit enim quod debuit: eum ego uti ea pecunia uolui, quoad liceret: itaq; usus est mēses XIIII. Pomptinum cupio ualere: & quod scribis in urbem introisse, uereor quid sit. nam id nisi graui de causa non fecisset. Ego, quoniam IIII Non. Ian. Compitalicius dies est, nolo eo die in Albanum uenire molestus familiæ, ueniam III. Non. Ian. Igitur inde ad urbē prid. Non. Tua λῆψις, quem in diem incurrat, nescio, sed prorsus te commoueri incommodo ualetudinis tuæ nolo. De honore nostro, nisi quid occulte Cęsar per suos Tribunos molitus erit, cetera uidentur esse tranquilla. Tranquillissimus autem animus meus, qui totum istuc æqui boni facit: & eo magis, ꝙ iã à multis audio constitutum esse Pompeio, & eius consilio, in Siciliam me mittere, ꝙ imperium habeam, id est ἀβδηριτικόν: nec enim Senatus decreuit, nec populus

pulus iussit me imperium in Sicilia habere: sin hoc resp. ad Pōpeium refert, qui me magis quàm priuatum aliquē mittat? Itaq; si hoc imperium mihi molestum erit, utar ea porta quam primum uidero: nam quod scribis mirificam expectationem esse mei, neq; tamē quēquam bonorum, aut satis bonorū, dubitare quid sensurus sim: ego, quos tu bonos esse dicas, non intelligo. ipse nullos noui, sed ita, si ordines bonorum quærimus, nam singulares sunt boni uiri: uerum in dissensionibus ordines bonorum & genera quærenda sunt. Senatum bonum putas, per quem sine imperio prouinciæ sunt? nunquam enim Curio sustinuisset, si eum eo agi cœptum esset, quam sententiam Senatus sequi noluit. Ex quo factum est, ut Cæsari non succederetur. An publicanos? qui nunquam firmi, sed nūc Cæsari sunt amicissimi. An fœneratores? an agricolas? quibus optatissimum est otiū. nisi eos timere putas, ne sub regno sint, qui id nunquam, dummodo otiosi essent, recusarunt. Quid? ergo exercitū retinentis, cum legis diem trāsierit, rationem haberi placet? mihi uero ne absentis quidem: sed cum id datum est, illud unà datum est. annorum enim decem imperium & ita latum placet. Placet igitur, etiam me expulsum, et agrū Campanum perijsse, & adoptatum patricium à plebeio, Gaditanū à Mitylenæo. & Labieni diuitiæ & Mamurræ, placent & Balbi horti & Tusculanum: sed horum omnium fons unus est. Imbecillo resistēdū fuit, & id erat facile. Nūc legiones XI. equitatus tantus quātum uolet, Trāspadani, plebes urbana, tot Tribb. pl. tam perdita iuuentus, tanta auctoritate dux, tanta audacia. Cū hoc aut depugnādum est, aut habenda è lege ratio. Depugna, inquis, potius, q̄ seruias. Vt quid? si uictus eris, proscribare: si uiceris, tamē seruias: quid ergo, inquis, acturus es? Idē quod pecudes, quæ dispulsæ, sui generis sequuntur greges. Vt bos armenta, sic ego bonos uiros, aut eos quicunq; dicentur boni, sequar, etiam si ruent. Quid sit optimum male contractis rebus, plane uideo. Nemini est enim exploratum, cum ad arma uētum est, quid futurum sit. At illud omnibus: si boni uicti sunt, nec in cæde principum clemētiorem hunc fore, q̄ Cinna fuerit: nec moderatiorem, q̄ Sulla in pecunijs locupletium. ἐμπηλιτόνομάσοι iādudum, & facerem diutius nisi me lucerna desereret. Ad sūmā dic M. Tulli, assentiar Cn. Pompeio, id est T. Pomponio? Alexim humanissimum puerum, nisi forte, dum ego absum, adolescens factus est (id enim agere uidebatur) saluere iubeas uelim.

CICERO ATTICO SAL.



Vid opus est de Dionysio tam ualde affirmare? an mihi nutus tuus non faceret fidem? Suspicionē autem eo mihi maiorem tua taciturnitas attulerat, q; & tu soles cōglutinare amicitias testimonijs tuis, & illum aliter cum alijs de nobis locutum audiebā: sed prorsus ita esse ut scribis, mihi persuades: itaq; ego is in illum sum, quem tu me esse uis. Diem tuum ego quoq; ex epistola quadam tua, quam incipiente febricula scripseras, mihi notaueram & animaduerteram posse, pro re nata, te nō incōmode ad me in Albanum uenire III. Non. Ian. Sed amabo te, nihil incommodo ualetudinis feceris. Quid enim est tantum in uno, aut altero die? Dolabellam uideo Liuiæ testamēto cum duobus cohæredibus esse in triēte, sed iuberi mutare nomen. Est πολιτικὸν σκέμμα, rectum ne sit nobili adolescēti mutare nomen mulieris testamento: sed id φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν, cum sciemus,

quantum quaſi ſit in trientis triēte. Quod putaſti fore, ut ante q̄ iſtuc uenirē,
Pompeium uiderem, factum eſt ita. Nam VI. Kal. ad Lauernium me conſe
cutus eſt. Vnà Formias uenimus & ab hora octaua ad ueſperum ſecreto col-
locuti ſumus. Quod quæris, ecquæ ſpes pacificationis ſit: quantum ex Pom-
peij multo & accurato ſermone perſpexi, ne uoluntas quidē eſt. Sic enim exi-
ſtimat, ſi ille uel dimiſſo exercitu Coſ. factus ſit σύγχυσιν τῆς πολιτείας fore:
atq; etiam putat eum cum audierit contra ſe diligenter parari, Cōſulatū hoc
anno neglecturum, ac potius exercitum prouinciamq́; retenturum: ſin autem
ille fureret, uehementer hominem contemnebat, & ſuis & Reipub. copijs cō
fidebat. Quid quæris? etſi mihi crebro ἥρως ἐνυάλιος occurrebat, tamē leua-
bar cura, uirum fortem & peritum & plurimum auctoritate ualētem audiēs,
πολιτικῶς de pacis ſimulatæ periculis diſſerētem. Habebamus autem in mani-
bus Antonij concionem habitam X Kal. Ian. in qua erat accuſatio Pompeij
uſq; à toga pura: querela de damnatis: terror armorum. In quibus ille, Quid
cenſes, aiebat, facturum eſſe ipſum, ſi in poſſeſſionem reipub. uenerit, cum hęc
Quæſtor eius infirmus & inops audeat dicere? Quid multa? non modo non
expetere pacem iſtam, ſed etiam timere uiſus eſt. Ex illa autem ſentētia ira re-
linquendæ urbis mouet hominem, ut puto. Mihi autem illud moleſtiſſimum
eſt, q; ſoluendi ſunt nummi Cæſari, & inſtrumētum triumphi eò cōferendū.
Eſt enim ἄμορφον ἀντιπολιτευομένου χρεωφειλέτην eſſe. Sed hæc & multa alia co-
ràm. Cotidie ne, inquis, à te accipiēdæ literæ ſunt? ſi habebo, cui dem, cotidie:
at iam ipſe ades: tum igitur cum uenero, deſinam. Vnas uideo mihi à te non
eſſe redditas, quas L. Quintius familiaris meus cum ferret ad Buſtum Baſi-
lij, uulneratus & deſpoliatus eſt: uidebis igitur nunquid fuerit in his, qd' me
ſcire opus ſit. Et ſimul tu hoc διευκρινήσας πρόβλημα ſanè πολιτικόν: cum ſit ne
ceſſe aut haberi Cęſaris rationem, illo exercitum uel per Senatū, uel p Tribb.
ple. obtinente: aut perſuaderi Cæſari, ut tradat prouinciam atq; exercitum &
ita Coſ. fiat. Aut ſi id non perſuadeatur, haberi comitia ſine illius rōne, illo
patiente atq; obtinente prouinciam: aut ſi per Trib. ple. non patiatur, tamen
quieſcat, rem adduci ad interregnum. Aut ſi ob eam cauſam, q; ratio eius nō
habeatur, exercitum adducat, armis cum eo contendere. Illum autem initiū fa
cere armorum, aut ſtatim nobis minus paratis, aut tū cū comitijs amicis eius
poſtulantibus ut è lege ratio habeatur, impetratum nō ſit. Ire autem ad arma
aut hanc unā ob cauſam, q; ratio non habeatur: aut addita cauſa, ſi forte Trib.
pl. Senatum impediens, aut populum incitans notatus, aut. S. C. circunſcri-
ptus, aut ſublatus, aut expulſus ſit, dicens'ue ſe expulſum ad illum confugerit.
Suſcepto autem bello, aut tenenda ſit urbs: aut ea relicta, ille commeatu & re
liquis copijs intercludendus. Quid horum malorum quorum aliquod certe
ſubeundum eſt, minimum putes? Dices profecto perſuaderi illi, ut tradat ex-
ercitum, & ita Coſ. fiat. eſt omnino id eiuſmodi, ut ſi ille eò deſcēdat, contra-
dici nihil poſſit: idq́; eum, ſi non obtinet ut ratio habeatur retinētis exercitū,
non facere miror. Nobis autem, ut quidam putant, nihil eſt timēdum magis
q̄ ille Coſ. At ſic malo, inquies, q̄ cum exercitu, certe. Sed iſtuc ipſum ſic, ò ma
gnum malum. putat aliquis, neq; ei remedium eſt ullum: cedēdum eſt, ſi id uo
let. Vide Coſ. illum iterum, quem uidiſti Conſulatu priore. At tum imbecil-
lus plus, inquis, ualuit, q̄ tota reſpub. Quid nunc putas? Et eo Coſ. Pompeio
certum

certum est esse in Hispania. O rem miseram. Siquidem id ipsum deterrimum est, quod recusari non potest: & quod ille si faciat, iã iam bonis omnibus summam ineat gratiam: tollamus igitur hoc, quo illum posse adduci negant. De reliquis, quid est? deterrimum, cõcedere illi, quod ut idem dicit, impudentissime postulat. Nam quid impudentius? Tenuisti prouinciam per decẽ annos, non tibi à Senatu, sed à te ipso per uim & per factionem datos. Præterijt tempus non legis sed libidinis tuæ, fac tamen legis: ut succedatur, decernitur: impedis & ais, Habe mei rationem, habe tu nostrum: exercitum tu habeas diutius, q̃ populus iussit, inuito Senatu? Depugnes oportet, nisi concedis: cum bona quidem spe, ut ait idem, uel uincendi, uel in libertate moriendi. Iam si pugnandum est, quo tempore, in casu, quo consilio, in temporibus situ est. Itaq; te in ea quæstione non exerceo. Ad ea quę dixi, affer, si quid habes. Equidem dies noctesq; torqueor.

CICERO ATTICO SAL.



SVbito consilium cepi, ut ante q̃ luceret, exirem, ne qui conspectus fieret, aut sermo, lictoribus presertim laureatis. De reliquo, neque hercule quid agam nec quid acturus sim, scio: ita sum perturbatus temeritate nostri amentissimi cõsilij. Tibi uero qd suadeam, cuius ipse consilium expecto? Cn. noster qd consilij ceperit, capiatue nescio: adhuc in oppidis coarctatus, sed stupent omnes. Si in Italia cõsistat, erimus una: sin cedet, consilij res est: Adhuc certe (nisi ego insanio) stulte omnia & incaute. Tu quæso crebro ad me scribe, uel quod in buccam uenerit.

CICERO ATTICO SAL.



QVæso quid hoc est, aut quid agitur? mihi enim tenebræ sunt. Cingulum inquit, nos tenemus. Anconem amisimus. Labienus discessit ab Cæsare. Vtrum de Imperatore Popu. Ro. an de Annibale loquimur? O hominem amentem & miserum, qui ne umbrã quidem unquam τοῦ καλοῦ uiderit. Atq; hęc ait omnia facere se dignitatis causa. Vbi est autem dignitas, nisi ubi honestas? Nisi honestum igitur habere exercitum nullo publico cõsilio? occupare urbes ciuium, quo facilior sit aditus ad patriam? χρεῶν ἀποκοπὰς, φυγάδων καθόδους. sexcenta alia scelera moliri, τὴν θεῶν μεγίστην, ὥστ᾽ ἔχειν τυραννίδα. Sibi habeat suam fortunam. Vnam mehercule tecũ apricationem in illo Lucratiuo tuo sole malim, quàm omnia istiusmodi regna: uel potius mori millies, q̃ semel illiusmodi quidquam cogitare. Quid si tu uelis inquis? Age quis est, cui uelle non liceat? Sed ego hoc ipsum uelle miserius esse duco, q̃ in crucem tolli. Vna res est ea miserior, adipisci, quod ita uolueris: sed hæc hactenus. Libenter enim in his molestijs ἐνσχολάζω σοι. Redeamus ad nostrum. per fortunas, quale tibi cõsilium Pompeij uidetur? Hoc quęro ꝙ Vrbem reliquerit. Ego enim ἀπορῶ, tum nihil absurdius. Vrbem tu relinquas? Ergo ijdem si Galli uenirent? Nõ est, inquit, in parietibus resp. at in aris & focis. fecit Themistocles. fluctum enim totius barbarię ferre urbs una nõ poterat. At idẽ Pericles nõ fecit annum ferè post quinquagesimum, cum præter mœnia nihil teneret. Nostri olim Vrbe reliqua capta, arcem tñ retinuerunt. οὕτως που τῶν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν. Rursus autem ex dolore municipali, sermonibusq; eorũ, quos cõuenio, uidetur hoc consiliũ exitum

habiturum. Mira hominum querela est (nescio istic, sed facies ut sciam) sine magistratibus Vrbem esse, sine Senatu. Fugiens deniq; Pompeius mirabiliter homines mouet. Quid quæris? alia cã facta est, nihil iã concedendum putant Cæsari. Hæc tu mihi explica, qualia sint: ego negotio præsum non turbulento: uult enim me Pompeius esse, quẽ tota hæc Campana & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus & summa negotij referatur: itaq; uagus esse cogitabam. Te puto iam uidere quæ sit ὁρμὴ Cæsaris, qui populus, q totius negotij status: ea uelim scribas ad me: & quidem quoniã mutabilia sunt, quã sæpissime: acquiesco enim & scribens ad te & legens tua.

CICERO ATTICO SAL.



Nam adhuc à te epistolam acceperam datam XII kal. Iun. in qua significabatur, aliam te ante dedisse, quam nõ acceperã. Sed quæso, ut scribas quã sæpissime, nõ modo si quid scies, aut audieris, sed etiam si quid suspicabere: maximeq; quid nobis faciũdum: aut nõ faciundum putas. Nam quod rogas, curem ut scias quid Pompeius agat: ne ipsum quidem scire puto: nostrum quidem nemo. Vidi Lentulum Cos. Formijs X Kal. uidi Libonem. plena timoris et erroris omnia. Ille iter Larinum: ibi enim cohortes & Luceriæ & Theani, reliquaq; in Apulia. Inde utrũ cõsistere uspiam uelit, an mare transire, nescitur. Si manet, uereor ne exercitũ firmum habere non possit: sin discedit, quo, aut qua, aut quid nobis agendũ est, nescio. Nam istum quidem, cuius φαλαρισμὸν times, omnia teterrime facturũ puto. Nec eum rerum prolatio, nec Senatus magistratuũq; discessus, nec ærarium clausum tardabit. Sed hæc, ut scribis, cito sciemus. Interim uelim, mihi ignoscas, ꝙ ad te scribo tam multa toties: acquiesco enim, & tuas uolo elicere literas, maximeq; consilium, quid agam, aut quo me pacto geram: demittam ne me penitus in causam? Non deterreor periculo, sed dirumpor dolore, tam ne nullo consilio, aut tam contra meum consilium gesta eẽ omnia: an cũcter & tergiuerser, & ijs me dem qui tenent, qui potiuntur? αἰδέομαι τρῶας. Nec solum ciuis, sed etiã amici officio reuocor: etsi frangor sæpe misericordia puerorum. Vt igitur ita perturbato, etsi te eadem sollicitant, scribe aliquid & maxime, si Pompeius Italia cedit, quid nobis agendum putas. M. quidem Lepidus (nam fuimus unà) eum finem statuit. L. Torquatus eundem. Me cũ multa, tum etiam lictores impediũt, nihil uidi unq; quod minus explicari posset. Itaq; à te nihil dũ certi exquiro, sed quid uideatur. Deniq; ipsam ἀπορίαν tuã cupio cognoscere. Labienum ab illo discessisse propemodum constat. Si ita factum esset, ut ille Romam ueniens magistratum & Senatum Romæ offenderet, magno usui causæ nostræ fuisset: damnasse enim sceleris hominẽ amicum Reip. causa uideretur: quod nunc quoq; uidetur, sed minus prodest: nõ enim habet, cui prosit, eũq; arbitror pœnitere. nisi forte id ipsum est falsum, discessisse illum: nos quidem pro certo habebamus. Et uelim (q̃q̃, ut scribis, domesticis te finibus tenes) formam mihi Vrbis exponas, & quod Pompeij desiderium, & quæ Cęsaris inuidia appareat: etiam quid censeas de Terentia & Tullia: Romę eas esse, an mecum, an aliquo tuto loco. Et hęc & si quid aliud, ad me scribas, uel potius scriptites.

CICE.

CICERO ATTICO SAL.



DE Vennonianis rebus tibi assentior. Labienum ἥρωα iudico: facinus iādiu nullum ciuile præclarius: qui, ut aliud nihil, hoc tamē προ fecit, dedit illi dolorem. sed etiam ad summam profectum aliquid puto: amo etiam Pisonem, cuius iudiciū de genero suspicor uisum iri graue, q̄ q̄ genus belli quod sit uides. Ita ciuile est, ut non ex ciuium dissensione, sed ex unius perditi ciuis audacia natum sit. Is autem ualet. Exercitū tenet multa spe & promissis: omnia omnium concupiuit: huic tradita urbs est, nuda præsidio, referta copijs. Quid est quod ab eo non metuas, qui illa tēpla & tecta, non patriam, sed prædam putet? Quid autē sit acturus, aut quomodo, nescio: sine Senatu, sine magistratu, ne simulare quidem poterit quidquā πολιτικῶς. Nos autem ubi exurgere poterimus, aut quando? quorum dux q̄ ἀστρατήγητος, tu quoq; animaduertis, cui ne Picena quidem nota fuerint, q̄ autem sine consilio res stet: ut enim alia omittam decem annorum peccata, quæ conditio non huic fugæ præstitit? Nec uero nunc quid cogitet scio, ac nō desino per literas sciscitari. Nihil esse timidius constat: nihil perturbatius: itaque nec præsidium, cuius parādi causa ad urbem retentus est, nec locum ac sedem præsidij ullam uideo. Spes omnis in duabus inuidiose retentis penè alienis legionibus: nam delectus adhuc quidem inuitorum est, & à pugnando abhorrentium. Conditionum autem amissum tempus est. Quid futurum est, nō uideo: commissum quidem à nobis certe est, siue à nostro Duce, ut è portu sine gubernaculis egressi, tēpestati nos traderemus. Itaq; de Ciceronibus nostris dubito quid agam: nam mihi interdū amandādi uidentur in Græciā. De Tullia autem & Terentia, cum mihi barbarorum aduentus ad urbem proponit, omnia timeo. Cum autem Dolabellæ uenit in mentem, paulum respiro. Sed uelim consideres, quid faciendum putes. Primum πρὸς τὸ ἀσφαλὲς. aliter enim mihi de illis ac de me ipso consulendū est: Deinde ad opiniones, ne reprehendamur q̄ eas Romæ uelimus esse in communi bonorum fuga: quin etiam tibi & Peduceo (scripsit enim ad me) quid faciatis uidendū est: is enim splendor est uestrum, ut eadem postulentur à uobis quæ ab amplissimis ciuibus: sed de hoc tu uidebis: quippe cum de ipso ac de me ista considerare uelim. Reliquum est, ut & quid agatur, quoad poteris explores, scribasq; ad me & q̄d ipse coniectura assequare, quod etiam à te magis expecto: nam acta omnibus nunciantibus, à te expecto futura. μάντις δ' ἄριστος. Loquacitati ignosces, quæ & me leuat ad te quidem scribentem, & elicit tuas literas. Aenigma Oppiorum ex Velia planè non intellexi: est enim numero Platonis obscurius. iam intellexi tuum. Oppios enim de Velia Saccones dices in eo es tu aut diu, quo aperto reliqua patebant, & cum Terentiæ summa congruebant. L. Cæsarem uidi Minturnis ad VIII Kal. Feb. mane cum absurdissimis mandatis non hominem, sed scopas solutas, ut id ipsum mihi ille uideatur irridendi causa fecisse, qui tantis de rebus huic mandata dederit. nisi forte non dedit, et hic sermone aliquo arrepto pro mādatis abusus est. Labienus uir mea sententia magnus, Theanum uenit ad VIIII. Kal. ibi Pompeium Consulesq; conuenit: qui sermo fuerit, & quid actum sit, scribam ad te, cum certum sciam. Pompeius ab Theano Larinū uersus profectus est ad VIII Kal. Eo die mansit Venafri.

Aliquantum animi uidetur nobis attulisse Labienus: sed ego nondũ habeo, quid ad te ex his locis scribam: ista magis expecto, quid illinc afferatur, quo pacto de Labieno ferat, quid agat Domitius in Marsis, Tigniј Thermus, P. Accius Cinguli, quæ sit populi urbani uoluntas, quæ tua coniectura de rebus futuris. Hæc uelim crebro, & quid tibi de mulieribus nostris placeat, & quid acturus ipse sis, scribas. Si scriberem ipse, longior epistola fuisset, sed dictaui propter lippitudinem.

CICERO ATTICO SAL.



AD VI Kal. Feb. Capuam Calibus proficiscens cum leuiter lippirem, has literas dedi. L. Cæsar mandata Cæsaris detulit ad Pompeium ad VIII Kal. cum is esset cum Coss. Theani. Probata cõditio est, sed ita, ut ille de his oppidis quę extra suam prouinciam occupauisset, præsidia deduceret. Id si fecisset, responsum est ad urbẽ nos redituros esse, & rem per Senatum confecturos. Spero etiam in præsentia pacem nos habere: nam & illum furoris, & hunc nostrum copiarum suppœnitet. Me Pompeius Capuam uenire uoluit & adiuuare delectum: in quo parũ prolixe respõdent Campani Coloni. Gladiatores Cæsaris qui Capuæ sunt, de quibus ante ad te falsum ex Torquati literis scripseram, sanè cõmode Põpeius distribuit, binos singulis patribus familiarum. Secutorũ in ludo ↀ. fuerunt, eruptionem facturi fuisse dicebantur. Sanè multũ in eo Reipub. prouisum est. De mulieribus nostris, in quibus est tua soror, quæso uideas ut satis honestum nobis sit eas Romæ esse, cum ceteræ ulla dignitate discesserint. Hoc scripsi ad eas & ad te ipsum antea. Velim eas cohortere, ut exeãt, præsertim cum ea præsidia in ora maritima habeamus, cui ego pręsum, ut in his pro re nata non incõmode possint eẽ: nam si quid offendimus in genero nostro, quod quidem ego præstare non debeo, sed id fit maius, ꝙ mulieres nostrę ꝑter ceteras Romæ remanserunt. Tu ipse cũ Sexto scire uelim quid cogites de exeundo, de totaꝗ re quid existimes. Equidem ad pacem hortari nõ desino, quæ uel iniusta utilior est, ꝗ iustissimũ bellum. Sed hæc, ut fors tulerit.

CICERO ATTICO SAL.



VT ab urbe discessi, nullum adhuc intermisi diem, quin aliqd ad te literarum darem, non quo haberem magnopere quid scriberem, sed ut loquerer tecum absens, quo mihi, cum coràm id non liceret, nihil est iucundius. Capuã cum uenissem ad VI Kal. pridie quàm has literas dedi, Coss. conueni, multosꝗ nostri ordinis. Omnes cupiebãt Cæsarem abductis præsidiјs stare conditionibus his quas tulisset: uni Fauonio leges ab illo nobis imponi non placebat, sed is auditus in cõsilio. Cato enim ipse iam seruire, ꝗ pugnare mauult: sed tamen ait in Senatu se adesse uelle, cũ de conditionibus agatur, si Cæsar adductus sit, ut præsidia deducat. Ita quod maxime opus est, in Siciliam ire non curat, ꝙ metuo, ne obsit. in Senatu esse uult. Posthumus autem, de quo nominatim Senatus decreuit, ut statim in Siciliam iret, Fusanoꝗ succederet, negat se sine Catone iturum, & suam in Senatu operam auctoritatemꝗ quãmagni æstimat. Ita res ad Fannium peruenit: is cum imperio in Siciliam præmittitur. In disputationibus nostris sũma uarietas est. Pleriꝗ negant Cæsarem in conditione mãsurum, postulataꝗ hæc

ab eo

ab eo interposita esse, quo minus, quod opus esset ad bellum, à nobis pararetur: ego autem eum puto facturum, ut præsidia deducat. Vicerit enim si Cos. factus erit, & minori scelere uicerit quam quo ingressus est: sed accipienda plaga est, sumus enim flagitiose imparati cum à militibus, tum à pecunia: quam quidem omnem, non modo priuatam, quæ in urbe est, sed etiam publicam, quæ in ærario est, illi reliquimus. Pompeius ad legiones Actianas est profectus. Labienum secum habet. Ego tuas opiniones de his rebus expecto. Formias me continuo recipere cogitabam.

CICERO ATTICO SAL.



Omnis arbitror mihi tuas literas redditas esse, sed primas præposstere, reliquas ordine, quo sunt missæ per Terentiam. De mandatis Cæsaris, aduentuque Labieni & responsis Coss. ad Pompeium, scripsi ad te literis his, quas ad V Kal. Capua dedi: pluraque prætera in eandem epistolã conieci. Nũc has expectationes habemus duas: unã, quid Cæsar acturus sit, cum acceperit ea, quæ referenda ad illum data sunt L. Cæsari: alteram, quid Pompeius agat: qui quidem ad me scribit, paucis diebus se firmum exercitum habiturum, spẽque affert, si in Picenum agrũ ipse uenerit, nos Romam redituros esse. Labienum secum habet non dubitãtem de imbecillitate Cæsaris copiarum, cuius aduentu Cn. noster multo animi plus habet. Nos à Coss. Capuam uenire iussi sumus ad Non. Febr. Capua ꝓfectus sum Formias ad III Kal. Eo die, cũ Calibus tuas literas hora ferè nona accepissem, has statim dedi. De Terentia & Tullia tibi assentior, ad quas scripseram, ad te ut referrent: si nondum profectæ sunt, nihil est quod se moueant, quoad perspiciamus, quo loci sit res. Tuæ literæ mihi gratæ iucundæque sunt. De pueris in Græciam transportãdis, tum cogitabam, cũ fuga ex Italia quæri uidebatur: nos enim Hispaniam peteremus, illis hoc æque commodum nõ erat. Tu ipse cum Sexto etiam nunc mihi uideris Romæ recte esse posse: & enim minime amici Pompeio nostro esse debetis: nemo enim unquam tantũ de urbanis præsidijs detraxit. Vides ne me etiam iocari? Scire iam te oportet, L. Cæsar quæ responsa referat à Pompeio, quas ab eodem ad Cæsarem ferat literas. Scriptæ enim & datæ ita sunt, ut proponerentur in publico. In quo accusaui mecum ipse Põpeium, qui cum scriptor luculẽtus esset, tantas res atque eas quæ in omnium manus uenturæ essent, Sestio nostro scribendas dederit. Itaque nihil unquam legi scriptum σηστιωδέστερον. Perspici tamẽ ex literis Pompeij põt, nihil Cæsari negari, omniaque & cumulate quę postulet dari: quę ille amẽtissimus fuerit nisi acceperit, ꝑsertim cũ impudẽtissime postulauerit: quis enim tu es, qui dicas, si in Hispaniã profectus erit, si præsidia dimiserit? tamen conceditur minus honeste nunc quidẽ, uiolata iam ab illo repub. illatoque bello, quam si olim de ratione habẽda impetrasset. Et tamẽ uereor, ut his ipsis cõtentus sit: nam cũ ista mandata dedisset L. Cæsari, debuit esse paulo quietior, dũ responsa referrentur. Dicitur autem nunc esse acerrimus. Trebatius quidem scribit, se ab illo. IX. Kal. Febr. rogatum esse, ut scriberet ad me, ut essem ad urbem: nihil ei me gratius facere posse. Hæc uerbis plurimis intellexi ex dierum ratione, ut primũ de discessu nostro Cæsar audisset, laborare eũ cœpisse,

ne omnes abessemus. Itaq; non dubito quin ad Pisonem, quin ad Seruiũ scripserit. Illud admiror, non ipsum ad me scripsisse, non per Dolabellã, nõ per Cælium egisse: quanquam non aspernor Trebatij literas, à quo me unice diligi scio. Rescripsi ad Trebatium (nam ad ipsum Cæsarẽ, qui mihi nihil scripsisset, nolui) quàm illud hoc tempore esset difficile, me tamen in prædijs me esse, neque delectum ullum, neque negotium suscepisse: in quo quidem manebo, dum spes pacis erit: sin bellum geretur, non deero officio, nec dignitati meæ, pueros ὑπεκθέμενος in Græciam: totam enim Italiam flagraturam bello intelligo. Tantum mali excitatum partim ex improbis, partim ex inuidis ciuibus: sed hæc paucis diebus ex illius ad nostra responsa responsis intelligẽtur, quorsum euasura sint. Tum ad te scribam plura, si erit bellum: sin autẽ etiã induciæ, teipsum, ut spero, uidebo. Ego IIII Non. Feb. quo die has literas dedi in Formiano, quo Capua redieram, mulieres expectabã: quibus quidẽ scripseram, tuis literis admonitus, ut Romæ manerent: sed audio maiorem quendam in urbe timorem esse. Capuæ Non. Febr. esse uolebam, quia Coss. iusserant. Quidquid huc erit à Pompeio allatũ, statim ad te scribã, tuasq; de istis rebus literas expectabo.

CICERO ATTICO SAL.



Varto Non. Feb. mulieres nostræ Formias uenerunt: tuaq; erga se officia plena tui suauissimi studij attulerunt. Eas ego quoad sciremus utrum turpe, pace nobis, an misere bello esset utendum, in Formiano eẽ uolui & unà Cicerones. Ipse cum fratre Capuam ad Coss. (Nonis enim adesse iussi sumus) III. Non. profectus sum, cum has literas dedi. Responsa Pompeij grata populo, & probata concioni esse dicuntur. ita putaram: quę quidem si ille repudiarit, iacebit: si acceperit? Vtrum igitur, inquies, mauis? responderem, si quemadmodum parati essemus, scirem. Cassium erat hic auditum, expulsum Ancone, eamq; urbem à nobis teneri. Si bellum futurum est, negotium utile. Cæsarem quidem L. Cæsare cum mãdatis de pace misso tamen aiunt acerrime delectum habere, loca occupare, uincire pręsidijs. O perditum latronem, uix ullo otio compensandam hanc reip. turpitudinem: sed stomachari desinamus: tempori pareamus: cum Pompeio in Hispaniam eamus. Hæc opto in malis, quoniam illius alterum Consulatum à rep. ne data quidem occasione repulimus: sed hæc hactenus. De Dionysio fugit me ad te antea scribere: sed ita constitui expectare responsa Cæsaris, ut si ad urbem rediremus, ibi nos expectaret: sin tardius id fieret, tum eũ arcesseremus. Omnino quid ille facere debuerit in nostra illa fuga: quid docto homine & amico dignum fuerit, cũ presertim rogatus esset: sed hæc non nimis exquiro à Græcis. Tu tamen uidebis, si erit (quod nolim) arcessendus, ne molesti simus inuito. Q. frater laborat, ut tibi quod debet, ab Egnatio soluat: nec Egnatio uoluntas deest, nec parum locuples est: sed cum tale tempus sit, ut Q. Titinius (multum enim est nobiscum) uiaticum se neget habere, idemq; debitoribus suis denunciarit, ut eodem fœnore uterentur, atque hoc idem etiam L. Ligus fecisse dicatur, nec hoc tempore, aut domi nummos Quintus habeat, aut exigere ab Egnatio, aut uersuram usquam facere possit, miratur te non habuisse rationem huius publicę difficultatis.

cultatis. Ego autem etsi illud ψευδησιόδειον (ita enim putatur) obseruo, μὴ δὲ δίκην, presertim in te à quo nihil unq̃ uidi temere fieri, tamẽ illius querela mouebar. Hoc quidquid est, te scire uolui.

CICERO ATTICO SAL.



Nihil habeo quod ad te scribam: quin etiam eam epistolam, quam eram elucubratus, ad te nõ dedi: erat enim plena spei bonæ, quod & concionis uoluntatem audieram, & illum conditionibus usurũ putabam, presertim suis. Ecce tibi IIII Non. Feb. mane accepi literas tuas, Philotimi, Furnij, Curionis ad Furnium, quibus irrident L. Cæsaris legationem. Planè oppressi uidemur, nec quid consilij capiã, scio: nec mehercule de me laboro: de pueris quid agam, non habeo. Capuam tamen proficiscebar hæc scribens, quo facilius de Pompeij rebus cognoscerem.

CICERO ATTICO SAL.



Breuiloquentem iam me tempus ipsum facit: pacem enim desperaui: bellum nostri nullum administrant: caue enim putes quidquã esse minoris his Coss. quorum ego spe audiendi aliquid & cognoscendi nostri apparatus, maximo imbri Capuam ueni prid. Non. ut eram iussus. Illi autem nõdum uenerant, sed erant uenturi, inanes, imparati. Cn. autem Luceriæ dicebatur eẽ, & adire cohortis legionum Actinarum non firmissimarum. At illum ruere nunciant & iam iamq; adesse, non ut manum cõserat (quicum enim?) sed ut fugam intercludat. Ego autem in Italia καὶ συναποθανεῖν: nec te id consulo: sin extra, quid ago? ad manendum, hyems, lictores, improuidi & negligentes duces. Ad fugam hortatur amicitia Cn. causa bonorum, turpitudo coniungendi cum tyranno: qui quidem incertum est Phalarim ne an Pisistratũ sit imitaturus. hæc uelim explices & me iuues consilio: etsi teipsum istic iam calere puto: sed tamen quantum poteris. Ego si qd hic hodie noui cognoro, scies: iam enim aderunt Coss. ad suas Nonas. Tuas cotidie literas expectabo. Ad has autem cũ poteris, rescribes. Mulieres & Cicerones in Formiano reliqui.

CICERO ATTICO SAL.



De malis nostris tu prius audis quàm ego, istinc enim emanant: boni autem hinc quod expectes, nihil est. Veni Capuã ad Non. Feb. ita ut iusserant Coss. Eo die Lentulus uenit sero, alter Cos. omnino non uenerat. VII. Id. Eo enim die ego Capua discessi & mansi Calibus. Inde has literas postridie ante lucem dedi. Hæc Capuę dum fui, cognoui. Nihil in Coss. nullum usquam delectum: nec enim conquisitores φαινοπροσωπεῖν audent, cũ ille adsit, cõtra quum noster dux nusquam sit, nihil agat, nec nomina dant: deficit enim nõ uoluntas sed spes. Cn. autem noster: (O rẽ miseram & incredibilem) ut totus iacet, nõ animus est, non consilium, nõ copiæ, nõ diligentia. Mittã illa, fugã ab urbe turpissimã: timidissimas in oppidis cõciones: ignorationẽ non solũ aduersarij, sed & suarũ copiarũ. Hoc cuiusmodi est? VII Id. Feb. Capuam C. Cassius Trib. pl. uenit, attulit mandata ad Coss. ut Romã uenirent, pecuniam de sanctiore ærario auferrẽt, statim exirẽt

urbe relicta. Redeant, quo præsidio? deinde exeant, quis finat? Cos. ei rescripsit, ut prius ipse in Picenum: at illud totum erat amissum, sciebat nemo præter me ex literis Dolabellæ. Mihi dubium non erat, quin ille iam iamq; foret in Apulia, Cn. noster in naui. Ego quid agam? σκέμμα magnū, neq; mehercule mihi qdē ullum, nisi oīa essent acta turpissime. Neq; ego ullius cōsilij particeps: sed tamen quod me deceat, ipse me Cæsar ad pacem hortatur: sed antiquiores literæ, quàm ruere cœpit. Dolabella, Cælius me illi ualde satisfacere, mira me ἀπορία torquet. Iuua me consilio, si potes, & tamen ista quantū potes, prouide. Nihil habeo tanta rerum perturbatione, quod scribam. Tuas literas expecto.

CICERO ATTICO SAL.

PEdem in Italia uideo nullum esse, qui nō in istius potestate sit. De Pompeio scio nihil, eumq; nisi in nauim se cōtulerit, exceptum iri puto. O celeritatem incredibilē: huius autem nostri? Sed non possum sine dolore accusare eum, de quo angor & crucior. Tu cædē non sine causa times: non quo minus quidquam Cæsari expediat ad diuturnitatem uictoriæ & dominationis: sed uideo quorum arbitrio sit acturus. Recte sit, censeo cedendum de oppidis ijs: egeo consilij: quod optimum factu uidebitur, facies: cum Philotimo loquere: atq; adeo Terentiam habebis Idib. Ego quid agam? qua aut terra aut mari persequar eum, qui ubi sit, nescio? Et si terra quidem, qui possum? mari, quo? Tradā igitur isti me? fac posse tuto, multi enim hortantur: num etiam honeste? Nullo modo quidem, à te petam consilium, ut soleo. Explicari res non potest, sed tamen si quid in mentem uenit, uelim scribas & ipse quid sis acturus.

CICERO ATTICO SAL.

QVinto Id. Feb. uesperi è Philotimo literas accepi, Domitiū exercitum firmum habere: Cohortes ex Piceno, Lētulo & Thermo ducentibus, cum Domitij exercitu coniunctas eē: Cæsarem intercludi posse, eumq; id timere: Bonorum animos recreatos, Romæ improbos quasi perculsos. Hęc metuo equidem, ne sint somnia: sed tamē M. Lepidum, L. Torquatum, C. Cassium Trib. pl. (Ii enim sunt nobiscum, id est in Formiano) Philotimi literæ ad uitam reuocauerūt. Ego autem illa metuo ne ueriora sint, nos omnes penè iam captos esse, Pompeium Italia cedere, quē quidem (ô rem acerbam) persequi Cæsar dicitur: Persequi Cæsar Pompeium? quid? ut interficiat? O me miserum, & non omnes nostra corpora opponimus? In quo tu quoq; ingemiscis: sed quid faciamus? uicti, oppressi, capti planè sumus. Ego tamen Philotimi literis lectis mutaui consilium de mulieribus, quas ut scripseram ad te, Romam remittebam: sed mihi uenit in mentē, multum fore sermonē, me iudicium iam de causa publica fecisse, qua desperata, quasi hunc gradum mei reditus esse, quòd mulieres reuertissent. De me autem ipse tibi assentior, ne me dem incertæ & periculosæ fugæ, cum reip. nihil prosim, nihil Pompeio, pro quo emori cum pie possum, tum libēter. Manebo igitur, etsi uiuere. Quod quæris, hic quid agatur, tota Capua & omnis hic delectus iacet. desperata res est. in fuga omnes sunt, nisi qd eiusmodi fuerit, ut Pompeius istas Domitij copias cum suis cōiūgat. Sed uidebamur omnia bi-

duo

duo triduóue scitum. Cæsaris literarum exẽplum tibi misi: rogaras enim: cui nos ualde satisfacere multi ad me scripserunt. Quod patior facile, dum, ut adhuc, nihil faciam turpiter.

CICERO ATTICO SAL.



Hilotimi literæ me quidem nõ nimis, sed eos qui in his locis erãt, admodum delectarunt. Ecce postridie ad Cassium literæ Capua à Lucretio familiari eius, Nigidium à Domitio Capuam uenisse: eum dicere, Vibullium cum paucis militibus è Piceno currere ad Cnæum, confestim sequi Cæsarem. Domitium non habere militũ uim. Idẽ scripsit Coss. Capua discessisse. Non dubito quin Cnæus in fuga sit, modo effugiat. A cõsilio fugiendi, ut tu censes, absum.

CICERO ATTICO SAL.



Vm dedissem ad te literas tristis, & metuo ne ueras de Lucretij ad Cassium literis Capua missis, Cephalio uenit à uobis. attulit ẽt à te literas hilarioris, nec tamẽ firmas, ut soles. Omnia facilius credere possum, q̃ quod scribitis, Pompeium exercitum habere. Nemo huc ita affert, omniaq; quæ nolim. Rem miseram: malas causas semp obtinuit, in optima cõcidit. Quid dicam, nisi illud, eum nescisse: neq; enim erat difficile hoc nescisse. Erat enim ars difficilis recte remp. regere. Sed iã iamq; omnia sciemus & scribemus ad te statim.

CICERO ATTICO SAL.



On uenit idem usu mihi, quod tu tibi scribis, QVOTIES EXORIOR. Ego enim nunc paulum exorior & maxime quidem his literis, quæ Roma afferuntur, de Domitio, de Picentium cohortibus, omnia erant facta hoc biduo lætiora: itaq; fuga quæ parabatur repressa est. Cæsaris interdicta

Si te secundo lumine hic offendero,

respuuntur. Bona de Domitio, præclara de Afranio fama est. Quod me amicissime admones, ut me integrum, quoad possim, seruem, gratum est. Quod addis, ne propensior ad turpem causam uidear, certe uideri possum? Ego me ducem in ciuili bello quoad de pace ageretur, negaui eẽ: nõ quin rectum eẽt, sed quia, quod multo rectius fuit, id mihi fraudem tulit. Planè eum, (cui noster alterum consulatum deferret & triumphum, at quibus uerbis? ut pro suis gestis amplissimis) inimicum habere nolueram. Ego scio & quem metuam, & quam ob rem: sin erit bellum, ut uideo fore, partes meæ non desiderabuntur. De HS XX millibus Terentia tibi rescripsit. Dionysio dum existimabam uagos nos fore, nolui molestus esse. Tibi autem crebro ad me scribenti de eius officio, nihil rescripsi, q; diem ex die expectabam, ut statuerem quid esset faciendum. Nunc ut uideo, pueri certe in Formiano uidentur hyematuri, & ego nescio: si enim erit bellum, cum Pompeio esse constitui: quod habebo certi, faciam, scias. Ego bellum fœdissimum futurum puto, nisi qui (ut tu scis) Parthicus casus extiterit.

M.T. CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM, LIBER OCTAVVS.

CICERO ATTICO. SAL.



Vm ad te literas dedissem, redditæ mihi literæ sunt à Pompeio. Cetera de rebus in Piceno gestis, quæ ad se Vibullius scripsisset, de delectu Domitij, quæ sunt uobis nota, nec tamen læta erant in his literis. Quam ad me Philotimus scripserat, ipsam tibi epistolam misissem, sed subito fratris puer proficiscebatur: cras igitur mittã. Sed in ea Pompeij epistola erat in extremo ipsius manu. TV CENSEO LVCERIAM VENIAS. NVSQVAM ERIS TVTIVS. Id ego in eam partem accepi: hæc oppida atque oram maritimam illum pro derelicto habere: nec sum miratus eum, qui caput ipsum reliquisset, reliquis membris non parcere. Ei statim rescripsi, hominemq; certum misi de comitibus meis: non me quęrere, ubi tutissimo essem: si me uellet sua aut reipub. causa Luceriam uenire, statim esse uenturum: hortatusq; sum, ut oram maritimam retineret, si rem frumentariã sibi ex prouincijs suppeditari uellet. Hoc me frustra scribere uidebam, sed uti in urbe retinenda tunc, si nunc in Italia non relinquenda testificabar sentẽtiam meam: sic enim parari uideo, ut Luceriam omnes copiæ contrahantur. Et ne is quidẽ locus stabilis: sed ex eo ipso, si urgeamur, paretur fuga. Quo minus mirere, si inuitus in eam causam descendo, in qua neq; pacis, neq; uictoriæ ratio quęsita unquam est, semper flagitiosæ & calamitosę fugæ. Eundũ, ut quęcunq; fors tulerit casum, subeam potius cum ijs, qui dicũtur esse boni, q̃ uidear à bonis dissentire. Etsi propediem uideo bonorum, id est lautorum & locupletum urbem refertam fore: municipijs uero his relictis, refertissimam. quo ego in numero essem, si hos lictores molestissimos non haberem. Nec me A. Lepidi, Luccei, Volcatij, Ser. Sulpicij comitum pœniteret, quorũ nemo nec stultior est, quàm L. Domitius, nec incõstantior, q̃ Appius Claudius. Vnus Pompeius me mouet beneficio, nõ auctoritate: quam enim ille habeat auctoritatem in hac causa, qui cum omnes Cæsarem metuebamus, ipse eum diligebat. Postquam ipse metuere cœpit, putat omnes hostes illi oportere esse. Ibimus tamen Luceriam, nec eum fortasse delectabit noster aduentus: dissimulare enim non potero, mihi, quæ adhuc acta sunt, displicere. Ego si somnum capere possem, tam longis te epistolis non obtunderem. Tu, si tibi eadem causa est, me remunerere sanè uelim.

CICERO ATTICO SAL.



Ihi uero omnia grata, & q scripsisti ad me, quę audieras: & q nõ credidisti quę digna diligentia mea non erant: & q monuisti, qd̃ sentiebas. Ego ad Cęsarem unas Capua literas dedi, quibus ad ea rescripsi, quę mecũ ille de gladiatoribus suis egerat, breuis sed beneuolentiam significantes, non mòdo sine contumelia, sed etiã huius maxima

laude Pompeij:idem enim illa sententia postulabat,qua illum ad cōcordiam hortabar:eas si quo ille misit,in publico proponat uelim. Alteras eodem die dedi,quo has ad te:Non potui nō dare,cū et ipse ad me scripsisset & Balbus: earum exemplū ad te misi: nihil arbitror fore,quod reprehēdas: si qua erūt, doce me:quomodo enim effugere possū? Nihil, inquies, omnino scripseris, qui magis effugias eos,qui uolent fingere. Verūtamen ita faciam, quoad fieri poterit. Nam quòd me hortaris ad memoriam factorum,dictorum, scriptorum etiam meorum,facis amice tu quidem,mihiq; gratissimum:sed mihi uideris aliud tu honestum,meq; dignum in hac causa iudicare,atque ego existimem:mihi enim nihil ulla in gente unquam ab ullo auctore reipub. ac duce turpius factum esse uidetur,q̄ à nostro amico factum est,cuius ego uicem doleo,qui urbem reliquit,id est patriam,pro qua & in qua mori præclarum fuit. Ignorare mihi uideris,hęc quanta sit clades:es enim etiam nunc domi tuæ, sed inuitis perditissimis hominibus esse diutius nō potes. Hoc miserius? hoc turpius quidquam? Vagamur egentes cum cōiugibus & liberis. In unius hominis quotānis periculosæ ægrotantis anima,positas omnis nostras spes habemus:non expulsi,sed euocati è patria,quam non seruandam ad reditum nostrum,sed diripiendam et inflāmandam reliquimus. Ita multi nobiscum sunt non in suburbanis,non in hortis,non in ipsa. Et si non sunt, non erunt. Nos
* interea ne Capuæ quidem,sed Luceriæ. Et oram quidem maritimam iā relinquemus. Afranium expectabimus & Petreium: nam in Labieno parum est dignitatis. Hic tu in me illud desideras:nihil de me dico, alij uiderint. Hic quidem quæ est domi uestrę estis & eritis omnes boni. Quis tū se mihi non ostendit? quis nūc adest hoc bello? sic enim iam appellandum est. Vibullij res gestæ sunt adhuc maximæ:id ex Pompeij literis cognosces:in quibus animaduertito illum locum,ubi erit δπαλῦ,uidebis
* de Cn. nostro ipse Vibullius quid existimet. Quo igitur hęc spectat oratio? Ego pro Pompeio libenter emori possum,facio pluris omnium hominū neminem:sed non ita non meo iudicio spem de salute reip. Significas enim aliquanto secus q̄ solebas,ut etiam Italia si ille cedat,putes cedēdum: quod ego nec reip. puto esse utile,nec liberis meis:præterea neq; rectum neq; honestū. Sed cur? POTERIS NE IGITVR VIDERE TYRANNVM? quasi intersit,audiam,an uideam:aut locupletior mihi sit quærendus auctor:q̄ Socrates:qui cum XXX tyranni essent,pedem porta non extulit. Est mihi prę terea præcipua causa manendi,de qua utinam aliquando tecum loquar. Ego XIII. kal. cum eadem lucerna hanc epistolam scripsissem, qua inflammaram tuam,Formijs ad Pōpeiū,si de pace ageretur,præfectus,si de bello,q̄d ero?

CICERO ATTICO SAL.



Aximis & miserrimis rebus perturbatus,cum corā̀m tecum mihi potestas deliberandi non esset,uti tamen tuo consilio uolui. Deliberatio autem omnis hæc est,si Pompeius Italia cedat, (quod eū facturum esse suspicor) quid mihi agendum putes, & quo facilius consilium dare possis,quid in utranq; partem mihi in mentem ueniat, explicabo breui. Cum merita Pompeij summa erga salutem meam familiaritasq;, quæ mihi cum eo est,tum ipsa reipub. causa me adducit, ut mihi uel cōsilium

meum cum illius consilio, uel fortuna coniungenda esse uideatur. Accedit illud, si maneo & illum comitatum optimorum & clarissimorum ciuium desero, cadẽdum est in unius potestatem: qui etsi multis rebus significat se nobis esse amicum, & ut esset, à me est (tute scis) propter suspitionem huius impendentis tempestatis multo antè prouisum, tamen utrunq; considerandum est, & quanta fides ei sit habenda: & si maxime exploratum sit, eum nobis amicũ fore, sit ne uiri fortis & boni ciuis, esse in ea urbe, in qua cum summis honoribus imperijsq; usus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo praeditus, non futurus sit sui iuris, subeundumq; periculum sit cum aliquo forte dedecore, si quando Pompeius remp. recuperarit. In hac parte haec sunt. Vide nunc, quae sint in altera. Nihil actum est à Pompeio nostro sapiẽter, nihil fortiter: adde etiam, nihil, nisi contra consilium auctoritatemq; meam: Omitto illa uetera, q istum in rempu. ille aluit, auxit, armauit: ille legibus per uim, & contra auspicia ferendis auctor, ille Galliȩ ulterioris adiũctor, ille gener, ille in optando P. Clodio Augur, ille restituendi mei q̃ retinendi studiosior, ille prouinciae propagator, ille absentis in omnibus adiutor: idem etiã tertio Cõsulatu, postquam esse defensor reip. coepit, contendit, ut. X. Tribb. pl. ferrẽt, ut absentis ratio haberetur: quod idem ipse sanxit lege quadã sua, M.q; Marcello Cos. finienti prouincias Gallias Kalẽd. Martij restitit. Sed ut haec omittam, quid foedius, quid perturbatius hoc ab urbe discessu, siue potius turpissima fuga? Quae conditio nõ accipienda fuit potius, q̃ relinquẽda patria? Malae conditiones erant, fateor, sed nunquid hoc peius? At recuperabit rempu. Quando? aut quid ad eam spem est parati? Non ager Picenus amissus? non patefactum iter ad urbem? non pecunia omnis & publica & priuata aduersario tradita? Deniq; nulla causa, nullae uires, nulla sedes, quo concurrant, qui remp. defensam uelint. Apulia delecta est inanissima pars Italiae, & ab impetu huius belli remotissima: fuga & maritima opportunitas uisa quaeri desperatione. Inuite cepi Capuam, non quo munus illud defugerem, sed sine causa, in qua nullus esset ordinum, nullus apertus priuatorum dolor: bonorum aũt eẽt aliquis, sed hebes, ut solet, & ut ipse sensissem, multitudo, & infimus q̃sq; propensus in alteram partem. Multi mutationis rerum cupidi. Dixi ipsi me nihil suscepturum sine praesidio & sine pecunia: itaq; habui nihil omnino negotij, q ab initio uidi, nihil quaeri praeter fugam. Eum si nũc sequor, quonã? cum illo non, ad quem cũ essem profecturus, cognoui in his locis esse Cȩsarẽ, ut tuto Luceriam uenire nõ possem. Infero mari nobis incerto cursu, hyeme maxima nauigandum est. Age iam cum fratre, an sine? cum filio? an quomodo? In utraq; enim re summa difficultas erit, summus animi dolor: qui autem impetus illius erit in nos absentes, fortunasq; nostras? acrior, q̃ in ceterorũ: quòd putabit fortasse in nobis uiolandis aliquid se habere populare. Age iã has compedes, fasces inquam hos laureatos, ecferre ex italia quàm molestum est? Qui autem locus erit nobis tutus, ut iam placatis utamur fluctibus, anteq̃ ad illum uenerimus? Qua autem, aut quo, nihil scimus. At si restitero, & fuerit nobis in hac parte locus, idem fecero, quod in Cinnȩ dominatione Philippus, quod L. Flaccus, quod Q. Mucius, quoquo modo ea res huic quidem cecidit: qui tamen ita dicere solebat, se id fore uidere, quod factum est, sed hoc malle q̃ armatum ad patriae moenia accedere. Aliter Thrasibulus, & fortasse

melius:

melius: sed est certe quædam illa Mucij ratio atq; sententia: est illa etiam Philippi: & cum sit necesse seruire tempori, & nõ amittere tempus, cum sit datũ: sed in hoc ipso habent tamen ijdem fasces molestiam: sit enim nobis amicus, quod incertum est: sed sit, deferet triumphum, non accipere ne periculosum sit? an accipere inuidiosum ad bonos? O rem, inquis, difficilem & inexplicabilem: atqui explicãda est: qui enim fieri potest? Ac ne me existimaris ad manendum esse propensiorem, q plura in eam partẽ uerba fecerim, potest fieri, quod fit in multis quæstionibus, ut res uerbosior hæc fuerit, illa uerior. Quã ob rem ut maxima de re æquo animo deliberanti, ita mihi des consiliũ uelim. Nauis & in Caieta est parata nobis, & Brundisij. Sed ecce nuncij scribẽte me hæc ipsa noctu in Caleno, ecce literæ, Cæsarem ad Corfinium, Domitiũ Corfinij cum firmo exercitu & pugnare cupiẽte. Non puto etiam hoc Cn. nostrũ cõmissurum, ut Domitium relinquat: etsi Brundisium Scipionẽ cum cohortibus duabus præmiserat, legionem Fausto conscriptam in Siciliam sibi placere à Coss. duci, scripserat ad Coss. Sed turpe Domitium erit deserere implorantem eius auxilium: & quędam spes mihi quidem non magna, sed in his locis firma, Afranium in Pireneo cum Trebonio pugnasse, pulsum Trebonium, etiam Fabium tuum transisse cum cohortibus: summum autem, Afraniũ cum magnis copijs aduentare: Id si est, in Italia fortasse manebitur. Ego aũt, cum eẽt incertum iter Cæsaris, q uel ad Capuam, uel ad Luceriam iturus putabatur, Leptam ad Pompeium misi & literas: ipse ne quo inciderem, reuerti Formias. Hæc te scire uolui, scripsiq; sedatiore animo, q̃ proxime scripseram, nullum meum iudicium interponens, sed exquirens tuum.

CICERO ATTICO S. D.



Ionysius quidem tuus potius q̃ noster, (cuius ego cũ satis cognossem mores, tuo tamen potius stabam iudicio, quàm meo), ne tui quidem testimonij, (quod ei sępe apud me dederas), ueritus, superbum se præbuit in fortuna, quam putauit nostram fore: cuius fortunæ nos quantum humano consilio effici poterit, motum ratione quadã gubernabimus. Cui qui noster honos? quod obsequium? quæ etiam ad ceteros contempti cuiusdam hominis commendatio defuit? ut meum iudicium reprehendi à Q. fratre, uulgoq; ab omnibus mallem, quàm illum non efferrẽ laudibus: Ciceronesq; nostros meo potius labore subdoceri, q̃ me aliumuis magistrũ q̃rere: Ad quẽ ego quas literas Dij ĩmortales miseram? q̃tũ honoris significantes? quantum amoris? Dicæarchum mehercule, aut Aristoxenũ diceres arcessi, non unum omnium loquacissimum, & minime aptum ad docendum: sed est memoria bona, me dicet esse meliore. Quibus literis ita respondit, ut ego nemini, cuius causam non reciperem (semper enim si potero, si ante suscepta causa non impediar.) nunquam reo cuiquam tam humili, tam sordido, tam nocenti, tam alieno, tam præcise negaui, quàm hic mihi, planè sine ulla exceptione præcidit. Nihil cognoui ingratius, in quo uitio nihil mali nõ inest. Sed de hoc nimis multa. Ego nauem paraui, tuas literas tamen expecto, ut sciam quid respondeant consultationi meæ. Sulmone C. Attium Pelignũ aperuisse Antonio portas, cum essent cohortes quinque, Q. Lucretium inde fugisse scis Cn. ire Brundisium desertum. Confecta res est.

CICERO ATTICO SAL.

CVm ante lucem VIII Kal. ad te literas dedissem, uesperi ad nos eodem die uenit ipse Dionysius auctoritate tua pmotus, ut suspicor. Quid enim putem aliud? etsi solet eum, cũ aliquid furiose fecit, pœnitere: nunquam autem certior fuit, q̃ in hoc negotio: nam quod ad te non scripseram, postea audiui, à tertio miliario tum eum isse, πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα. Multa inquã mala cum dixisset, suo capiti (ut aiunt) sed meam mansuetudinem conieceram in fasciculũ unà cum tua uenientem ad illum epistolam, hãc ad me referri uolo, nec ullam ob aliam causam Pollicem seruum à pedibus meum Romam misi. Eo autem ad te scripsi, ut si tibi forte reddita esset, mihi curares referendam, ne in illius manus perueniret. Noui si quid esset, scripsissem: pẽdeo animi expectatiõe Corfiniensi, in qua de salute reip. decernitur. Tu fasciculum, qui est M. Curio inscriptus, uelim cures ad eum perferendum. Tironemq; Curio cõmẽdes, & ut petij, si qu d opus erit, in sumptum roges.

CICERO ATTICO SAL.

OBsignata iam ista epistola, quam de nocte daturus eram, sicut dedi (nam eam uesperi scripseram) C. Sosius Pr. in Formianum uenit ad M. Lepidum uicinum nostrum, cuius Quæstor fuit. Pompeij literarum ad Coss. exemplum attulit.

Literæ mihi à L. Domitio ad VIII Kal. Mart. allatæ sunt. earum exẽplũ infra scripsi. Nunc, ut ego non sciebam tua sponte intelligere, scio quanti reipub. intersit omnes copias in unum locum primo quoq; tempore conuenire. Sed tu, si tibi uidebitur, dabis operam, quãprimũ ad nos uenias: præsidij Capuæ, quantum constitueris satis esse, relinquas. Deinde supposuit exemplum epistolæ Domitij, quod ego ad te pridie miseram. Dij immortales, qui me horror perfudit: q̃ sum solicitus, quidnam futurum sit: hoc tamen spero, magnum nomen Imperatoris fore, magnum in aduẽtu terrorem: spero etiã, quoniam adhuc nihil nobis obsuit, nihil mutasse: nec tegẽtia hoc, quod cum fortiter & diligenter, tum etiam mehercule modo enim audiui quartanam à te discessisse: moriar, si magis gauderem, si id mihi accidisset. Piliæ dic, non esse æquum, eam diutius habere, nec id esse uestræ concordiæ. Tironem nostrum ab altera relictum audio, sed eum uideo in sumptum ab alijs mutuatum. Ego autem Curium nostrum, si quid opus esset, rogaram. Malo Tironis uerecũdiam culpam esse, q̃ illiberalitatem Curij.

CICERO ATTICO SAL.

VNum etiam restat amico nostro ad omne dedecus, ut Domitio nõ subueniat. At nemo dubitat, quin subsidio uẽturus sit: ego nõ puto. Deseret igitur talem ciuem? & eos, quos unà scis esse? quũ habeat presertim & ipse cohortis XXX. Nisi me omnia fallunt, deseret. Incredibiliter pertimuit: nihil spectat nisi fugã, cui tu (uideo enim quid sentias) me comitem putas debere esse. Ego uero quem fugiam, habeo: quẽ sequar, non habeo: quod enim tu meum laudas, & memorandum dicis, malle quod dixerim, me cũ Põpeio uinci, q̃ cũ istis uincere? Ego uero malo, sed cum illo Pompeio, qui tum erat, aut qui mihi esse uidebatur: cũ hoc uero, qui antè fugit, q̃ scit aut quem fugiat, aut quo, qui nostra tradidit, qui patriam reliquit,

liquit, Italiam relinquit: si malui, cōtigit, uictus sum, quod superest? Nec ista uidere possum, quæ nunquam timui ne uiderem, nec mehercule istū, propter quem mihi non modo meis, sed memetipso carendum est. Ad Philotimū scripsi de uiatico, siue à Moneta, nemo enim soluit, siue ab Oppijs tuis contubernalibus. Cetera apposita tibi mandabo.

CICERO ATTICO SAL.



Rem turpem, & ea re miseram: sic enim sentio, id demum, aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit. Aluerat Cæsarem, eundē repente timere cœperat, conditiōem pacis nullam probarat, nihil ad bellum pararat, urbem reliquerat: Picenum amiserat culpa, in Apuliam se compegerat. ibat in Græciam. omnes nos ἀπροσφωνήτους, expertes sui tanti tam inusitati consilij relinquebat. ecce subito literæ Domitij ad illum, ipsius ad Coss. fulsisse mihi uidebatur τὸ καλὸν ad oculos eius, & exclamasse ille uir, qui esse debuit, πρὸς ταῦθ᾽ ὅτι χρὴ καὶ παλαμάσθω καὶ πᾶν ἐπ᾽ ἐμοὶ, καὶ τεκταινέσθω. τὸ γὰρ εὖ, μετ᾽ ἐμοῦ. At ille tibi πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ dicēs, pergit Brundisium: Domitium autem aiunt re audita, & eos qui unà essent, se tradidisse. O rem lugubrem, itaq; intercludor dolore, quo ad te plura scribam: tuas literas expecto.

CICERO ATTICO SAL.



Epistolam meam quòd peruulgatam scribis esse, non fero moleste: quin etiam ipse multis dedi describendam: ea enim & acciderunt iam, & impendent, ut testatum esse uelim, de pace quid senserim. Cum autem ad eam hortarer eum presertim hominem, non uidebar ullo modo facilius moturus, q̄ si id, ad quod eum hortarer, conuenire eius sapientiæ dicerem. eam si admirabilem dixi, quo eum ad salutem patriæ hortabar, non sum ueritus, ne uiderer assentari, cui tali in re libenter me ad pedes abiecissem. Qua autem est, aliquid impertias temporis, nō est de pace, sed de meipso, & de meo officio ut aliquid cogitet. Nam q̄ testificor, me expertē belli fuisse, etsi id re perspectū est, tamen ea scripsi, quo in suadendo plus auctoritatis haberem, eodemq; pertinet, q̄ causam eius probo. Sed quid hæc nunc? utinam aliquid profectum esset, ne ego istas literas in cōcione recitari uelim. Siquidem ille ipse ad eundem scribēs in publico proposuit epistolam illā, in qua est, PRO TVIS REBVS GESTIS AMPLISSIMIS, amplioribus'ne q̄ suis, q̄ Africani? Ita tēpus ferebat. siquidem etiā uos duo tales ad V. miliariū, quid nūc ipsum, unde se recipienti, quid agenti, quid acturo? q̄to autem ferocius ille causæ suæ confidet, cum uos, cum uestri similes non modo frequentes, sed læto uultu gratulantes uiderit? Num igitur peccamus? minime uos quidem. Sed tamen signa conturbantur, quibus uolūtas à simulatiōe distingui posset. Quæ uero S. C. uideo, sed apertius q̄ proposuerā. Ego Arpini uolo esse pridie Kal. deinde circum uillulas nostras errare, quas uisurum me postea desperaui. ἐύγενῆ tua consilia, & tamen pro temporibus nō incauta, mihi ualde probantur. Lepido quidem (nā ferè συνδιημερεύομεν, quod gratissimum illi est) nunquam placuit ex Italia exire, Tullio multo minus, crebro enim illius literæ ab alijs ad nos commeant: sed me illorum sententiæ minus mouebāt, minus multa dederant illi reip. pignora. Tua mehercule auctoritas uehementer mouet: affert enim & reliqui temporis recuperandi rōnem

& præsentis tuendi. Sed obsecro te, quid hoc miserius, q̃ alterum plausus in fœdissima causa quærere? alterum offensiones in optima? alterum existimari conseruatorem inimicorum? alterum desertorem amicorum? Et me hercule quamuis amemus Cn. nostrum, ut & facimus & debemus, tamen hoc ꝙ talibus uiris non subuenit, laudare non possum: nã siue timuit, quid ignauius? siue ut quidam putant, meliorem suam causam illorum cæde fore putauit, q̃d iniustius? Sed hæc omittamus: augemus enim dolorem retractãdo. VI. Kal. uesperi, Balbus minor ad me uenit, occultaui te currens ad Lẽtulum Cos. missu Cæsaris, cum literis, cum mandatis, cum promissione prouinciæ, Romam ut redeat: cui persuaderi posse non arbitror, nisi erit conuentus. Idem aiebat, nihil malle Cæsarem, q̃ ut Pompeiũ assequeretur: id credo, ut rediret in gratiam. Id non credo, & metuo ne omnis hæc clemẽtia ad unam illam crudelitatem colligatur. Balbus quidem maior ad me scribit, nihil malle Cæsarem q̃ principe Pompeio, sine metu uiuere. Tu puto hæc credis? Sed cum hæc scribebam V Kal. Pompeius iam Brundisium poterat uenisse: expeditus enim antecesserat legiones XI Luceria. Sed hoc τέρας horribili uigilantia, celeritate, diligentia est: planè quid futurum sit, nescio.

CICERO ATTICO SAL.



Ionysius cum ad me præter opinionem meã uenisset, locutus sum cum eo liberalissime. tempora exposui, rogaui ut diceret, quid haberet in animo: me nihil ab ipso inuito cõtendere: respõdit se q̃d in nummis haberet, nescire quo loci esset: alios non soluere, aliorũ diem nondum esse. Dixit etiam alia quædam de seruulis suis, quare nobiscũ esse non posset. Morem gessi, dimisi à me, ut magistrum Ciceronum non libenter: ut hominem ingratum, non inuitus. Volui te scire, quid ego de eius facto iudicarem.

CICERO ATTICO SAL.



Vòd me magno animi motu perturbatum putas, sum equidẽ: sed non tam magno, q̃ tibi fortasse uideor. Leuatur enim omnis cura, cum aut consistit consilium, aut cogitando nihil explicatur. Lamẽtari autem licet: illud tamen totos dies: sed uereor, ne nihil cũ proficiam, etiam dedecori sim studijs ac literis nostris. Consumo igitur omne tẽpus, considerans quanta uis sit illius uiri, quem nostris libris satis diligenter (ut tibi quidem uidemur) expressimus. Tenes ne igitur moderatorem illum reip. quo referre uelimus omnia? nam sic quinto, ut opinor, in libro loquitur Scipio. Vt enim gubernatori cursus secũdus, medico salus, Imperatori uictoria: sic huic moderatori reip. beata ciuium uita proposita est, ut opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, uirtute honesta sit. Huius enim operis maximi inter homines atque optimi illum eẽ perfectorem uolo. Hoc Cn. noster, cum antea nunquam, tum in hac causa minime cogitauit. Dominatio quæsita ab utroq; est: non id actum, beata & honesta ciuitas ut esset. Nec uero ille urbẽ reliquit, ꝙ eam tueri non posset: nec Italiam, ꝙ ea pelleretur: sed hoc à primo cogitauit, omnes terras, omnia maria mouere, Reges barbaros incitare, gentis feras armatas in Italiam adducere, exercitus conficere maximos. Genus illud Sullani regni iãpridẽ appetitur, multis, qui unà sunt, cupiẽtibus. An censes nihil inter eos conuenire? nullam pactionem fieri potuisse? Hodie potest, sed neutri

sed neutri σκοπὸς est ille, ut nos beati simus, uterque regnare uult. Hæc à te inuitatus breuiter exposui. Voluisti enim me, quid de his malis sentirem, ostendere. προθεσπίζω igitur noster Attice, non ariolans ut illa, cui nemo credidit, sed coniectura prospiciens,

Iamque mari magno.

Non multo inquam secus possum uaticinari: tanta malorum impendet Ἰλιάς. Atque hoc nostra grauior est causa qui domi sumus, quàm illorū qui unà transierunt: quòd illi quidem alterum metuunt, nos utrunque. Cur igitur, inquis, remansimus? uel tibi paruimus, uel non occurrimus, uel hoc fuit rectius. Conculcari inquam miseram Italiam uidebis proxima æstate ab utriusque mancipijs ex omni genere collectis: nec tam proscriptio pertimescenda, quæ Luceriæ multis sermonibus denunciata est, quàm uniuersæ interitus. tantas in confligendo utriusque uires uideo futuras. Habes coniecturam meam. Tu autem consolationis fortassis aliquid expectasti. Nihil inuenio, nihil fieri potest miserius, nihil perditius, nihil fœdius. Quòd quæris, quid Cæsar ad me scripsit: quod sæpe, gratissimum sibi esse, quòd quierim, oratque in eo ut perseuerem. Balbus minor hæc eadem mandat. iter autem eius erat ad Lentulum Cos. cum literis Cæsaris præmiorumque promissis, si Romam reuertisset. Verum cū habeo rationem dierum, ante puto transmissurum, quàm potuerit conueniri. Epistolarum Pompeij duarum, quas ad me misit, negligētiam, meamque in rescribendo diligentiam uolui tibi notam esse: earum exempla ad te misi. Cæsaris hic per Apuliam ad Brundisium cursus quid efficiat expecto: utinā aliquid simile Parthicis rebus. Simul aliquid audiero, scribā ad te: tu ad me uelim bonorum sermones. Romæ frequentes esse dicuntur. Scio equidem te in publicum non prodire, sed tamē audire te multa necesse est. Memini tibi librum afferri à Demetrio Magnete. ad te missum scio περὶ ὁμονοίας. Eum mihi uelim mittas. Vides quam causam mediter.

CN. POMPEIUS PROCOS. SAL. DIC. M. CICERONI IMP.



QVintus Fabius ad me uenit ad IIII Id. Feb. Is nunciat L. Domitium cum suis cohortibus XI & cohortibus XIIII, quas Vibullius adduxit, ad me iter habere: habuisse in animo proficisci Corfinio, ad V. Id. Febr. C. Hirrum cum V cohortibus subsequi. Censeo ad nos Luceriam uenias, nam te hic tutissime puto fore.

CICERO IMP. S. D. CN. MAGNO PROCOS.



AD XV Kal. Mart. Formijs accepi tuas literas, ex quibus ea quæ in agro Piceno gesta erant, cognoui cōmodiora esse multo, quàm ut erat nobis nunciatum: Vibullijque uirtutem industriamque libenter agnoui. Nos adhuc in ea ora, ubi præpositi sumus, ita fuimus, ut nauē paratā haberemus: ea enim audiebamus & ea uerebamur, ut quodcūque tu cōsiliū cepisses, id nobis persequendū putaremus. Nūc quoniam auctoritate & cōsilio tuo in spe firmiore sumus, si teneri posse putas Tarracinā & oram maritimā in ea manebo, etsi præsidia in oppidis nulla sunt: nemo.n. nostri ordinis in his locis est, præter M. Eppiū, quē ego Minturnis esse uolui, uigilātē ho-

minē & industriū: L. Torquatū uirū fortē, & cū auctoritate Formijs nō hābemus: ad te profectū arbitramur. Ego oīno, ut pximė tibi placuerat, Capuā ueni eo ipso die, quo tu Theano Sidicino es profectus, uolueras enim me cum M. Considio Propraetore illa negotia tueri. Cum eō uenissem, uidi T. Ampium delectum habere diligentissime, ab eo accipere Libonem summa item diligentia, & in illa colonia auctoritate. Fui Capuae quoad Coss. iterum, ut erat dictum, à Coss. ueni Capuam ad Non. Febr. Cum fuissem triduum, recepi me Formias: nunc quod tuum consilium aut quae ratio belli sit, ignoro. Si tenendam hanc oram putas, quae opportunitatem & dignitatē habet & egregios ciues, & ut arbitror teneri potest, opus est esse, qui praesit: sin omnia in unum locum contrahenda sunt, nō dubito, quin ad te statim ueniam, quo mihi nihil optatius est, idq́ tecū quo die ab urbe discessimus locutus sum. Ego si cui adhuc uideor segnior fuisse, dum ne tibi uidear, non laboro: & tamē si, ut uideo, bellum gerendum est, confido me omnibus facile satisfacturum.

M. Tullium meum necessarium ad te misi, cui tu, si tibi uideretur, ad me literas dares.

CN. MAGNVS PROCOS. S.D. M. CICERONI IMP. SVO.


Vas literas libenter legi. Recognoui enim tuam pristinam uirtutem etiam in salute communi. Coss. ad eum exercitum, quē in Apulia habui, uenerunt. Magnopere te hortor pro tuo singulari perpetuoq́ studio in remp. ut te ad nos conferas, ut cōmuni consilio reip. afflictae opem atque auxilium feramus. Censeo uia Appia iter facias, & celeriter Brundisium uenias. Cura ut ualeas.

CICERO IMP. S.D. CN. MAGNO PROCOS.


Vm ad te literas misissem, quae tibi Canusij redditae sunt, suspitionem nullam habebam, te reip. causa mare transiturum: eramq́ in spe magna, fore ut in Italia possemus aut concordiam constituere, qua mihi nihil utilius uidebatur, aut rempub. summa cum dignitate defendere. Interim nondum meis literis ad te perlatis, ex his mandatis, quae D. Aelio ad Coss. dederas, certior tui consilij factus, non expectaui dum mihi à te literae redderentur: confestimq́ cum Q. fratre & cum liberis nostris iter ad te in Apuliam facere coepi. Cum Theanum Sidicinum uenissem, C. Missius familiaris tuus mihi dixit alijq́ complures Caesarem iter habere Capuam: & eo ipso die mansurum esse Eserniae. Sanė sum cōmotus: q̄ si ita esset, non modo iter meū interclusum, sed meipsum planė exceptū putabam. Itaq́ tum Cales processi, ut ibi potissimū consisterē, dum certū nobis ab Esernia de eo quod audierā, referretur. At mihi, cū Calibus essem, affertur literarū tuarū exemplum, quas tu ad Lentulum Cos. misisses. Hae scriptae sic erant, Literas tibi à L. Domitio ad XIII Kal. Mart. allatas ēē, earūq́ exēplū subscripseras: magniq́ interesse reipu. scripseras, omnis copias primo quoq́ tpe in unum locū conuenire, & ut p̄sidio quod satis esset, Capuae relinqueret. His ego literis lectis, in eadē opinione fui, qua reliq oēs, te cū omnibus copijs ad Corfinium esse uenturum: quo mihi cum Caesar ad oppidum castra haberet, tutū

ret, tutum iter esse non arbitrabar. Cum res in summa expectatiõe esset, utrũque simul audimus, & quæ Corfinij acta essent, & te iter Brundisium facere cœpisse. Cumq; nec mihi nec fratri meo dubium esset, quin Brundisium contenderemus, à multis, qui è Samnio Apuliaq; ueniebant, admoniti sumus, ut caueremus ne exciperemur à Cæsare, quòd is in eadẽ loca, quæ nos petebamus, profectus, celerius etiam quàm nos possemus, eò quo intenderat, uẽturus esset. Quod cum ita esset, nec mihi, nec fratri meo, nec cuiquam amicorum placuit committere, ut temeritas nostra non solum nobis, sed etiam reipub. noceret: cum presertim non dubitaremus, quin si etiam tutum nobis iter fuisset, te tamen consequi non possemus. Interim accepimus tuas literas Canusio ad. X. Kal. Mart. dat. quibus nos hortaris, ut celerius Brundisium ueniamus: quas cum accepissemus ad III Kal. Mart. nõ dubitabamus, quin tu iam Brundisium peruenisses, nobisq; iter illud omnino interclusum uidebatur, neque minus nos esse captos, quàm qui Corfinium uenissent. Neque enim eos solos arbitrabamur capi, qui in armatorum manus incidissent, sed eos nihilo minus, qui regionibus exclusi, intra præsidia atque intra arma aliena uenissent. Quod cum ita sit, maxime uellem primum semper tecum fuisse, quod quidem tibi ostenderam, cum à me Capuam rejiciebam. Quod feci, nõ uitandi oneris causa, sed quòd uidebam teneri illam urbem sine exercitu nõ posse: accidere autem mihi nolebam, quod doleo uiris fortissimis accidisse. Quoniam autem tecum ut essem non contigit, utinam tui consilij certior factus essem: nam suspitione assequi non potui, quòd omnia prius arbitratus sum fore, quàm ut hæc reip. causa in Italia non posset duce te consistere. Neque uero nunc consilium tuum reprehendo, sed fortunam reip. lugeo. Nec si ego quid tu sis secutus nõ perspicio, idcirco minus existimo, te nihil nisi summa ratione fecisse: mea quæ semper fuerit sententia, primum de pace uel iniqua conditione retinenda, deinde de urbe: nam de Italia quidem nihil mihi unquam ostenderas, meminisse te arbitror. Sed mihi non sumo, ut meum cõsilium ualere debuerit: secutus sum tuum, neque id reip. causa, de qua desperaui, quæ & nunc afflicta est, nec excitari sine ciuili perniciosissimo bello potest: sed te quærebam, tecum esse cupiebam, neque eius rei facultatem, si qua erit, prætermittam. Ego me in hac omni causa facile intelligebam pugnandi cupidis hominibus nõ satisfacere. Primũ enim præ me tuli, me nihil malle q̃ pacem, non quin eadem timerem, quæ illi, sed ea bello ciuili leuiora ducebam. Inde suscepto bello, cum pacis conditiones ad te afferri, à teq; ad ea honorifice & large respõderi uiderem, duxi meam rationem, quam tibi facile me probaturum pro tuo in me beneficio arbitrabar. Memineram me esse unum, qui pro meis maximis in remp. meritis, supplicia miserrima & crudelissima pertulissem: me esse unum, qui si offendissem eius animum: cui tum cum iam in armis essemus, Consulatus tamen alter & triumphus amplissimus deferebatur, subijcerer eisdem prælijs, ut mea persona semper ad improborum ciuium impetus aliquid uideretur habere populare. Atque hæc non ego prius sum suspicatus, quàm mihi palàm denunciata sunt: neque ea tam pertimui si subeunda essent, quàm declinanda putaui si honeste uitare possem. Quoniam breuem illius temporis, dum in spe pax fuit, rationem nostrã uides,

reliqui facultatem res ademit. Iis autem quibus non satisfacio, facile respondeo: neque enim ego amicior C. Cæsari unquam fui, quàm illi, neque illi amiciores reip. quàm ego. Hoc inter me & illos interest, quod cum & illi ciues optimi sint, & ego ab ista laude non absim, ego conditionibus quod idem te intellexeram uelle, illi armis disceptari maluerunt: quæ quoniā ratio omissa est, perficiam profecto, ut neque resp. ciuis à me animum, neque tu amici desideres.

CICERO ATTICO SAL.


Mihi molestior lippitudo erat etiam, quàm ante fuerat, dictare tamē hāc epistolam malui, quàm Gallo Fabio amātissimo utriusque nostrum nihil ad te literarum dare: nam pridie quidem quoquo modo potueram, scripseram ipse eas literas, quarum uaticinationē falsam esse cupio. Huius autem epistolæ nō solum ea causa est, ut nequis à me dies intermittatur, quin dem ad te literas, sed etiam hæc iustior, ut à te impetrarem, ut sumeres aliquid temporis: quo quia tibi perexiguo opus est, explicari mihi tuum consilium planè uolo, ut penitus intelligam. Omnia sunt integra nobis: nihil prætermissum est, quod non habeat sapientem excusationem, non modo probabilem: nam certe neque tum peccaui, cum imparatam iam Capuam, non solum ignauiæ delectus, sed etiam perfidiæ suspitionem fugiens, accipere nolui: neque cum post conditiones pacis per L. Cæsarem & Fabium allatas, caui, ne animum eius offenderem, cui Pompeius iam armatus armato Consulatum triumphumque deferret. Nec uero hæc extrema quisquam potest iure reprehendere, quòd mare non transierim: id enim, etsi erat deliberationis, tamen obire non potui: neque enim suspicari debui, præsertim cū ex ipsius Pompeij literis, idem quod uideo te existimasse, nō dubitarim, quin is Domitio subuenturus esset. Et planè quid rectum & quid faciendum mihi esset, diutius cogitare malui. Primum igitur hæc, qualia tibi esse uideantur, etsi significata sunt à te, tamen accuratius mihi perscribas, uelim. Deinde aliquid etiam in posterum prospicias: fingasque, quem me esse deceat, & ubi me plurimum prodesse reipub. sentias: ecquæ pacifica persona desideretur, an in bellatore sint omnia. Atque ego qui omnia officio metior, recordor tamen tua consilia: quibus si paruissem, tristitiam illorum temporum non subijssem. Memini quid mihi tum suaseris per Theophanem, per Culeonem, idque sæpe ingemiscens sum recordatus. Quare nunc saltem ad illos calculos reuertamur, quos tum abiecimus: ut non solum gloriosis consilijs utamur, sed etiā paulo salubribus. Sed nihil præscribo: accurate uelim perscribas tuam ad me sententiam. Volo etiam exquiras quamdiligētissime poteris (habebis autem per quos possis) quid Lētulus noster, quid Domitius agat, quid acturus est: quemadmodum nunc se gerant: num quem accusent, num cui suscēseāt. quod dico num cui, num Pompeio. Omnino culpam omnem Pompeius in Domitium confert, quod ipsius literis cognosci potest, quarum exēplum ad te mitto. Hęc igitur uidebis, & quod ad te ante scripsi. Demetrij Magnetis librum, quem ad te misit de concordia, uelim mihi mittas.

CN. MAGNVS

CN. MAGNVS PROCOS. M. MARCELLO L. LENTVLO COSS. S.D.


Go ꝙ existimabam dispersos nos, neq; reipub. utilis, neq; nobis præsidio esse posse, iccirco ad L. Domitium literas misi: primum uti ipse cum omni copia ad nos ueniret: si de se dubitaret ut cohortis XIX, q̃ ex Piceno ad me iter habebãt, ad nos mitteret. Quod ueritus sum, factum ẽ, ut Domitius implicaretur, ut neq; ipse satis firmus eẽt ad castra facienda, ꝙ meas XIX, & suas XII cohortis tribus in oppidis distributas haberet: nam partim Albæ, partim Sulmone collocauit: neq; si uellet, expedire posset. Nunc scitote me esse in summa solicitudine: nam & tot et talis uiros periculo obsidionis liberare cupio, neq; subsidio ire possum, ꝙ his duabus legionibus non puto esse cõmittendum, ut illuc ducantur. Ex quibus tamẽ non amplius XIIII cohortis contrahere potui, quod Brundisiũ misi: neq; Canusium sine præsidio, dum abessem, putaui esse dimittẽdũ. D. Aelio mandarã, ꝙ maiores copias sperabam nos habituros, ut si uobis uideretur, alteruter uestrum ad me ueniret: alter in Siciliam cum ea copia, quam Capuæ & circum Capuam comparastis, & cum ijs militibus, quod Faustus legit, ꝓficisceretur, Domitius cum XII suis cohortibus eodẽ adiungeretur, reliquæ copiæ omnes Brundisium cogerentur, & inde nauibus Dyrrachiũ transportarentur. Nunc cum hoc tempore nihilo magis ego, q̃ uos subsidio Domitio ire possim, seu per montis explicare, non est nobis committendum, ut ad has XIIII cohortes, quas dubio animo habeo, hostis accedere, aut in itinere me consequi possit. Quamobrem placitum est mihi (etiam uideo C. Marcello & ceteris nostri ordinis, qui hic sunt) ut Brundisium ducerem hanc copiam, quam mecum habeo. Vos hortor, ut quodcunq; militum contrahere poteritis, contrahatis, & eodem Brundisium ueniatis quamprimum. Arma quæ ad me missuri eratis, ijs censeo armetis milites, quos uobiscum habetis: quæ arma superabunt, ea si Brundisium iumẽtis deportaritis, uehemẽter reip. ꝓfueritis. De hac re uellẽ nostros certiores faciatis. Ego ad P. Lupũ & C. Coponium Prett. misi, ut se nobis coniungerent, et militum quod haberẽt, ad uos deducerent. Vale.

CN. MAGNVS PROCOS. S.D. L. DOMITIO PROCOS.


Iror te ad me nihil scribere, & potius ab alijs q̃ à te de repub. me certiorem fieri. Nos disiecta manu pares aduersario esse non possumus: contractis nostris copijs, spero nos & reipub. & communi saluti prodesse posse. Quamobrem cum constituisses, ut Vibullius mihi scripserat, ad V. Id. Febr. Corfinio proficisci cum exercitu & ad me uenire, miror quid causæ fuerit, quare consiliũ mutaris: nam illa causa, quam mihi Vibullius scribit, leuis est, te ꝓpterea moratũ esse ꝙ audieris Cæsarem Firmo progressum in castrũ Truẽtinũ uenisse: quãto enim magis appropinquare aduersarius cœpit, eo tibi celerius agendũ erat, ut te mecum cõiũgeres, prius q̃ Cęsar aut tuum iter impedire, aut me abs te excludere posset. Quamobrem ẽt te rogo & hortor, id quod nõ destiti superioribus literis à te petere, ut primo quoq; die Luceriã aduenires anteq̃ copiæ, quas instituit Cæsar cõ

trahere, in unum locum coactæ nos à nobis distrahant. Sed si erunt qui te impediant, ut illas suas seruēt, æquū est me à te impetrare, ut cohortes quę ex Piceno & Camerino uenerūt, q̃ fortunas suas reliquerūt, ad me missum facias.

CN. MAGNVS PROCOS. S.D. L. DOMITIO PROCOS.



Literas abs te M. Calenius ad me attulit ad XIIII Kal. Mart. in quibus literis scribis tibi in animo esse obseruare Cęsarem: & si secundum mare ad me ire cœpisset, cōfestim in Samnium ad me uēturum: sin autem ille circum isthæc loca cōmoraretur, te ei, si propius accessisset, resistere uelle. Te animo magno & forti istam rem agere existimo: sed diligentius nobis est uidendum, ne distracti, pares esse aduersario non possimus, cum ille magnas copias habeat, et maiores breui habiturus sit: non enim pro tua prudētia debes illud solum animaduertere, quot in præsentia cohortis contra te habeat Cæsar, sed quantas breui tēpore equitum & peditum copias contracturus sit. Cui rei testimonio sunt literæ, quas Bussenius ad me misit, in quibus scribit, id quod ab illis quoq; mihi scribitur, præsidia Curionem, quæ in Vmbria & Tuscis erant, contrahere, & ad Cæsarem iter facere. Quæ si copiæ in unum locum fuerint coactæ, ut pars exercitus ad Albam mittatur, pars ad te accedat, ut non pugnet, sed locis suis repugnet, hærebis: neq; solus cum ista copia, tantam multitudinem sustinere poteris, ut frumentatum eas. Quamobrem te magnopere hortor, ut quāprimū cum omni copia huc uenias. Coss. constituerunt idem facere. Ego Metuscilio ad te mandata dedi, Prouidendum esse, ne duæ legiones sine Picentinis cohortibus in conspectum Cæsaris cōmitterentur. Quamobrem nolito cōmoueri, si audieris me regredi, si forte Cæsar ad me ueniet: cauendum enim puto esse, ne implicatus hæream: nam neq; castra propter anni tempus & militum animos, facere possum: neq; ex omnibus oppidis cōtrahere copias expedit, ne receptū amittam: itaq; non amplius XIIII cohortes Luceriam coegi, Coss. præsidia omnia deducturi sunt, aut in Siciliam ituri: nam aut exercitum firmum habere oportet, quo cōfidamus perrumpere nos posse: aut regiones eiusmodi obtinere, è quibus repugnemus, id quod neutrum nobis hoc tempore cōtingit, q; & magnā partem Italię Cęsar occupauit, & nos nō habemus exercitū tam amplum, neq; tam magnum q̃ ille. Itaq; nobis prouidēdum est, ut summam reipub. rationem habeamus. Etiam atq; etiam te hortor, ut cum omni copia, quāprimum ad me uenias. Possumus etiam nunc rempub. erigere, si communi consilio negotium administrabimus: si distrahemur, infirmi erimus: mihi hoc constitutum est.

His literis scriptis, Sica à te mihi literas attulit & mandata. Quòd me hortare, ut istuc ueniam, id me facere non arbitror posse, quòd nō magnopere ijs legionibus confido.

CN. MAGNVS PROCOS. S.D. L. DOMITIO PROCOS.



Literæ mihi à te redditæ sunt ad XIII Kal. Mart. in quibus scribis Cæsarem apud Corfinium castra posuisse. Quod putaui, & præmonui, fit ut nec in præsentia committere tecum prælium uelit, & omnibus copijs cōductis, te implicet, ne ad me iter expeditum tibi

sit, atq;

sit,atq; istas copias coniungere optimorum ciuiũ possis cum his legionibus, de quarum uoluntate dubitamus:quo etiam magis tuis literis sum cõmotus. Neq; enim eorum militum,quos mecum habeo,uoluntate satis cõfido, ut de omnibus fortunis reip.dimicem.Neq; etiam qui ex delectibus cõscripti sunt à Coss.conuenerunt.Quare da operam si ulla ratione etiam nunc efficere potes,ut te explices,huc q̃ primum uenias,ante q̃ omnes copiæ aduersarium conueniant.Neque enim celeriter ex delectibus huc homines conuenire possunt: & si conuenirent,quantum ijs cõmittendum sit,q; inter se ne noti sunt, cõtra ueteranas legiones,non te præterit.

CICERO ATTICO SAL.



Ippitudinis meæ signum tibi sit librarij manus,& eadem causa breuitatis:etsi nũc quidem quod scriberem,nihil erat:omnis expectatio nostra erat in nuntijs Brundisinis.si nactus hic esset Cn.nostrũ, spes dubia pacis:sin ille ante tramisisset,exitiosi belli metus.Sed uides'ne in quem hominem inciderit respub.q̃ acutum? q̃ uigilantem? q; paratum? Si mehercule neminem occiderit,nec cuiq̃ quidq; ademerit,ab ijs qui eũ maxime timuerant,maxime diligetur.multum mecum municipales homines loquũtur,multum rusticani:nihil prorsus aliud curant,nisi agros,nisi uillulas,nisi nummulos suos.Et uide q; conuersa res est:illum,quo antea confidebant, metuunt: hunc amant,quem timebant.Id quantis nostris peccatis uitijsq; euenerit, nõ possum sine molestia cogitare.Quæ autem impendere putarem, scripserã ad te,& iam tuas literas expectabam.

CICERO ATTICO SAL.



On dubito,quin odiosæ sint epistolæ cotidianæ, cũ p̃sertim neq; noua de re aliqua certiorem te faciam,neq; nouam deniq; iam reperiam scribendi ullam sentẽtiam:sed si dedita opera,cum cã nulla esset,tabellarios ad te cum inanibus epistolis mitterem,facerem inepte:euntibus uero domesticis presertim,ut nihil ad te dem literarum, facere non possum:& simul(crede mihi)requiesco paulum in his miserijs, cum quasi tecum loquor.cum uero tuas epistolas lego,multo etiam magis.Omnino intelligo,nullum fuisse tempus post has fugas & formidines,quod magis debuerit mutum esse à literis,propterea q; neq; Romæ quidquã auditur noui,nec in his locis quæ à Brũdisio absunt propius q̃ tu biduum,aut triduum. Brundisij autem omne certamen uertitur huius primi temporis:qua quidem expectatione torqueor:sed omnia antè nos sciemus.Eodẽ enim die uideo Cęsarem à Corfinio post meridiem profectum esse,Feralibus,quo Canusio mane Pompeium.Eo modo autem ambulat Cæsar,& ijs diarijs militum celeritatem incitat,ut timeam,ne citius ad Brundisium,q̃ opus sit,accesserit. Dices, quid igitur proficis,qui anticipes eius rei molestiã,quam triduo sciturus sis?
* Nihil equidẽ,sed ut supra dixi,tecum perlibenter loquor:& simul scito labare meum consilium illud,quod satis iam fixum uidebatur:non mihi satis idonei sunt auctores ij,qui à te probantur.Quod enim unquã eorũ in repub. forte factum extitit? aut quis ab ijs ullam rem laude dignam desiderat? Nec mehercule laudandos existimo,qui trans mare belli parãdi causa profecti sunt: q̃q̃ hæc ferenda non erant:uideo enim quantum id bellum,& q̃ pestiferũ futurum sit. Sed me mouet unus uir,cuius fugientis,comes:remp.recuperantis,

socius uideor esse debere. Toties ne igitur sententiam mutas? Ego tecū, tanq̄ mecum loquor. Quis autem est, tanta quidem de re, quin uarie secum ipse disputet? Simul & elicere cupio sentētiam tuam: si manet, ut firmior sim: si mutata est, ut tibi assentiar. Omnino ad id de quo dubito, pertinet me scire quid Domitius acturus sit, quid noster Lentulus. De Domitio uaria audimus, modo esse in Tiburti, aut Lepidi, quo cum Lepidus accessisset ad urbem, quod item falsum uideo esse. Ait enim Lepidus: eum nescio quo penetrasse itineribus, occultandi sui causa, an maris apiscendi, ne id quidem scit: ignorat enim de filio: addit illud sanè molestum, pecuniam Domitio satis grandem, quam is Coreni habuerit, non esse redditam. De Lentulo autē nihil audimus. Hęc uelim exquiras, ad meq́ perscribas.

CICERO ATTICO SAL.



AD V. Non. Mart. epistolas mihi tuas Aegypta reddidit. unā ueterem IIII. Kal. quam te scribis dedisse Pinario, quem non uidimus, in qua expectas quidnam præmissus agat Vibullius, qui omnino non est uisus à Cæsare. In altera epistola uideo te scire ita esse, & quemadmodum redeuntem excipiam Cæsarem, quem omnino uitare cogito, & aut Hemonis fugam tēdis, cō mutationemq́ uitæ tuæ, quod tibi puto esse faciendum: & ignoras, Domitius cum fascibus ne sit? quod cum scies, facies ut sciamus. Habes ad primam epistolā: Secutæ sunt duæ prid. Kal. ambæ datæ, quæ me conuellerunt de pristino statu, iam tamen ut ante ad te scripsi, labantem. Nec me mouet quod scribis Ioui ipsi iniquum. nam periculum in utriusq́ iracundia positum est. Victoria autem ita incerta, ut deterior causa paratior mihi esse uideatur. nec me Coss. mouent, qui ipsi pluma aut folio facilius mouentur. Officij mei deliberatio cruciat, cruciauitq́ adhuc. Cautior certe est mansio. Honestior existimatur traiectio. Malo interdū multi me nō caute, q̄ pauci non honeste fecisse existimēt. De Lepido & Tullio quod quæris: illi uero non dubitant, quin Cæsari præsto futuri, in Senatumq́ uenturi sint. Recentissima tua est epistola Kal. data, in qua optas congressum, pacēq́ non desperas. Sed ego cum hæc scribebam, nec illos congressuros, neq́ si congressi essent, Pompeium ad ullam conditionem accessurum putabam. Quꝫ uideris non dubitare, si Coss. transeant, quid nos facere oporteat, certe transeūt, uel, quomodo nunc est, transierunt. Sed memento pręter Appium, neminem esse ferè, qui non ius habeat transeundi: nam aut cum imperio sunt, ut Pompeius, ut Scipio, Setenas, Fannius, Voconius, Sestius. Ipsi Coss. (quibus more maiorum concessum est uel omnes adire prouincias) aut Legati sunt eorum: sed nihil desidero. Quid placeat tibi, & quid propemodum rectum sit, intelligo. Plura scriberē, si ipse possem: sed ut mihi uideor, potero biduo. Balbi Cornelij literarum exemplum, quas eodem die accepi, quo tuas, misi ad te, ut meā uicem doleres, cum me derideri uideres. *

BALBVS CICERONI IMP. S.



OBsecro te Cicero, suscipe curam & cogitationē dignissimam tuæ uirtutis ut Cæsarem & Pompeium perfidia hominū distractos, rursus in pristinam concordiam reducas. Crede mihi, Cęsarē non solum fore in tua potestate, sed etiam maximum beneficiū te sibi dedisse iudicaturū, si huc te reijcis. Velim idē Pompeius faciat: qui ut adduci

tali tpe

tali tempore ad ullam conditionem possit, magis opto, q̃ spero. Sed cum constiterit, & timere desierit, tum incipiam non desperare tuam auctoritatẽ plurimum ualituram. Quòd Lentulum Cos. meum uoluisti hic remanere, Cæsari gratum, mihi uero gratissimum mediusfidius fecisti: nam illum tanti facio, qui non Cæsarem magis diligam: qui si passus esset nos secum, ut consueueramus loqui, & non se totum etiam & etiam ab sermone nostro auertisset, minus miser quàm sum, essem. Nam caue putes, hoc tempore plus me unquam cruciari, q; eum quem ante me diligo, uideo in Consulatu quiduis potius esse, quàm Cos. Quòd si uoluerit tibi obtemperare, & nobis de Cæsare credere, & Consulatum reliquum Romæ peragere, incipiam sperare, etiam consilio Senatus, auctore te, illo relatore, Pompeium & Cæsarem cõiungi posse: quod si factum erit, me satis uixisse putabo. Factum Cæsaris de Corfinio totum me probaturum scito: & quomodo in huiusmodi re commodius cadere non potuit, quàm ut res sine sanguine confieret. Balbi mei, tuiq; aduentu delectatum te ualde gaudeo. Is quæcũq; tibi de Cæsare dixit, quæq; Cæsar scripsit, scio re tibi probabit: quæcunq; fortuna eius fuerit, bellissime scripsisse.

CICERO ATTICO SAL.



Mnia mihi prouisa sunt præter occultum metum. Iter ad mare superum: hoc enim mari uti non possumus hoc tempore anni. Illuc autem, quo spectat animus & quo res uocat, qua ueniam? Cedendum enim est celeriter, ne forte qua re impediar atque alliger. Nec uerò ille me ducit, qui uidetur: quem ego hominem ἀπολιτικώτατον omnium iam ante cognoram, nunc uero etiam ἀστρατηγικώτατον. Nõ me igitur is ducit, sed sermo hominum, qui ad me à Philotimo scribitur. Is enim me ab optimatibus ait conscindi: quibus optimatibus, dij boni, qui nunc quomodo occurrunt? quomodo autem se uenditant Cæsari? Municipia uero deum, nec simulant, ut cum de illo ægroto uota faciebant. Sed planè quidquid mali hic Pisistratus non fecerit, tam gratum est, quàm si alium facere prohibuerit. Hunc propitium sperant: illum iratum putant. Quas fieri censes ἀπαντήσεις ex oppidis? quos honores? Metuunt, inquies. Credo. Sed mehercule illum magis. Huius insidiosa clementia delectantur, illius iracundiam formidant. Iudices DCCCL qui præcipue Cn. nostro delectabantur, ex quibus cotidie aliquem uideo, nescio quas eius Lucerias horrent. Itaque quæro, qui sint isti optimates, qui me exturbent Cumis, ipsi domi maneant. Sed tamen quicunq; sunt, αἰδέομαι Τρῶας. Et si qua spe proficiscar uideo, coniungoq; me cũ homine magis ad uastãdam Italiam, q̃ ad uincendum parato, dominum quem expecto. Et quidem cum hæc scribebam IIII. Non. iam expectabam aliquid à Brundisio: quid autem aliquid? quàm inde turpiter fugisset, & uictor hic qua se referret & quo. Quod ubi audissem, si ille Appia ueniret, ego Arpinum cogitabam.

M.T. CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM, LIBER NONVS.

CICERO ATTICO. SAL.



T si,cum tu has literas legeres,putabam fore,ut scirem iam quid Brundisij actum esset:nam Canusio. VIII. Kal.profectus erat Cn.hæc autem scribebã prid.Non. XIIII die postq̃ ille Canusio mouerat: tamen angebar singularum horarum expectatione:mirabarq́ nihil allatum esse,ne rumoris quidem: nam erat mirum silentium.Sed hæc fortasse κενόσπουδα sunt,quæ tamẽ iam sciantur,necesse est.Illud molestum,me adhuc inuestigare non posse,ubi P.Lẽtulus noster sit,ubi Domitius. Quæro autem, quo facilius scire possim quid acturi sint,ituri ne ad Pompeium:et si sũt,qua, quando'ue ituri sunt. Vrbẽ quidẽ iam refertam eẽ optimatium audio: Sosiũ & Lupum,quos Cn.noster ante putabat Brundisium uenturos esse q̃ se, ius dicere.Hinc uero uulgo uadunt,etiam M.Lepidus,quocum diem conterere solebam,cras cogitabat:nos autem in Formiano morabamur,quo citius audiremus:deinde Arpinum uolebamus:inde iter qua maxime ἀναπάντητον eẽt ad mare superũ,remotis siue omnino missis lictoribus:audio enim bonis uiris(,qui & nunc,& sæpe antea magno præsidio reip.fuerunt)hanc cunctationem nostram non probari,multaq́ in me & seuere in conuiuijs tempestiuis quidem disputari.Cedamus igitur:& ut boni ciues simus,bellum Italiæ terra mariq́ inferamus,& odia improborum rursus in nos quæ iam extincta erant,incendamus:& Lucceij cõsilia,ac Theophani persequamur:nã Scipio uel in Syriam proficiscitur sorte,uel cum genero honeste,uel Cæsarem fugit iratum.Marcelli quidem,nisi gladium Cæsaris timuissent,manerẽt. Appius & eodem timore,& inimicitiarum recentiũ,& tamen præter hunc & C. Cassium reliqui Legati.Faustus proquæstor ego unus cui utrũuis liceret. Frater accederet,quem socium huius fortunæ esse non,erat æquum:cui magis etiam Cæsar irasceretur:sed impetrare non possum,ut maneat.Dabimus hoc Pompeio,quod debemus:nam me quidem alius nemo mouet,non sermo bonorũ, qui nulli sunt:non causa,quæ acta timide est,agetur improbe. uni uni hoc damus,ne id quidem roganti,nec suam causam,ut ait,agenti,sed publicam. Tu quid cogites de transeundo in Epeirum,scire sanẽ uelim.

CICERO ATTICO SAL.



T si Non.Mart.die tuo(ut opinor)expectabam epistolã à te longiorem,tamen ad eam ipsam breuem,quam III Non. ὑπὸ τὴν διάλυσιν dedisti,rescribendum putaui.Gaudere ais te,mansisse me,& scribis in sñia te manere:mihi aũt superioribus literis uidebare nõ dubitare, quin cederẽ ita si & Cn.bene comitatus cõscendisset & Coss. trãsissent:utrum hoc tu parum cõmeministi?an ego non satis intellexi?an mutasti sententiam?Sed aut ex epistola,quam expecto, perspiciam quid sentias, aut

alias

alias abs te literas eliciam. Brundisio nihildum erat allatum. O rem difficilē, planeq́ perditam: quàm nihil prætermittis in consilio dando, quàm nihil tamen, quod tibi ipsi placeat, explicas. Nō esse me unà cum Pompeio gaudes: ac proponis, q̄ sit turpe me adesse, cum quid de illo detrahaī, nefas esse approbare. Certe. contra igitur? Dij, inquis, auerruncent. Quid ergo fiet? si in altero scelus est, in altero supplicium? Impetrabis, inquis, à Cæsare, ut tibi abesse liceat, & esse otioso. Supplicandum igitur? miserum. Quid si nō impetraro? Et de triumpho erit, inquis, integrum. Quid si hoc ipso premar? accipiam? quid fœdius? negem? repudiari se totum, magis etiam q̄ olim in XX uiratu putabit: ac solet, cum se purgat, in me conferre omnem illorum temporū culpam: ita me sibi fuisse inimicum, ut ne honorem quidem à se accipere uellem: quanto nunc hoc idem accipiet asperius? tanto scilicet, quanto & honor hic illo est amplior, & ipse robustior. nam quod negas te dubitare, quin magna in offensa sim apud Pompeium hoc tempore, non uideo causam cur ita sit, hoc qdē tpe. Qui enim amisso Corfinio deniq́ certiorē me sui cōsilij fecit: is queretur Brūdisiū me nō uenisse, cū inter me & Brundisiū Cæsar esset? Deinde ēt scit ἀπαῤῥησίαστον eē in ea causa querelā suam. Me putat de municipiorū imbecillitate, de delectibus, de pace, de urbe, de pecunia, de Piceno occupando plus uidisse q̄ se: sin cum potuero, nō uenero, tū erit inimicus. Quod ego nō eo uereor, ne mihi noceat. (Quid. n. faciet? τίς δ' ἐστι δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν;) sed quia ingrati animi crimen horreo. Cōfido igitur aduentum nostrum illi, quoquo tempore fuerit, ut scribis, ἀσμένιστον fore. Nam quod ais, si hic tēperantius egerit, consideratius consilium te daturū, qui hic potest se gerere non perdite? uita, mores, ante facta, ratio suscepti negotij, socij, uires bonorū, aut etiam constantia? Vixdum epistolam tuam legeram, cum ad me currens ad illum Postumus Curtius uenit, nihil nisi classis loquens & exercitus: eripiebat Hispanias: tenebat Asiam, Siciliam, Africam, Sardiniam: confestim in Græciam persequebatur. Eundum igitur est, nec tam ut belli, q̄ ut fugæ socij simus: nec enim ferre potero sermones istorum quicunq́ sunt: nō sunt enim certe, ut appellantur, boni, sed tamen idipsum scire cupio quid loquātur: idq́ ut exquiras, meq́ certiorem facias, te uehementer rogo. Nos adhuc quid Brūdisij actum esset, planè nesciebamus: cum sciemus, tum ex re & ex tēpore consilium capiemus, sed utemur tuo.

CICERO ATTICO SAL.



Omitij filius transijt Formias. VIII Id. currens ad matrem Neapolim, mihiq́ nunciari iussit, patrem ad urbem esse, cum de eo curiose quæsisset seruus noster Dionysius. Nos autem audieramus eum profectum siue ad Pompeium, siue in Hispaniā: id cuiusmodi sit, scire sanè uelim: nam ad id quod delibero pertinet. Si ille certe nusquam discessit, intelligere Cn. non esse faciles nobis ex Italia exitus, cum ea tota armis præsidijsq́ teneatur, hieme presertim. Nam si cōmodius anni tēpus eēt, uel infero mari liceret uti: nunc nihil potest nisi supero tramitti, quo iter interclusum est. Quæres igitur & de Domitio & de Lentulo. A Brundisio nulla adhuc fama uenerat, & erat hic dies VII Id. quo die suspicabamur, aut pridie Brundisium uenisse Cæsarem: nā Kal. Arpis manserat. sed si Postumum audire uelles, persecuturus erat Cn. Transiisse enim iam putabat coniectura

tempestatum ac dierum. Ego nautas eum non putabam habiturum. Ille confidebat, & eo magis, ꝙ audita nauiculariȷs hominis liberalitas esset: sed tota res Brundisina iam quomodo habeat se, diutius nescire non possum. Ego etsi tādiu requiesco, q̄ diu aut ad te scribo, aut tuas literas lego, tn̄ & ipse egeo argumēto epistolarum, & tibi idem accidere certo scio: quæ enim soluto animo familiariter scribi solent, ea temporibus his excluduntur: quæ autem sunt horum temporum, ea iam contriuimus. Sed tamē ne me totum ægritudini dedā, sumpsi mihi quasdam tanquam θέσεις, quæ & politicæ sunt, & temporę horum, ut & abducam animum ab querelis, & in eo ipso, de quo agitur, exercear: eæ sunt eiusmodi. Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ, τυραννουμένης δ᾽ αὐτῆς, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πειρατέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν. Εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς αἴρηται, ἢ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι εἰρήνῃ μᾶλλον ἢ πολέμῳ. Εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν ἀναχωρήσαντά ποι, τῆς πατρίδος τυραννουμένης, ἢ διὰ παντὸς ἰτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας πέρι. Εἰ πόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρᾳ, καὶ πολιορκητέον αὐτὴν τυραννουμένην. Εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος, συναπογραπτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις, ἢ τοῖς εὐεργέταις, καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων. Εἰ ὁ μεγάλα τὴν πατρίδα εὐεργετήσας, δι᾽ αὐτὸ δὲ τοῦτο ἀνήκεστα παθὼν, καὶ φθονηθεὶς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος, ἢ ἐφετέον αὐτῷ ἑαυτοῦ ποτε, καὶ τῶν οἰκειοτάτων ποιεῖσθαι πρόνοιαν, ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ἰσχύοντας διαπολιτείας. In his ego me consultationibus exercens & differens in utranqꝫ partem, tum græce tum latine, & abduco parumper animum à molestiȷs, et τῶν προὔργου τι delibero. Sed uereor, ne tibi ἄκαιρος sim. Si enim recte ambulauerit is, qui hanc epistolam tulit, in ipsum tuum diem incidit.

CICERO ATTICO SAL.



Atali die tuo scripsisti epistolam ad me plenam consiliȷ, summęqꝫ cum beneuolentiæ, tum etiam prudētiæ: eam mihi Philotimus postridie q̄ à te acceperat, reddidit. Sunt ista quidem, quæ disputas, difficillima. iter ad superum, nauigatio infero: discessus Arpinū, ne hunc fugisse: mansio Formiȷs, ne obtulisse nos gratulationi uideamur: sed miserius nihil, q̄ ea uidere, quæ tamen iam, iam inq̄ uidenda erunt. Fuit apud me Postumus, scripsi ad te q̄ grauis. Venit ad me etiam Q. Fusius, quo uultu, quo spiritu properans Brundisium? scelus accusans Pompeȷ, leuitatē & stultitiam Senatus. Hæc qui in mea uilla non feram, cur tum in Curia potero ferre? Age finge me, quāuis εὐστομάχως hæc ferentem. Quid illa? dic M. Tulli, quem habebūt exitum? Et omitto causam reip. quam ego amissam puto cum uulneribus suis, tum medicamentis his quæ parātur. De Pompeio qd agam? cui planè (quid enim hoc negem) suscensui: semper enim causæ euentorū magis mouēt, q̄ ipsa euēta. Hæc igitur mala (quibus maiora esse quæ possunt?) considerans, uel potius iudicans eius opera accidisse & culpa, inimicior eram huic, q̄ ipsi Cæsari. Vt maiores nostri funestiorem diem esse uoluerūt Alliensis pugnę q̄ urbis captæ, ꝙ hoc malum ex illo: itaqꝫ alter religiosus etiam nūc dies, alter in uulgus ignotus: sic ego decem annorū peccata recordans, in quibus inerat ille etiam annus, qui nos hoc non defendente, ne dicam grauius, afflixerat, præsentisqꝫ tp̄is cognoscens temeritatē, ignauiā, negligētiam, suscensebam. Sed ea iam mihi exciderūt: beneficia eiusdem cogito, cogito etiam dignitatem:

gnitatem: intelligo serius equidem, quàm uelle propter epistolas sermonesque Balbi: sed uideo planè nihil aliud agi, nihil actum ab initio, quàm ut hunc occideret. Eo igitur si quis apud Homerum, cum ei & mater & dea dixisset, αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἑτοῖμος. matri ipse respondit, αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ κτεινομένῳ ἐπαμυνέμεν. Quid si non ἑταίρῳ solum, sed etiam εὐεργέτῃ; Adde tali uiro, talem causam agenti, & ego uero hæc officia mercanda uita, puto. Optimatibus uero tuis nihil confido, nihil iam ne inseruio quidem: uideo ut se huic dent, ut daturi sint. Quidquam tu illa putas fuisse de ualetudine decreta municipiorum, præ his de uictoria gratulationibus? Timent, inquies. at ipsi tum se timuisse dicunt. Sed uideamus quid actum sit Brundisij, ex eo fortasse mea consilia nascentur, aliæque literæ. Nos adhuc Brundisio nihil. Roma scripsit Balbus, putare iam Lentulum Cos. tramisisse me, nec eum à minore Balbo conuentum, quòd is hoc iam Canusij audisset: inde ad se eum scripsisse, cohortisque sex, quæ Albæ fuissent, ad Curtium Minutia transisse. Id Cæsarem ad se scripsisse, & breui tempore eum ad urbem futurum. Ergo utar tuo consilio, neque me in Arpinum hoc tempore abdam: etsi Ciceroni meo togam purã cum dare Arpini uellem, hanc eram ipsam excusationem relicturus ad Cæsarem. Sed fortasse in eo ipso offendetur: cur non Romę potius? Sed tamẽ si est conueniendus, hic potissimum: tũ reliqua uidebimus, id est & quo & qua & quando. Domitius, ut audio, in Cosano est quidem, ut aiunt, paratus ad nauigandum. Si in Hispaniam, non probo: si ad Cn. laudo. quouis potius certe, quàm ut Curtium uideat, quem ego patronus aspicere non possum. Quid alios? sed opinor, quiescamus, ne nostram culpam coarguamus, qui dum urbẽ, id est patriam amamus: dumque rem cõuenturam putamus, ita nos gessimus, ut planè interclusi captique simus.

Scripta iam epistola, Capua literæ sunt allatæ, hoc exemplo. Põpeius mare transijt cum omnibus militibus, quos secum habuit: hic numerus est hominum milia triginta, & Coss. duo & Trib. pl. & Senatores qui fuerunt cum eo omnes cum uxoribus & liberis: conscendisse dicitur ad IIII Non. Mart. Ex ea die fuere Septentriones uenti: naues quibus usus non est, omnis aut præcidisse aut incendisse dicunt. De hac re literæ L. Metello Trib. pl. Capuam allatę sunt ab Clodia socru, quę ipsa transijt. Ante solicitus eram & angebar, sicut res scilicet ipsa cogebat, cum consilio explicare nihil possem: nunc autem postquam Pompeius & Coss. ex Italia exierunt, non angor, sed ardeo dolore. οὐδέ μοι ἦτορ ἔμπεδον, ἀλλ' ἀλαλύκτημαι. Non sum inquam (mihi crede) mentis compos: tãtũ mihi dedecoris admisisse uideor, me ne nõ primum cũ Pompeio qualicunque consilio usum, deinde cum bonis esse, quàm causa temere instituta? presertim cũ ij ipsi, quorũ ego causa timidius me fortunæ cõmittebam, uxor, filia, Cicerones pueri, me illud sequi mallent, hoc turpe et me indignum putarent. Nam Q. quidẽ frater quidquid mihi placeret, id rectũ se putare aiebat, id animo æquissimo sequebatur. Tuas nunc epistolas à primo lego. Hæ me paulum recreant: primæ monẽt & rogãt, ne me proijciã: proxime gaudere te ostẽdũt, me remansisse: eas cũ lego, minus mihi turpis uideor, sed tãdiu, dum lego. Deinde emergit rursum dolor, & αἰσχροῦ φαντασία. Quamobrem obsecro te mi Tite, eripe mihi hũc dolorem, aut minue saltẽ aut cõsolatione, aut cõsilio, aut quacũque re potes. Quid tu aũt possis? aut quid homo quisquam?

uix iam deus. Equidē illud molior, quod tu mones, speras'q; fieri posse, ut mihi Cæsar concedat, ut absim, cum aliquid in Senatu contra Cn. agatur, sed timeo ne non impetrem. Venit ab eo Furnius, ut quidē scias quos sequamur, Q. Titinij filium cum Cæsare esse nunciat, sed illum maiores mihi gratias agere quàm uellem: quid autem me roget? paucis ille quidē uerbis, sed ἐν δυνάμει cognosce ex ipsius epistola. Me miserum, q; tu non ualuisti: unà fuissemus, consilium certe non defuisset, σύν τε δύ' ἐρχομένω: sed acta ne agamus, reliqua paremus. Me adhuc hæc duo fefellerunt: initio spes compositiōis, qua facta uolebā, ut populari, ut ea solicitudine senectutem nostram liberari: deinde bellum crudele & exitiosum suscipi à Pompeio intelligebam. Melioris mediusfidius ciuis et uiri putabam, quouis supplicio affici, q̃ illi crudelitati nō solum præesse, uerum etiam interesse. uidetur uel mori satius fuisse, q̃ esse cum ijs. Ad hæc igitur cogita mi Attice, uel potius excogita: quemuis euentū fortius feram, q̃ hunc dolorem. *

CAESAR IMP. S.D. CICERONI IMP.


Vm Furnium nostrum tantum uidissem, neque loqui, neq; audire me cōmodo potuisset cum properarem: atque essem in itinere præmissis iam legionibus, præterire tamen nō potui, quin & scriberem ad te & illum mitterem, gratias'q; agerem. etsi hoc & feci sæpe, & sæpius mihi facturus uideor, ita de me mereris. In primis à te peto, quoniam confido me celeriter ad urbem uenturum, ut te ibi uideam, ut tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerū uti possim. Ad propositum reuertar: festinationi meæ breuitati'q; literarū ignosces, Reliqua ex Furnio cognosces.

CICERO ATTICO SAL.


Cripseram ad te epistolam quam darem IIII id. sed eo die is cui dare uolueram, non est profectus: uenit autem eo ipso die ille Celeripes, quem Saluius dixerat, attulit uberrimas tuas literas, quæ mihi quiddam, quo starem, instillarunt. Recreatum enim me non queo dicere, sed planè τὸ συνέχον effecisti: Ego enim non iam id ago (mihi crede) ut prosperos exitus consequar: Sic enim uideo, nec duobus ijs uiuis, nec hoc uno, nos unquam remp. habituros: ita neque de otio nostro spero iā, nec ullam acerbitatem recuso. Vnum illud extimescebam, ne quid turpiter facerem, uel dicam iam effecissem. Sic ergo habeto: salutaris te mihi literas misisse, neque solum has longiores, quibus nihil potest esse explicatius, nihil perfectius: sed etiam illas breuiores, in quibus hoc mihi iucundissimum fuit, cōsilium factum'q; nostrum ab Sexto probari: pergratum'q; mihi tu fecisti, à quo diligi me, & quid rectum sit, intelligi scio. Longior uero epistola non me solum, sed meos omnes ægritudine leuauit. Itaque utar tuo consilio, & ero in Formiano, ne aut ad urbem ἀπάντησις mea animaduertatur: aut si nec hic nec illic eū uidero, deuitatum se à me putet. Quod autem suades, ut ab eo petam, ut mihi concedat, ut idem tribuam Pompeio, quod ipsi tribuerim, id me iampridē agere intelliges ex literis Balbi et Oppij, quarū exempla tibi misi: misi etiam Cæsaris ad eos sana mente scriptas. quomodo in tanta insania? sin mihi Cæsar hoc non concedat, uideo tibi placere illud, *

me

me πολίτευμα de pace suscipere, in quo non extimesco periculum: cũ enim tot impendeant, cur non honestissimo depacisci uelim? Sed uereor ne Pompeio quid oneris imponã, μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου intorqueat: mirandum enim in modum Cn. noster Sullani regni similitudinem concupiuit. εἰδώς σοι λέγω. nihil ille inquam minus obscure tulit. Cum hoc ne igitur, inquies, esse uis? beneficium sequor (mihi crede) non causam, ut in Milone, ut in. Sed hactenus. Causa igitur non bona est? immo optima, sed agetur (memento) fœdissime. Primum consilium est, suffocare urbem & Italiam fame: deinde agros uastare, urere, pecunijs locupletum non abstinere: sed cum eadem metuam ab hac parte, si illinc beneficium non sit, rectius putem quiduis domi perpeti. Sed ita meruisse illum de me puto, ut ἀχαριστίας crimen subire non audeam, quanq̃ à te eius quoq; rei iusta defensio est explicita. De triumpho tibi assentior, quem quidem totum facile & libenter abiecero: egregie probo fore, ut dũ agamus ὁ πλοῦς ὡραῖος obrepat. Si modo, inquis, satis ille erit firmus: est firmior etiam q̃ putabamus. De isto licet bene speres: promitto tibi, si ualebit, tegulam illum in Italia nullam relicturum. Te ne igitur socio? Cõtra me hercule meum iudicium, & cõtra omnium antiquorum auctoritatem: nec tã ut illa adiuuem, q̃ ut hæc ne uideam, cupio discedere. Noli enim putare tolerabilis horum insanias, nec uniusmodi fore, etsi quid te horum fugit, legibus, iudicijs, Senatu sublato, libidines, audacias, sumptus, egestates tot egentissimorum hominum, nec priuatas posse res, nec rempu. sustinere? Abeamus igitur inde qualibet nauigatione, etsi id quidẽ, ut tibi uidebitur: sed certe abeamus. Sciemus enim id quod expectas, quid Brundisij actum sit. Bonis uiris, ꝙ ais probari quæ adhuc fecerimus, scirij; ab ijs non profectis, ualde gaudeo, si est nunc ullus gaudendi locus. De Lentulo inuestigabo diligentius, id mandaui Philotimo homini forti ac nimium optimati. Extremum est, ut ibi argumentum ad scribendum fortasse iam desit. Nec enim alia de re nunc ulla scribi potest, & de hac quid iam amplius inueniri potest? Sed quoniam & ingenium suppeditat (dico mehercule ut sentio) & amor, quo & meum ingenium incitatur, perge, ut facis, & scribe quantum potes. In Epeirum ꝙ me non inuitas comitem, nõ molestum: subirascor, sed uale. Nam ut tibi ambulandũ, ungendum, sic mihi dormiendum. Etenim literæ tuæ mihi somnum attulerunt.

CICERO ATTICO SAL.



Enantibus prid. Id. nobis ac noctu quidem, Statius à te epistolam breuem attulit. De L. Torquato quid modo quæris? non modo Lucius, sed etiam Aulus profectus est. Alios multos de Reatinorum corona, quod scribis, moleste fero. In agro Sabino sementem fieri proscriptionis, Senatores multos esse Romæ, nos quoque audieramus. Ecquid potes dicere, cur exierint? In his locis opinio est coniectura magis q̃ nuncio aut literis, Cæsarem Formijs ad XI Kal. April. fore. Hic ego uellẽ habere Homeri illam Mineruam simulatam Mentori, cui dicerem,

Μέντορ πῶς τ' ἄρ ἴω, πῶς τ' ἄρ προσπτύξομαι αὐτόν;

Nullam rem unquam difficiliorem cogitaui, sed cogito tamen: nec ero (ut in malis) imparatus. Sed cura ut ualeas: puto enim diem tuum heri fuisse.

CAESAR OPPIO CORNELIO. S.



Audeo mehercule uos significare literis,q̃ ualde probetis ea quæ apud Corfinium sunt gesta:consilio uestro utar libenter,& hoc libentius,q mea sponte facere constitueram, ut quamlenissimum me præberem,& Pompeium darem operam ut recõciliarẽ.Tentemus hoc modo,si possumus omnium uoluntates recuperare, & diuturna uictoria uti,quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt:neque uictoriam diutius tenere,pręter unum L.Sullam,quem imitaturus non sum, Hæc noua sit ratio uincendi,ut misericordia & liberalitate nos muniamus. Id enim,quemadmodum fieri possit,nonnulla mi in mentem ueniũt,& multa reperiri possunt.De his rebus rogo uos,ut cogitationẽ suscipiatis.Cn.Magium Pompeij præfectum deprehendi scilicet,& meo instituto usus sum, & cum statim missum feci:iam duo præfecti fabrum Pompeij in meã potestatẽ uenerunt,& à me missi sunt:si uolent grati esse,debebũt Pompeiũ hortari,ut malit mihi esse amicus,q̃ ijs qui & illi & mihi semper fuerunt inimicissimi: quorum artificijs effectum est,ut respub.in hunc statum perueniret.

BALBVS CICERONI IMP. S.



Vb posteaquam literas cõmunis cũ Oppio ad te dedi, ab Cæsare epistolam accepi,cuius exemplum tibi misi,ex quibus perspicere poteris q cupiat concordiam & Pompeium reconciliare,& q̃ remotus sit ab omni crudelitate:quod eũ sentire,ut debeo,ualde gaudeo.De te & tua fide & pietate idẽ mehercule mi Cicero sentio,quod tu, non posse tuam famam & officium sustinere,ut contra eum arma feras,à quo tantum beneficium te accepisse prædices.Cęsarem hoc idem probaturum,exploratum(pro singulari eius humanitate)habeo:eiq cumulatissime satisfacturum te certe scio,cum nullam partem belli cõtra eũ suscipias,neq socius eius aduersarijs fueris:atq hoc non solum in te tali & tanto uiro satis habebit, sed etiam mihi ipse sua concessit uoluntate,ne in ijs castris essem,quæ contra Lentulum aut Pompeium futura essent,quorum beneficia maxima haberem: sibiq satis esse dixit,si togatus urbana officia sibi præstitissem,quæ etiam illis si uellem præstare,possem. Itaque nunc Romæ omnia negotia Lentuli procuro,sustineo,meumq officium,fidem,pietatẽ ijs præsto:sed mehercule rursus tam abiectã cõpositionis spem non desperatissimã eẽ puto, qm̃ Cæsar est ea mẽte,qua optare debemus.Hac re mihi placet,si tibi uidetur,te ad eũ scribere,& ab eo p̃sidiũ petere,ut petisti à Põpeio me quidẽ approbãte tpibus Milonianis.Pręstabo(si Cæsarẽ bene noui)eũ prius tuæ dignitatis q̃ suę utilitatis rationẽ habiturũ.Hæc q̃ prudẽter tibi scribã,nescio:sed illud certe scio,me ab singulari amore,beneuolẽtia q̃cũq scribo,tibi scribere,q te(ita incolumi Cęsare moriar)tãti facio,ut paucos æq ac te caros habeã. De hac re cũ aliqd cõstitueris,uelim mihi scribas:nã nõ mediocriter laboro utriq ut uis, tuã beneuolentiã præstare possis,quã mehercule te præstaturũ confido. Fac ualeas.

BALBVS ET OPPIVS S.D. M.CICERONI.



Edum hominum humilium,ut nos sumus,sed etiam amplissimorum uirorum cõsilia ex euentu,non ex uoluntate à plerisq p̃bari solẽt:tñ freti tua humanitate,quod uerissimũ nobis uidebit̃ de eo,

quod ad

quod ad nos scripsisti,tibi consilium dabimus:quod si non fuerit prudens,at certe ab optima fide & optimo animo proficiscetur. Nos nisi id quod nostro iudicio Cæsarem facere oportere existimamus,ut simul Romã uenerit, agat de reconciliatione gratiæ suæ & Pompeij,id eum facturum,ex ipso cognouissemus,te hortari desineremus,ut uelles his rebus interesse,quo facilius & maiore eum dignitate per te,qui utrique es coniunctus,res tota confieret:aut si ex contrario putaremus Cæsarem id non facturũ,& eum uelle cum Põpeio bellum gerere sciremus,nũquam tibi suaderemus contra hominem optime de te meritum arma ferres, sicuti te semper orauimus.ne contra Cæsarẽ pugnares: sed cum etiamnum quid facturus Cæsar sit,magis opinari,q̃ scire non possumus,nisi hoc:non uideri eam tuam esse dignitatem neque fidẽ omnibus cognitam,ut contra alterutrum,cum utrique sis maxime necessarius,arma feras:& hoc non dubitamus,quin Cæsar pro sua humanitate maxime sit probaturus. Nos tamen(si tibi uidebitur)ad Cæsarem scribemus,ut nos certiores faciat, quid in hac re acturus sit:à quo si erit nobis rescriptũ,statim quæ sentiemus, ad te scribemus:& tibi fidem faciemus nos ea suadere,quæ nobis uidenť tuæ dignitati,non Cæsaris actioni esse utilissima.Et hoc Cæsarem pro sua indulgentia in suos probaturum putamus.

CICERO ATTICO SAL.



Ris epistolas tuas accepi postridie Id.erãt autem illæ tertiæ prid. Id.datæ:igitur antiquissimæ cuique primum respõdebo. Assentio tibi,ut in Formiano potissimum cõmorer,& iam de supero mari perlabor,ut antea ad te scripsi,& quonam modo possem uolunta te eius nullam reip.partem attingere. Quod laudas,quia obliuisci me scripsi antẽ facta & delicta nostri amici,ego uero ita facio:quin ea ipsa,quæ à te com memorantur,secus ab eo in meipsum facta esse non memini:tanto plus apud me ualere beneficij gratiam,q̃ iniuriæ dolorem uolo. Faciamus igitur,ut cen ses,colligamusque nos.festiuo enim simili urus decurro,atque cursu σκέψεις me

* as commentari non desino.sed sunt quædam earum perdifficiles ad iudicandum. De optimatibus,sit sanè ita,ut uis,sed nosti illud Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ. Titinij filius apud Cæsarem est. Quòd autẽ quasi uereri uideris,ne mihi tua cõsilia displiceant,me uero nihil delectat aliud,nisi consiliũ & literæ tuæ:quare fac ut ostẽdis,ne destiteris ad me quidquid tibi in mentẽ uenerit, scribere:mihi nihil potest esse gratius. Venio ad alteram nũc epistolam. Recte nõ credis de numero militũ,ipso dimidio plus scripsit Clodia:falsum etiã de corruptis nauibus. Q. Coss. Laudas,ego quoque animum laudo,sed consilium reprehẽdo.dispersu enim illorum actio de pace sublata est,quam quidem ego meditabar:itaque postea Demetrij librum de concordia tibi remisi, & Philotimo dedi. Nec uero dubito,quin exitiosum bellũ impendeat, cuius initium ducetur à fame:& me tñ doleo non interesse huic bello,in quo tanta uis sceleris futura est,ut cũ parentis nõ alere nefarium sit, nostri principes antiquissimam & sanctissimam parentem patriã,fame necandam putent:atque hoc non opinione timeo,sed interfui sermonibus.Omnis hęc classis,Alexãdria, Colchis, Tyro,Sidone,Andro,Cypro,Pãphylia,Lycia,Rhodo,Chio,Bizãtio, Lesbo,Smyrna,Mileto,Coo,ad intercludẽdos cõmeatus Italiæ,& ad occupan

das frumētarias prouincias cōparatur, at quā uenit iratus, & ijs quidē maxime, qui eam maxime saluam uolebāt, quasi relictus ab ijs, quos reliquit. Itaq; mihi dubitanti quid me facere par sit, permagnum pondus affert beneuolentia erga illum: qua dempta, perire melius esset in patria, q̄ patriam seruando euertere. De Septentrione planè ita est. Metuo ne uexetur Epeirus: sed quem tu locum Græciæ non direptum iri putas? prædicat enim palàm & militibus ostendit, se largitione ipsa superiorem, q̄ hūc fore. Illud me præclare admones, cum illū uidero, ne nimis indulgēter, & ut cum grauitate potius loquar: planè sic faciendum. Arpinum cum eum cōuenero, cogito, ne forte aut absim cum ueniet, aut cursem huc illuc uia deterrima. Bibulum (ut scribis) audio uenisse, & redisse prid. Id. Philotimū ut alijs epistola tertia expectabas. At ille Id. à me profectus est: eo serius ad tuam illam epistolam, cui ego statim rescripseram, redditæ sunt meæ literæ. De Domitio ut scribis, ita opinor esse, ut & in Cosano sit, & consilium eius ignoretur. Iste omnium turpissimus & sordidissimus, qui Consularia comitia à Prætore ait haberi posse, est ille, qui semper in repub. fuit: itaq; nimirum hoc illud est, quod Cæsar scribit in ea epistola, cuius exemplum ad te misi, & se uelle uti CONSILIO meo, Age esto hoc cōmune, & GRATIA, ineptum id quidem, sed puto hoc simulat ad quasdā Senatorum sententias, DIGNITATE, fortasse sententia Consularis: illud extremū est, OPE OMNIVM RERVM: id ego suspicari cœpi, tum ex tuis literis, aut hoc ipsum esse, aut non multo secus: nam permagni eius interest rē ad interregnum non uenire. Id assequitur, si per Prætores Coss. creanē. Nos autem in libris habemus non modo Coss. à Præt. sed ne Prætores quidē creari ius esse: idq; factum esse nusquam. Coss. eo nō esse ius, q; maius imperium à minore rogari nō sit ius: Prætores autem, cū ita rogentur, ut Collegę Coss. sint, quorum est maius imperium, aberit non longe, quin hoc à me decerni uelit: neq; sit contētus Galba, Scæuola, Cassio, Antonio. τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. Sed quanta tempestas impendeat, uides: qui trāsierint Senatores scribam ad te, cum certum habebo. De re frumentaria rectè intelligis, quæ nullo modo administrari sine uectigalibus potest: nec sine causa & eos, qui circum illum sunt omnia postulantes, & bellum nefarium times. Trebatium nostrum, etsi (ut scribis) nihil bene sperat, tamē uidere sanè uelim, quem fac horteris, ut properet: opportune enim ad me ante aduentū Cæsaris uenerit. De Lanuino statim ut audiui, Phameam mortuum optaui, si modo esset futura resp. ut id aliquis emeret meorum: neq; tamen de te, qui maxime meus, cogitaui. Sciebam enim de quoto anno, & quantum in solo solere quærere: neq; solum Romæ, sed etiam Deli tuum digamma uideram. Veruntamen ego illud, quanquam est bellum, minoris æstimo, q̄ ęstimabatur Marcellino Cos. cū ego istos hortulos propter domum Antij quam tum habebam, iucundiores mihi fore putabam & minore impensa, q̄ si Tusculanum refecissem. uolui NS Q. egi, per prædem ille daret, Antij cum haberet uenale: noluit. Sed nunc omnia ista iacere puto propter nūmorum caritatem: mihi quidem erit aptissimum, uel nobis potius, si tu emeris. Sed eius dementias caue contemnas: ualde est uenustum, quanquam mihi ista omnia iam addicta uastitati uidentur. Respondi epistolis tribus, sed expecto tuas: nam me adhuc tuæ literæ sustentarunt. Dat. Liberalibus.

CICERO

CICERO ATTICO SAL.



Ihil habebam quod scriberem: neq; enim noui quidquam audie-ram,& ad tuas omnes rescripseram pridie: sed cum me ægritudo nõ solum somno priuaret, uerum ne uigilare quidem sine summo dolore pateretur, tecũ ut quasi loquerer, (in quo uno acquiesco), hoc nescio quid nullo argumento ꝓposito scribere institui. Amens mihi fuisse uideor à principio, & me unà hæc res torquet, q non omnibus in rebus labentem, uel potius ruentem Pompeium tanquam unus manipularis secutus sim. Vidi hominẽ XIIII kal. Feb. plenũ formidinis: illo ipso die sensi, quid ageret. Nũq̃ mihi postea placuit, nec unquam aliud in alio peccare destitit: nihil interim ad me scire, nihil nisi fugam cogitare. Quid quæris? Sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienantur immũdæ insulsæ indecoræ, sic me illius fugæ neglig ẽtięq; deformitas auertit ab amore: nihil enim dignum faciebat, quare eius fugæ comitem me adiungerem. Nunc emergit amor, nunc desiderium ferre non possum, nũc mihi nihil libri, nihil literæ, nihil doctrina prodest. Itaq; dies & noctes tanquam auis illa mare prospecto, euolare cupio. do, do pœnas temeritatis meæ: etsi quæ fuit illa temeritas? quid feci non consideratissime? Si enim nihil præter fugam quæreretur, fugissem libentissime: sed genus belli crudelissimi & maximi, quod nondum uident homines quale futurum sit, perhorrui. Quæ minæ municipijs? quæ nominatim uiris bonis? quæ deniq; omnibus, qui remansissent? q̃ crebro illud, Sulla potuit, ego non potero? Mihi aũt hæserunt illa. Male Tarquinius qui Porsenam, qui Octauium Maniliũ contra patriam: impie Coriolanus, qui auxilium petijt à Volscis. Recte Themistocles, qui mori maluit: nefarius Hippias Pisistrati filius, qui in Marathonia pugna cecidit, arma contra patriam ferens. At Sulla at Marius at Cinna recte, immo iure fortasse: sed quid eorum uictoria crudelius? quid funestius? Huius belli genus fugi, & eo magis, q crudeliora etiam cogitari & parari uidebamus. Me, quem nonnulli conseruatorem istius urbis, quem parentẽ esse dixerũt, Getarum & Armeniorum & Colchorum copias ad eam adducere: me meis ciuibus famem, uastitatem inferre Italiæ. hunc primum mortalẽ esse, deinde etiam multis modis posse extingui cogitabam. Vrbẽ autem & populum nostrum seruandum ad immortalitatem, quantum in nobis esset, putabam: & tamen spes quædam me obtentabat, fore, ut aliquid conueniret potius, quàm aut hic tantum sceleris, aut ille tantũ flagitij admitteret. Alia res nũc tota est, alia mea. Sol (ut est in tua quadam epistola) excidisse mihi è mundo uidetur. Vt ægroto, dum anima est, spes eẽ dicitur, sic ego, quoad Pompeius in Italia fuit, sperare non destiti. Hæc me fefellerunt, & (ut uerũ loquar) ętas iam à diuturnis laboribus deuexa ad otium domesticarum me rerum delectatione mollijt. Nunc si sine periculo experiundum erit: experiar certe, ut hinc auolem. Ante oportuit fortasse, sed ea quæ scripsisti me tardarunt, & auctoritas maxime tua: nã cũ ad hũc locũ uenissem, euolui uolumen epistolarum tuarum, qđ ego sub signo habeo seruoq; diligẽtissime. Erat igitur in ea quã X Kal. Febr. dederas hoc modo. SED VIDEAMVS ET CN. QVID AGAT, ET ILLIVS RATIONES QVORSVM FLVANT. QVOD SI ISTE ITALIAM RELINQVET, FACIET OMNINO MA-

LE. ET (VT EGO ÆSTIMO) ἀλογίστως. SED TVM DEMVM CON
SILIA NOSTRA COMMVTANDA ERVNT. Hoc ſcribis poſt diem
quartũ, q̃ ab urbe diſceſſimus, Deinde VIII Kal. Feb. tm̃modo. CN. NO-
STER NE, VT VRBEM ἀλογίστως RELIQVIT, SIC ITALIAM RE
LINQVAT. Eodem die das alteras literas, quibus mihi conſulenti planiſſi-
me reſpõdes. eſt enim ſic. SED VENIO AD CONSVLTATIONEM,
TVNC SI CN. ITALIA CEDIT, IN VRBEM REDEVNDVM
PVTO. QVÆ ENIM FINIS PEREGRINATIONIS? hoc mihi pla
nè hæſit: & nunc ita uideo infinitum bellum iunctum miſerrima fuga, quam
tu peregrinationem ὑποκορίζῃ. Sequitur χρησμός VI Kal. Feb. EGO SI
POMPEIVS MANET IN ITALIA, NEC RES AD PACTIO-
NEM VENIT, LONGIVS BELLVM PVTO FORE: SIN ITA-
LIAM RELINQVIT, AD POSTERVM BELLVM ἄσπονδον STRVI
EXISTIMO. Huius igitur belli ego particeps, & ſocius, & adiutor eſſe co-
gor, quod & ἄσπονδον & cum ciuibus. Deinde VII. Id. Febr. cum iam plura
audires de Pompeij conſilio, concludis epiſtolam quãdam hoc modo. EGO
QVIDEM TIBI NON SIM AVCTOR, SI POMPEIVS ITA-
LIAM RELINQVIT, TE QVOQVE PROFVGERE. SVMMO E-
NIM PERICVLO FACIES, NEC REIP. PRODERIS: CVI QVI
DEM POSTERIVS, POTERIS PRODESSE, SI MANSERIS.
Quem φιλόπατριν ac πολιτικόν, hominis prudentis & amici tali admonitu non
moueret auctoritas? Deinceps III id. Feb. iterũ mihi reſpõdes conſulẽti ſic.
QVOD QVÆRIS A ME, FVGAMNE FIDAM, AN MORAM DE
SERENDAM VTILIOREM PVTEM, EGO VERO IN PRÆSEN *
TIA SVBITVM DISCESSVM, ET PRÆCIPITEM PROFEC-
TIONEM CVM TIBI, TVM IPSI CN. INVTILEM ET PERI
CVLOSAM PVTO, ET SATIVS ESSE EXISTIMO VOS DI-
SPERTITOS ET IN SPECVLIS ESSE: SED MEDIVS FI-
DIVS TVRPE NOBIS PVTO ESSE DE FVGA COGITARE.
Hoc turpe Cn. noſter biẽnio ante cogitauit, ita ſullaturit animus eius, et pro-
ſcripturit diu. Inde, ut opinor, cum tu ad me quædam γεννικώτερον ſcripſiſſes,
& ego mihi à te quędam ſignificari putaſſem, ut Italia cederẽ, deteſtaris hoc
diligenter XI Kal. Mart. EGO VERO NVLLA EPISTOLA SIGNI
FICAVI, SI CN. ITALIA CEDERET, VT TV VNA CEDE-
RES: AVT SI SIGNIFICAVI, NON DICO, FVI INCON-
STANS, SED DEMENS. In eadẽ epiſtola alio loco. NIHIL RELIN
QVITVR NISI FVGA, CVI TE SOCIVM NEVTIQVAM PV
TO ESSE OPORTERE, NEC VNQVAM PVTAVI. Totam autem
hanc deliberationem euoluis accuratius in literis VIII Kalend. Mart. datis.
SI M. LEPIDVS ET L. VOLCACIVS REMANENT, MANEN-
DVM PVTO: ITA, VT SI SALVVS SIT POMPEIVS, ET CON
STITERIT ALICVBI, HANC νεκύιαν RELINQVAS, ET TE IN
CERTAMINE VINCI CVM ILLO FACILIVS PATIARIS,
QVAM CVM HOC IN EA, QVÆ PERSPICITVR FVTVRA
COLLVVIE, REGNARE. Multa diſputas huic ſententiæ cõuenientia. In-
de ad extremum. QVID SI inquis, LEPIDVS ET VOLCACIVS
diſcedunt?

DISCEDVNT. PLANE ἀπορῶ. QVOD EVENERIT IGITVR, ET QVOD EGERIS, ID στερκτέον PVTABO: si tum dubitares, nunc certe nõ dubitas istis manentibus. Deinde in ipsa fuga V Kalen. Mart. INTEREA NON DVBITO, QVIN IN FORMIANO MANSVRVS SIS: COMMODISSIME ENIM τὸ μέλλον IBI καραδοκήσεις. ad Kal. Mart. cũ ille quintum iam diem Brundisij esset. TVM POTERIMVS DELIBERARE, NON SCILICET INTEGRA RE, SED MINVS INFRACTA, QVAM SI VNA PROIECERIS TE. Deĩde IIII Non. Mart. ὑπὸ τὴν λῆψιν cum breuiter scriberes, tamen ponis hoc, CRAS SCRIBAM PLVRA ET AD OMNIA. HOC TAMEN DICAM, NON POENITERE ME CONSILII DE TVA MANSIONE: ET QVANQVAM MAGNA SOLICITVDINE, TAMEN QVIA MINVS MALI PVTO ESSE, QVAM IN ILLA PROFECTIONE, MANEO IN SENTENTIA, ET GAVDEO TE MANSISSE. Cũ uero iam angerer & timerem ne quid à me dedecoris esset admissum III Non. Mart. TAMEN TE NON ESSE VNA CVM POMPEIO, NON FERO MOLESTE: POSTEA SI OPVS FVERIT, NON ERIT DIFFICILE: ET ILLI QVOQVO TEMPORE FIET, ERIT ἀσμένιστον. SED HOC ITA DICO, SI HIC QVA RATIONE INITIVM FECIT, EADEM CETERA AGET SYNCERE, TEMPERATE, PRVDENTER, VALDE VIDERO, ET CONSIDERATIVS VTILITATI NOSTRÆ CONSVLVERO. VII id. Mart. scribis Peduceo quoq; nostro probari, quòd quierim, cuius auctoritas multum apud me ualet. His ego tuis scriptis me cõsolor, ut nihil à me adhuc delictum putem. Tu modo auctoritatem tuam defendito: aduersus me nihil opus esse, conscius ego alijs: ego si nihil peccaui, reliqua tuebor. Ad ea tute hortare & me omnino tua cogitatione adiuua. Hic nihildum de reditu Cæsaris audiebatur. Ego his literis hoc tamen profeci, perlegi omnes tuas, & in eo acquieui. Lentulum nostrum scis Puteolis esse, quod cum è uiatore quodam esset auditum, qui se diceret, eum in Appia, cum his paulum lecticã aperuisset, cognosse, etsi uix uerisimile, misi tamẽ Puteolos pueros, qui peruestigarent, & ad eũ literas. Inuentus est uix in hortis suis se occultãs, literasq; mihi remisit, mirifice gratias agens Cæsari. De suo autem consilio C. Cecio mãdata ad me dedisse. eum ego hodie expectabam, id est XIIII Kal. Aprilis. Venit etiam ad me Matius Quinquatribus, homo mehercule, ut mihi uisus est, tẽperatus & prudens: existimatus quidem est semper auctor otij. Quàm ille hæc non probare mihi quidem uisus est, q̃ illam νέκυιαν (ut tu appellas) timere. Huic ego in multo sermone epistolam ad me Cæsaris ostendi, eam, cuius exemplum ad te antea misi, rogauiq; ut interpretaretur, quid esset, quod ille scriberet, consilio meo se uti uelle, gratia, dignitate, ope rerum omnium. Respondit se non dubitare, quin & opem & gratiam meam ille ad pacificatiõem quæreret. Vtinã in hac aliqđ miseria reipublicæ πολιτικὸν opus efficere & nauare mihi liceat. Matius quidẽ & illũ in ea sentẽtia esse cõfidebat, & se auctorẽ fore pollicebatur.

Pridie autem apud me Crassipes fuerat, qui se prid. Non. Mart. Brundisio profectum atq; ibi Pompeium reliquisse dicebat: quod etiam qui VIII Id, illinc profecti erant, nunciabant. Illa uero omnes, in quibus etiam Crassi-

pes, qui prudentia potius attēdere sermones minaces, inimicos optimatium, municipiorum hostis, meras proscriptiones, meros Sullas, quæ Lucceium lo, qui, quæ totam Græciam, quæ uero Theophanem: & tamen omnis spes salu, tis in illis est, & ego excubo animo, nec partem ullam capio quietis: & ut has pestis effugiam, cum dissimillimis nostris eē cupio: quid enim tu illuc Scipio, nem? quid Faustum? quid Libonem pretermissurum sceleris putas? quorū creditores conuenire dicuntur. Quid eos autem, cum uicerint, in ciues effectu ros? quam uero μικροψυχίαν Cn. nostri esse? nunciant Aegyptum & Arabiam εὐδαίμονα cogitare, Hispaniam abiecisse: monstra narrant, quæ falsa esse, possunt: sed certe & hæc perdita sunt, & illa non salutaria.

Tuas literas iam desidero: post fugam nostram nunquam iam nostrū earum interuallum fuit. Misi ad te exemplum literarum mearum ad Cæsarem, quibus me aliquid profecturum puto.

CICERO IMP. S.D. CAESARI IMP.


VT legi tuas literas, quas ab Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad urbem essem, te uelle uti consilio & dignitate mea, minus sum admiratus. De gratia et de ope quid significares, mecum ipse quęrebam: spe tamen deducebar ad eam cogitationē, ut te pro tua admirabili ac singulari sapientia, de otio, de pace, de cōcordia ciuium agi uelle arbitrarer, & ad eam rationem existimabam satis aptam esse & naturam & personam meam. Quod si ita est, & siqua de Pompeio nostro tuendo, & tibi ac reip. recōciliādo, cura te attingit, magis idoneū, q̄ ego sum, ad eam causam profecto reperies neminem, qui & illi semper, et Senatui cum primum potui, pacis auctor fui. Nec sumptis armis belli ullam partem attigi, iudicauiq́ eo bello te uiolari, contra cuius honorem Populi R. beneficio concessum, inimici atq́ inuidi niterentur. Sed ut eo tempore non modo ipse auctor dignitatis tuæ fui, uerum etiam ceteris auctor ad te adiuuandum, sic me nunc Pompeij dignitas uehementer mouet: aliquot enim sunt anni, cum uos duo delegi, quos præcipue colerem, & quibus essem, sicut sum, amicissimus. Quamobrem à te peto, uel potius & omnibus precibus oro & obtestor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic quoq́ cogitationi, ut tuo beneficio bonus uir, gratus, pius deniq́ esse in maximi beneficij memoria possim. Quæ si tantum ad meipsum pertinerent, sperarem me à te tamen impetraturum: sed ut arbitror, & ad tuam fidem & ad remp. pertinet me & pacis & utriusq́ uestrum & ad ciuium concordiam, per te, quàm accomodatissimum conseruari. Ego cum antea tibi de Lentulo gratias egissem, cum ei saluti, qui mihi fuerat, fuisses, tamen lectis eius literis, quas ad me gratissimo animo de tua liberalitate beneficioq́ misit, eādem me salutem à te accepisse putaui, quam ille. In quem si me intelligis eē gratum, cura obsecro, ut etiā in Pompeium esse possim.

CICERO ATTICO SAL.


EGebam tuas literas XIII Kal. cum mihi epistola affertur à Lepta, circumuallatum esse Pompeium, ratibus etiam exitus portus teneri. Non mediusfidius præ lacrimis possem reliqua nec cogitare, nec scribere: misi ad te exemplum. Miseros nos, cur non omnis fatum illius unà executi sumus? Ecce autem à Matio et Trebatio, eadē quibus

Minturnis

Minturnis obuij Cęsaris tabellarij. Torqueor infelix, ut iam illum Mutianũ exitum exoptem. At q̃ honesta, at q̃ expedita tua consilia? q̃ euigilata tuis cogitationibus, qua itineris, qua nauigationis, qua congressus sermonisq́; cum Cæsare: omnia cum honesta, tum cauta. In Epeirum uero inuitatio q̃ suauis? q̃ liberalis? q̃ fraterna? De Dionysio sum admiratus, qui apud me honoratior fuit, q̃ apud Scipionem Panætius, à quo impurissime hęc, hæc nostra fortuna despecta est. Odi hominem & odero: utinam ulcisci possem: sed illum ulciscentur mores sui. Tu quæso nunc uel maxime quid agendum nobis sit, cogita. Populi R. exercitus Cn. Pompeium circũsidet, fossa & uallo septum tenet, fuga prohibet. Nos uiuimus, & stat urbs ista? Prætores ius dicunt? Aediles ludos parant? uiri boni usuras perscribũt? ego ipse sedeo? Coner illuc ire ut insanus? implorare fidem municipiorum? boni non sequentur: leues irridebunt: rerum nouarum cupidi, uictores presertim & armati, uim & manus afferent. Quid censes igitur? & quidnam est tui consilij ad finem huius miserrimæ uitæ? nunc doleo, nunc torqueor, cum quibusdam aut sapiens uideor, q̃ una non ierim, aut felix fuisse: mihi contrà: nunquam enim illius uictoriæ socius esse uolui, calamitatis mallem fuisse. Quid ego nũc tuas literas? quid tuã prudentiam, aut beneuolentiam implorem? actum est. Nulla re iam possum iuuari, qui ne quid optem quidem iam habeo, nisi ut aliqua inimici misericordia liberetur. οὐκ ἔστ᾽ ἔτυμος λόγος (ut opinor) ille de ratibus. Quid enim ẽ, q̃ Dolabella his literis, quas III id. Mart. à Brundisio dedit, hanc δύσμερίαν quasi Cæsaris scriberet, Pompeium in fuga esse? eumq́; primo uento nauigaturum? quod ualde discrepat ab his epistolis, quarum exempla antea ad te misi. Hic quidem mera scelera loquuntur: sed non erat nec recentior auctor, nec huius rei quidem melior Dolabella.

CICERO ATTICO SAL.



Vas XI Kal. accepi literas, quibus omnia consilia differs in id tẽpus, cum scierimus quid actum sit. & certe ita est: nec interim põt quidquam statui, sed ne cogitari quidem: q̃ q̃ hæ mihi literæ Dolabellæ iubent ad pristinas cogitationes reuerti: fuit enim pridie Quinquatrus egregia tempestas, qua ego illum usum puto. συναγωγὴ consiliorum tuorum non est à me collecta ad querelam, sed magis ad consolationẽ meam: nec enim me tam hæc mala angebant, q̃ suspitio culpæ ac temeritatis meæ: eam nullam puto esse, quoniam cũ consilijs tuis mea facta & consilia cõsentiunt. Quòd mea prædicatione factum esse scribis magis q̃ illius merito, ut tãtum ei debere uiderer, est ita. Ego illum extuli semper, & eo quidem magis ne quid ille superiorũ meminisse me putaret: quę si maxime meminissem, tamẽ illius temporis similitudinem iam sequi deberem: nihil me adiuuit, cum posset, & postea fuit amicus, & tam ualde, & quam ob causam, planè scio. Ergo ego quoque illi: quin etiam illud par in utroq́; nostrum, q̃ ab eisdem dilecti sumus. sed utinam tantum ego ei prodesse potuissem, quãtum mihi ille potuit: mihi tamen quod fecit, gratissimum: nec ego nũc eum iuuare qua re possum, scio: nec si possem, cum tam pestiferum bellum pararet, adiuuandum putarem: tantum offendere animum eius hic manẽs nolo: nec mehercule ista uidere, quæ tu potes iam animo prouidere, nec interesse istis malis possem: sed eo tardior ad discedendum fui, q̃ difficile est de discessu uoluntario sine ulla

ſpe reditus cogitare: nam ego hunc ita paratum uideo peditatu, equitatu, claſſibus, auxilijs Gallorum, quos Matius σαλπίζα (ut puto) ſed certe dicebat peditum, equitum ſe polliceri ſumptu ſuo annos decem. ſed ſit hoc λάπισμα. magnas habet certe copias, & habebit nō ille uectigal, ſed ciuium bona. Adde confidentiam hominis, adde imbecillitatem bonorum uirorum: qui qdē, ꝙ illum ſibi merito iratum putant, oderunt: ut tu ſcribis ludum ac uellem ſcribis. Quiſnam hic ſignificaſſet? ſed & iſte, quia plus oſtenderat ꝙ fecit, & uulgo illum, qui amarunt, non amant. Municipia uero & ruſtici Romani illū metuunt, hunc adhuc diligunt. Quare ita paratus eſt, ut etiam ſi uincere non poſſit, quomodo tamen uinci ipſe poſſit, non uideam. Ego autem nō tam γοητείαν huius timeo, ꝙ παθανάγκην, αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις, inquit πλάτων, ἴσθ᾽ ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις ἀλίμεναι, uideo tibi non probari, quæ ne mihi quidem placebant: ſed habebam in illis & occultationem, & ὑπηρεσίαν fidelē. Quæ ſi mihi Brūdiſij ſuppetāt, mallem. ſed ibi occultatio nulla eſt. Verum (ut ſcribis) cum ſcimus, uiris bonis me non nimis excuſo: quas enim eos cenas & facere & obire ſcripſit ad me Sextus, ꝙ lautas, ꝙ tempeſtiuas? Sed ſint quāuis boni, non ſunt meliores quàm nos: mouerēt me ſi eſſent fortiores. De Lanuino Phameæ erraui. Troianum ſomniaueram: id ego uoluiꝗ, ſed pluris eſt iſtuc, tamen me cupere memor es, ullam ſpem fruendi ut de re in nos. Quæ monſtra cotidie intelligamus ex illo libello, qui in epiſtolā coniectus eſt. Lentulus noſter Puteolis eſt ἀδημονῶν is (ut Cæcius narrat). Quid agat? διμετεωρῶν corfiniēſem reformidat. Pompeio nunc putat ſatiſfactum: beneficio Cæſaris mouetur, ſed tamen mouetur magis pro ſpecta re. Nec hæc poſſe ferre?

Omnia miſera, ſed hoc nil miſerius. Pompeius Numatium Magiū de pace miſit, & tamen oppugnatur, quod ego non credebam: Sed habeo à Balbo literas, quarum ad te exemplum miſi. Lege quæſo & illud infimum caput ipſius Balbi optimi. Cui Cn. noſter locum, ubi hortos ædificaret, dedit, quē cui noſtrum non ſæpe prætulit? Itaque miſer torquetur. Sed ne bis eadem legas, ad ipſam te epiſtolam reijcio: ſpem autem pacis habeo nullam. Dolabella ſuis literis Id. Mart. datis, merum bellum loquitur. Maneamus ergo in illa eadem ſententia miſera & deſperata, quando hoc miſerius eſſe nihil poteſt.

BALBVS CICERONI IMP. S.



CÆſar nobis literas perbreues miſit, quarum exemplum ſubſcripſi, breuitate epiſtolæ ſcire poteris eum ualde eſſe diſtentum, qui tanta de re tam breuiter ſcripſerit. Si quid preterea noui fuerit, ſtatim tibi ſcribam. Cæſar Oppio Cornelio S. A VII Id. Mart. Brundiſium ueni, ad murum caſtra poſui. Pompeius eſt Brundiſij, miſit ad me Cn. Magium de pace: quæ uiſa ſunt, reſpondi. Hoc uos ſtatim ſcire uolui: cum in ſpem uenero, de compoſitione aliquid me cōficere, ſtatim uos certiores faciā.

Quomodo me nunc putas mi Cicero torqueri, poſtquam rurſus in ſpem pacis ueni, ne qua res eorum compoſitionem impediat? Nanque quod abſens facere poſſum, opto: ꝙ ſi unà eſſem, aliquid fortaſſe proficere poſſem uideri: Nunc expectatione crucior.

CICERO ATTICO SAL.

MIſeram ad te VIIII Kal. exemplum epiſtolæ Balbi ad me, & Cæſaris ad eum. Ecce tibi eodē die Capua literas accepi ab Q. Pedio, Cæſarem

» Cæsarem ad se prid. Id. Mart. misisse hoc exemplo. Pompeius se oppido tenet, » nos ad portas castra habemus: conamur opus magnum & multorum dierũ » propter altitudinem maris: sed tñ nihil est, quod potius faciamus. Ab utroq; » portus cornu molis iacimus, ut aut illum quamprimum traĳcere quod habet » Brundisĳ copiarum cogamus, aut exitu prohibeamus. Vbi est illa pax, de qua Balbus scripserat torqueri se? Et quid acerbius? & quid crudelius? Atq; eum loqui αὐθεντικῶς narrabat, Cn. Carbonis, M. Bruti se pœnas persequi, omniumq; eorum, in quos Sulla crudelis hoc socio fuisset: nihil Curionem se duce facere, quod non hic Sulla duce fecisset. Ad ambitionẽ, quibus exilĳ pœna superioribus legibus non fuisset, ab illo patriæ proditores de exilio reductos esse: queri de Milone per uim expulso. Neminem tamẽ se uiolaturum, * nisi qui arma hæc contra. Bebius quidam à Curione III Id. profectus, homo non infans, sed quis ulli non dicat? planè nescio quid agam. Illinc quidẽ Cn. profectũ puto. Quidquid est, biduo sciemus. A te nihil ne antè prorsus quidem quid literarum, nec mirum: quid enim est quod scribamus? Ego tamen nullum diem prætermitto.

Scripta epistola, literæ mihi ante lucem à Lepta Capuæ redditæ sunt. Id. Mar. Pompeium à Brundisio conscendisse, at Cæsarem ad VII Kal. Apr. Capuæ fore.

CICERO ATTICO SAL.



Cum dedissem ad te literas, ut scires Cæsarem Capuæ VII Kal. fore, allatæ mihi Capua sunt literæ, eum in Albano apud Curionem V kal. fore. Eum cum uidero, Arpinum pergam. Si mihi ueniam, quam peto, dederit, utar illius conditione: sin minus, impetrabo aliquid à meipso. Ille, ut ad me scripsit, legiones singulas posuit Brũdisĳ, Tarenti, Siponti: claudere mihi uidetur maritimos exitus, & tamen ipse Græciã spectare potius q̃ Hispanias: sed hæc longius absunt. Me nunc & cõgressus huius stimulat (is uero adest) & prima eius actiõis horreo. Volet enim (credo) S.C. facere, uolet Augurum decretũ, rapiemur, aut absentes uexabimur: uel ut Coss. roget Prætor, uel Dictatorem dicat, quorum neutrum ius est: & si Sulla potuit efficere, ab Interrege ut Dictator diceretur & Magister equitum, cur hic non possit? Nihil expedio, nisi ut aut ab hoc tanquam Q. Mutius, aut ab illo tanq̃ L. Scipio. Cum tu hæc leges, ego illum fortasse cõuenero. πῖτλα κωύτερον, ne illud quidem nostrum proprium: erit enim spes propinqui reditus, erit hominum querela: nũc exire cupimus, qua spe reditus, mihi quidem nũquam in mentem uenit. Non modo autem nulla querela est municipalium hominum ac rusticorum, sed contra metuunt, ut crudelem iratum: nec tamen mihi quidquam est miserius q̃ remansisse, nec optatius q̃ euolare, non tã ad belli, q̃ ad fugæ societatem. Sed tu, omnia qui consilia differebas in id tempus, cum sciremus quæ Brundisĳ acta essent: scimus nempe: hæremus nihilo minus: uix enim spero mihi hunc ueniam daturum, etsi multa affero iusta ad impetrandum: sed tibi omnem illius meumq; sermonem omnibus uerbis expressum statim mittam: tu nunc omni amore enitere, ut nos cura tua & prudentia iuues. Ita subito accurrit, ut ne Trebatium quidem, ut constituerã, possim uidere: omnia nobis imparatis agenda. Sed tamen, ἄλλα μὲν αὐτὸς, ut ait ille, ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται, quidquid egero, continuo scies. Man-

data Cæsaris ad Coss.& ad Pompeium quæ rogas, nulla habeo: quæ de scripta attulit, illa è uia misi ad te, è quibus mandata puto intelligi posse. Philippus Neapoli est, Lentulus Puteolis. De Domitio, ut facis, sciscitare ubi sit, quid cogitet. Q. scribis asperius me, quàm mei patiātur mores, de Dionysio scripsisse, uide quàm sim antiquorum hominum: te mediussidius hanc rē grauius putaui laturum eē, quàm me: nam præterquam quòd te moueri arbitror oportere iniuria, quæ mihi à quoquam facta sit, præterea teipsum quodāmodo hic uiolauit, cum in me tam improbus fuit: sed tu id quanti æstimes, tuum iudicium est, nec tamen in hoc tibi quidquam oneris impono: ego autem illū male sanum semper putaui, nunc etiam impurum & sceleratum puto, nec tamen mihi inimiciorem quàm sibi. Philargyro bene, causam certe habuisti & ueram & bonam: relictum esse me potius, quàm reliquisse. Cum dedissem iā literas ad VIII Kal. quos cum Matio pueri & Trebatio miseram, epistolam mihi attulerunt hoc exemplo. Matius & Trebatius Ciceroni Imp. S. eū Capua exissemus, in itinere audijmus Brūdisio ad XVI Kal. April. cum omnibus copijs, quas habuerat, profectum esse: Cæsarem postero die in oppidū intro isse, concionatum esse: inde Romam contendisse, uelle ante Kal. esse ad urbem, & paulos dies ibi cōmorari, deinde in Hispanias proficisci: Nobis non alienum uisum est (quoniam de aduentu Cæsaris pro certo habebamus) pueros ad te remittere, ut id tu quāprimum scires. Mandata tua nobis curæ sunt, eaq; ut tempus postularit, agemus. Trebatius Scæuola facit, ut antecedat.

Epistola conscripta, nunciatum est nobis, Cæsarem ad VIII Kal. Capuæ, ad VII Sinuessę. hæc pro certo putamus.

CICERO ATTICO SAL.



Vm quid scriberem ad te nihil haberem, tamen ne quem diem intermitterem, has dedi literas. Ad VI Kal. Cæsarem Sinuessæ mānsurum nunciabant: ab eo mihi literæ redditæ sunt ad VII Kalen. quibus iam opes meas, non ut superioribus literis opem expectat. Cum eius clementiam Corfiniensem illam per literas collaudauissem, rescripsit hoc exēplo. Cæsar Imp. Ciceroni Imp. Sal. Dic. Recte auguraris de me (bene enim tibi cognitus sum) nihil à me abesse lōgius crudelitate. Atq; ego cum ex ipsa re magnam capio uoluptatem, tum meum factum probari abs te triumpho & gaudeo: neque illud me mouet, quod ij qui à me dimissi sunt, discessisse dicūtur, ut mihi rursus bellū inferrent: nihil enim malo, q̄ & me mei similem esse, & illos sui. Tu uelim mihi ad urbem præsto sis, ut tuis consilijs atq; opibus (ut cōsueui) in omnibus rebus utar. Dolabella tuo nihil scito mihi esse iucundius: hanc adeo habebo gratiam illi: neq; enim aliter facere poterit, tanta eius humanitas, is sensus, ea in me est beneuolentia.

CICERO ATTICO SAL.



Rebatium VI Kal. quo die has literas dedi, expectabam: ex eius nuncio Matijq; literis meditabar, quomodo cum illo loquar. O tempus miserum: nec dubito, quin à me cōtendat, ad urbem ueniā. Senatum enim Kal. uelle se frequentem adesse, etiam Formijs pro scribi iussit. Ergo ei negandum est? Sed quid præripi statim ad te perscribā omnia: ex illius sermone statuam, Arpinum ne mihi eundum sit, an quò aliò. Volo Ciceroni meo togam puram dare, istic puto. Tu quæso cogita, qd deinde: nam

de:nam me hebetem molestiæ reddiderunt. A Curio uelim scire ecquid ad te scriptum sit de Tirone:ad me enim ipse Tiro ita scripsit,ut uerear quid agat. Qui autem ueniunt inde,id modo nunciant. Sanè in magnis curis etiam hæc me sollicitant,in hac enim fortuna perutilis eius & opera & fidelitas esset.

CICERO ATTICO SAL.



Vtrunque ex tuo consilio:nam & oratio fuit ea nostra,ut bene poti us ille de nobis existimaret,quàm gratias ageret:& in eo mansimus, ne ad urbem:illa fefellerunt,facilem quod putaramus,nihil uidi minus. damnari se nostro iudicio:tardiores fore reliquos,si in his non ue nerimus dicere.ego,dissimilem illorum esse causam. Quid multa? Veni igitur & age de pace.meo ne inquam arbitratu? An tibi,inquit,ego præscribam? Sic inquam agam,Senatui non placere in Hispanias iri,nec exercitus in Græciam transportari,multaque inquam de Cn.deplorabo.Tum ille,ego uero ista dici nolo.Ita putabam inquam:sed ego eò nolo adesse,quod aut sic mihi dicendum est, aut non ueniendum,multaque quæ nullo modo possem silere,si adessem. Summa fuit, ut ille quasi exitum quærens ut deliberarem,non fuit negandum,ita discessi- mus.Credo igitur hunc me non amare. At ego me amaui,quod mihi iampri dem usu non uenit.Reliqua,ô Dij,qui comitatus?quæ,(ut tu soles dicere), νεκυία,in qua erat eros celeri?O rem perditam,ô copias desperatas. Quid Ser- uij F.quot in his castris fuerunt,quibus Pompeius circunsederetur?sex legio nes,multum uigilat,audet,nullum uideo finem mali. Nunc certe promenda tibi sunt consilia.Hoc fuerat extremum,illa tamen κατάκλεισις illius est odio- sa,quam penè præterij:si sibi consilijs nostris uti non liceret, usurum quorum posset,ad omniaque esse descensurum. Vidisti igitur uirum,ut scripseras? inge muisti?certe. cedò reliqua.Quid?continuo ipse in Puteolanum, ego Arpi- num:inde expecto quidem, ΛΑΛΑΓΕΥΟΥΣΑΝ illam tuam. Tu(malum)inquies, actum ne agas:etiam illum ipsum,quem sequimur,multa fefellerunt:sed ego tuas literas expecto.Nihil est enim iam,ut antea,uideamus hoc quorsum eua dat.Extremum fuit de congressu nostro,quo quidem non dubito, quin istum offenderim;eo maturius agendum est.Amabo te,epistolam & πολιτικόν,Va- le,tuas literas nunc expecto.

CICERO ATTICO SAL.



EGo meo Ciceroni,quoniam Roma caremus, Arpini potissimum togam puram dedi: idque municipibus nostris fuit gratum : etsi o- mnis & illos,& qua iter feci,mœstos afflictosque uidi. tam tristis & tam atrox est ἀναθεώρησις huius ingentis mali.Delectus habentur, in hyberna deducuntur.Ea,quæ etiam cum à bonis uiris, tum iusto in bello cum modeste fiunt, tamen ipsa per se molesta sunt, quàm censes acerba nunc esse, cum à perditis in ciuili nefario bello petulantissime fiant? Caue au- tem putes quenquam hominem in Italia turpem esse, qui hinc absit. Vi- di ipse Formijs uniuersos : neque mehercule inquam homines putaui, & noram omnes sed nunquam uno loco uideram.Pergamus igitur quo placet,& nostra omnia relin- quamus.Proficiscamur ad eum,cui gratior noster aduentus erit, quàm si una fuis semus:tum enim eramus in maxima spe:nunc ego quidem in nulla, nec præ-

ter me quisquam Italia cessit, nisi qui hunc inimicum sibi putaret: nec mehercule hoc facio reip. causa, quam funditus deletam puto: sed ne quis me putet ingratum in eum, qui me leuauit ījs incōmodis quibus idē affecerat: & simul ꝙ ea, quæ fiunt, aut quæ certe futura sunt, uidere non potero. Etiam equidem S.C. facta quædam iam puto: utinam in Volcatij sententiā. sed quid refert? Est enim una sententia omnium. Sed erit immitissimus Seruius, qui filiū misit ad affligendum Cn. Pompeium, aut certe capiendum cum Pōtio Titinia no: etsi hic quidem timoris causa, ille uero. Sed stomachari desinamus & aliquando sententiam. Vt nihil noui, nisi id quod minimum uellem, spiritum reliquum esse. Nos, quoniam superum mare obsidetur, infero nauigabimus: & si Puteolis erit difficile, Crotonem petemus, aut Thurios, & boni ciues amantes patriæ mare infestum habebimus. Aliam rationem non huius belli gerendi nullam uideo: in Ægyptum nos abdimus: exercitu pares esse non possumus: pacis fides nulla ē: sed hæc satis deplorata sunt. Tu uelim literas Cephalioni des de omnibus rebus actis, deniq; etiam de sermonibus hominum, nisi planè obmutuerunt. Ego tuis consilijs usus sum, maximeq; ꝙ grauitatem in congressu nostro tenui, quam debui, & ad urbem ut non accederem, perseueraui. Quod superest, scribe quæso q̄ accuratissime (iam enim extrema sunt) quid placeat, quid censeas, & si iam nulla dubitatio est, tamen si quid, uel potius quidquid ueniet in mentem, scribas uelim.

M.T. CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM. LIBER DECIMVS.

CICERO ATTICO. SAL.



Ertio Non. cum in Laterium fratris uenissem, accepi literas, & paulū respiraui, quod post has ruinas mihi nō acciderat: per enim magni æstimo tibi firmitudinē animi nostri & factum nostrum probari: Sexto enim nostro ꝙ scribis probari, ita lætor, ut me, quasi patris eius, cui semper uni plurimum tribui, iudicio cōprobari putē: qui mihi, quod sæpe soleo recordari, dixit olim Nonis illis Decembribus, cum ego Sexte, quidnam ergo? μὴ κὰν inquit ille, ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην, ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Eius igitur mihi uiuit auctoritas & simillimus eius filius eodem ē apud me pondere, quo fuit ille: quē saluere uelim iubeas plurimum. Tu tuum consilium, etsi non in longū tempus differs: (iam enim illum emptum pacificatorem perorasse puto, iam actum aliquid esse in consessu Senatorum): tamen suspensum meū detines, sed eo minus, ꝙ non dubito, quid nobis agendū putes. Quid enim Flauio legionē & Siciliam dari scribas? & id iā fieri? quæ tu scelera partim parari & iam cogitari, partim ex tempore futura censes? Ego uero Solonis popularis tui, ut puto, etiā mei, legem negligā, qui capite sanxit, siqui in seditione nō alterius utrius partis fuisset: nisi si tu aliter cēses: & hinc

abero

abero & filij.sed alterum mihi est certius,nec praeripiam tamē, expectabo tuum consilium,& eas literas,nisi alias iā dedisti,quas scripsi,ut Cephaloni dares. Quod scribis,non quo alicūde audieris,sed te ipsum putare, me attractū iri,si de pace agatur:mihi omnino non uenit in mentem,quae possit actio esse de pace,cum illi certissimum sit,si possit expoliare exercitu & prouincia Pompeium,nisi forte iste summarius ei potest persuadere,ut dum oratores eant & redeāt,quiescat,nihil uideo quod sperem,aut quid iam putem fieri posse: sed tamen hominis hoc ipsum probi est,& magnū, τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων, ueniendum ne sit in consilium Tyranni,si is aliqua de re bona deliberaturus sit. Quare,si quid eiusmodi euenerit,ut arcessamur,quod equidem non curo:qd enim essem de pace dicturus,dixi:ipse ualde repudiauit:sed tamen si quid acciderit,quod censeas mihi faciendum,utiq; scribito. Nihil enim mihi adhuc accidit,quod maioris consilij esset. Trebatij boni uiri & ciuis uerbis te gaudeo delectatum,tuaq; ista crebra ἐκφώνησις ΙΠΕΡΕΙ,me sola adhuc delectauit. Literas tuas uehementer expecto,quas quidem credo iam datas esse. Tu cum Sexto seruasti grauitatem eandem,quā mihi praecipis. Celer tuus disertus magis est,q; sapiens. De iuuenibus,quae ex Tullia audisti,uera sunt. M. Antonij istud quod scribis,non mihi uidetur tam re esse triste,q; uerbo. haec est ἄλλη, in qua nunc sumus mortis instar:aut enim mihi libere inter malos πολιτεύεσθαι fuit,aut uel periculose cum bonis:aut nos temeritatem bonorum sequamur, aut audaciam improborū insectemur. utrunq; periculosum est. At hoc quod agimus,nec turpe,nec tamen tutum. Istum,qui filium Brūdisium de pace misit. De pace idem sentio,quod tu,simulationem esse apertam:parari autē bellum acerrime. Me Legatum iri non arbitror,cuius adhuc (ut optaui) mentio facta nulla sit:eo minus habeo necesse scribere,aut etiam cogitare,quid sim facturus,si acciderit,ut legerer.

CICERO ATTICO SAL.


Go cum accepissem tuas literas Non. April.quas Cephalio attulerat,essemq; Minturnis postridie mansurus,& inde protinus: sustinui me in Arcano fratris,ut dum aliquid certius afferretur, occultiore in loco essemus,agereturq; nihilo minus, quae sine nobis agi possint. ΑΝΤΕΥΓΑ iam adest,& animus ardet, neq; est quidquam quo & qua:sed haec nostra erit cura & peritorum: Tu tamē,quoad poteris,ut adhuc fecisti,nos consilijs iuuabis. Res sunt inexplicabiles. Fortunae sunt committenda omnia:sine spe conamur ulla. Melius si quid acciderit, mirabimur. Dionysium nolim ad me profectum,de quo ad me Tullia mea scripsit:sed & tempus alienum est,& homini non amico nostra incōmoda, tāta praesertim, spectaculo esse nollem,cui te meo nomine inimicum esse nolo.

CICERO ATTICO SAL.


Vm quid scriberē,planè nihil haberē,haec aūt reliqua eēnt, quę scire cuperē,profectus ne eēt:quo in statu urbē reliquisset:in ipsa Italia,quē cuiq; regioni,aut negotio praefecisset:& qui essent ad Pōpeiū,& ad Coss.ex S.C.de pace Legati. Cū igitur hęc scire,dedita opa has ad te literas misi. Feceris igitur cōmode mihiq; gratum, si me de his rebus,& si quid erit aliud,quod scire opus sit,feceris certiorē. Ego in Arcano opperior,dū ista cognosco. Ad VII Id.alterā tibi eodē die hanc epistolā di

ctaui, & pridie dederam mea manu longiorem. Visum te aiunt in Regia, nec reprehendo, quippe cum ipse istam reprehensionem non fugerim: sed expecto tuas literas: neq; iam sanè uideo, quid expectem: sed tñ etiã si nihil erit, id ipsum ad me uelim scribas. Cæsar mihi ignoscit per literas, q; non uenerim, seseq; in optimam partem id accipere dicit. Facile patior, quod scribit, secum Tullium & Seruium questos esse, quia non idem sibi, quod mihi remisisset. homines ridiculos, qui cum filios misissent ad Cn. Pompeium circunsedendum, ipsi in Senatum uenire dubitarent. Sed tamen exemplum misi ad te Cæsaris literarum.

CICERO ATTICO SAL.


Vltas à te accepi epistolas, eodẽ die omneis diligẽter scriptas. Ea uero quæ uoluminis instar, erat sæpe legẽda, sicuti facio: in qua nõ frustra laborem suscepisti, mihi quidem pergratum fecisti. Quare ut id quoad licebit, id est quoad scies ubi sumus q̃ sæpissime facias, te uehementer rogo. At deplorandi quidem, quod cotidie facimus, sit iam nobis aut finis omnino, si potest, aut moderatio quædam, quod ꝓfecto põt. Non enim tã quam dignitatem, quos honores, quem uitæ statum amiserim, cogito, sed quid cõsecutus sim, quid prǫstiterim, qua in laude uixerim: his deniq; in malis quid intersit inter me & istos, quos propter omnia amisimus: hi sunt, qui nisi me ciuitate expulissent, obtinere se non posse putauerũt licentiã cupiditatũ suarum: quorum societatis, & sceleratæ cõsensionis, fides, quo erupertt uides. Alter ardet furore & scelere, nec remittit aliquid, sed in dies ingrauescit, modo Italia expulit, nunc alia ex parte persequi, ex alia prouincia spoliare conatur: nec iam recusat, sed quodãmodo postulat, ut quemadmodum est, sic etiam appelletur Tyrannus. Alter is qui nos sibi quondã ad pedes stratos ne subleuat quidem: qui se nihil contra huius uolũtatem aiebat facere posse, elapsus è soceri manibus ac ferro, bellum terra & mari comparat: non iniustum ille quidem, sed cum pium, tum etiam necessarium, suis tamẽ ciuibus exitiabile, nisi uicerit: calamitosum etiam, si uicerit. Horum ego summorum Imperatorum non modo res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidẽ ipsam, qua illi florentissima, nos duriore conflictati uidemur. Quis enim potest aut deserta per se patria, aut oppressa beatus esse? Et si (ut nos à te admonemur) recte in illis libris diximus, nihil esse bonum, nisi quod honestum: nihil malum, nisi quod turpe sit: certe uterq; istorũ ẽ miserrimus, quorũ utriq; semper patriæ salus & dignitas posterior sua dominatione & domesticis cõmodis fuit. Præclara igitur conscientia sustentor, cũ cogito me de rep. aut meruisse optime, cum potuerim: aut certe nunquã nisi diuine cogitasse: eaq; ipsa tempestate euersam esse remp. quam ego XIIII ãnis ante prospexerim. Hac igitur cõscientia comite, proficiscar, magno equidem cum dolore, nec tam id propter me, aut propter fratrem meum, quorum iam acta ætas, q̃ ꝓpter pueros, quibus interdum uidemur præstare etiam remp. debuisse, quorum quidẽ alter non tam, quia maiore pietate est, me mirabiliter excruciat: alter (ò rẽ miseram, nihil enim mihi accidit in omni uita acerbius) indulgẽtia uidelicet nostra deprauatus, eo progressus est, quo non audeo dicere: & expecto tuas literas. scripsisti enim te scripturum eẽ plurima, cũ ipsum uidisses. Omne meũ obsequium in illum fuit cum multa seueritate: neq; unum eius, nec paruum,

sed multa

sed multa magna delicta compressi. Patris autem lenitas amanda potius ab illo, quam tam crudeliter negligenda: nam literas eius ad Cæsarem missas ita grauiter tulimus, ut te quidem celaremus, sed ipsius uidemus uitam insuauem reddidisse: hoc uero eius iter, simulatioque pietatis, qualis fuerit, nō audeo dicere. Tantum scio: post Hircium cōuentum, arcessitum ab Cæsare cum eodem eo animo à suis rationibus alienissimo, et consilio relinquendi Italiam: & hęc ipsa timide. sed nulla nostra culpa est: natura metuenda est. hæc Curionē, hæc Hortensij filium non patrū culpa corrupit. Iacet in mœrore meus frater, neque tam de sua uita, quàm de mea metuit. Huic tu, huic tu malo affer consolatiōes, si ullas potes: maxime quidem illam uelim ea quæ ad nos delata sint, aut falsa esse, aut minora: quæ si uera sint, quid futurum sit in hac fuga, nescio: nā si haberemus remp. consilium mihi non deesset nec ad seueritatem, nec ad diligentiam. Hæc siue iracundia, siue dolore, siue metu pmotus, grauius scripsi, quam aut tuus in illum amor, aut meus postulabat. Si uera sunt, ignosces: si falsa, me libente eripies mihi hunc errorem. Quoquo modo uero se res habebit, nihil assignabis nec patruo nec patri. Cum hæc scripsissem, à Curione mihi nunciatū est, eum ad me uenire: uenerat enim is in Cumanum uesperi pridie, id est Id. Si quid eius igitur sermo eiusmodi attulerit, quod ad te scribēdum sit, id in literis adiungam.

Præterijt uillam meam Curio, iussitque mihi nunciari mox se uenturum, cucurritque Puteolos, ut ibi concionaretur. cōcionatus est: redijt: fuit ad me sanè diu. O rem fœdam: nosti hominem, nihil occultauit: in primis nihil esse certius, quam ut omnes, qui lege Pompeia condemnati essent, restituerentur: itaque se in Sicilia eorum opera usurum. De Hispanijs non dubitabat, quin Cæsaris essent: inde ipsum cum exercitu, ubicunque Pompeius esset: eius interitu finē illi fore, propius factum esse nihil: eum planè iracundia elatum: uoluisse Cæsarē occidi Metellum Trib. pl. quod si esset factum, cædem magnam futuram eē: permultos hortatores esse cædis: ipsum autem non uoluntate, aut natura non esse crudelem, sed quod popularem esse clementiam: quod si populi studium amisisset, crudelem fore: eumque perturbatum, quod intelligeret se apud ipsam plebem offendisse de ærario, itaque ei cum certissimum fuisset, antequam proficisceretur, concionem habere, ausum non esse, uehementerque animo perturbato profectum. Cum autē ex eo quærerem, quid uideret, quod exemplum, quam rēpu. planè fatebatur nullam spem reliquam. Pompeij classem timebat: quæ si eēt, se de Sicilia abiturum. Quid isti inquā sex tui fasces? si ab Senatu, cur laureati? si ab ipso, cur sex? Cupiui, inquit, ex S. C. surrepto. nā aliter nō poterat. At ille impendio nunc magis odit Senatum. A me, inquit, omnia proficiscentur. Cur autem sex? quia XII nolui: nam licebat. Tum ego, quàm uellē, inquam petijsse ab eo, quod audio Philippum impetrasse: sed ueritus sum, quia ille à me nihil impetrabat. Libēter, inquit, tibi concessisset: uerum puta te impetrasse. Ego enim ad eum scribam, ut tu ipse uoles, de ea re nos inter nos locutos. Quid autem illius interest, quoniam in Senatum non uenis, ubi sis? quin nūc ipsum minime offendisses, eius causa si in Italia non fuisses. Atque ego me recessum, & solitudinem quærere, maxime quod lictores haberem. Laudauit consilium. Quid ergo inquam? nam mihi cursus in Græciam per tuam prouinciam est, quoniam ad mare superū milites sunt. Quid mihi, inquit, optatius?

Hoc loco multa perliberaliter: ergo hoc quidem est uerum profecto, ut non modo tuto, uerum etiam palàm nauigaremus: reliqua in posterum diẽ distulit, ex quibus scribam ad te, si quid erit epistola dignum. Sunt autem, quæ prę terij, interregnum ne esset expectaturus, an quomodo dixerim. Ad se ille quidem, deferri Consulatum, sed se nolle in proximum annum: & alia sunt, quæ exquiram. Iurabat ad summam, ꝙ nullo negotio faceret, amicissimũ mihi Cęsarem: eẽ debet, quid enim inquam scripsit ad me Dolabella? dico quid affirmabat, cum scripsisset, ꝙ me cuperet ad urbem uenire? illum quidem gratias agere maximas, & non modo probare, sed etiam gaudere. Quid quæris? atq; iubebat. Est enim suspitio illa domestici mali, & sermonis Lurtiani: q̃ cupio illum dignum esse nobis, & q̃ ipse me inuito, quæ pro illo sit suspicandũ. sed opus fuit Lurtio conuento. Est profecto nescio quid, sed uelim quãminimo: & tamen eum nondum redisse miramur, sed hæc uidebimus, tu Oppios Terentiæ dabis. iam cum urbis unum periculum est. Me tamen consilio iuua, pedibus ne Rhegium, an hinc statim in nauem. Ceterum quoniam commoror, ego ad te statim habebo quod scribam, simul ut uidero Curionẽ. De Tirone cura quæso, quod facis, ut sciã, quid is agat. De tota mea cogitatiõe scripsi ad te antea satis, ut mihi uisus sum, diligenter. de die nihil sanè potest scribi certi præter hoc, non ante lunam nouam. *

Curionis sermo postridie eandem habuit ferè summam: nisi ꝙ apertius significauit, se harum rerum exitum non uidere. Quod mihi mandas de quodã regendo ἀρχιῶν: tamẽ nihil prætermittam, atq; utinam tu, sed modestior nõ pro epistolam, ad Vestoriũ statim de Tullia: ac ualde requirere solebat. Cõmodius tecum Vectenus est locutus, q̃ ad me scripserat: sed mirari satis hominis negligentiam non queo. cum enim mihi Philotimus dixisset, HS. L emere de Canuleio diuersorium illud posse, minoris etiam empturum, si Vectenũ rogasset, rogaui, ut si quid posset, ex ea summa detraheret: promisit: ad me nuper se HS. XXX emisse, ut scriberem cui uellem addici: diem pecunię Id. Nou. esse. rescripsi ei stomachose si uis, cum ioco tamen familiari. Nunc quoniam agit liberaliter, nihil accuso hominem: scripsiq; ad eum, me à te certiorẽ esse factum. Tu de tuo itinere quid, & quando cogites, uelim me certiorẽ facias. ad XV Kal. Mai. *

CICERO ATTICO SAL.

ME adhuc nihil præter tempestatem moratur: astutè nihil sum acturus: fiat in Hispania quidlibet, & tamen retice. meas cogitationes omnis explicaui tibi supioribus literis: quocirca hæ sunt breues: & tamen quia festinabam, eramq; occupatior de Q. Filio, ita me quidem sedulo, nosti reliqua. Quòd dein me mones & amice et prudẽter me mones, sed erunt omnia facilia, si ab uno illo cauero. Magnum opus est. mirabilia multa. nihil simplex, nihil syncerum: uellem suscepisses iuuenem regendum: pater enim nimis indulgens: quidquid ego astrinxi, relaxat: si sine illo possem, regerem, quod tu potes, sed ignosco: magnum inquam opus est. Põpeium pro certo habemus per Illyricum proficisci in Galliam: ego nunc qua & quo uidebo. Ego uero Apuliam & Sipontum, & tergiuersationem istam probo, nec tuam rationem eandem esse duco, quam meam: non quin in repu. rectum idem sit utriq; nostrum, sed ea non agitur. Regnandi contentio est, in

qua

qua pulsus est modestior Rex,& probior & integrior, & is, qui nisi uincit, nomen Populi R.deleatur necesse est:sin autem uincit,Sullano more exemploq; uincet. Ergo hac in contentione neutrum tibi palàm sentiendum,& tẽpori seruiẽdum est:mea causa autem alia est,q; beneficio uinctus, ingratus eẽ non possum:nec tamen in acie,sed Melitæ:aut alio in loco, siue in oppidulo futurum puto:nihil,inquies,iuuas eum,in quem ingratus esse non uis:immo minus fortasse uoluisset,sed de hoc uidebimus:exeamus modo, quod ut meliore tempore possimus,facit Adriano mari Dolabella,Freto Siciliensi Curio. Iniecta autem mihi spes quædam est, uelle mecum Ser. Sulpicium colloqui:ad eum misi Philotimum libertum cum literis:si uir esse uolet, præclara synodia:sin autem,erimus nos qui solemus. Curio mecum uixit,iacere Cæsarem putans offensione populari: Siciliæq; diffidens,si Põpeius nauigare cœpisset. Q. puerum accepi uehementer:auaritiam uideo fuisse, & spem magni congiarij. Magnum hoc malum est:sed scelus illud quod timueramus, spero nullũ fuisse:hoc autem uitium puto te existimare non nostra indulgentia,sed à natura profectum,quem tamen nos disciplina regimus. De Oppijs Veliensibus quid placeat,cum Philotimo uidebis. Epeirum nostrã putabimus, sed alios cursus uidebamur habituri.

CICERO ATTICO SAL.



T res ipsa monebat,& tu ostenderas,& ego uidebã de his rebus, quas intercipi periculosum esset,finem inter nos scribendi fieri tẽpus esse:sed cum ad me sæpe mea Tullia scribat,orans, ut quid in Hispania geratur,expectem,& semper ascribat idem uideri tibi, idq; ipse etiam ex tuis literis intellexerim,non puto esse alienum me ad te, q̃d de ea re sentiam scribere. Consilium istud tunc esset prudens,ut mihi uidetur, si nostras rationes ad Hispaniensem casum accõmodaturi essemus, quod fieri dicitis oportere. necesse est enim aut id quod maxime uelim,pelli istum ab Hispania,aut trahi id bellum,aut istum, ut confidere uidetur, apprehendere Hispanias. Si pelletur,q̃ gratus,aut q̃ honestus tum erit ad Pompeiũ noster aduentus,cum ipsum Curionem ad eum transiturum putem? si trahitur bellum,quid expectem? aut quãdiu? relinquitur,ut si uincimur,in Hispania quiescamus:id ego cõtrà puto:istum enim uictorem magis relinquendum puto, q̃ uictum:& dubitantem magis,q̃ fidentem suis rebus:nam cædem uideo, si uicerit,& impetum in priuatorum pecunias,& exulum reditũ, & tabulas nouas,& turpissimorum honores,& regnum,non modo Romano homini, sed ne Persæ quidem cuiquã tolerabile. Tacita esse poterit indignitas nostra? Pati poterunt oculi,me cum Gabinio sententiam dicere? & quidem illum rogari prius? præsto esse clientem tuum Chlœlium Catelli,Plaguleiũ,ceteros? Sed cur inimicos colligo? qui meos necessarios à me defensos nec uidere in curia sine dolore,nec uersari inter eos sine dedecore potero. Quid si ne id quidẽ est exploratum,fore ut mihi liceat? Scribũt enim ad me amici eius,me illi nullo modo satisfecisse,q; in Senatum non uenerim. Tamẽ nec dubitemus an & nos etiam cum periculo uenditemus,qui cum coniuncti ne cum præmio quidem uolumus esse. Deinde hoc uide,non esse iudicium de tota contentione in Hispanijs:nisi forte his amissis,arma Põpeium abiecturũ putas, cuius omne

consilium Themistocleũ est. Existimat enim, qui mare teneat, eum necesse re
rum potiri. Itaq; qui nunquam id egit, ut Hispaniæ per se tenerentur, naua-
lis apparatus ei semper antiquissima cura fuit. Nauigabit igitur cum erit tem
pus, maximis classibus, & ad Italiã accedet, in qua nos sedentes quid erimus?
Nam medios esse iam non licebit: classibus aduersabimur igitur? quod ma-
lum maius scilicet tãtum? denique quid turpius? Annibal hic in absentis, so
lus tuli scelus eiusdem, cum Pompeio & cum reliquis principibus nõ feram?
Quod si iam misso officio periculi ratio habenda est, ab illis est periculum, si
peccaro: ab hoc, si recte fecero: nec ullum in his malis consilium periculo ua-
cuum inueniri potest: ut non sit dubium, quin turpiter facere cum periculo fu
giamus, quod fugeremus etiam cum salute. non simul cum Põpeio mare tran
sierimus, omnino potuimus? Extat ratio dierum, sed tamen (fateamur enim
quod est) ne condamus quidem, ut possimus: fefellit ea res, quæ fortasse non
debuit, sed fefellit, pacem putaui fore: quæ si esset, iratum mihi Cæsarem esse,
cum idem amicus esset Pompeio, nolui. Senseram enim q̃ ijdem eẽnt: hoc ue-
rens in hanc tarditatem incidi. sed assequar omnia, si propero: si cũctor, amit-
to. Et tamen mi Attice auguria quoq; me incitant quadam spe nõ dubia, non
hæc collegij nostri ab Appio, sed illa Platonis de tyrãnis: nullo enim modo
posse uideo stare istum diutius, quin ipse per se etiam languentibus nobis cõ
cidat: quippe qui florentis ac nouos ut uti diebus ipsi illi egenti ac pditæ mul
titudini in odium acerbissimum uenerit: qui duarum rerum simulationem *
tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello, diuitiarum in ærario. Iam qbus
utatur uel socijs, uel ministris, si ij prouincias, si remp. regent, quorum nemo
duo menses potuit patrimonium suum gubernare? Nõ sunt omnia colligen
da, quæ tu acutissime perspicis: sed tamen ea pone ante oculos, iam intelliges,
id regnum uix semestre esse posse. Quod si me fefellerit, feram, sicut multi cla
rissimi homines in rep. excellentes tulerunt. nisi forte me Sardanapali uice in
suo lectulo mori malle cẽsueris, q̃ exilio Themistocleo: qui cum fuisset, ut ait
Thucydides, τῶν τε παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, καὶ τῶν μελλόντων
ἐπιπλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής, tñ incidit in eos casus, quos uitasset, si eũ ni
hil fefellisset: etsi is erat (ut ait idẽ) qui τό, τε ἄμεινον ἢ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι προεώρα
μάλιστα, tamen non uidit, nec quomodo Lacedæmoniorũ, nec quomodo suo-
rum ciuium inuidiam effugeret, nec quid Artaxerxi polliceretur. Nõ fuisset
& illa nox tam acerba Africano sapientissimo uiro, non tã dirus ille dies Sul
lanus callidissimo uiro C. Mario, si nihil utrũq; eorum fefellisset. Nos tamẽ
hoc cõfirmamus illo augurio, quod diximus: nec nos fallit, nec aliter accidit.
corruat iste necesse est, aut per aduersarios, aut ipse per se: qui quidem sibi est
aduersarius unus acerrimus. id spero uiuis nobis fore: quanquam tempus est
nos de illa perpetua iam, non de hac exigua uita cogitare: sin qd acciderit ma
turius, haud sanè mea multum interfuerit, utrum factum, uideam, an futurum
esse multo antè uiderim. Quæ cum ita sint, non est committendum, ut ijs pa-
ream, quos cõtra me Senatus, ne quid respublica detrimenti acciperet, arma-
uit. Tibi sunt omnia cõmendata, quæ commendationis meæ, pro tuo in nos
amore, non indigent: ne hercule ego quidem reperio, quid scribã: sedeo enim
πλουδοκῶν. etsi nihil unquam tam fuit scribendum, q̃ nihil mihi unquã ex plu-
rimis tuis iucũditatibus gratius accidisse, q̃ q; meam Tulliam suauissime di-
ligẽtissimæq;

ligentiſſimeq́ coluiſti. Valde eo ipſa delectata eſt, ego autē non minus: cuius quidem uirtus mirifica, quomodo illa fert publicā cladē, qūo domeſticas tricas: quantus autem animus in diſceſſu noſtro: ſτοργῆς ſit ſumma σύντηξις, tamen nos recte facere & bene audire uult. ſed hac ſuper re nimis, ne meam ipſe συμπάθειαν euocem. Tu ſi quid de Hiſpanijs certius, & ſi quid aliud, dū adſumus ſcribes: & ego fortaſſe diſcedens dabo ad te aliquid: eo etiam magis, q Tullia te nō putabat hoc tempore ex Italia. Cū Antonio itē eſt agendum, ut cum Curione Melitæ me uelit eē. huic bello nolle intereſſe: eo uelim tam facili uti poſſem & tam bono in me, q̄ Curio. Is ad Miſſenum VI. Non. uenturus dicebatur, id eſt hodie. Sed præmiſit mihi odioſas literas hoc exemplo.

ANTONIVS TR. PL. PROPR. CICERONI IMP. SAL.



Niſi te ualde amarem, & multo quidem plus, quàm tu putas, nō extimuiſſem rumorem, qui de te prolatus eſt, cum preſertim falſum eſſe exiſtimarem: ſed quia te nimio plus diligo, non poſſum diſſimulare mihi famam quoq; quamuis ſit falſa, magni eſſe: te iturū trans mare, credere non poſſum, cum tanti facias Dolabellam et Tulliam tuam fœminam lectiſſimam, tantiq́ ab omnibus nobis fias: quibus mehercule dignitas amplitudoq́ tua penè carior eſt, q̄ tibiipſi: ſed tamen non ſum arbitratus eſſe amici non cōmoueri, etiam improborum ſermone: atq; eo feci ſtudioſius, q iudicabā duriores partis mihi impoſitas eſſe ab offenſione noſtra, quæ magis à ζηλοτυπίᾳ mea, q̄ ab iniuria tua nata eſt: ſic enim uolo te tibi pſuadere, mihi neminem eſſe cariorem te, excepto Cæſare meo, meq́ illud unà iudicare Cæſarem maxime in ſuis M. Ciceronem reponere. Quare mi Cicero te rogo, ut tibi omnia integra ſerues: eius fidem improbes, qui tibi, ut beneficium daret, prius iniuriam fecit: contra ne profugias, qui te etſi non amabit (quod accidere non poteſt) tamen ſaluum ampliſſimumq́ eſſe cupiet. Dedita opera ad te Calpurnium familiariſſimum meum miſi, ut mihi magnæ curę tuam uitam ac dignitatem eſſe ſcires.

Eodem die à Cæſare Philotimus attulit hoc exemplo.

CAESAR IMP. M. CICERONI IMP. S.



Etſi te nihil temere, nihil imprudenter facturum iudicaram, tamē permotus hominum fama, ſcribendum ad te exiſtimaui, et pro noſtra beneuolentia petēdum, ne quo progredereris proclinata iam re, qua integra etiam progrediendum tibi non exiſtimaſſes: nāq; & amicitiæ grauiorem iniuriam feceris, & tibi minus commode cōſulueris, ſi non fortunæ obſecutus uidebere: omnia enim ſecundiſſima nobis, aduerſiſſima illis accidiſſe uidentur: nec cauſam ſecutus: eadem enim tum fuit, cum ab eorum conſilijs abeſſe iudicaſti: ſed meum aliquod factum condemnauiſſe, quo mihi grauius abs te nil accidere poteſt: quod ne facias, pro iure noſtrę amicitiæ à te peto. Poſtremo quid uiro bono & quieto, & bono ciui magis cōuenit, q̄ abeſſe à ciuilibus controuerſijs? Quod nonnulli cum probarent, periculi cauſa ſequi non potuerūt: tu explorato & uitæ meæ teſtimonio, & amicitiæ iudicio, neq; tutius, neq; honeſtius reperies quidquam, q̄ ab omni cōtentione abeſſe. XV Kal. Mai. Ex itinere.

CICERO ATTICO SAL.



Duentus Philotimi(at cuius hominis,quam insulsi,& quam sæpe pro Pompeio mentientis?)exanimauit omnis,qui mecum erant.Nam ipse obdurui,dubitauit nostrum nemo,quin Cæsar itinera repressisset: uolare dicitur. Petreius cum Afranio coniunxisse:nihil affert eiusmodi.Quid quæris?etiam illud erat persuasum:Pompeium cum magnis copijs iter in Germaniam per Illyricum fecisse: id enim αὐθεντικῶς nunciabatur.Melitam igitur opinor capessamus,dum quod in Hispania: quod quidem propemodum uideor ex Cæsaris literis ipsius uoluntate facere posse, qui negat neque honestius neque tutius mihi quidquam esse, quam ab omni contentione abesse.Dices,ubi ille ergo tuus animus,quem proximis literis? Adest, & idem est.Sed utinam meo solum capite decernerem:lacrimæ meorum me interdum molliunt,precantium ut de Hispanijs expectemus.M.Cælij quidem epistolam scriptam miserabiliter,quum hoc idem obsecraret,ut expectarem, ne fortunas meas,ne unicam filiam,ne meos omnis tam temere proderem,non sine magno fletu legerunt pueri nostri:etsi meus quidem est fortior, eoque ipso uehementius commouet,nec quidquam nisi de dignatione laborat. Melitam igitur, dein de quod uidebitur.Tu tamen etiam nunc mihi aliquid literarum, & maxime si quid ab Afranio.Ego si cum Antonio locutus ero,scribam ad te,quid actum sit:ero tamen in credendo,ut mones,cautus:nam occultandi ratio cum difficilis,tum etiam periculosa est. Seruium expecto ad Nonas,& adijcit à Posthumia,& Seruij filij.Quartanam leuiorem esse gaudeo.Misi ad te Cælij etiam literarum exemplum.

CAELIVS CICERONI SAL.



Xanimatus tuis literis,quibus te nihil nisi triste cogitare ostendisti,neque id quod esset,perscripsisti,neque id tamen quale esset,quod cogitares,aperuisti,has ad te ilico literas scripsi. Per fortunas tuas Cicero,per liberos te oro & obsecro, ne quid grauius de salute & incolumitate tua consulas : nam deos hominesque,amicitiamque nostram testificor,me tibi prædixisse,neque temere monuisse:sed postquam Cæsarem conuenerim,sententiamque eius,qualis futura esset parta uictoria,cognorim, te certiorem feci.Si existimas eandem rationem fore Cæsaris in dimittendis aduersarijs,& conditionibus ferendis,erras.nihil nisi atrox & sæuum cogitat atque etiam loquitur:iratus Senatui exijt.His intercessionibus planè incitatus est: non mehercules erit deprecationi locus.Quare si tibi tu,si filius unicus, si domus,si spes tuæ reliquæ tibi caræ sunt,si aliquid apud te nos,si uir optimus gener tuus,ualemus,quorum fortunam non debes uelle conturbare, ut eam causam,in cuius uictoria salus nostra est,odisse aut relinquere cogamur, aut impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus.Denique illud cogita, quod offensæ fuerit,in ista cunctatione te subijsse:nunc te contra uictorem Cæsarem facere,quem dubijs rebus lædere noluisti,& ad eos fugatos accedere, quos resistentis sequi nolueris,summæ stultitię est. Vide,ne dum pudet te parum optimatem esse,parum diligenter quod optimum sit,eligas.Quod si totum tibi persuadere non possum,saltem dum quid de Hispanijs agamus,scitur, expecta: quas tibi nuncio aduentu Cæsaris fore nostras. Quam isti spem habeant

amissis Hispanijs, nescio. Quod porrò tuum consilium sit, ad desperatos accedere, non mediusfidius reperio. Hoc quod tu non dicẽdo mihi significasti, Cęsar audierat: ac simulatq; haue, mihi dixit. statim, quid de te audisset, exposuit. Negaui me scire, tamen ab eo petiui, ut ad te literas mitteret, quibus maxime ad remanendum cõmoueri posses. Me secum in Hispaniam ducit: nã nisi ita faceret, ego prius, quàm ad urbem accederem, ubicunq; tu esses, ad te percucurrissem, & hoc à te præsens cõtẽdissem, atq; omni ui te retinuissem. Etiã atque etiam Cicero cogita, ne te tuosq; omnis funditus euertas: nec te sciens prudensq; eo demittas, unde exitum uides nullum esse. Quòd si te aut uoces optimatium commouent, aut nõnullorum hominum insolẽtiam & iactationem ferre non potes, eligas censeo aliquod oppidum uacuum à bello, dũ hęc decernuntur: quæ iam erunt confecta. Id si feceris, & ego te sapiẽter fecisse iudicabo, & Cæsarem non offendes.

CICERO ATTICO SAL.



ME cecum, qui hæc antè non uiderim. Misi ad te epistolã Antonij: & cũ ego sæpissime scripsissem, nihil me cõtra Cęsaris rationes cogitare: meminisse me generi mei, meminisse amicitiæ: potuisse, si aliter sentirẽ, esse cũ Põpeio. Me aũt, q acũ lictoribus inuitus cursarẽ, abesse uelle, nec idipsum certũ etiam nũc habere, uide q̃ ad hæc τυραννικῶς.

„ Tuum consilium q; uerũ est: Nam qui se mediũ esse uult, in patria manet:
„ qui proficiscitur, aliquid de alterautra parte iudicare uidetur. Sed ego is non
„ sum, qui statuere debeam, iure quis proficiscatur, nec ne. Parteis mihi Cæsar
„ has ĩposuit, ne quẽ omnino discedere ex Italia paterer: quare parui refert, me
„ probare cogitationẽ tuam, si nihil tamẽ tibi remittere possum. Ad Cæsarem
„ mittas, cẽseo, & ab eo hoc petas: non dubito quin impetraturus sis, cũ presertim
„ te amicitiæ nostræ rationẽ habiturum esse pollicearis. Habes σκυτάλην λακωνικήν. omnino excipiã hominem. Erat aũt V Non. uẽturus uesperi, id est hodie. Cras igitur ad me fortasse ueniet. tentabo, audeam nihil properare, missurum ad Cæsarẽ clamabam, cũ paucissimis alicubi occultabor. Certe hinc istis inuitissimis euolabo, atq; utinam ad Curionẽ σὺν θεῷ τοι λέγω. Magnus dolor accessit, efficietur aliquid dignum nobis. δυσουρία tua mihi ualde molesta, mederе amabo, dum est ἀρχή. De Massiliensibus gratæ tuæ mihi literæ. quæso ut sciam quidquid audieris. Ocellam cuperem, si possem. palàm quid à Curionę effeceram. Hic ego Seruium expecto. Rogor enim ab eius uxore & filio, & puto opus esse. Hic tñ Citheridẽ secum lectica aperta portat, altera uxorẽ. Sẽptẽ præterea cõiunctæ lecticæ amicarum, hæ sunt amicorum. Vide q̃ turpi lecto pereamus. Et dubita si potes, quin ille seu uictus seu uictor redierit, cædẽ facturus sit. Ego uero uehiculo, si nauis nõ erit, eripiã me ex istorũ parricidio. Sed plura scribam, cũ illum cõuenero. Iuuenẽ nostrũ non possum nõ amare: sed ab eo nos nõ amari planè intelligo. Nihil ego uidi tã ἀνηθοποίητον, tam auersum à suis: tamẽ scio quid cogitans, uim incredibilẽ molestiarũ: sed erit curæ & est, ut regatur. mirum est enim ingenium. ἤθους ἐπιμελητέον.

CICERO ATTICO SAL.



OBsignata iam epistola superiore, nõ placuit ei dare, cui cõstituerã, quòd erat alienus. itaq; eo die data nõ ẽ. Interim uenit Philotimus, & mihi à te literas reddidit: quibus quę de fratre meo scribis, sunt eędẽ paru

firma, sed habent nihil ὕπουλον, nihil fallax, nihil non flexibile, non ad bonitatem, nihil quod non quo uelis, uno sermone possis pducere. ne multa, omnes suos, etiam quibus irascitur crebrius, tamen caros habet, me quidem seipso cariorem. Quòd de puero aliter ad te scripsit, & ad matrem de filio, non reprehendo. De iuuene & de sorore, quæ scribis, molesta sunt: eoq; magis, q ea tẽpora nostra sunt, ut ego his mederi non possim. Nam certe mederer: sed quibus in malis & qua in desperatione rerum simus, uides. Illa de ratione nũmaria non sunt eiusmodi. Sæpe enim audio ex ipso, ut nunc cupiat tibi præstare, et in eo laboret. Sed si mihi Q. Axius, in hac mea fuga HS XIII nõ reddit, quæ dedi eius filio mutua, & utitur excusatiõe temporis, si Lepta, si ceteri: soleo mirari de nescio quis HS XX, cum audio ex illo se urgeri. Vides enim ꝑfectò angustias, curari tamẽ ea tibi ubiq; iubet. An existimas illum in isto genere lentulum aut restrictum? nemo est minus. De fratre satis. lenis in filio: indulsit illi quidem suus pater semper: sed non facit indulgentia mendacem, aut auarum, aut non amantem suorum: ferocem fortasse ac arrogantem et infestũ facit. Itaq; habet hæc quoq; quæ nascũtur ex indulgẽtia, sed ea sunt tolerabilia. Quid enim dicã hac iuuentute? ea uero, quæ mihi quidem, qui illum amo, sũt his ipsis malis in quis sumus, miseriora, nõ sunt ab obsequio nostro: nam suas radices habent, quas tamen euellerem profectò, si liceret. Sed ea omnia mihi sunt patienda. Ego meum facile teneo. nihil est enim eo tractabilius. cuius quidem misericordia, languidiora adhuc cõsilia cepi: & quo ille me certiorem uult esse, eo magis timeo, ne in eum existam crudelior. Sed Antonius uenit heri uesperi. Iam fortasse ad me ueniet, aut ne id quidem, quoniam scripsit, quid fieri uellet. Sed scies continuo quid actum sit. Nos iam, nihil nisi occulte. De pueris quid agam? Paruo ne nauigio cõmittam? Quid mihi animi in nauigando censes fore? Recordor enim æstate cum illo Rhodiorum ἀφράκτῳ nauigans, q̃ fuerim solicitus. Quid duro tempore anni actuariola fore cẽses? rem undiq; miseram. Trebatius erat mecum, uir planè & ciuis bonus: quæ ille monstra Dij immortaleis? etiam ne Balbus in Senatum uenire cogitet? sed ei ipsi cras ad te literas dabo. Vectenũ mihi amicum, ut scribis, ita puto esse: cum eo (quod ἀποτόμως ad me scripserat de nummis curandis) δυσμικώτερον erat: id tu, si ille aliter acceperit ac debuit, lenies. Monetali autẽ adscripsi, q ille ad me Proconsulem. sed quoniam est homo, & nos diligit, ipse quoq; à nobis diligatur. Vale.

CICERO ATTICO SAL.



Vidnam mihi futurum est? aut quis me non solum infelicior, sed iam etiam turpior? Nominatim de me sibi imperatum dicit Antonius, nec me tamen ipse adhuc uiderat, sed hoc Trebatio narrauit. Quid agam nunc, cui nihil procedit, caduntq; ea quæ diligentissime sunt cogitata, teterrime? Ego enim Curionem nactus, omnia me consecutum putaui: is de me ad Hortensium scripserat. Reginus erat totus noster. huic nihil, suspicabamur enim hoc mare negotij fore. Quo me nũc uertam? undiq; custodior: sed satis lacrimis. παραπλευστέον igitur & occulte in aliquam onerariam corrependum: non cõmittẽdum, ut etiam cum pacto prohibiti uideamur. Sicilia petẽda: quã si erimus nacti, maiora quædam cõsequemur, sit

modo

modo recte in Hispanijs: quanquam de ipsa Sicilia utinam sit uerum, sed adhuc nihil secundi. Concursus Siculorum ad Catonem dicitur factus, orasse, ut resisteret, omnia pollicitos: cōmotum illum delectum habere cœpisse: nō credo, ut est luculētus auctor, potuisse certe tenere illam prouinciam scio. Ab Hispanijs autem iam audietur. Hic nos C. Marcellum habemus eadem de re cogitantem, aut bene simulantem: quanquam ipsum non uideram, sed ex familiarissimo eius audiebam. Tu quæso, si quid habebis noui, ego si quid moliti erimus, ad te statim scribam. Q. Filium seuerius adhibebo. utinam proficere possem. Tu tamen eas epistolas, quibus asperius de eo scripsi, aliquando concerpito, nequando quid emanet, ego item tuas. Seruiū expecto, nec ab eo qdquam ὑγιές. Scies quid erit. sine dubio errasse nos confitendum est. at semel? at una in re? immo omnia quo diligētius cogitata, eo facta sunt imprudētius. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. In reliquis modo ne ruamus. Iubes enim profectionem meam prouidere. Quid prouideam? ita patent oīa, quæ accidere possunt, ut ea si uitē, sedēdū sit cū dedecore & dolore: si negligā, pīculum est, ne in manus incidam perditorum. Sed uide quantis in miserijs simus. optandum interdum uidetur, ut aliquam accipiamus ab istis quamuis acerbā iniuriam, ut tyranno in odio fuisse uideamur. Q. si nobis is cursus, quē sperabam, pateret, effecissem aliquid profecto, ut tu optas, ut hortaris, dignum nostra mora. sed mirificæ sunt custodię, & qdē ille ipse Curio suspectus. Quare ui aut clàm agendum est: & si ui, forte & cum tempestate: clàm autem istis. in quo si quod σφάλμα, uides q̄ turpe est: trahimur, nec fugiendum, si quid uiolentius. De Cœlio sæpe mecum agito, nec si quid habuero tale, dimittam. Hispanias spero firmas esse. Massiliensium factum cum ipsum per se luculētum est, tum mihi argumento est, recte esse in Hispanijs. Minus enim auderent, si aliter esset, & scirent. Nam & iuncti & diligētes sunt. Odium autē recte animaduertis significatum theatro. II. legiones, etiam has, quas in Italia assumpsit, alienissimas esse uideo: sed tamen nihil inimicius, q̄ sibi ipse. Illud recte times, ne ruat. Si desperarit, certe ruet. quo magis efficiēdum aliquid est, fortuna uelim meliori, animo Cœliano, sed primo quidquid, quod qualecūq; erit, continuo scies. Nos iuueni ut rogas suppeditabimus, et Pelopōnesum ipsam sustinebimus. Est enim indoles, modo aliquid hoc sit ἦθος ΑΚΙΜΟΔΟΝ: Quod si adhuc nullum est, esse tamen potest, aut ἀρετὴ non est διδακτόν, quod mihi persuaderi non potest.

CICERO ATTICO SAL.


Epistola tua gratissima fuit meæ Tulliæ, & mehercule mihi, semper secū aliquid afferūt tuæ literæ. Scribes igitur aliquid ad spē, poteris me de miserijs. Tu Antonij leones pertimescas caue. Nihil est illo homine iucundius. Attende πρᾶξιν πολιτικοῦ. Euocauit literis è municipijs denos, & IIII. uiri uenerunt ad uillam eius mane. Primū dormijt ad H. III, deinde, cum esset nunciatum uenisse Neapolitanos & Cumanos (his enim est Cęsar iratus) postridie redire iussit, lauari se uelle & περὶ κοιλιολυσίαν γίνεσθαι. Hoc heri effecit. hodie autem in Aenariam transire cōstituit. exulibus reditū pollicetur. Sed hæc omittamus, de nobis aliquid agamus. Ab Axio accepi literas. de Tirone gratum. Vectenū diligo. Vestorio reddidi. Seruius prid. Non. Mai Minturnis mā̄sisse dicit, hodie in Liternino man

surus apud C. Marcellum. Cras igitur nos mature uidebit, mihiq́ dabit argumentum ad te epistolæ. Iam enim non reperio quid tibi scribam. Illud admiror, q̃ Antonius ad me ne nuncium quidem, cum presertim me ualde obseruarit, uidelicet, aut aliquid atrocius de me imperatũ est, coràm negare mihi non uult, quod ego nec rogaturus erã, nec si impetrassem, crediturus. Nos tamen aliquid excogitabimus. Tu quæso, si quid in Hispanijs. iam enim poterit audiri, & omnes ita expectant, ut si recte fuerit, nihil negotij futurũ putem. Ego autem nec retentis his, confectam rem puto, neq; amissis desperatã. Silium & Ocellam, & ceteros credo retardatos. Te quoq; à Curtio impediri uideo. Etsi, ut opinor, habes Scytha ὄνον: ò uitam miseram, maiusq́ malum, tandiu timere, q̃ est illud ipsum, quod timetur. Seruius, ut antea scripsi, cũ uenisset Non. Mai. Postridie, ad me uenit: ne diutius te teneam, nullius consilij exitum inuenimus. Nunquam uidi hominem perturbatiorem metu: neq; hercule quidquam timebat, quod non esset timendum. illum sibi iratum, hũc nõ amicum, horribilem utriusq; uictoriam, cum propter alterius crudelitatẽ, alterius audaciam, tum propter utriusq; difficultatem pecuniarum, qua frui nusquam, nisi ex priuatorum bonis posset. Atq; hæc ita multis cum lacrimis loquebatur, ut ego mirarer eas tam diuturna miseria non exaruisse. Mihi quidem etiam lippitudo hæc, propter quam non ipse ad te scribo, sine ulla lacrima est: sed sæpius odiosa est, propter uigilias. Quamobrem quidquid habes ad consolandum, collige, & illa scribe: non ex doctrina neq; ex libris, nam id quidem domi est, sed nescio quomodo imbecillior est medicina q̃ morbus. Hæc potius conquire de Hispanijs, de Massilia. Quæ quidem satis bella Seruius affert, qui etiam de duabus legionibus luculentos auctores esse dicebat. Hæc igitur si habebis & talia, & quidem paucis diebus aliquid audiri necesse est. Sed redeo ad Seruium. Distulimus omnino sermonem in posterum, sed tardus ad exeundum. multo se in suo lectulo malle quidquid foret. Odiosus scrupulus de filij militia Brundisina. Vnum illum firmissime asseuerabat, si damnati restituerentur, in exilium se iturum. Nos autem ad hæc, & ipsum certo fore, & quæ iam fiebant non esse leuiora, multaq́ colligebamus. Verum ea non animum eius augebant, sed timorem, ut iam celandum magis de nostro consilio quàm ad idem uideretur. quare in hoc non multũ est. Nos à te admoniti, de Cælio cogitabimus.

CICERO ATTICO SAL.



SEruius cum esset apud me, Cephalio cum tuis literis VI Id. uenit, quæ nobis magnam spem attulerunt meliorum rerum de octo cohortibus (etenim hæ quoq;, quæ in his locis sunt, labare dicũtur) eodem die Funisulanus à te attulit literas, in quibus erat confirmatius idem illud. Ei de suo negotio respondi cumulate, cum omni tua gratia, adhuc non satisfaciebat. Debet autem mihi multos nummos, nec habetur locuples: nunc ait se daturum, cui ex P. sustulerit moram tabellarius. si apud te esse quas satisfecisses, dares. quantum sit, Eros Philotimi tibi dicet. Sed ad maiora redeamus. Quod optas, Cælianum illud maturescit. Itaque torqueor, utrum uentum expectem. Vexillo opus est. conuolabunt. Quòd suades ut palàm, prorsus assentior. Itaq; me profecturum puto. Tuas tñ interim literas expecto. Seruij cõsilio nihil expeditur. Omnes captiones in omni sen-

tentia

tentia occurrunt. Vnum C.Marcello cognoui timidiorem, quem Cos. fuisse poenitet ὦ πολλῆς ἀγεννείας, qui etiam Antonium confirmasse dicitur, ut me impediret, quod ipse credo honestius. Antonius autem VI Id. Capuam profectus est, ad me misit, se pudore deterritum ad me non uenisse, quod me sibi suscensere putaret. Ibitur igitur, & ita quidem, ut cẽses, nisi cuius grauioris personæ suscipienda species erit antè oblata. sed uix erit tam cito. Halienus autem Prætor putabat aliquem, sed ego, non ex Collegis suis, quiuis licet, dum modo aliquos. De sorore laudo: de Q. puero datur opera. spero esse meliora. De Q. fratre scito eum nõ mediocriter laborare de usura, sed adhuc nihil à L. Egnatio expressit Axius de XII millibus pudens. Sæpe enim ascripsit, ut Gallio, quantum is uellet, darem. Quòd si non scripsisset, possem ne aliter? Et quidem sæpe sum pollicitus: sed tantum uoluit cito: me uero adiuuarent ijs in angustiis sed tu istos. uerum aliàs. Te à quartana liberatum gaudeo, itemque Piliam: ego dum panes & cetera in nauem parantur, excurro in Pompeianũ. Vectenо uelim gratias, quod studiosus est, quumque nactus eris, qui perferat literas, des antè quàm discedimus.

CICERO ATTICO SAL.


Commodum ad te dederam literas de pluribus rebus, cũ ad me bene mane Dionysius fuit. cui quidem ego nõ modo placabilem me præbuissem, sed totum remisissem, si uenisset qua mente tu ad me scripseras. Erat enim sic in tuis literis, quas Arpini acceperam, eũ uenturum, facturumque quod ego uellem. Ego uolebam autem, uel cupiebam potius, esse eum nobiscum. Quod, quia planè cum in Formianũ uenisset, præciderat, asperius ad te de eo scribere solebam. at ille perpauca locutus, hãc summam habuit orationis, ut sibi ignoscerem, se rebus suis impeditum nobiscum ire non posse. Pauca respondi, magnum accepi dolorem. intellexi fortunã ab eo nostram despectam esse. Quid quæris? fortasse miraberis: in maximis horum temporum doloribus, hunc mihi scito esse. Velim, ut tibi amicus sit. Hoc cum tibi opto, opto ut beatus sis. erit enim tãdiu. Consilium nostrũ spero uacuum periculo fore. Nam & dissimulauimus, &, ut opinor, acerrime adseruabimus, nauigatio modo sit, qualem opto. Cetera, quæ quidem consilio prouideri poterunt, cauebũtur. Tu, dũ adsumus, nõ modo quæ scieris audieris'ue, sed etiam quæ futura prouidebis, scribas uelim. Cato, qui Siciliam tenere nullo negotio potuit, & si tenuisset, omnes boni ad eum se cõtulissent, Syracusis profectus est ante diem VIII kal. Mai, ut ad me Curio scripsit. Vtinã, quod aiunt, Cotta Sardiniam teneat. est enim rumor. O, si id fuerit, turpem Catonẽ Ego, ut minuerẽ suspitionẽ profectionis aut cogitatiõis meæ, profectus sum in Pompeianum ad IIII Id. ut ibi essem, dum quæ ad nauigandũ opus eẽnt, pararentur. Cum ad uillam uenissem, uentum est ad me: Centuriones triũ cohortium, quæ Pompeis sunt, me uelle postridie. Hæc mecũ Ninnius noster, uelle eos mihi se & oppidum tradere. At ego tibi postridie ad uillam ante lucem, ut me omnino illi ne uiderẽt. Quid enim erat in tribus cohortibus? quid si plures? quo apparatu? cogitaui eadẽ illa Cæliana, quæ legi in epistola tua, quã accepi. Simul & in Cumanum ueni eodẽ die: & simul fieri poterat, ut tentaremur. Omnẽ igitur suspitionem Sustuli. Sed cum redeo, Hortẽsius uenerat, & ad Terẽtiã salutatum diuerterat: sermone erat usus honorifico erga me: tamẽ

cum (ut puto) uidebo. misit enim puerum, se ad me uenire. Hoc quidem meli us, q̄ Collega noster Antonius, cuius inter lictores lectica Mima portatur. Tu, quoniam quartana cares, & nouum morbum remouisti, sed etiam graue dinem, te'q; uegetum nobis in Græcia siste, & literarum aliquid interea.

CICERO ATTICO SAL.


PRid. Id. Hortensius ad me uenit scripta epistola. Vellē cetera eius quàm in me incredibilem ἐκτένειαν. qua quidem cogito uti. Dein de Serapion cum epistola tua: quam priusquam aperuissem, dixi et te ad me de eo scripsisse antea, ut feceras. Deinde epistola scripta cumulatissime cetera. Et hercule hominem probo, nam & doctum, & probū existimo: quin etiam naui eius me & ipso cōuectore usurum puto. Crebro re fricat lippitudo, non illa quidem perodiosa, sed tamen quæ impediat scriptio nem meam. Valetudinem tuam iam confirmatam esse & à uetere morbo, & à nouis tentationibus, gaudeo. Ocellam uellem haberemus: uidentur enim esse hæc paulo faciliora. Nunc quidem æquinoctiū nos moratur, quod ualde per turbatum erat. id si cras erit, utinam idem maneat Hortensius, siquidē adhuc erat: liberalius eē nihil potest. De diplomate admiraris, quasi nescio cuius te flagitij insimularem. Negas enim te reperire, qui mihi id in mentem uenerit. Ego autem, quia scripseras te proficisci cogitare (etenim audieram nemini aliter licere) eò te habere censebam, et quia pueris diploma sumpseras. Habes causam opinionis meæ, & tamen uelim scire quid cogites, in primis'q; si quid etiam nunc noui est. XVII Kal. Iun.

CICERO ATTICO SAL.


TVllia mea peperit XIIII Kal. Iun. puerum ἑπταμηνιαῖον, quòd εὐ τόκως gaudeam. Quod quidem est natum, perimbecillū est. Me mirificæ tranquillitates adhuc tenuerunt, atq; maiore impedimē to fuerunt, quàm custodiæ quibus asseruor. Nam illa Hortensina omnia fuere infantia. Ita fiet homo nequissimus: à Saluio liberto deprauatus est. Itaque posthac non scribam ad te, quid facturus sim, sed quid fecerim. Omnes enim κωρυκαῖοι uidentur subauscultare quæ loquor. Tu tamen si quid de Hispanijs, siue quid aliud, perge quæso scribere: nec meas literas expectaris, nisi cum quò opto, peruenerimus, aut si quis ex cursu: sed hoc quoq; timide scribo, ita omnia adhuc tarda & spissa: ut male posuimus initia, sic cetera sequuntur. Formias nunc sequimur: eædem nos fortasse furiæ persequētur. Ex Balbi autem sermone quem tecum habuit, non probamus de Melita. Dubitas igitur, quin nos in hostium numero habeat? Scripsi equidem Balbo te ad me de beneuolentia scripsisse & de suspitiōe. Egi gratias: de altero ei me purgaui. Ecquem tu hominem infeliciorem? Nō loquor plura, ne te quoque excruciem: ipse conficior uenisse tempus, cū iam nec fortiter nec prudēter quidquam facere possim.

M.T. CICERONIS EPISTOLARUM AD ATTICUM. LIBER XI.

CICERO ATTICO. SAL.



Ccepi à te signatum libellum, quē Anteros attulerat, ex quo scire nihil potui de nostris domesticis rebus, de quibus acerbissime afflictor: quòd qui eas dispensauit, neq; adest istic, neq; ubi terrarum sit, scio. Omnē autem spem habeo existimationis, priuatarumq; rerū in tua erga me mihi perspectissima beneuolentia: quā si his temporibus miseris, & extremis præstiteris, hæc pericula, quæ mihi cōmunia sunt cum ceteris, fortius feram: idq; ut facias te obtestor atque obsecro. Ego in Cistophoro, in Asia habeo ad HS bis & uicies. Huius pecuniæ permutatione fidem nostram facile tuebere: quam quidem ego nisi expeditam relinquere putassem, credens ei, cui tu scis iampridem minime credere, cōmoratus essem paulisper, nec domesticas res impeditas reliquissem. ob eamq; causam serius ad te scribo, quòd sero intellexi, quid timendum esset. Te etiam atq; etiam oro, ut me totum tuendum suscipias: ut si ij salui erunt, quibuscum sum unà cū ijs possim incolumis esse, salutemq; meam beneuolentiæ tuæ acceptam referre.

CICERO ATTICO SAL.



Iteras tuas accepi prid. Non. Febr. eoq; ipso die ex testamēto creui hereditatem: ex multis meis miserrimis curis est una enata, si, ut scribis, ista hæreditas fidem & famam meam tueri potest. quā quidem te intelligo etiam sine hæreditate tuis opibus defensurum fuisse. De dote quod scribis, per omneis deos te obtestor, ut totam rē suscipias, & illam miserā mea culpa & negligētia, tueare meis opibus, si quæ sunt, tuis, quibus tibi molestum non erit, facultatibus: cui quidem deesse omnia, quod scribis, obsecro te noli pati. In quos enim sumptus abeunt fructus prædiorū? Iam illa HS LX, quæ scribis, nemo mihi unquam dixit ex dote esse detracta, nunquam enim essem passus. Sed hæc minima est ex his iniurijs, quas accepi, de quibus ad te dolore & lacrimis scribere prohibeor. Ex ea pecunia, quæ fuit in Asia, partem dimidiam ferè exegi. Tutius uidebatur fore ibi, ubi est, q̃ apud Publicanos. Quòd me hortaris, ut firmo sim animo, uellem posses aliquid afferre, quamobrem id facere possem. Sed si ad ceteras miserias accessit etiam id, quod mihi Chrysippus dixit parari (tu nihil significasti, de domo) quis me miserior uno iam fuit? Oro, obsecro, ignosce: non possum plura scribere. quanto mœrore urgear, profectò uides. Quod si mihi commune cū ceteris esset, qui uidentur in eadem causa esse, minor mea culpa uideretur, & eo tolerabilior esset. Nunc nihil est, quod consoletur, nisi quid tu efficis, si modo etiam nunc effici potest, ut ne qua singulari afficiar calamitate & iniuria. Tardius ad te remisi tabellarium ꝙ potestas mittendi non fuit. A tuis, & nūmorum accepi HS LXX, & uestimentorum quod opus fuit. Quibus tibi uide-

bitur, uelim des literas nomine meo. Nosti meos familiares: signum requirent, aut manum: dices ijs, me propter custodias ea uitasse.

CICERO ATTICO SAL.



Vid hic agatur scire poteris ex eo, qui literas attulit: quę diutius tenui, quia cotidie aliquid noui expectabamus. Neq; nũc mittendi tamen ulla causa fuit, præter eam, de qua tibi rescribi uoluisti. Quod ad Kal. Quint. pertinet, quid uellem, utrunq; graue est, & graui tempore periculum tãtæ pecuniæ & dubio rerum exitu, ista quam scribis abruptio. Quare ut alia, sic hoc uel maxime tuæ fidei beneuolentiæq; permitto, & illius consilio & uoluntati: cui miseræ consuluissem melius, si tecum olim coràm potius, quàm per literas de salute nostra fortunisq; deliberauissem. Quòd negas præcipuum mihi ullum incõmodum impendere, & si ista res nihil habet consolationis, tamen etiam præcipua multa sunt, quæ tu profecto uides & grauissima esse, & me facillime uitare potuisse. Ea tamen erunt minora, si (ut adhuc factum est) administratione diligentia tua leuabunt. Pecunia apud Egnatium est: sit à me, ut est. Neq; enim hoc quod agitur, uidetur diuturnum eẽ posse, ut scire iam possim, quid maxime opus sit. etsi egeo rebus omnibus, quòd is quoq; in angustijs est, quicum sumus, cui magnã dedimus pecuniam mutuam, opinantes nobis constitutis rebus, eam rem etiam honori fore. Tu, ut antea fecisti, uelim, si qui erunt, ad quos aliquid scribendum à me existimes, ipse cõficias. Tuis salutẽ dic. Cura ut ualeas. In primis id, quod scribis, omnibus rebus cura & prouide, ne quid ei desit, de qua scis me miserrimum esse. Id. Iun. ex castris.

CICERO ATTICO SAL.



Ccepi ab Isidoro literas, & postea datas binas. ex proximis cognoui prædia non uenisse: uidebis ergo, ut sustentetur partim de Frusinati: si modo futuri sumus, erit mihi res opportuna. Meas literas ꝙ requiris, impedior inopia rerũ, quas nullas habeo literis dignas. quippe cui nec quæ accidunt, nec quæ aguntur, ullo modo probẽtur. Vtinam coràm tecum olim potius, ꝗ per epistolas. Hic tua, ut possum, tueor apud hos, cetera, Celer ipse: fugi adhuc omne munus: eo magis, ꝙ ita nihil poterat agi, ut mihi & meis rebus aptum esset. Quid sit gestum noui, quæris: ex Isidoro scire poteris, reliqua non uidentur esse difficiliora. Tu id uelim, quod scis me maxime uelle, cures, ut scribis, ut facis. Me conficit solicitudo, ex qua etiam summa infirmitas corporis: qua leuata, ero unà cum eo qui negotiũ gerit, estq; in spe magna: Brutus amicus in causa uersatur acriter. Hactenus fuit qđ caute à me scribi posset. Vale.

De pensione altera, oro te omni cura considera, quid sit faciendum, ut scripsi his literis, quas Pollex tulit.

CICERO ATTICO SAL.



Væ me causæ mouerint, ꝗ acerbæ, ꝗ graues, ꝗ nouæ, coegerintq; impetu magis quodam animi uti ꝙ cogitatione, nõ possum ad te sine maximo dolore scribere. Fuerunt quidem tantæ: ut id, quod uides, effecerint. Itaq; nec quid ad te scribã de meis rebus, nec qđ à te petam reperio: rem & summam negotij uides. Equidem ex tuis literis intellexi et ijs, quas cõmuniter cum alijs scripsisti, & ijs, quas tuo nomine, quod

etiam

etiam mea sponte uidebam, te subita re quasi debilitatum, nouas rationes tuē-di mei quærere. Quod scribis placere, ut propius accedam, iterq; per oppida noctu faciam, non sanè uideo quemadmodum id fieri possit. Neque enim ita apta habeo diuersoria, ut tota tempora diurna in his possim consumere: neq; ad id, quod quęris, multum interest, utrū me homines in oppido uideāt, an in uia. Sed tamen hoc ipsum, sicut alia, considerabo quemadmodum commodissime fieri posse uideatur. Ego propter incredibilem & animi & corporis molestiam, conficere plureis literas non potui, his tantū rescripsi à quibus acceperam. Tu uelim & Basilio, & quibus præterea uidebitur, etiā Seruilio, conscribas, ut tibi uidebitur, meo nomine, quòd tanto interuallo nihil omnino ad uos. scriptis literis, profecto intelligis rem mihi deesse de qua scribam, non uoluntatem. Quod de Vatinio quęris, neq; illius neq; cuiusquam, mihi præterea officium deest, si reperire possent, qua in re me iuuarent. Q. auersissimo à me animo Patris fuit. Eodem Corcyra filius uenit, inde profectos eos unà cum ceteris arbitror.

CICERO ATTICO SAL.


Olicitum esse te cum de tuis communibusq; fortunis, tū maxime de me, ac de dolore meo sentio: qui quidem non modo nō minuitur cum socium sibi adiungit dolorem tuum, sed etiam augetur omnino. Pro tua prudentia sentis, qua consolatione leuari maxime possim. Probas enim meum consilium, negasq; mihi quidquam tali tempore potius faciendum fuisse. Addis etiam (quod etsi mihi leuius est q̄ tuum iudicium, tamen non est leue) ceteris quoq;, id est qui pondus habeant, factum nostrum probari. Id si ita putarem, leuius dolerem. Crede, inquis, mihi. Credo equidem, sed scio q̄ cupias minui dolorem meum. Me discessisse ab armis nunq̄ pœnituit: tanta erat in illis crudelitas, tāta cū barbaris gētibus coniūctio, ut non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata: ut iā omnium iudicio constitutum esset, omnium uestrum bona prædam esse illius uictoriæ. uestrum planè dico, nunquam enim de teipso, nisi crudelissime cogitatum est. Quare uoluntatis me meæ nunquam pœnitebit, consilij pœnitet. In oppido aliquo mallem resedisse, quoad accerserer: minus sermōis subijssem, minus accepissem doloris, ipsum hoc me non angeret. Brundisij iacere, in omneis parteis est molestum: propius accedere (ut suades) quomodo sine lictoribus, quos populus dedit, possum? qui mihi incolumi adimi non possunt: quos ego nō paulisper cū bacillis in turbā conieci ad oppidū accedens, ne q̄s impetus militum fieret. recipio tempore me domo. te nunc ad Oppiū, quoniā ijs placeret modo propius accedere, ut hac de re considerarent, credo fore auctores. Sic enim recipiunt, Cæsari non modo de conseruanda, sed etiam de augenda mea dignitate curæ fore: meq; hortantur, ut magno animo sim, ut omnia summa sperem, ea spondent, confirmant. quæ quidem mihi exploratiora essent, si remansissem. Sed ingero præterita. Vide quæso igitur ea, quæ restāt & explora cum istis: & si putabis opus esse, & si istis placebit, quo magis factum nostrum Cæsar probet, quasi de suorum sententia factum, adhibeantur Trebonius, Pansa, si qui alij: scribantq; ad Cæsarem, me quidquid fecerim, de sua sententia fecisse. Tulliæ meæ morbus & imbecillitas corporis me exanimat, quam tibi intelligo magnæ curæ esse, quod est mihi gratissimum. De

Pompeij exitu mihi dubium nunquam fuit. Tāta enim desperatio rerū eius, omnium Regum & populorum animos occuparat: ut quocūq; uenisset, hoc putarem futurum. non possum eius casum non dolere: hominē enim integrū & castum & grauem cognoui. De Fannio cōsoler te? perniciosa loquebatur de mansione tua. L. uero Lentulus Hortensij domum sibi & Cæsaris hortos & Baias desponderat. Omnino hæc eodem modo ex hac parte fiunt, nisi qđ illud erat infinitum. Omnes enim qui in Italia manserant, hostium numero habebantur. Sed uelim hæc aliquando solutiore animo. Q. fratrē audio profectum in Asiam, ut deprecaretur. De filio nihil audiui, sed quære ex Diochare Cæsaris liberto, quem ego non uidi, qui istas Alexandreas literas attulit. Is dicitur uidisse an euntē an iam in Asia. Tuas literas, prout res postulat, expecto: quas uelim cures q̄primum ad me perferendas. IIII Kal. Decemb.

CICERO ATTICO SAL.



GRatæ tuæ mihi literæ sunt, quibus accurate ꝑscripsisti omnia, quę ad me pertinere arbitratus es. Factum igitur, ut scribis, istis placere, ijsdem istis lictoribus me uti, qđ concessum Sestio sit: cui nō puto suos esse concessos, sed ab ipso datos. Audio enim eum ea. S.C. improbare, quæ post discessum Tribunorum facta sunt. Quare poterit, si uolet sibi constare; nostros lictores comprobare. quāquam quid ego de lictoribus, qui penè ex Italia decedere sim iussus? Nam ad me misit Antonius exemplum Cæsaris ad se literarum, in quibus erat, se audisse Catonem, & L. Metellum in Italiam uenisse, Romæ ut essent palàm: id sibi non placere, ne q̄ motus ex eo fierent: prohiberiq; omneis Italia, nisi quorum ipse causam cognouisset: deq; eo uehemētius erat scriptum. Itaq; Antonius petebat à me per literas, ut sibi ignoscerē, facere se nō posse, quin his literis pareret. Tum ad eū misi L. Lamiam, qui demonstraret illum Dolabellæ dixisse, ut ad me scriberet, ut in Italiam q̄primum uenirē, eius me literis uenisse. Tum ille edixit ita, ut me exciperet & Lælium nominatim: quod sanè nollem. poterat enim sine nomine res ipsa excipi. O multas & graueis offensiones: quas quidem tu das operam, ut lenias: nec tamē nihil proficis, quin hoc ipso minuis dolorem meum, qđ ut minuas tam ualde laboras, idq; uelim ne grauere quam sæpissime facere. Maxime autem assequere quod uis, si me adduxeris, ut existimem me bonorum iudicium non funditus perdidisse. quāquam quid tu in eo potes? nihil scilicet. Sed si quid res dabit tibi facultatis, id me maxime cōsolari poterit, qđ nunc quidem uideo non esse. sed si quid ex euentis, ut hoc nunc, accidit, dicebar debuisse cum Pompeio proficisci, exitus illius minuit eius officij ꝑtermissi reprehēsionem. Sed ex omnibus nihil magis tamē desideratur, q̄ qđ in Africam non ierim. iudicio hoc sum usus, non eē barbaris auxilijs fallacissimæ gētis rempub. defendēdam, presertim contra exercitum sæpe uictorē. Non probant fortasse, multos enim uiros bonos in Africam uenisse audio, & scio fuisse antea. Valde hoc loco urgeor. hic quoq; opus est casu: aliqui sint ex eis, aut si potest omnes, qui salutem anteponant. nam si perseuerant & obtinent, quid nobis futurum sit, uides. Dices, Quid illis si uicti erunt? Honestior est plaga. hæc me excruciant. Sulpicij autem consilium non scripsisti, cur meo nō anteponeres. quod etsi non tam gloriosum est, q̄ Catonis, tamē & periculo uacuū est & dolore. Extremū est eorū, qui in Achaia sunt: ij tamē ipsi se hoc melius

habent,

habent,q̃ nos,ꝗ & multi sunt uno in loco,& cum in Italiã uenerint, domum statim uenerint. Hæc tu pge,ut facis,mitigare & probare q̃ plurimis. Quod te excusas,ego uero & tuas causas nosco,& mea interesse puto,te istic esse,uel ut cum ijs,quibus oportebit agas,quæ erunt agēda de nobis,ut ea quæ egisti. In primisq; hoc uelim animaduertas:multos esse arbitror,qui ad Cæsarem detulerint,delaturi ue sint,me aut pœnitere cõsilij mei,aut non probare quæ fiant.quorum etsi utrunq; uerum est,tamē ab illis dicitur animo à me alienato:non quo ita perspexerint,sed totum ut hoc Balbus sustineat & Oppius,et eorum crebris literis illius uoluntas erga me cõfirmetur.& hoc planè ut fiat, diligentiam adhibebis. Alterum est,cur te nolim discedere,quod scribis Terentiam flagitare. O rem miseram. Quid scribam? aut quid uelim? breue faciam, lacrimæ enim se subito profuderunt.tibi permitto,tu consule: tantũ uide ne hoc temporis Terentiæ obesse aliquid possit. Ignosce, obsecro te, non possum præ fletu & dolore diutius in hoc loco commorari.tantum dicam, nihil mi gratius eē,q̃ quòd eã diligis. Q; literas,quibus putas opus esse, curas dandas,facis cõmode. Q. filiũ uidi qui Sami uidisset,patrem Sicyone,quorũ deprecatio est facilis. Vtinam illi,qui prius illum uiderunt,me apud eum uellint adiutum tantum,quãtum ego illos uellem,si quid possem. Quod rogas, ut in bonam partem accipiam,siqua sint in tuis literis quæ me mordeant, ego uero in optimam: teq; rogo,ut aperte quemadmodũ facis,scribas ad me oïa, idq; facias quãsæpissime. Vale. XIIII Kal. Ian.

CICERO ATTICO SAL.



Vantis curis afficiar:etsi profecto uides,tamen cognosces ex Lepta & Trebatio.maximas pœnas pendo temeritatis meæ, quã tu prudentiam mihi uideri uis:neq; te deterreo,quo minus id disputes,scribasq; ad me quãsæpissime:nonnihil enim me leuant tuæ literæ hoc tempore. Per eos,qui nostra causa uolunt,ualentq; apud illum,diligentissime cõtendas opus est,per Balbum & Oppium maxime,ut de me scribant quamdiligentissime. Oppugnamur enim,ut audio,& à præsentibus quibusdam,& per literas.ijs ita occurrendum,ut rei magnitudo postulat. Furnius est illic mihi inimicissimus, Quintus misit filium nõ solum sui deprecatorem,sed etiam accusatorem mei. Dictitat se à me apud Cæsarem oppugnari, quod refellit Cæsar ipse,omnesq; eius amici:neq; uero desistit, ubicunq; est, omnia in me maledicta cõferre. Nihil mihi unquam tam incredibile accidit, nihil in his malis tam acerbum. Qui ex ipso audissent, cum Sicyone palàm multis audientibus loqueretur nefaria quædam,ad me pertulerunt. Nosti genus,etiam expertus es fortasse,in me id est omne conuersum. sed augeo commemorãdo dolorem,& facio etiam tibi. Quare ad illud redeo:cura, ut huius rei causa,dedita opera mittat aliquem Balbus,ad quos uidebitur,uelim cures literas meo nomine. Vale. XV Kal. Ian.

CICERO ATTICO SAL.



Go uero & incaute,ut scribis,& celerius q̃ oportuit,feci,nec in ulla sum spe: quippe qui exceptionibus edictorum retinear: quæ si non essent sedulitate effectæ & beneuolẽtia tua,liceret mihi abire in solitudines aliquas. Nunc ne id quidem licet. Quid autem me

iuuat, ꝙ ante initum Tribunatum ueni, si ipsum, ꝙ ueni, nihil iuuat? Iã quid sperem ab eo, qui mihi amicus nunquam fuit, cum iam lege etiam sim confe-ctus & oppressus? Cotidie Balbi ad me literę languidiores, multæꝗ multo-rum ad illum fortasse contra me. Meo uitio pereo, nihil mihi mali causa attu-lit: omnia culpa contracta sunt. Ego enim cum genus belli uiderem, impara-ta & infirma omnia contra paratissimos iueram. quid facerem? ceperamꝗ cõsilium non tam forte, q̃ mihi præter ceteros concedendum: cessimus, uel poti us parui. Ex quibus unus qua mente fuerit is, quem tu mihi cõmẽdas, cogno sces ex ipsius literis, quas ad te & ad alios misit: quas ego nunquam aperuis-sem, nisi res acta sic esset: delatus est ad me fasciculus: solui, si quid ad me esset literarum. nihil erat. Epistola Vatinio & Ligurio altera. Iussi ad eos deferri: illi ad me statim ardenteis dolore uenerunt, scelus hominis clamãtes. Episto-las mihi legerunt plenas omnium in me probrorum. Hic Ligurius furere. se enim scire summo illum in odio fuisse Cæsari: illum tamen nõ modo fouisse, sed & tantam illi pecuniam dedisse honoris mei causa. Hoc ego dolore acce-pto, uolui scire quid scripsisset ad ceteros. Ipsi enim illi putaui perniciosum fo re, si eius hoc tantum scelus percrebuisset. Cognoui eiusdem generis, ad te mi si: quas si putabis illi ipsi utile esse reddi, reddes: nil me lædet: nam ꝙ resigna tæ sunt, habet, opinor, eius signum Pomponia. Hac ille acerbitate initio naui gationis cum usus esset, tanto me dolore affecit, ut postea iacuerim: neꝗ nunc tam pro se, q̃ contra me laborare dicitur. Ita omnibus rebus urgeor, quas su-stinere uix possum, uel planè nullo modo possum. quibus in miserijs una est pro omnibus, ꝙ istam miseram, patrimonio, fortuna omni spoliatam relinq̃. Quare te, ut polliceris, uidere planè uelim: alium enim cui illam cõmendem habeo neminem, quoniam matri quoque eadem intellexi esse parata, quæ mi hi. sed si me non offendes, satis tamen habeto commendatã, patruumꝗ in ea, quantum poteris, mitigato. Hęc ad te die natali meo scripsi: quo utinam susce ptus non essem, aut ne quid ex eadem matre postea natum esset. Plura scribe-re fletu prohibeor.

CICERO ATTICO SAL.

AD meas incredibileis ægritudines aliquid noui accedit ex his, quę de Q. Q. ad me afferuntur. P. Terentius meus necessarius operas in portu, & scriptura Asiæ pro magistro dedit. Is Q. Filiũ Ephe si uidit VI Id. Decemb. cumꝗ studiose propter amicitiã nostrã inuitauit: cunque ex eo de me contaretur, eum sibi ita dixisse narrabat, se mi-hi esse inimicissimum, uolumenꝗ sibi ostendisse orationis, quam apud Cæsa rem contra me esset habiturus. multa à se dicta contra eius amentiam: multa postea patris, consimili scelere, secum Q. patrem locutum: cuius furorem ex his epistolis, quas ad te misi, perspicere potuisti. Hæc tibi dolori eẽ certo scio, me quidem excruciant: & eo magis, ꝙ mihi cum illis ne querendi quidem lo-cum futurum puto. De Africanis rebus longe alia nobis, ac tu scripseras nun ciantur. Nihil enim firmius esse dicunt, nihil paratius. Accedit Hispania, & alienata Italia, legionum nec uis eadem nec uoluntas. Vrbanæ res perditæ. Quid est, ubi acquiescam? nisi quãdiu tuas literas lego: quæ essent profectò crebriores, si quid haberes, quo putares meam molestiam minui posse. Sed ta men te rogo, ut intermittas scribere ad me quidquid erit: eosꝗ qui mihi tam

crudeliter

crudeliter inimici sunt, si odisse non potes, accuses tamen: non ut aliquid proficias, sed ut tibi me carum esse sentiant. Plura ad te scribam, si mihi ad eas literas, quas proxime ad te dedi, rescripseris. Val. XII Kal. Febr.

CICERO ATTICO SAL.



Confectus iam cruciatu maximorum dolorum, ne si sit quidē quod ad te debeā scribere, facile id exequi possem: hoc minus, ꝙ res nulla est, quæ scribenda sit: cum presertim ne spes quidem ulla ostendatur fore melius. Ita iam ne tuas quidem literas expecto, q̄q̄ semper aliquid afferunt, quod uelim. Quare tu quidem scribito, cum erit cui des. Ego tuis proximis, quas tamē iampridem accepi, nihil habeo quod rescribā, longo enim interuallo uideo īmutata esse omnia: illa esse firma quæ debeant nos stultitiæ nostræ grauissimas pœnas pendere. P. Sallustio curanda sunt HS. x x x, quæ accepi à Cn. Sallustio: uelim uideas, ut sine mora curētur. De ea re scripsi ad Terentiam, atq; hoc ipsum iam propè consumptum est. Quare id quoq; uelim, cum illa uideas, ut sit, qui utamur. hic fortasse potero sumere, si sciam istic paratū fore: sed prius q̄ id scirē, nihil sum ausus sumere. Qui sit omnium rerum status noster, uides. Nihil est mali, quod nō & sustineam & expectem. Quarum rerum eo grauior est dolor, quo culpa maior. Ille in Achaia non cessat de nobis detrahere: nihil uidelicet tuæ literæ profecerunt. Vale, VIII Id. Mart.

CICERO ATTICO SAL.



Cephalio mihi à te literas reddidit ad VIII Id. Mart. uespere. Eo autem die mane tabellarios miseram, quibus ad te dederā literas. tuis tamen lectis literis, putaui aliquid rescribēdum esse: maxime, ꝙ ostēdis te pendere animi, quānam rationē sim Cæsari allaturus profectionis meæ tum, cū ex Italia discesserim. Nihil opus est mihi noua ratione. Sæpe enim ad eum scripsi, multisq; mandaui, nō potuisse, quum cupijssem sermones hominū sustinere, multaq; in eam sentētiā. Nihil enim erat, qđ minus eum uellē existimare, q̄ me tanta de re nō meo cōsilio usum eē. Postea q̄ mihi literæ à Balbo Cornelio minore missę essent: illum existimare Q. Fratrē lituum meæ profectionis fuisse (ita enim scripsit) qui nondū cognossem, quæ de me Quintus scripsisset ad multos: etsi multa præsens in p̄sentē acerbe „ dixerat, & fecerat. tñ L. in eo his uerbis ad Cæsarē scripsi. De Q. Fratre meo „ nō minus laboro q̄ de meipso, sed eū tibi cōmendare hoc meo tpe nō audeo. „ Illud dūtaxat tñ audebo petere abs te, quod te oro, ne quid existimes ab illo „ factū esse, quo minus mea in te officia cōstarēt, minus' ue te diligerē: potiusq; „ illum semper auctorē nostræ coniunctionis fuisse, meiq; itineris comitē, non „ ducē. Quare ceteris in rebus tantū ei tribues, q̄tum humanitas tua, amicitiaq; „ uestra postulat. Ego ei ne quid apud te obsim, id te uehemēter etiā atq; etiam rogo. Quare, si quis cōgressus fuerit mihi cū Cæsare, etsi nō dubito quin is lenis in illū futurus sit, idq; iā declarauerit, ego tñ is ero, qui semper fui. Sed, ut uideo, multo magis est nobis laborandum de Aphrica, quam quidem tu scribis confirmari cotidie magis ad cōditionis spē, q̄ uictorię: quod utinā ita eēt. Sed longe aliter esse intelligo, teq; ipsum ita existimare arbitror, aliter autem scribere non fallēdi, sed confirmandi mei causa: presertim cum adiūgatur ad

cum etiam essent locuti: quibuscum tu de hoc ipso colloquare uelim: et ad me quid tibi responderint, scribas: non ꝙ ab isto salus data quidquã habitura sit firmitudinis, sed tamẽ aliquid consuli & prospici poterit. Etsi omnium cõspectum horreo, presertim hoc genero, tamen in tãtis malis quid aliud uelim nõ reperio. Quintus pergit: ut ad me & Pansa scripsit & Hirtius: isq; itẽ Aphricam petere cum ceteris dicitur. Ad Minutium parentem scribam: & tuas literas mittam, ad te scribam num quid egerit. HS. X X X potuisse mirarer, nisi multa de Fufidianis prædijs: & id uideo tamen expecto: quem uidere, si ullo modo potest enim res, peruellem. Iam extremum cõcluditur: ibi facile est, q̃d quale sit, grauius existimare. Vale.

CICERO ATTICO SAL.



QVoniam iustas causas affers, ꝙ te hoc tempore uidere nõ possim, quæso quid sit mihi faciendum. Ille enim ita uidetur Alexãdream tenere, ut eum scribere etiã pudeat de illis rebus. Ii autẽ ex Aphrica iam affuturi uidentur. Achei item ex Asia redituri ad eos, aut libero aliquo loco cõmoraturi. Quid mihi igitur putas agẽdum? Video difficile esse cõsiliũ: sum enim solus, aut cũ altero, cui neq; ad illos reditus sit, neq; ab ijs ipsis quidquã ad spem ostendatur. sed tamen scire uelim, quid censeas: id ꝗerat cum alijs, cur te, si fieri posset, cuperẽ uidere. Minutiũ X I I sola curasse scripsi ad te antea: quod superest, uelim uideas ut curetur. Quintus non modo nõ cum magna prece ad me, sed acerbissime scripsit. Filius uero mirifico odio. nihil fingi potest mali, quo non urgear. Omnia tamẽ sunt faciliora, q̃ peccati dolor, qui & maximus est & ęternus. Cuius peccati, si socios essem habiturus ego, quos putaui, tamẽ esset consolatio tenuis. Sed habet aliorum omnium ratio exitum, mea nullum. alij capti, alij interclusi non ueniunt in dubiũ de uoluntate, eo minus scilicet, cum se expedierint, & una esse cœperint. ij aũt ipsi, qui sua uoluntate ad Fufium uenerunt, nihil possunt nisi timidi existimari. Multi aũt sunt, qui quocunq; sunt, modo ad illos se recipere uolent, recipientur: quo minus debes mirari, nõ posse me tãto dolori resistere. solius enim meum peccatum corrigi non potest & fortasse Lęlij: sed quid me id leuat? nã C. quidem Cassium aiunt consilium Alexandream eundi mutauisse. Hæc ad te scribo, nõ ut queas tu demere solicitudinẽ, sed ut cognoscã & quid tu ad ea afferas, quæ me cõficiunt, ad quæ gener accedit & cetera, quæ fletu reprimor ne scribã. Quin ẽt Æsopi F. me excruciat: prorsus nihil abest, quin sim miserrimus. Sed ad primũ reuertor: quid putes faciẽdũ: occulte ne aliquo propius ueniendum, an mare transeundum: nam hic maneri diutius non potest. Fufidianis quare nihil potuit cõfici? genus enim cõditionis eiusmodi fuit, in quo non solet esse cõtrouersia: cum ea pars, quæ uidetur esse minor, licitatione expleri posset. Hæc ego non sine causa quæro: suspicor enim cohæredes dubiã nostram causam putare, & eo rem in integro esse. Vale. Prid. Id. Mai.

CICERO ATTICO SAL.



NOn meo uitio fit hoc quidem tẽpore, (ante enim est peccatũ), ut me ista epistola nihil cõsoletur: nam & exigue scripta est, & suspitiones magnas habet, non esse ab illo, quas animaduertisse te existimo. De obuiam itione ita faciam, ut suades. Neq; enim ualde de aduẽtu eius opinio est: neq;, si q ex Asia ueniũt, quidq̃ auditũ ẽe dicũt de pace,

cuius ego spe in hanc fraudem incidi. Nihil uideo, quod sperãdum putẽ, nũc presertim cum ea plaga in Asia sit accepta, in Illyrico, in Cassiano negotio, in ipsa Alexãdrea, in urbe, in Italia. Ego uero, etiam si rediturus ille est, qui adhuc bellum gerere dicitur, tamen ante reditum eius negotium confectum iri puto. Quòd autem scribis quandam lætitiam bonorum esse cõmotam, ut sit auditum de literis, tu quidem nihil prætermittis, in quo putes aliquid solatij esse: sed ego non adducor, quenq̃ bonum ullam salutem putare mihi tanti fuisse, ut eam peterem ab ullo: & eo minus, q̃ huius consilij iam ne socium quidem habeo quenq̃: qui in Asia sunt, rerum exitum expectant. Achaici etiam Fusio spem deprecationis afferunt. horum & timor idem fuit primo, qui meus, & constitutum: mora Alexandrina causam illorum correxit, meã euertit. Quamobrem idem à te nũc peto, quod superioribus literis, ut si quid in perditis rebus dispiceres, quod mihi putares faciendum, me moneres. si recipior ab ijs, quod uides non fieri, tamẽ quoad bellum erit, quid agam, aut ubi sim, nõ reperio: sin iactor, eo minus. Itaq; tuas literas expecto, easq; ut ad me sine dubitatione scribas, rogo. Quòd suades, ut ad Quintum scribam de his literis, facerẽ, si me quicq; istæ literæ delectarẽt. Quidã scripsit ad me his uerbis. EGO (VT IN HIS MALIS) PATRIS SVM NON INVITVS, ESSEM LIBENTIVS, SI FRATER TVVS EA DE TE LOQVERETVR, QVAE EGO AVDIRE VELLEM. Quòd ais illum ad te scribere, me sibi nullas literas remittere, semel ab ipso accepi. ad eas Cephalioni dedi, qui multos menses tempestatibus retentus est. Q. Filium ad me acerbissime scripsisse, iam ante ad te scripsi. Extremum est, quod te orem, si putas rectum esse & à te suscipi posse, cum Camillio cõmunices, ut Terentiã moneatis de testamẽto. Tempora monẽt ut uideat, ut satisfaciat quibus debeat. Auditum ex Philotimo est, eam scelerate quædã facere: credibile uix est. sed certe si quid est quod fieri possit, prouidendum est. De omnibus rebus uelim ad me scribas, & maxime quid scribas de ea: in quo tuo consilio egeo, etiam si nihil excogitas, id enim mihi erit pro desperato III Non. Iun.

CICERO ATTICO SAL.



Roperantibus tabellarijs alienis, hanc epistolam dedi, eo breuior est, q̃ erã missurus nostros. Tullia mea uenit ad me prid. Id. Iun. deq; tua erga se obseruantia, beneuolentiaq; mihi plurima exposuit, literasq; reddidit trinas. Ego autem ex ipsius uirtute, humanitate, pietate, non modo eam uoluptatem nõ cepi quam capere ex singulari filia debui, sed etiam incredibili sum dolore affectus, tale ingenium in tam misera fortuna uersari: idq; accidere nullo ipsius delicto, summa culpa mea. Itaque à te neq; consolationem iam, qua cupere te uti uideo, nec consilium, quod capi nullum potest, expecto: teq; omnia cum superioribus sæpe literis, tum proximis tentasse intelligo. Ego cum Sallustio Ciceronem ad Cæsarem mittere cogitabam. Tulliam aũt nõ uidebam esse cãm, cur diutius mecũ tãto in cõi mœrore retinerem. Itaq; Aemathiam, cũ primum per ipsam liceret, eam remissurus pro ea quemadmodum cõsolandis scripsisti P. tanta eo me scripsisse: quę tu ipse intelligis responderi posse. Quod Oppium tecum scribis locutum, nõ abhorret à mea suspitione eius oratio: sed non dubito, quin istis persuaderi nullo modo possit, ea quæ faciant, mihi probari posse, quoquo modo loquar. *

quar. Ego tamen utar moderatiōe qua potero. q̄q̄ quid mea intersit, ut eorū odium subeam, non intelligo. Te iusta causa impediri quo minus ad nos ueni as, uideo, idq; mihi ualde molestum est. Illum ab Alexādrea discessisse nemo nunciat: constatq; ne profectum quidem illò quenquā post Id. Mar. nec post Id. Deceb. ab illo datas ullas literas. ex quo illud intelligis: Illud de literis ad V. Id. Feb. datis (quod inane esset: etiam si uerum esset,) non uerum esse. L. Terentium discessisse ex Aphrica scimus, Pęstumq; uenisse. Quid is afferat, aut quomodo exierit, aut quid in Aphrica fiat, scire uelim. Dicitur enim per Vasidiū emissus esse. Id quale sit, uelim si inueneris, ad me scribas. De HS. X. ut scribis, faciam. Val. XVIII Kal. Quintil.

CICERO ATTICO SAL.



E illius ab Alexandrea discessu nihil adhuc rumoris: cōtraq; opinio, ualde esse impeditum. Itaq; nec mitto, ut constitueram, Ciceronem: & te rogo, ut me hinc expedias. Quoduis enim suppliciū leuius est hac permansione. Hac de re & ad Antonium scripsi & ad Balbum & ad Oppium. Siue enim bellum in Italia futurum est, siue classibus utetur, hic esse me minime conuenit: quorum fortasse utrūq; erit, alterum certe. Intellexi omnino ex Oppij sermone, quem tu mihi scripsisti, quæ istorū uia esset: sed, ut eam flectas, te rogo. Nihil omnino iam expecto, nisi miserum. Sed hoc perditius, in quo nūc sum, fieri nihil potest. Quare & cum Antonio loquare uelim & cum istis: & rem, ut poteris expedias, & mihi quāprimum de omnibus rebus rescribas. Val. XII Kal. Quintil.

CICERO ATTICO SAL.



Vm tuis dare possem literas, non prætermisi, etsi, quid scriberem, non habebā. Tu ad nos & rarius scribis q̄ solebas & breuius. Credo quia nihil habes, quod me putes libenter legere, aut audire posse. Verūtamen uelim, quid erit, qualecūq; erit, scribas. Est autem unum, quod mihi sit optandum, si quid agi de pace possit, quod nulla equidem habeo in spe. sed quia tu leuiter interdum significas, cogis me sperare, quod optandum uix est. Philotimus dicitur Id. Sext. nihil habeo de illo amplius. Tu uelim ad ea mihi rescribas, quæ ad te antea scripsi. Mihi tantum temporis satis est, dum ut in pessimis rebus aliquid caueam, qui nihil unquam caui. Val. XI Kal. Sext.

CICERO ATTICO SAL.



Ecimoseptimo Kal. Sept. uenerat die XXVIII. Seleucea Peria C. Trebonij, is qui se Antiochiæ diceret apud Cæsarē uidisse Q. F. cum Hirtio, eos de Q. quę uoluissent, impetrasse nullo quidem negotio: quod ego magis gauderē, si ista nobis impetrata quicquam ad spem explorati haberent. Sed & alia timenda sunt, ab alijsq;, & ab hoc ipso, quæ dātur, ut à domino, rursus in eiusdem sunt potestate. etiam Sallustio ignouit. Omnino dicitur nemini negare, quod ipsum est suspectum. notionem eius differri.

M. Gallius Q. F. mancipia Sallustio reddidit. Is uenit, ut legiones in Siciliam traduceret, & protinus iturum Cæsarē Patris. Quod si faciet, ego quod ante mallem, aliquò propius accedam. Tuas literas ad eas, quibus à te proxime consilium petiui, uehementer expecto. Val. XVI Kal. Sept.

CICERO ATTICO SAL.


Ccepi VI Kal. Sept. literas à te, datas XII Kal. doloremq́, quem ex Quinti scelere iampridem acceptum iam abieceram, lecta eius epistola, grauissimum cepi. Tu, etsi non potuisti ullo modo facere, ut mihi illam epistolam non mitteres, tamẽ mallem non eẽ missam. Ad ea autem quæ scribis de testamẽto, uidebis quid & quo modo de nũmis, & illi sic scripsit ut ego ad te antea & nos, si quid opus erit, utemur ex eo, de quo scribis. Ille ad Kal. Sept. Athenis non uidetur fore. Multa eũ in Asia dicuntur morari: maxime Pharnaces legio XII ad quã primum Sulla uenit, lapidibus egisse hominem dicitur. nullam putant se cõmoraturam, illum arbitrantur protinus Patris in Siciliam. Sed si hoc ita est, huc ueniat necesse est, ac mallem illum. aliquo enim modo hinc euasissem. nunc metuo, ne sit expectandum, & cum reliquis etiã loci grauitas hic miserrime perferenda. Quòd me mones, ut ea uideam, quæ ad tempus accõmodem, facerem, si res pateret, & si ullo modo fieri posset. sed in tantis nostris peccatis, tantisq́ nostrorum iniurijs nihil est, quod aut facere dignum nobis, aut simulare possim. Sullana confers, in quibus omnia genere ipso præclarissima fuerũt, moderatione paulo minus temperata. Hæc autem eiusmodi sunt, ut obliuiscar: multoq́ malim, quod omnibus sit melius, quorum utilitati meam iunxi. Tu ad me tamẽ uellẽ quamsæpissime scribas, eoq́ magis, quòd præterea nemo scribit: ac si omnes, tuas tamen maxime expectarem. Quòd scribis illum per me Quinto fore placatiorem, scripsi ad te antea eũ statim Q. F. omnia tribuisse, nostri nullam mentionem. Vale.

CICERO ATTICO SAL.


Iligenter mihi fasciculum reddidit Balbi tabellarius. accepi enim à te literas, quibus uideris uereri, ut epistolas illas acceperim, quas quidem uellem mihi nunquam redditas. Auxerunt enim mihi dolorem: si in aliquem incidissent, quidquam noui attulissent. Quid enim tam peruulgatum, q̃ illius in me odium? & genus hoc literarum, quod ne Cæsar quidem ad istos uidetur misisse, quasi quo illius improbitate offenderet, sed credo, uti notiora nostra mala essent. Nã q; te uereri scribis, ne illi obsint, eiq́ rei mederi, ne rogari quidẽ se passus est de illo, quod quidẽ mihi molestum non est: illud molestius, istas impetrationes nostras nihil ualere. Sulla, ut opinor, cras erit hic cum Messala, currunt ad illum pulsi à militibus, qui se negant usquam, nisi acceperint. Ergo ille huc ueniet, quod nõ putabãt, tarde quidem. itinera enim ita facit, ut multos dies in oppidum ponat. Pharnaces autem, quoquo modo aget, afferet moram. Quid mihi igitur censes? iã enim corpore uix sustineo grauitatem huius cœli, qui mihi laborem affert in dolore. An his illuc euntibus mandem, ut me excusent? ipse accedam propius? quæso attende, & me, quod adhuc sæpe rogatus non fecisti, consilio iuua. Scio rem difficilem esse, sed ut malis. Etiam illud mea magni interest, te ut uideam. profecto aliquid profecero, si id acciderit. De testamento, ut scribis, animaduertes. Vale.

Cicero

CICERO ATTICO SAL.



Vod ad te scripseram, ut cum Camillio cõmunicares, de eo Camillius mihi scripsit, te cum eo locutum. Tuas literas expectabã: nisi illud quidem mutari, si aliter est, & oportet, non uideo posse: sed cũ à nullo accepissem literas, desideraui tuas. Etsi putabam te certiorẽ factum non esse modo ualeres. scripseras enim te quodam ualetudinis genere tentari. Augusius quidam Rhodo uenerat VIII Id. Quintil. Is nũciabat Q. fratrem ad Cæsarem profectum IIII Kal. Iun. Philotimum Rhodum pridie eius diei uenisse. habere ad me literas. ipsum Augusiũ audies. sed tardius iter faciebat. eo feci, ut eò celeriter eunti darem. quid sit in his literis nescio, sed mihi ualde Q. frater gratulatur. Equidem in meo tanto peccato nihil, ne cogitatione quidem assequi possum, quod mihi tolerabile possit esse. Te oro, ut de hac misera cogites: & illud, de quo ad te proxime scripsi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam, & etiam de ipso testamento. Illud quoq; uellem antea. sed omnia timuimus. Melius quidẽ in pessimis nihil fuit dissidio, aliquid fecissemus, ut uiui uel tabularum nouarum nomine, uel nocturnarum
* expugnationum, uel Metellæ, uel omnium maiorum, nec res perijsset, & uideremur aliquid doloris uirilis habuisse. Memini omnino tuas literas. sed & tempus illud & siquid uis præstitit. nunc quidem ipse uidetur denũciare. Au
* dimus enim de staturi ei; ò di, generum'ne nostrum potissimum, ut hoc uel tabulas nouas? Placet mihi igitur, & idem tibi, nuncium remitti. Petet fortasse
* tertiam pensionem. Cõsidera igitur tum ne uim abuso nascetur: an prius ego, si ullo modo potuero, uel nocturnis itineribus experiar, ut te uideam. Tu & hæc, & si quid erit quod intersit me scire, scribas uelim. Vale.

CICERO ATTICO SAL.



Væ dudum ad me, & quæ etiam ante bis, ad Tulliam de me scripsisti, ea sentio esse uera. Eo sum miserior, etsi nihil uidebatur addi posse, q mihi non modo irasci grauissima iniuria accepta, sed ne dolere quidem impune liceat. Quare istud feramus. quod cum tulerimus, tamen eadem erunt perpetienda, quæ tu, ne accidãt, ut caueamus, mones. Ea enim est à nobis contracta culpa, ut omni statu, omniq; populo eundẽ
* exitum habitura uideatur. sed ad meam manum reddiderint. enim hæc occultius accedam. Vide quæso etiam nunc de testamento, quod tum factum, cum illa quærere cœperat. non credo & cõmoti. neq; eum rogari, ne me quidem:
* sed quasi ita sit, quoniam in sermone iam uenisti, poteris eam monere, ut alicui cõmittat, cuius extra periculum huius belli fortuna est. Equidem, tibi potissimum uelim, si idem illa uellet: quam quidẽ cælo. miserum me in hoc timere de illo altero. Scio equidẽ uenire nunc nil posse, sed seponi & occultari possunt, ut extra ruinam sint eam, quæ impendet. Nam q scribis nobis nostra & tua Terentiæ fore parata, tua credo, nostra quæ poterunt esse? de Terentia autem (mitto cetera, quæ sunt innumerabilia) quid ad hoc addi potest? Scripseras, ut HS XII. permutaret. tantum esse reliquum de argento. Misit illa CCIↃↃ mihi, & ascripsit tantum esse reliquum, cum hoc tam paruum de

paruo detraxerit, perspicis quid in maxima re fecerit? Philotimus nõ modo nullus uenit, sed ne per literas quidem, aut per nuncium certiorem facit me, quid egerit. Epheso qui ueniunt, ibi se eum de suis controuersijs in ius adeuntem uidisse nunciant, quæ quidem (ita enim uerisimile est) in aduentum Cæsaris fortasse reijciuntur. Ita aut nihil puto eum habere, quod putet ad me celerius perferendum: & eo me magis esse despectum, aut etiam si quid habet, id nisi omnibus suis negotijs confectis ad me referre non curet. Ex quo magnum equidem capio dolorem, sed non tantum, quantum uideor debere. nihil enim mea minus interesse puto, quàm quid illinc afferatur, id quamobrẽ, te intelligere certo scio. Quòd me mones de uultu & oratione ad tempus accommodanda, etsi difficile est, tamen imperarem mihi, si mea quidquam interesse putarem. Quòd scribis literis putare Aphricanum negotium confici posse, uelim scriberes, cur ita putares. mihi quidem nihil in mẽtem uenit, quare id putem fieri posse. Tu tamen uelim, si quid erit, quod consolationis aliquid habeat, scribas ad me. sin, ut perspicio, nihil erit, scribas id ipsum. Ego ad te, si quid audiero, citius scribam. Val. VIII. Id. Sext.

CICERO ATTICO SAL.



Acile assentior tuis literis, quibus exponis pluribus uerbis nullũ consilium, quo à te possim iuuari. Consolatio certe nulla est, quæ leuare possit dolorem meum. nihil est enim contractum casu, nam id esset ferendum, sed omnia fecimus his erroribus & miserijs & animi & corporis: quibus proximi utinam mederi maluissent, quàm obesse. Quoniam neque consilij tui, neque consolationis cuiusquam spes ulla mihi ostenditur, non quæram hæc à te posthac: tantum uelim, ne intermittas. scribas ad me quidquid ueniet tibi in mentem, cum habebis cui des, & dum erit ad quem des, quod longum non erit. Illum discessisse Alexandrea rumor est non firmus, ortus ex Sulpicij literis, quas cuncti postea nuncij confirmarunt. quod uerum, an falsum sit, quoniam mea nihil interest, utrum malim, nescio. Quòd ad te iampridem de testamẽto scripsi apud epistolas, uelim ut possim aduersas, ego huius miserrima facultate confectus conflictor. nihil unquam simile natum puto. cui si qua re consulere aliquid possum, cupio à te admoneri. Video eandem esse difficultatem, quam in consilio dato ante, tamẽ hoc me magis sollicitat, quàm omnia. In pensione secunda cæci fuimus, alium mallẽ. sed præterijt. Te oro, ut in perditis rebus, si quid cogi confici potest, quod sit in tuto, ex argento, neq; satis multa ex supellectile, des operam. Iam enim mihi uidetur adesse extremum, nec ulla fore conditio pacis, eaq; quæ sunt etiam sine aduersario peritura. Hæc etiam, si uidebitur, cum Terentia loquere opportune. Non queo omnia scribere. Vale, III Non. Quintil.

M.T. CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM. LIBER XII.

CICERO ATTICO. SAL.



Ndecimo die poſtquam à te diſceſſeram, hoc literularum exaraui egrediẽs è uilla ante lucem: atq; eo die cogitabam in Anagnino, poſtero autem in Tuſculano. Ibi unum diem, V Kal. igitur ad cõſtitutum: atq; utinam continuo ad complexum meæ Tulliæ, ad oſculũ Atticæ poſſim currere. Quod qdẽ ipſum ſcribe quæſo ad me, ut dum conſiſto in Tuſculano, ſciam qd garriat, ſin ruſticatur, qd ſcribat ad te: ei q; interea, aut ſcribes ſalutem, aut nunciabis, item q; Piliæ: & tamen, etſi continuo congreſſuri ſumus, ſcribes ad me, ſi quid habebis.

Cum complicarem hanc epiſtolam, noctuabũdus ad me uenit cum epiſtola tua tabellarius. qua lecta, de Atticæ febricula ſcilicet ualde dolui. Reliqua, quæ expectabam ex tuis literis, cognoui omnia. Sed quòd ſcribis igniculum matutinum, γεροντικώτερον eſt memoriola uacillare. Ego enim IIII Kal. Axio dederam: tibi, III: Quinto, quo die ueniſſem, id eſt V Kal. Hoc igitur habebis: noui nihil. Quid ergo opus erat epiſtola? quid cum coram ſumus & garrimus quid in buccam? Eſt profecto quiddam λέσχη, quæ habet, etiam ſi nihil ſubeſt, collocutione ipſa ſuauitatem. Hic rumor eſt T. Murcum periiſſe naufragio. Aſinium delatum uiuum in manus militum. L. nauis delata in Vticã reflatu. hoc Pompeium non comparere, nec in Balearibus omnino fuiſſe, ut Patietus affirmat. ſed auctor nullius rei quiſquam. Habes quæ dũ tu abes locuti ſunt. Ludi interea Præneſte. Ibi Hirtius & iſti omnes: & quidem ludi dies octo. quæ cenæ? quæ deliciæ? Res interea fortaſſe trãſacta eſt. O miros homines. At Balbus ædificat. τί γὰρ τῷ μέλει; Verum ſi quæris homini nõ recta, ſed uoluptuaria quærenti, nónne βεβίωται; Tu interea dormis. Iam explicãdũ eſt πρόβλημα, ſi quid acturus es. Si quæris quid putem, ego fructum puto. Sed quid multa? iam te uidebo & quidẽ, ut ſpero, de uia recta ad me. Simul enim & diem Tyrannioni conſtituemus, & ſi quid aliud.

CICERO ATTICO SAL.



Num te puto minus blandum eſſe, q̃ me: aut ſi uterq; noſtrum eſt aliquando aduerſus aliquem, inter nos certe nunquam ſumus. Audi igitur me hoc ἀγοητεύτως dicentem, Ne uiuam mi Attice, ſi mihi non modo Tuſculanum, ubi ceteroqui ſum libenter, ſed μακάρων νῆσοι tãti ſunt, ut ſine te ſim totos dies. Quare obduretur hoc triduũ, ut te quoq; ponam in eodẽ πάθει. quod ita eſt profecto. Sed uelim ſcire, hodiene ſtatim de auctione, & quo die uenias. ego me interea cum libellis. Ac moleſte fero Vennoni hiſtoriã me nõ habere. Sed tamen ne nihil de re, nomen illud, quod
* à Cæſare? treis habet condiciones: aut emptionem ob haſtam. perdere malo (etſi præter ipſam turpitudinẽ, hoc ipſum puto eẽ perdere:) aut delegatione

in mancipe annua die. quis erit, cui credam? aut quando ipse Metonis annus ueniet? aut Veteni condicione semissem. σιώπα igitur. Ac uereor ne iste iā auctionem nullam faciat, & sedulo ijs factis Clypo subsidio currat. Ne talis uir ἀλογυθῆ sed μάλιστα. Tu Atticam quæso cura, & ei salutē & Piliæ, Tulliæ quoque uerbis plurimam.

CICERO ATTICO SAL.



Gratas tuas mihi iucūdasque literas, qd quæris? Restitutus est mihi dies festus. Angebar enim, quod Tiro ἀπρεσβύτερον te sibi eē uisum dixerat: addam igitur, ut censes, unum diem. sed de Catone πρόβλημα ἀρχιμήδειον est: non assequor, ut scribam, quod tui conuiuæ non modo libenter, sed etiam æquo animo legere possint. Quin etiam, si a sententijs eius dictis, si ab omni uoluntate consilijsque, quæ de rep. habuit, recedam, ψιλῶς que uelim grauitatem constantiamque eius laudare: hoc ipsum tamen ijs odiosum ἄκουσμα sit. sed uere laudari ille uir non potest, nisi hæc ornata sint. quod ille ea quæ nunc sunt & futura uiderit, & ne fierent, cōtenderit: & facta ne uideret, uitam reliquerit. Horum quid est, quod Atedio probare possimus? sed cura obsecro, ut ualeas, eamque, quam ad omneis res adhibes, in primis ad cōualescendum adhibe prudentiam.

CICERO ATTICO SAL.



Vintus pater quartum, uel potius millesimum, nihil sapit, qui lætetur Luperco filio & Stathio, ut cernat duplici dedecore cumulatam domum. addo etiam Philotimum tertium. O stultitiam (nisi mea maior esset) singularem. Quod autem os in hanc rem ἔρανον a te, fac non ad διψῶσαν κρήνην, sed ad παρ' ἣν εὐ uenisse ἀμπνεύματα σεμνὸν ἀλφειοῦ παρ' ἣν (ut scribis) haurire, in tantis suis presertim angustijs, ποῖ ταῦτ' ἄρ' ἀποσκήψει; sed ipse uiderit. Cato me quidem delectat, sed etiam Bassum Luciliū sua de Cælio tu quæres, ut scribis. ego nihil noui. noscenda est natura, non facultas. Modo de Hortensio & Verginio, tu si quid dubitabis, & si quid magis placeat, ego quantum aspicio, non facile inueneris. Cum Mustella, quemadmodum scribis, cum uenerit Crispus. Ad Aulum scripsi, ut ea, quæ bene nossem de auro, Pisoni demōstrarem. Tibi enim sane assentior, & istud nimium diu duci, & omnia nunc undique contrahenda. Te quidem nihil agere, nihil cogitare aliud, nisi quod ad me pertineat, facile perspicio, meisque negotijs impediri cupiditatem tuam ad me ueniendi: sed mecum esse te puto, non solum, quod meam rem agis, uerumetiam quod uidere uideor quo modo agas. Neque enim ulla hora tui mihi est operis ignota. Tubulum Prętorem uideo L. Metello, Q. Maximo Coss. Nūc uelim P. Scæuola Pont. max. quibus Coss. Tr. pl. equidem puto Cepione & Pōpeio. Pr. enim Furio Sex. Atilio. Dabis igitur Tribunatum, & si poteris Tubulis quo crimine. Et uide quæso L. Libo ille qui de Ser. Galba Censorino & Manlio an T. Quintio Manlio Coss. Trib. pl. fuerit; conturbor enim epitome Bruti Fanniana. in Bruti epitoma Fānianorum scripsi, quod erat in extremo: idque ego secutus, hunc Fannium, qui scripsit historiam, generum esse scripseram Lælij. sed tu me γεωμετρικῶς refelleras: te aūt nunc Brutus & Fannius. Ego tamē de bono auctore Hortensio sic acceperā, ut apud Brutum est. Hunc igitur locum expedies. Ego misi Tironem Dolabellæ

bellæ obuiam. is ad me Idibus reuertetur. te expectabo postridie. De Tullia mea tibi antiquissimum esse uideo, idq́ ita ut sit, te uehementer rogo. Ergo et in integro omnia (sic enim scribis) mihi etsi Kalendæ uitandæ fuerunt, nicasionumq́ ἀρχέτυπα fugienda, conficiendæq́ tabulæ: nihil tamen tanti, ut à te abessem, fuit. cum Romę essem, & te iam iamq́ uisurum me putarem, cotidie tamen horæ, quibus expectabam, longæ uidebantur. Scis me minime eẽ blandum. Itaque minus aliquanto dico, quàm sentio.

CICERO ATTICO SAL.



E Cœlio uide quæso, ne quæ lacuna sit in auro. ego ista non noui. sed certe in colybo est detrimenti satis huc aurum si accedit. Sed quid loquor? tu uidebis. Habes Hegesiæ genus, quod Varro laudat. Venio ad Tyrannionem. ain' tu? uerum hoc fuit? sine me? At ego quoties cum essem otiosus, sine te tamẽ nolui. Quomodo hoc ergo lues? uno scilicet, si mihi librum miseris: quod ut facias, etiam atq́ etiam rogo. etsi me nõ magis liber ipse delectabit, q̃ tua admiratio delectauit. Amo enim πάντα φιλόδημον, teq́ istam tam tenuem θεωρίαν tam ualde admiratum esse gaudeo. etsi tua quidem sunt eiusmodi omnia. Scire enim uis, quo uno animus alitur: sed quæso quid ex ista acuta & graui refertur ad τέλος, sed lõga oratio ẽ, & tu occupatus in meo fortasse aliquo negotio, et ꝓ isto asso sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, à te nitidum solem unctumq́ repetemus. Sed ad prima redeo. Librum, si me amas, mitte. tuus est enim profectò: quoniamquidem est missus ad te, Chremes tantum ne ab re tua est otij tibi, ut etiam oratorẽ legas? Macte uirtute. mihi quidem gratum, & erit gratius, si non modo in libris tuis, sed etiam in aliorum per librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli. Cæsar autem mihi irridere uisus est. Quæso illud tuum quod erat εὐτικὲς & urbanum, ita porrò te sine cura eẽ iussit, ut mihi quidem dubitationem omnem tolleret. Atticam doleo diu, sed quoniam iam sine horrore est, spero esse, ut uolumus. Quæ desideras, omnia scripsi in codicillis, eosq́ Eroti dedi breuiter, sed etiam plura, q̃ quæris in ijs. De Cicerone, cuius quidem cogitationis initium tu mihi attulisti, locutus sum cum eo liberalissime, quod ex ipso uelim, si modo tibi erit cõmodum, sciscitere. Sed quid differo? Exposui te ex me detulisse, ecquid uellet, ecquid requireret, uelle Hispaniam, requirere liberalitatem. De liberalitate dixi, quantum Publius, quantum Flamen Lentulus filio. De Hispania duo attuli. primum idem, quod tibi: me uereri uituperationem: non satis est, si hæc arma reliquissemus, etiam contraria: deinde fore, ut angeretur, cum à fratre familiaritate & omni gratia uinceretur. Velim magis liberalitate uti mea, q̃ sua libertate. sed tamen permisi. tibi enim intellexerã nõ nimis displicere. Ego ẽt atq́ ẽt cogitabo, teq́, ut idẽ facias rogo. Magna res & simplex est manere, illud anceps, uerum uidebimus. De Balbo & in codicillis scripseram, et ita cogito simulac redierit: sin ille tardius, ego tamẽ triduũ, & quod ꝓterij, Dolabella ẽt mecũ. De Cicerone multis res placet, comes est idoneus. Sed de prima pẽsione antè uideamus. Adest enim dies, et ille currit. Scribe quæso, quid referat Celer egisse Cæsarẽ cũ cãdidatis: utrũ ipse in fœniculariũ, an in Martiũ campum cogitet. Et sanè scire uelim, nũquid necesse sit comitijs esse Romæ: nã & Piliæ satisfaciendũ est, & utiq́ Atticæ.

Næ ego essem hic libenter, atque id cotidie magis, ni esset ea causa, quam tibi superioribus literis scripsi. Nihil hac solitudine iucundius, nisi paulum interpellasset Amyntæ filius ὢ ἀπεραντολογίαν ἀηδοῦς. Cetera noli putare amabiliora fieri posse ulla littore, prospectu maris, tũ his rebus omnibus. Sed neque hæc digna longioribus literis, nec erat quid scriberem, & somnus urgebat.

Male mehercule de Athamante. Tuus autem dolor humanus is quidem, sed magnopere moderandus. Consolationum autem multę uię, sed illa rectissima. impetret ratio, quod dies impetratura est. Alexim uero curemus, imaginem Tironis, quem ægrum Romam remisi: & si quid habet, collis, ἐπιδήμιον * ad me cum testamento transferamus. Tota domus superior uacat, ut scis. hoc puto ualde ad rem ptinere. Male de Seio, sed omnia humana tolerabilia ducenda. Ipsi enim quid sumus? aut quandiu hęc curaturi sumus? Ea uideamus, quæ ad nos magis pertinent, nec tamen multo: quid agamus de Senatu. Et ut ne quid prætermittam, Cesonius ad me literas misit, Posthumiā Sulpicij, domum ad se uenisse. De Pompeij Magni filia, tibi rescripsi, nihil me hoc tēpore cogitare: alteram uero illam, quam tu scribis, puto nosti, nihil uidi fœdius. sed adsum, coram igitur.

Obsignata epistola accepi tuas, Atticæ hilaritatem libenter audio: cōmotiunculis συμπάσχω. De dote tanto magis perpurga. Balbi regia conditio est delegandi. quoquo modo confice. turpe est rem impeditam iacere. Insula Arpinas habere potest germanam ἀποθέωσιν, habere uideatur ἐκγόνιμος. Est igitur animus in hortis, quos tamen inspiciam, cum uenero.

De epicuro, ut uoles, etsi μεθαρμόζομαι in posterum genus hoc personarũ: incredibile est q̄ ea quidam requirant. Ad antiquos igitur, ἀνεμέσητον γάρ. Nihil habeo ad te, quod perscribam: sed tamen institui cotidie mittere, ut eliciam tuas literas: non quo aliquid ex his expectem, sed nescio quomodo tamē expecto. Quare siue habes, quid, siue nihil habes, scribe tamen aliquid. Teque cura. Commouet me Attica, etsi assentior Cratero. Bruti literæ scriptæ & prudenter & amice, multas mihi tamen lacrimas attulerunt. Me hæc solitudo minus stimulat, q̄ ista celebritas. te unum desidero. Sed literis non difficilius utor, q̄ si domi essem. ardor tamē ille urget & manet: nō mehercule indulgente me, sed tamē, non repugnante. Quod scribis de Apuleio, nihil puto opus esse tua contentione, nec Balbo & Oppio: quibus quidem ille receperat, mihique etiam iusserat nunciari, se molestum omnino non futurum: sed cura, ut excuser morbi causa in dies singulos. Lænas hoc receperat. Prende C. Septimium, L. Statilium: denique nemo negabit se iuraturum, quē rogaris. quod si erit durius, ueniam, & ipse perpetuum morbum iurabo. Cum enim mihi carendum sit conuiuijs, malo id lege uideri facere, q̄ dolore. Cocceium uelim appelles. quod enim dixerat, non facit. Ego autem uolo aliquod emere latibulũ & perfugium doloris mei.

De me excusando apud Apuleium dederam ad te pridie literas. Nihil esse negotij arbitror. Quęcunque appellaris, nemo negabit. sed Septimium uide et Lænatem & Statilium. Tribus enim opus est: sed mihi Lænas totum receperat. Quòd scribis à Iunio te appellatũ, omnino Cornificius locuples est: sed tamen scire uelim quando dicar spopōdisse & pro patre, an ne pro filio: neque eo minus, ut scribis, procuratores Cornificij & Apuleium prædiatorem uidebis.

debis. Quòd me ab hoc mœrore recreari uis, facis ut omnia: sed me mihi non defuisse tu testis es. nihil enim de mœrore minuẽdo scriptũ ab ullo est, quod ego nõ domi tuæ legerim. sed omnem cõsolationem uincit dolor. Quinetiã feci, quod profectò ante me nemo, ut ipse me per literas consolarer: quem librum ad te mittam, si descripserint librarij. Affirmo tibi nullam cõsolationẽ esse talem. Totos dies scribo, nõ quo proficiam quid, sed tãtisper impedior: nõ equidem satis (uis enim urget) sed relaxor tamen, ad omniaq; nitor: non ad animum, sed ad uultum ipsum, si queam, reficiendum: idq; faciens interdũ mihi peccare uideor, interdum peccaturus esse, nisi faciam. Solitudo aliquid adiuuat: sed multo plus proficeret, si tu tamen interesses, quæ mihi una causa est hinc discedendi: nam pro malis rectè habebat. quãquam ipsum doleo: nõ enim iam in me idem esse poteris, perierũt illa, quæ amabas. De Bruti ad me literis scripsi ad te antea. prudẽter scriptæ, sed nihil qđ me adiuuarẽt. Quod ad te scripsit, id uellem, ut ipse adesset, certe aliquid, quoniam me tam ualde amat, adiuuaret. Quòd si quid scies, scribas ad me uelim. maxime aũt Pansa quãdo: de Attica doleo. Credo tamẽ Cratero, Piliam angi uetabat, is solitus est mœrere pro omnibus. Apud Apuleium (quoniam in perpetuum nõ placet) in dies ut excuser, uidebis. In hac solitudine careo oĩum colloquio: cũq; mane me in syluam abstrusi densam & asperã, non exeo inde ante uesperum. Secundum te nihil est mihi amicius solitudine. In ea mihi omnis sermo est cũ literis. eum tamẽ interpellat fletus, cui repugno, quoad possum: sed adhuc pares non sumus. Bruto, ut suades, rescribam: eas literas cras habebis, cum erit cui des, dabis. Te tuis negotijs relictis nolo ad me uenire. Ego potius accedã, si diutius impediere. etsi ne decessissem quidẽ è cõspectu tuo, nisi me planè nihil ulla res adiuuaret. Quòd si esset aliquod leuamẽ, id esset in te uno: & cum primum ab aliquo poterit esse, à te erit. Nũc tñ ipsum sine te esse nõ possum. sed nec tuæ domi probatur, nec meę poteram: nec si propius essem uspiã, tecũ tamẽ essem. Idem enim te impedireт, quo minus mecum esses, quod nũc etiã impedit. Mihi adhuc nihil prius fuit hac solitudine: quam uereor, ne Philippus tollat. heri enim uesperi uenerat. Me scriptio & literæ nõ leniunt, sed obturbant. Martianus ad me scripsit, me excusatum esse apud Apuleiũ à Laterensi, Nasone, Lænate, Torquato, Strabone. His uelim meo nomine reddendas literas cures, gratũ mihi eos fecisse. Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis XXV spopõdisse dicit Flauius, etsi reus locuples est, & Apuleius prædiator liberalis, tñ uelim des operã, ut inuestiges ex cõsponsorũ tabulis, sit ne ita. mihi ante enim Ædilitatẽ meã nihil erat cũ Cornificio. Põt tñ uideri, sed scire certum uelim, & appelles procuratores, si tibi uidetur. q̃q̃ quid ad me? Verũtamen. Pansæ profectionem scribes, cũ scies. Atticam saluere iube, & eam cura obsecro diligenter. Piliæ salutẽ. Dũ recordationes fugio, quę quasi morsu quodã dolorẽ efficiunt, refugio à te admonendo. Quod uelim mihi ignoscas, cuiusmodi est: etenim habeo nõnullos ex ijs, quos nũc lectito auctores, qui dicãt fieri id oportere, quod sæpe tecum egi, & quod à te approbari uolo. De Fano illo dico, de quo tantũ, quantum me amas, uelim cogites. Equidẽ neq; de genere dubito, placet enim mihi Cluatij: neq; de re, statutum est enim. de loco nõnunq;. Velim igitur cogites. Ego q̃tũ his tẽporibus tam eruditis, fieri poterit, profectò illam cõsecrabo omni genere monimẽtorũ ab

omnium ingenijs scriptorum & Græcorum & Latinorũ. Quæ res forsitan sit refricatura uulnus meum: sed iam quasi uoto quodã & promisso me teneri puto: longumq; illud tempus cum nõ ero, magis me mouet, quàm hoc exiguum, quod mihi tamen nimium longum uidetur. Habeo enim nihil, (tentatis rebus omnibus) in quo acquiescam: nam dum illud tractabam, de quo antea scripsi ad te, quasi fouebam dolores meos. nunc omnia respuo, nec quidquam habeo tolerabilius, quàm solitudinem. nam (quod eram ueritus) non obturbauit Philippus: nam ut heri me salutauit, statim Romam profectus est. Epistolam, quam ad Brutum, ut tibi placuerat, scripsi, misi ad te, curabis cum tua perferendam. eius tamen misi ad te exemplum, ut si minus placeret, ne mitteres. Domestica quòd ais, ordine administrari, scribes quę sint ea: quędã enim expecto. Cocceius uide ne frustretur. Nam Libo, quod pollicet̃, ut Eros scribit, non incertum puto. de sorte mea Sulpicio confido & Egnatio scilicet. de Apuleio quid est, quod labores? cum sit excusatio facilis tibi ad me uenire, ut ostendis, uide ne non sit facile. Est enim longum iter, discedentemq; te (quod celeriter tibi erit fortasse faciendum), non sine magno dolore dimittam: sed omnia, ut uoles. Ego enim quidquid feceris, id cum recte, tum etiam mea causa factum putabo. Heri cum ex aliorum literis cognouissem de Antonij aduentu, admiratus sum nihil esse in tuis: sed erant pridie fortasse scriptæ, quàm datę: neque ista quidem curo. sed tamen opinor propter prædes suos accucurrisse. Quòd scribis Terentiam de obsignatoribus mei testamenti loqui, primum tibi persuade, me istæc non curare: neq; esse quidquam, aut paruæ curę, aut nouæ loci: sed tamen quid simile? Illa eos non adhibuit, quos existimauit quæsituros, nisi scissent, quid esset. Num id etiam mihi periculi fuit? Sed tamẽ faciat illa, quoad ego dabo meum testamentum legendum cui uoluerit. Intelliget non potuisse honorificentius à me fieri de nepote, quàm fecerim. nam quod non aduocaui ad obsignandum, primum mihi non uenit in mentem: deinde ea re nõ uenit, quia nihil attinuit. tute scis, (si modo meministi) me tibi tum dixisse, ut de tuis aliquos adduceres. Quid enim opus erat multis? Equidem domesticos iusseram. Tum tibi placuit, ut mitterem ad Silium. inde est natũ, ut ad Publium. Sed necesse neutrum fuit. Hoc tu tractabis, ut tibi uidebitur. Est hic quidem locus amœnus & in mari ipso, qui & Antio & Circæis aspici possit: sed ineũda nobis ratio est, quemadmodum in omni mutatione dominorum, qui innumerabiles fieri possunt in infinita posteritate (si modo hæc stabunt) illud quasi consecratum remanere possit. Equidem iam nihil egeo uectigalibus, & paruo contentus esse possum. Cogito interdũ trans Tiberim hortos aliquos parare, & quidem ob hãc causam maxime. Nihil enim uideo, quod tam celebre esse possit. sed quos, coràm uidebimus. Ita tamen, ut hac æstate Fanum absolutum sit. Tu tamen cum Apella Chio confice de columnis. De Coccejo & Libone quæ scribis, approbo: maxime, quòd de iudicatu meo responsum sit. Si quid perspexeris, & tamẽ quid procuratores Cornificij dicant, uelim scire. ita, ut in ea re te, cum tam occupatus sis, non multum operæ uelim ponere. De Antonio quoque Balbus ad me, cum Oppio conscripsit, idq; tibi placuisse, ne perturbarer. Illis egi gratias. Te tamen, ut iam antè ad te scripsi, scire uolo, me neq; isto nuncio esse perturbatum: nec iam ullo perturbatũ iri. Pansa, si hodie, ut putabas, profectus est, posthac iam

incipio

incipio scribere. Scribe ad me de Bruti aduentu quid expectes, id est quos ad dies. Id, si scies ubi iam sit, facile coniectura assequere. Quod ad Tironem de Terentia scribis, obsecro te mi Attice suscipe totum negotium. uides & officium agi meum quoddam, cui tu es conscius: & ut nonnulli putant, Ciceronis rem. Me quidē id multo magis mouet, quod mihi est & sanctius & antiquius, presertim cum hoc alterum neq; sincerum neq; firmum putem fore. Nondum uideris perspicere, quam me nec Antonius cōmouerit, nec quicquā iam eiusmodi possit cōmouere. De Terētia autem scripsi ad te ijs literis, quas dederam pridie. Quod me hortaris, idq; à ceteris desiderari scribis, ut dissimulē me tam grauiter dolere, possum ne magis, quam quod totos dies consumo in literis? Quod etsi non dissimulationis sed potius leniendi & sanandi animi causa facio, tamen, si mihi minus proficio, simulationi certe facio satis. Minus multa ad te scripsi, q; expectabam tuas literas ad eas, quas ad te pridie dederam. Expectabam autem maxime de Fano. nonnihil etiam de Terentia. Velim me facias certiorem proximis literis. Cn. Cepio Seruilię Claudij pater, ui uo ne patre suo naufragio perierit, an mortuo. Item Rutilia uiuo ne C. Cotta filio suo mortua sit, an mortuo. Pertinent ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus.

Legi Bruti epistolam, eamq; tibi remisi, sanè non prudenter rescriptā ad ea, quæ requisieras, sed ipse uiderit, quanquam illud turpiter ignorat. Catonem primum sententiam putat de animaduersione dixisse, quam omneis antè dixerant, præter Cæsarem. & cum ipsius Cęsaris tam seuera fuerit, qui tum Prætorio loco dixerit, Cōsularium putat leniores fuisse Catuli, Seruilij, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellij, Volcacij, Figuli, Cottæ, L. Cęsaris, C. Pisonis, etiā M. Annij Glabrionis, Silani, Murenæ dess. Coss. Cur ergo in sententiam Catonis? quia uerbis luculētioribus & pluribus rem eandem comprehenderat. Me autem hic laudat, q; retulerim, nō q; patefecerim, q; cohortatus sim: q; deniq; antè quàm cōsulerē, ipse iudicauerim. Quæ omnia, quia Cato laudibus extulerat in cœlum, perscribendaq; cēsuerat, idcirco in eius sententiam est facta discessio. Hic aūt se etiam tribuere multum mi putat, q; scripserit optimum Cos. Quis enim ieiunius dixit inimicus? Ad cetera

* uero, tibi quemadmodum rescripsit? tantum rogat de S. C. ut corrigas. hoc quidem fecisset, etiam si rario admonitus esset. sed hæc iterum ipse uiderit. De hortis, quoniam probas, effice aliquid. Rationes meas nosti. Si uero etiā à Faberio recedit, nihil negotij est. sed etiam sine eo posse uideor contendere. Venales certe sunt Drusæ Pertassæ, & Tamianitæ Cassianæ: sed corām. De Terentia nō possum commodius scribere, q̄ tu scribis. Officium sit nobis antiquissimum: si quid nos fefellerit, illius malo me, quàm mei pœnitere. Quiæ C. Lolij curanda sunt HS. C. negat Eros posse sine me, credo, q; accipiēda aliqua sit & dāda æstimatio. Vellem tibi dixisset: si enim res est, ut mihi scribit, parata, nec in eo ipso mentitur, per te confici potuit: cognoscas & cōficias uelim. Q₂ me in forum uocas, eo uocas, unde etiam bonis meis rebus fugiebam. Quid enim mihi foro sine iudicijs, sine curia? in oculos incurrētibus ijs, quos æquo animo uidere non possum? Quòd autem homines à me postulare scribis, ut Romæ sim, neq; mihi, ut absim, cōcedere, aut quatenus eos mihi concē dere, iam pridem scito esse, cum unum te pluris, q̄ oēs illos putem: ne me qui

dem contemno,meoq; iudicio multo stare malo,q̃ omnium reliquorũ.Neq; tamen progredior longius,q̃ mihi doctissimi homines concedunt, quorum scripta omnia,quæcunq; sunt in eam sententiam,non legi solũ (quod ipsum erat fortis ęgroti accipere medicinam)sed in mea etiã scripta transtuli, quod certe afflicti & fracti animi non fuit. Ab his me remedijs noli in istam turbã uocare,ne recidam.De Terentia,quod mihi omne onus imponis,non cognosco tuam in me indulgentiam.ista enim sunt ipsa uulnera,quæ nõ possum tractare sine maximo gemitu. Moderare igitur quæso,ut potes: neq; enim à te plus quàm potes,postulo.Potes autem quid ueri sit, perspicere tu unus. De Rutilia quoniam uideris dubitare,scribes ad me,cum scies: sed quamprimũ, num Clodia D.Bruto Cõsulari filio suo mortuo,uixerit.Id de Marcello, aut certe de Postumia sciri potest:illud autẽ,de M.Cotta,aut de Syro, aut de Satyro.De hortis etiam atq; etiam rogo.omnibus meis,eorumq;,quos scio mihi non defuturos,facultatibus,sed potero meis,enitendum mihi est.Sunt etiã quæ uendere facile possim: sed,ut non uendam eiq; usuram pendã,à quo emero non plus annum,possum assequi,quod uolo.Si tu me adiuuas,paratissimi sunt.Drusia cupit enim uendere proximos puto Lamiæ; sed abest. Tu tamẽ si quid potes,odorare,ne Silius quidem quidquam utitur,& ijs usuris facillime sustentabitur.Habe tuum negotiũ,nec quid res mea familiaris postulet, quam ego non curo,sed quid uelim existima.

Putaram te aliquid noui,q; eiusmodi fuerat initium literarũ, quamuis nõ curarem,quid in Hispania fieret,tamen te scripturum.sed uidelicet meis literis respondisti,ut de foro & de curia.Sed domus est,ut ais,forum. Quid ipsa domo mihi opus est carenti foro? Occidimus,occidimus Attice, iampridem nos quidem: sed nunc fatemur,posteaquam unũ,quo tenebamur,amisimus. Itaq; solitudinem sequor,& tamen si qua me res istò abduxerit,enitar,si quo modo potero (potero autem)ut pręter me nemo dolorem meum sentiat: si ullo modo poterit,ne tu quidem.Atq; etiam illa causa est non ueniendi.Meministi quid ex te Atedius quæsierit: quin etiam nũc molesti sunt.Quid existimas,si uenero? De Terentia ita cura,ut scribis,meq; hac ad maximas ægritudines accessione nõ maxima libera.Et ut scias me ita dolere,ut non iaceam, quibus Coss.Carneades & ea legatio Romam uenerit,scriptum est in tuo annali.Hæc nũc quæro,quæ causa fuerit.De Oropo opinor,sed certum nescio. & si ita est,quæ controuersiæ præterea,qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui præfuerit hortis, qui etiam Athenis πολιτικοὶ fuerint illustreis,quæ etiam ex Apollodori puto posse inuenire.De Attica molestũ: sed quoniam leuiter,recte esse confido.De Magala dubium non mihi erat. unde enim tam felix Ligus pater? nam quid de me dicam? cui ut omnia cõtingant, quę uolo,leuari non possum.De Drusi hortis quanti licuisse tu scribis, id ego quoque audieram,&,ut opinor,heri ad te scripseram. sed quanti quanti bene emitur, quod necesse est. Mihi, quoquo modo tu existimas, (scio enim ego ipse, quid de me existimem) Leuatio quædam est, si minus doloris, at officij debiti.

Ad Siccam scripsi quòd utitur L.Cotta,si nihil conficeretur de Transtiberinis, habet in Ostiensi Cotta celeberrimo loco, sed pusillum loci. Ad hanc rem tamen plus etiã satis. id uelim cogites.Nec tamen ista precia horto-

rum pertimueris:nec mihi iã argẽto,nec ueſte opus eſt,nec quibuſdam amœnis locis:hoc opus eſt. Video etiam à quibus adiuuari poſſim,ſed loquere cũ Silio,nihil enim eſt melius. Mandaui etiam Siccæ, reſcripſit conſtitutum ſe cum eo habere. Scribat igitur ad me,quid egerit,& tu uidebis. Bene fecit A. Silius,qui tranſegerit:neqꝫ enim ei deeſſe uolebam:& quid poſſem, timebã. De Ouia conſice,ut ſcribis. De Cicerone tempus eſſe iam uidetur,ſed quæro, quid illi opus erit Athenis permutari ne poſſit,an ipſi ferendum ſit:de totaqꝫ re quemadmodum & quando placeat,uelim conſideres. Publius iturus ne ſit in Africã,& quando,ex Atedio ſcire poteris.quæras,& ad me ſcribas uelim. Et ut ad meas ineptias redeam,uelim me certiorem facias. P. Craſſus Vinuliæ F. uiuo ne P. Craſſo Conſulari patre ſuo,mortuus ſit,ut ego meminiſſe uideor,an poſt. Item quæro de Regillo Lepidi F. recte ne meminerim patre uiuo mortuum. Ciſpiana explicabis,itemqꝫ Prætiana. De Attica optime:id ei ſalutem dices & Piliæ. Scripſit ad me diligenter Sicca de Silio,ſeqꝫ ad te rem detuliſſe,quod tu idem ſcribis. mihi & res & conditio placet,ſed ita ut numerato malim,ꝗ̃ æſtimatione. Voluptarias enim poſſeſſiones nolet Silius. Vectigalibus autem,ut his poſſum eſſe cõtentus,quæ habeo,ſic uix minoribus. Vnde ergo numerato? HS D C. exprimes ab Hermogene,cum preſertim neceſſe erit. Et domi uideo eſſe HS D C. reliquæ pecuniæ uel uſuram Silio pendemus,dum à Faberio,uel ab aliquo,qui Faberio debet,repræſentabimus. Erit etiam aliquid alicunde. ſed totam rem tu gubernabis. Druſianis uero hortis multo antepono neqꝫ ſunt unquam cõparata,mihi crede. Vna me cauſa mouet,in qua ſcio me πτυφῶδαι. ſed ut facis,obſequere huic errori meo. Nam quod ſcribis ἐγγήραμα, actum iam de iſto eſt,alia magis quæro. Sicca, ut ſcribit,etiam ſi nihil confecerit cum A. Silio,tamen ſe ſcribit X Kal. eſſe uenturũ. Cuius occupationibus ignoſco,eæqꝫ mihi ſunt notæ. De uoluntate tua, ut ſimul ſimus,uel ſtudio potius & cupiditate, non dubito. De Nicia, quod ſcribis,ſi ita me haberem,ut eius humanitate frui poſſem,in primis uellem illum mecum habere:ſed mihi ſolitudo & receſſus prouincia eſt. Quod quia facile ferebat Sicca,eo magis illum deſidero. Præterea noſti Niciæ noſtri imbecillitatem,mollitiem,conſuetudinem uictus. Cur ego illi moleſtus uelim,cũ mihi ille iucundus eſſe non poſſit? Voluntas tamẽ eius mihi grata eſt. Vnam rẽ ad me ſcripſiſti,de qua decreui nihil tibi reſcribere. Spero enim me à te impetraſſe,ut priuares me iſta moleſtia. Piliæ & Atticæ ſalutem.

De Siliano negotio,etſi mihi non eſt ignota conditio,tamen hodie me ex Sicca arbitror omnia cogniturum. Cottæ quidem negas te noſſe, ſed ultra Silianam uillam eſt,(quam puto tibi notam eſſe,) uillula ſordida & ualde puſilla. Nihil agri ad ullam rem, loci ſatis, nihil ad eam, quam quæro. ſequor celebritatem. Sed ſi perficitur de hortis Silij, hoc eſt, ſi perficis(eſt enim totum poſitum in te) nihil eſt ſcilicet, quod de Cotta cogitemus. De Cicerone ut ſcribis, ita faciam. ipſi permittam de tempore: nummorum quantum opus erit ut permutetur, tu uidebis. Ex Aledio quod ſcribis, ſi quid inueneris ſcribes. Et ego ex tuis animaduerto literis, & profecto tu ex meis, nihil habere nos, quod ſcribamus. Eadem cotidie, quæ iam iamqꝫ ipſa contrita ſunt, tamen facere non poſſum, quin cotidie ad te mittam,

ut tuas accipiam. De Bruto tamen si quid habebis: scire enim iam puto, ubi Pansam expectet, si, ut consuetudo est, in prima prouincia circiter Kal. af-futurus uidetur: uellem tardius, ualde enim urbem fugio multas ob cās. Itaq; idipsum dubito, an excusationē aliquam ad illum parē, quod quidē uideo facile esse, sed habemus satis tēporis ad cogitandum. Piliæ Atticæ salutem.

CICERO ATTICO SAL.



DE Silio nihilo plura cognoui ex præsente Sicca, q̃ ex literis tuis. Scripseras enim diligēter. Si igitur tu illum conueneris, scribes ad me, siquid uidebitur, de quo putas adme missum esse. sit missum nec ne, scio dictum quidem mihi. Certe nihil est. Tu igitur, ut cœpisti. Et si quid ita conficies (quod quidem non arbitror fieri posse, ut illi probetur), Ciceronē, si tibi placebit, adhibebis. eius aliquid interest uideri illius causa uoluisse, mea quidē nihil, nisi id, quod tu scis, quod ego æstimo. Quòd me ad cōsuetudinē reuocas, fuit meum quidē iampridem remp. regere, quod faciebam, sed inuitus, erat enim ubi acquiescerem, nunc planè nec ego uictum, nec uitam illã colere possum: nec in ea re, quid aliis uideatur, mihi puto curandum. Mea mihi consciētia pluris est, q̃ omnium sermo. Quòd me ipse per literas consolatus sum, non pœnitet me quantum profecerim, mœrorē minui, dolorem nec potui, nec si possem, uellem. De Triario bene interpretaris uolūtatem meam: tu uero nihil, nisi ut illi uolent. Amo illum mortuum. tutor sum liberis, totam domum diligo. De Castriciano negotio, si Castricius pro mancipiis pecuniam accipere uolet, eamq; solui, ut nunc soluitur, certe nihil est cōmodius: sin autem ita actum est, ut ipsa mancipia abduceret, nō mihi uidetur esse æquum. Rogas enim me, ut tibi scribam, quid mihi uideatur. Nolo enim negotii Q. fratrem quidquã habere, quod uideor mihi intellexisse, tibi uideri idē. Publius, si æquinoctium expectat, ut scribis Atedium ducere, nauigaturus uidetur: mihi autem dixerat per Siciliam. utrum & quãdo uelim scire. Et uelim aliquãdo, cum erit tuum cōmodum, Lentulum puerū uisas: eiq; de mãcipiis, quæ tibi uidebitur, attribuas. Piliæ Atticæ salutem.

CICERO ATTICO SAL.



SIlius ut scribis. hodie, cras igitur, uel potius cum poteris, scribes, si quid erit, cum uideris. Nec ego Brutum uito, nec tamē ab eo leuationem ullam expecto: sed erant causæ, cur hoc tēpore istic eē nollem: quæ si manebūt, quærēda erit excusatio ad Brutum, & ut nūc est, mansuræ uidētur. De hortis, quæso explica. Caput illud est, quod scis. Sequitur ut etiam mihi ipsi quiddam opus sit: nec enim eē in turba possum, nec, à uobis abesse. Huic meo cōsilio nihil reperio isto loco aptius. Et de hac re qd tui cōsilii sit, mihi persuasum est: & eo magis, q idem intellexi tibi uideri, me ab Oppio & Balbo ualde diligi. Cum iis cōmunices quanto opere & quare uelim hortos, sed id ita posse, si expediatur illud Faberianum: sint igitur auctores futuri, si qua etiã iactura facienda sit in repræsentando, quoad possum, adducito, tuum enim illud desperatum deniq; intelliges, & quid inclinent ad hoc meum consilium adiuuandum. Si quid erit, magnum est adiumētum: sin

minus,

minus,quacunq; ratione contendamus.uetus illud ἐγγύραμα quemadmodū scripsisti,uel σύντάφιον putato.De illo Ostiensi nihil est cogitādum,si hoc nō assequimur.A Lamia non puto posse,Damasippi experiendum est.

Quæro quid ad te scribam,sed nihil est:eadem cotidie.Quòd Lentulum inuisis,ualde gratum.Pueros attribue ei,quot & quos uidebitur. De Siliη uoluntate uendendi,& de eo quāti,tu uereri uideris primum ne nolit, deinde ne tanti.Sicca aliter,sed tibi assentior.Quare,ut ei placuit,scripsi ad Egnatium. Quòd Salas te cum Clodio loqui uult,potes id mea uoluntate facere: cōmodius q; est,quàm quod ille à me petit,meipsum scribere ad Clodium. De mancipηs Castricianis,cōmodissimum esse credo transigere Egnatium. Quod scribis te ita futurum putare,cum Ouia,quæso quidem ut cōficiatur.Quoniā, ut scribis,nox erat,in hodierna epistola plura expecto:Silium mutasse sententiam Sicca mirabatur.Equidem magis miror,q cum in filium causam conferret,quæ mihi non iniusta uidetur(habet enim,qualem uult)ais te putare, si addiderimus aliud,à quo refugiat,cum ab ipso id fuerit,destinatum, uenditurum.Quæris à me,quod summum precium constituam, & quantum anteire istos hortos Drusi.accessi,nunquam Coponianam uillam & ueterem,nō magnam.Noui syluam nobilem,fructum autem neutrius,quod tamen puto nos scire oportere:sed mihi utrius istorum tempore magis meo,q̄ ratione æstimādi sunt.Possim autem assequi necne,tu uelim cogites. Si enim Faberianum uenderem,explicare uel repræsentatione non dubitarem.De Silianis, si modo adduceretur,ut uenderet(si uænales non haberet,transirem ad Drusum) uel tanti,quanti Egnatius illum uelle tibi dixit.Magno etiam adiumento nobis Hermogenes potest esse in repræsentando.Aut,cōcede mihi quæso,ut eo animo sim,quo is debeat esse,qui emere cupiat,& tamen seruio ita cupiditati & dolori meo,aut te regi uelim.Egnatius mihi scripsit,is si quid tecum locutus erit(cōmodissime enim per eum agi potest)ad me scribes, & id agēdum puto.Nam cum Silio non uideo confici posse.Piliæ & Atticæ salutem. Hæc ad te mea manu.Vide quæso quid agendum sit.

Publilia ad me scripsit,matrem suā cum Publilio loqueretur,ad me cū illo uenturam,& se unà si ego paterer.Orat multis & supplicibus uerbis, ut liceat,& ut sibi rescribam.Res q̄ molesta sit,uides.Rescripsi me etiam grauius eē affectum,q̄ tum,cum illi dixissem,me solum eē uelle:quare nolle me hoc tempore eam ad me uenire.Putabam,si nihil rescripsissem,illam cum matre uētu ram,nunc non puto,apparebat enim illas literas nō illius esse.Illud aūt quod fore uideo,ipsum uolo uitare,ne illæ ad me ueniant,& una est uitatio, ut ego nollem.sed necesse est.Te hoc nunc rogo,ut explores ad quam diem, hic ita possim esse,ut ne opprimar.Ages,ut scribis,temperate. Ciceroni uelim hoc proponas,ita tamen,si tibi non iniquum uidebitur,ut sumptus huius peregrinationis(quibus,si Romæ esset,domūq; conduceret,quod facere cogitabat, facile contentus futurus erat)accōmodet ad mercedes Argileti & Auentini. & cum ei proposueris,ipse uelim reliqua moderere, quemadmodum ex his mercedibus suppeditemus ei quod opus sit.præstabo,nec Bibulum, nec Acidinum,nec Messalam,quos Athenis futuros audio,maioris sumptus facturos,q̄ quod ex eis mercedibus recipietur.Itaq; uelim uideas,primum conductores qui sint & quāti:deinde,ut sit,qui ad diem soluat & quid uiatici, quid

instrumenti satis sit. Iumento certe Athenis nihil opus sit: quibus autẽ in uia utatur, domi sunt plura, q̃ opus erat: quod etiam tu animaduertis.

Ego, ut heri ad te scripsi, si & Silius is fuerit, quem tu putas, nec Drusus facilem se præbuerit, Damasippum uelim aggrediare. Is opinor, ita partis fecit in ripa nescio quotenorum iugerum, ut certa precia constitueret, quę mihi nota nõ sunt. Scribes ad me igitur, quidquid egeris. Vehementer me sollicitat Atticæ nostræ ualetudo, ut uerear etiam, ne quæ culpa sit. sed & pædagogi probitas, & medici assiduitas, & tota domus in omni genere diligens, me rursus id suspicari uetat. Cura igitur, Plura enim non possum. Ego hic uel fine Sicca (Tironi enim melius est) facillime possem esse, ut in malis. Sed cum scribas uidendum mihi esse, ne opprimar: ex quo intelligam te certũ illius profectionis diem non habere, putaui esse cõmodius me istuc uenire, quod idem uideo tibi placere. Cras igitur in Siccę suburbano: inde quemadmodum suades, puto me in Ficulensi fore. Quibus de rebus ad me scripsisti, quoniam ipse uenio, coràm uidebimus.

Tuam quidẽ & in agendis nostris rebus, & in consilijs ineundis, mihique dandis, in ipsis literis quas mittis beneuolentiã, diligentiam, prudentiã mirifice diligo. Tu tñ, si quid cum Silio, uel illo ipso die, quo ad Siccã uenturus ero, certiorem me uelim facias, et maxime cuius loci detractionẽ fieri uelit. Quod enim scribis extremi, uide ne is ipse locus sit, cuius cã de tota re, ut scis, est à nobis cogitatũ. Hircij epistolam tibi misi & recentem, & beneuole scriptã. Ante q̃ proxime discessi, nunq̃ mihi uenit in mentem, quo plus insumptũ in monimentum esset, q̃ nescio quid, quod lege conceditur, tantũdem populo dandum esse. quod nõ magnopere moueret, nisi nescio qũo ἀλόγως. Fortasse nollem illud ullo nomine nisi Fani appellari: quod si uolumus, uereor ne assequi non possimus, nisi mutato loco. Hoc quale sit, quæso cõsidera. Nã etsi minus urgeor, meq; ipse propemodum collegi, tamen indigeo tui consilij. Itaque te uehementer etiam atq; etiam rogo, magis q̃ à me uis aut pateris tę rogari, ut hanc cogitationem toto pectore amplectare.

Fanum fieri uolo, neq; hoc mihi erui potest, sepulcri similitudinẽ effugere, non tam propter pœnã legis studeo. q̃ ut maxime assequar ἀποθέωσιν. qđ poteram, si in ipsa uilla facerem. Sed ut sæpe locuti sumus, commutationes dominorum reformido. In agro ubicunq; fecero, mihi uideor assequi posse, ut posteritas habeat religionem. Hæ meæ tibi ineptiæ (fateor enim) ferendę sunt: nã habeo ne me quidem ipsum, qui cũ tam audacter communicem, q̃ te: si tibi res, si locus, si institutum placet. Lege quęso legem, mihiq; eam mitte. Si quid in mẽtem ueniet, qũo eam effugere possimus, utemur. Ad Brutũ si quid scribes, nisi alienum putabis, obiurgato eum, q; in Cumano esse noluerit propter eam causam, quã tibi dixi. Cogitanti enim mihi nihil tam uidetur potuisse facere rustice. Et si tibi placebit sic agere de Fano, ut cœpimus, uelim cohortere & exacuas Cluatium: nã etiã si alio loco placebit, illius nobis opera consilioq; utendum puto. Tu ad uillã fortasse cras. A te heri duas epistolas recepi, alteram pridie datam Hilaro, alteram eodem die à tabellario: accepiq; ab Aegypta literas eodem die, Piliam & Atticã planè belle se habere. Tuæ literę mihi redditæ sunt tertiodecimo die. Q; mihi Bruti literas, gratũ: ad me quoq; misit. Eam ipsam ad tę epistolam misi, & ad eam exemplum mearum literarum.

De Fano,

De Fano,si nihil mihi hortorum inuenis(qui quidem tibi inueniendi sunt,si me tanti facis,quanti certe facis)ualde probo rationem tuam: de Tusculano, quis prudens ad cogitandum sis,sicut es, tamen nisi magnæ curæ tibi esset,ut ego cōsequerer id,quod magnopere uellē,nunq̃ ea res tibi tam belle in mentem uenire potuisset:sed nescio quo pacto celebritatem requiro.Itaq; hortos mihi cōficias necesse est.Maxima est in Scapulæ celebritas, propinquitas p̄terea ubi sis,ne totum diem in uillam.Quare anteq̃ discedis,Othonem,si Romæ est,conuenias peruelim.Si nihil erit,etsi tu meā stultitiam consuesti ferre, eò tamē progrediar,ut mi stomachare.Drusus enim certe uendere uult.Si ergo aliud erit,non mea erit culpa,nisi emero:qua in re ne labar, quæso ,puide. Prouidēdi aūt una ratio est,si quid de Scapulanis possumus.Et uelim me certiorem facias,quādiu in suburbano sis futurus.Apud Terētiā gratia opus est nobis,tuaq; auctoritate:sed facies,ut uidebitur.Scio enim,si quid mea intersit,tibi maiori curæ solere esse q̃ mihi.Hircius ad me scripsit Sex. Pompeium Corduba exisse & fugisse in Hispaniā citeriorē. Cn.fugisse nescio quò, neq; enim curo.Nihil prterea noui.Literas Narbone dedit XIIII Kal.Mai.Tu mihi de Caninij naufragio quasi dubia misisti.Scribas igitur si quid erit certius.Quòd me à mœstitia auocas,multum leuaris,si locū Fano dederis. Multa mihi εἰς ἀποθέωσιν in mentē ueniunt,sed loco ualde opus est:quare etiā Othonem uide.Nō dubito,quin occupatissimus fueris,qui ad me nihil literarum: sed homo nequam qui tuum cōmodum nō expectarit,cū ob eam unā causam missus eēt.nūc quidē,nisi quid te tenuit,suspicor te esse in suburbano.At ego hic scribēdo dies totos nihil equidē leuor,sed tamē aberro.Asinius Pollio ad me scripsit de impuro nostro cognato:quod Balbus Minor nuper satis planè,Dolabella obscure,hic apertissime.Ferrē grauiter,si nouæ ægrimoniæ locus esset.Sed tamē,ecquid impurius?O hominē cauendum:quanq̃ mihi quidem,sed tenēdus dolor est.Tu qm̄ necesse nihil est,sic scribes aliquid,si uacabis.Quòd putas oportere prouideri iam animi mei firmitatē,grauiusq; quosdam scribis de me loqui,q̃ aut te scribere,aut Brutū:si qui me fractū esse animo & debilitatū putant,sciant quid literarū,& cuius generis conficiā.Credo (si modo homines sint)existiment me,siue ita leuatus sim,ut animū uacuum ad res difficilis scribendas afferam,reprehendendū non esse:siue hanc aberrationē à dolore delegerim,quæ maxime liberalissima,doctoq; homine dignissima,laudari me ēt oportere.Sed cum ego faciā omnia,quæ facere possim ad me adiuuandū,tu effice id,quod uideo te non minus,q̃ me laborare. Hoc mihi debere uideor,neq; leuari posse nisi soluero,aut uidero me posse soluere,id est locum,qualē uolo,inuenero.Hæredes Scapulæ,si istos hortos,ut scribis tibi Othonē dixisse,partibus quatuor factis,liceri cogitant,nihil est scilicet emptori loci: si n uenibunt,quid fieri possit uidebimus:nā ille locus publicanus, qui est Trebonij,& Cusinij erat ad me allatus. sed scis aream eē, nullo pacto probo.Clodiæ sanè placent,sed non puto esse uenalis. De Drusi hortis q̄uis ab his abhorreas,ut scribis,tamen eò confugiam,nisi quid inueneris. Ædificatio me non mouet:nihil enim aliud ædificabo,nisi id quod etiam si illos non habuero. Κύριος mihi sic placuit,ut cetera Antisthenis hominis acuti magis, quàm eruditi.

Tabellarius cum ad me sine literis tuis uenisset, existimaui tibi eā causam

non ſcribendi fuiſſe,ꝗ pridie ſcripſiſſes ea ipſa,ad quæ reſcripſi hac epiſtola. Expectaram tamen aliquid de literis Aſinij Pollionis:ſed nimiū ex meo otium expecto:quāquā tibi remitto,niſi quid neceſſe erit,neceſſe ne habeas ſcribere,niſi eris ualde otioſus.De tabellarijs facerem quod ſuades,ſi eſſent ullæ neceſſariæ literæ,ut erant olim,cū tamen breuioribus diebus cotidie reſpondebant tpi tabellarij:& erat aliquid Silius.Druſus alia quædam:nūc niſi Otho extitiſſet,quid ſcriberemus,non erat. Idipſum dilatum eſt, tamē alleuor, cum loquor tecum abſens,multo etiā magis cum tuas literas lego. Sed qm̄ & abes(ſic enim arbitror) & ſcribendi neceſſitas nulla eſt,conquieſcent literæ, niſi quid noui extiterit.

Qualis futura ſit Cæſaris uituperatio contra laudationem meam, perſpexi ex eo libro quem Hircius ad me miſit,in quo colligit uitia Catonis, ſed cū maximis laudibus meis. Itaq; miſi librum ad Muſcam, ut tuis librarijs daret. Volo enim eum diuulgari:quod quo facilius fiat,imperabis tuis. συμβουλευτικὸν ſæpe conor,nihil reperio,& quidē mecum habeo,& Ἀριστοτέλους & θεοπόμπου πρὸς ἀλέξανδρον. Sed quid ſimile? Illi & quæ ipſis honeſta eſſent, ſcribebāt, & grata Alexandro,ecquid tu eiuſmodi reperis? Mihi quidē nihil in mētem uenit. Quòd ſcribis te uereri,ne & gratia & auctoritas noſtra hoc meo mœrore minuatur:ego quid homines aut reprehēdant aut poſtulent,neſcio. Ne doleam? qui pōt? Ne iaceam? quis unq̄ minus,dum tua me domus leuabat? Quis à me excluſus? quis uenit,qui offenderetur? Ad Aſturam ſum à te profectus. Legere iſti læti,qui me reprehendunt,tam multa non poſſunt: q̄ ego ſcripſi,q̄ bene,nihil ad rem:ſed genus ſcribendi id fuit, quod nemo abiecto animo facere poſſet. XXX dies in hortis fui. Quis aut cōgreſſum meum aut facilitatem ſermonis deſiderauit? Nūc ipſum,ea lego,ea ſcribo,ut ij,qui mecū ſunt,difficilius otiū ferāt,q̄ ego laborem. Si quis requirit,cur Romæ nō ſim: quia diſceſſus eſt,cur nō ſim in his meis prædiolis,quæ ſunt huius temporis: quia frequentiam illam nō facile ferrē. Ibi ſum igitur,ubi is,qui optimas Baias habebat,quotānis hoc tempus cōſumere ſolebat. Cū Romam uenero, nec uultu,nec oratione reprehendar. Hilaritatem illam,qua hanc triſtitiā temporum condiebamus,in perpetuum amiſi. Cōſtantia & firmitas nec animi nec orationis requiretur. De hortis Scapulanis hoc uidetur effici poſſe,aliud tua gratia,aliud noſtra,ut præconi ſubijciantur. Id niſi fit,excludemur: ſin ad tabulam uenimus,uincemus facultates Othonis noſtra cupiditate. Nam quod ad me de Lentulo ſcribis,non eſt in eo. Faberiana modo res certa ſit:tuq; enitare,quod facis:quod uolumus cōſequemur. Quod quæris q̄diu hic: paucos dies,ſed certū non habeo:ſimulac conſtituero,ad te ſcribam:et tu ad me,q̄diu in ſuburbano ſis futurus. Quo die ego ad te hæc miſi,de Pilia & Attica mihi quoq; eadem,quæ ſcribis & ſcribuntur & nunciantur.

Nihil erat quod ſcriberem:ſcire tn̄ uolebam,ubi eſſes:ſi abes, aut abfuturus es,qn̄ rediturus eſſes:facies igitur certiorē. Et quod tu ſcire uolebas, ego qn̄ ex hoc loco:poſtridie Id. Lanuuij cōſtitui manere: inde poſtridie in Tuſculano aut Romæ,utrū ſim facturus,eo ipſo die ſcies,ſcis q̄ ſit φιλαίτιον, συμφορά. Minime in te quidē,ſed tamen auide ſum affectus de Fano:quod niſi, nō dico effectū erit,ſed fieri uidero,audebo hoc dicere(& tu,ut ſoles, accipies) incurſabit in te dolor meus:nō iure ille quidem,ſed tn̄ feres hoc ipſum, quod

ſcribo

ut omnia mea fers ac tulisti: Omneis tuas consolationes, unam hãc in rem ue-
lim conferas: si quæris quid optem, primum Scapulæ, deinde Clodię, postea
si Silius nolet, Drusus aget iniuste Cusini & Treboniĳ: puto Terentium esse
dominum, Rebilium fuisse certo scio. Sin autem tibi Tusculanum placet, ut si
gnificasti quibusdam literis, tibi assentiar. hoc quidem utiq; perficies, si me le
uari uis: quem iã etiam grauius accusas, q̃ patitur tua cõsuetudo: sed facis sum
mo amore & uictus fortasse uitio meo: sed tñ, si me leuari uis, hæc ē sũma leua
tio: uel (si uerum scire uis) una. Hirtĳ epistolam si legeris (quæ mihi quasi
πρόπλασμα uidetur eius uituperatiõis, quã Cęsar scripsit de Catone) facies me,
quid tibi uisum sit (si tibi erit cõmodum) certiorem. Redeo ad Fanum. nisi
hac æstate absolutum erit, quã uides integrã restare, scelere me liberatum non
putabo. Nullum à te desideraui diem literarũ. uidebam enim quæ scribis, &
tamē suspicabar, uel potius intelligebam, nihil fuisse, quod scriberes. Ad VI
Id. uero & abesse te putabam, & planè uidebam nihil te habere. Ego tamen
ad te ferè cotidie mittam. Malo enim frustra, q̃ te non habere cui des, si quid
forte sit, quod putes me scire oportere. Itaq; accepi VI Id. literas tuas inanes.
Quid enim habebas, quod scriberes? Mi tamen illud, quidquid erat, nõ mo
lestum fuit, nihil aliud scire me, noui te nihil habere. scripsi tamen nescio quid
de Clodia. Vbi ergo ea est, aut qñ uētura? Placet mihi res sic, ut secũdũ Otho
nem nihil magis. sed neq; hanc uēditurã puto. delectatur enim, & copiosa est.
& illud alterum, q̃ sit difficile, te non fugit. Sed obsecro enitamur, ut aliquid
ad id quod cupio, excogitemus. Ego me hinc postridie exiturũ puto, sed aut
in Tusculanum aut domũ, inde fortasse Arpinum. cũ certum sciero, scribam
ad te. Venerat mihi in mentem monere te, ut idipsum, quod facis, faceres. Pu-
tabam enim cõmodius te idem istud domi agere posse, interpellatiõe sublata.
Ego postridie Id. ut scripsi ad te ante, Lanuuĳ manere cõstitui, inde aut Ro
mæ, aut in Tusculano. Scies ante utrunq;.

Quod scies rectè illam rem fore leuamēto, bene facis, cum id eē (mihi cre-
* de) perinde, ut existimare tu non potes, Res indicat quãtopere id cupiã, cum
tibi audeam cõfiteri, quem id non ita ualde probare arbitrer. Sed ferendus ti
bi in hoc meus error, ferendus? immo uero ēt adiuuandus. De Othone diffi-
do, fortasse quia cupio: sed tñ maior etiã res ē, q̃ facultates nostræ, presertim
& aduersario & cupido & locuplete, & hęrede. Proximum est, ut uelim Clo
diæ. Si ista minus confici possunt, effice quiduis. Ego me maiore religione, q̃
quisquam fuit ullius uoti, obstrictũ puto. Videbis ēt Trebonianos, etsi ab-
sunt domini. Sed, ut ad te heri scripsi, cõsiderabis etiã de Tusculano, ne æstas
effluat, quod certe non est cõmittendum. Et Hirtium aliquid ad te συμπαθῶς
de me scripsisse facile patior (fecit enim humane) & te eius epistolam ad me
nõ misisse multo facilius, tu enim ēt humanius. Illius librum, quem ad me mi-
sit de Catone, propterea uolo diuulgari ab tuis, ut ex istorũ uituperatione sit
illius maior laudatio. Quòd per Mustelam agis, habes hominē ualde idone-
um, meiq; sanè studiosum iã inde à Pontiano. Perfice igitur aliquid. Quid
autē aliud? nisi ut aditus sit emptori, quod per quēuis hæredem potest effici.
Sed Mustelam id perfecturum, si rogaris, puto. mihi uero & locum, quē op-
to ad id, quod uolumus, dederis. & præterea ἐγγήραμα: nam illa Silĳ & Drusi
non satis οἰκοδεσποτικὰ mihi uidentur. Quid enim sedere totos dies in uilla

iſta? Igitur malim primum Othonis,deinde Clodiæ.Si nihil fiet aut Druſo
ludus eſt ſuggerendus,aut utendum Tuſculano.Quòd domi te incluſiſti,ra-
tione feciſti.ſed quæſo confice,& te uacuum redde nobis.Ego hinc,ut ſcripſi
antea,poſtridie Id.Ian.deinde poſtridie in Tuſculano.Contudi enim aĩum,
& fortaſſe uici,ſi modo permãſero.Scies igitur fortaſſe cras,ſummum peren
die.Sed quid eſt quæſo? Philotimus nec Cartini Pompeiũ teneri: qua de re
literarũ ad Clodium Patauinum miſſarũ exemplũ mihi Oppius & Balbus
miſerant,ſe id factũ arbitrari,bellũq; narrat reliquum ſatis magnũ.Solet om
nino eſſe Fuluiniaſter. Sed tamẽ ſi q̃d habes. Volo etiã ſcire de naufragio Ga
biniano,quid ſit.Ego hic duo magna συντάγματα abſolui. Nullo enim alio
mõ à miſeria quaſi aberrare poſſum.Tu mihi ẽt ſi nihil erit quod ſcribas(q̃d
fore ita uideo)tamẽ idipſum ſcribas uelim,te nihil habuiſſe, quod ſcriberes,
dũmodo ne his uerbis.De Attica optime: ἀκηδία tua me mouet,etſi ſcribis ni
hil eſſe.In Tuſculano eo cõmodius ero,q̃ & crebrius tuas literas accipiam,
& teipſum nõnunquam uidebo. Nam ceteroqui ἀνεκτότερα erant Aſturæ:
nec hæc quæ refricant, hic me magis angunt,etſi tamen ubicunque ſum, illa
ſunt mecum.

De Cæſare uicino ſcripſeram ad te,quia cognorã ex tuis literis,eum σύνναον
Quirino malo,q̃ Salutis.Tu uero peruulga Hirtium:id enim ipſum putarã,
quod ſcribis:ut cum ingenium amici noſtri probaretur, ὑπόθεσις uituperandi
Catonis irrideretur.Vincam,opinor,animũ:& Lanuino pergam in Tuſcu-
lanum,aut enim mihi in perpetuum fundo illo carendũ eſt(nam dolor idem
manebit,tantũmodo octius)aut neſcio quid interſit,utrum illuc nunc ueniã,
an ad decem annos.Neq; enim iſta maior admonitio,q̃ quibus aſſidue confi *
cior & dies & noctes.Quid ergo inquies? Nihil literæ? in hac quidẽ re,uere-
or ne etiã cõtrà:nã eſſem fortaſſe durior. Exculto enim animo nihil agreſte,
nihil inhumanum eſt.Tu igitur,ut ſcripſiſti,nec id incõmodo tuo:uel (binæ
enim potuerunt literæ)occurram etiã,ſi neceſſe erit.Ergo id quidem ut pote
ris:de Muſtella,ut ſcribis,etſi magnũ opus eſt:eo magis delabor ad Clodiã:
quãquam in utroq; Faberianum nomẽ explorandum eſt.de quo nihil nocue
rit,ſi aliquid cum Balbo eris locutus:& quidẽ,ut res eſt,emere nos uelle, nec
poſſe ſine iſto nomine, nec audere incerta.Sed quãdo Clodia Romæ futura
eſt.& quanti rem æſtimas,eo prorſus expecto:non quin illud malim, ſed &
magna res eſt & difficile certamẽ cum cupido,cum locuplete,cum hęrede.etſi
de cupiditate nemini cõcedam,certis rebus inferiores ſumus. Sed hec coràm.
Hirtij librum,ut facis,diuulga.De Philotimo idẽ & ego arbitrabar.Domũ
tuam pluris uideo futurã uicino Cæſare.Tabellariũ meũ hodie expectamus:
nos de Pilia & Attica certiores faciet.Domi te libẽter eſſe facile credo,ſed ue
lim ſcire quid tibi reſtet,aut iam ne confeceris. Ego te in Tuſculano expecto,
eoq; magis q̃ Tironi ſtatim te uenturũ ſcripſiſti,& addidiſti,te putare opus
eſſe.Sentiebam omnino quantum mihi præſens prodeſſes, ſed multo magis
poſt diſceſſum tuum ſentio.quam ob rem,ut antè ad te ſcripſi,aut ego ad te to
tus,aut tu ad me,quod licebit.

Heri non multo poſt q̃ tu à me diſceſſiſti,puto quidam urbani,ut uideban
tur,ad me mandata & literas attulerunt à C. Mario C. F. eum multis uerbis
agere mecum per cognationẽ,quæ mihi ſecum eſſet,per eum Marium, quem

ſcripſiſſem,

scripsissem, per eloquentiam L. Crassi aui sui, ut se defenderem, causamq; suã mihi perscripsit. Rescripsi patrono illi nihil opus esse, quoniam Cæsaris propinqui eius omnis potestas esset, uiri optimi, & hominis liberalissimi: me tamen ei fauturum. O tempora, fore, cum dubitet Curtius Consulatum petere. sed hæc hactenus.

De Tirone mihi curæ est, sed iam sciam quid agat. Heri enim misi, qui uideret, cui etiam ad te literas dedi. Epistolam ad Cæsarem tibi misi. Horti, quã in diem proscripti sint, uelim ad me scribas. Vt me leuarat tuus aduentus, sic discessus afflixit. Quare cum poteris, id est cum Sexti auctioni operam dederis, reuises nos. uel unus dies mihi erit utilis: quid dicam gratus? Ipse Romã uenirem, ut una essemus, si satis consilium quadam de re haberem. Tironẽ habeo citius, q̃ uerebar. uenit etiam Nicias, & Valerium hodie audiebã esse uenturum: quamuis multi sint, magis tamen ero solus, q̃ si unus esses. Sed expecto te à Peduceo utiq;. tu autem significas aliquid etiam ante: uerũ id quidẽ, ut poteris. De Virgilio, ut scribis, hoc tamen uelim scire, quando auctio. Epistolam ad Cæsarem mitti, uideo tibi placere. Quid quæris? Mihi quoq; hodie maxime placuit, & eo magis, quod nihil est in ea nisi optimi ciuis: sed ita optimi, ut tempora quibus parere omnes πολιτικοὶ præcipiunt: sed sic nobis esse uisum, ut isti ante legerẽt. Tu igitur id curabis: sed nisi planè ijs intelliges placere, mittenda non est. Id autem utrum illi sentiant, an te simulent, tu intelliges: sed mihi simulatio pro repudiatione fuerit. τοῦτο δὲ μηλώσῃ. De Cerelia quid tibi placeret, Tiro mihi narrauit, debere, non esse dignitatis meæ: pscriptionem tibi placere: hoc metuere, alterum in metu nõ ponere. Sed & hæc & multa alia coràm. Sustinenda tamẽ (si tibi uidebitur) solutio est nominis Cereliani, dum & de Metione & de Faberio sciamus. L. Tullium Montanũ nosti, qui cum Cicerone profectus est. ab eius sororis uiro literas accepi, Montanum Plãco debere, q̃ præs pro Flaminio sit, HS XX. de ea re nescio quid te à Montano rogatum. Sanè uelim, siue Plancus est rogandus, siue qua re potes illum iuuare, iuues: pertinet ad nostrum officiũ, si res tibi forte notior est, q̃ mihi: aut si Plancum rogãdum putas, scribas ad me uelim, ut quid rei sit, & quid rogandum, sciam. De epistola ad Cæsarem quid egeris, expecto. De Silio non ita sanè laboro. tu mi aut Scapulanos aut Clodianos efficias, necesse ẽ. Sed nescio quid uideris dubitare de Clodia, utrum quando ueniat, aut sint ne uenaleis. Sed qd est, quod audio Spinterem fecisse diuortiũ? De lingua Latina securi es animi, dices, qui talia conscribis. ἀπόγραφα sunt, minore labore fiunt, uerba tantum affero, quibus abundo.

Ego etsi nihil habeo, quod ad te scribam, scribo tamẽ, quia tecum loqui uideor. Hic nobiscum sunt Nicias & Valerius. Hodie tuas literas expectabamus matutinas, erunt fortasse alteræ postmeridianæ, nisi te Epiroticæ literæ impedient, quas ego non interpello. Misi ad te epistolas, ad Martianũ & ad Montanum. eas in eundem fasciculum uelim addas, nisi forte iam dedisti.

M.T. CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM, LIBER XIII.

CICERO ATTICO.


D Ciceronem ita ſcripſiſti,ut neq; ſeuerius, neq; temperantius ſcribi potuerit,nec magis, q̃ quemadmodũ ego maxime uellem.Prudentiſſime etiam ad Tullios. Quare aut iſta proficient,aut aliud agamus. De Pecunia uero,uideo à te omnem diligentiam adhiberi, uel potius iam adhibitam.Etſi efficis,à te hortos habebo. Nec uero ullum genus poſſeſſionis eſt,quod malim: maxime ſcilicet ob eam cãm,quæ ſuſcepta eſt: cuius feſtinationem mihi tollis,quoniã de æſtate polliceris,uel potius recipis. Deinde ẽt ad καταβίωσιν, mœſtitiãq; minuendã,nihil mihi reperiri poteſt acrius.cuius rei cupiditas impellit me interdum ut te hortari uelim,ſed me ipſe reuoco. Non enim dubito,quin quod me ualde uelle putes,in eo tu meipſum cupiditate uincas.Itaq; iſtuc iam pro facto habeo.Expecto quid iſtis placeat de epiſtola ad Cæſarem.Nicias te(ut debet)amat, uehementerq́; tua ſui memoria delectatur.Ego uero Peduceum noſtrum uehementer diligo:nam & quanti patrẽ feci,totũ in hunc ipſum,per ſe æque amo atq; illũ amaui.te uero plurimũ,qui hoc ab utroq; noſtrũ fieri uelis.Si hortos inſpexeris,& ſi de epiſtola certiorẽ me feceris,dederis mihi quod ad te ſcribã:ſin minus,ſcribã tñ aliqd. nũq̃ enim deerit.Gratior mihi celeritas tua,q̃ ipſa res.quid enim indignius? Sed iã ad iſta obduruimus,& humanitatẽ oẽm exuimus. Tuas literas hodie expectabam,nihil equidem ut ex his noui.Quid enim?uerũtamen Oppio & Balbo epiſtolas deferri iubebis.& tñ Piſonẽ ſicubi de Auio.Faberius ſi uenerit,uidebis ut tm̃ attribuatur,ſi mõ attribuetur,q̃tũ debetur.accipies ab Erote. Ariarathes Ariobarzani filius Romã uenit,uult opinor regnũ aliq̃d emere à Cęſare.Nam q̃uo nunc eſt,pedẽ ubi ponat in ſuo nõ habet,omnino eum Seſtius noſter parochus publicus occupauit,quod qdẽ facile patior. Verũtñ ꝙ mihi ſũmo beneficio meo magna cũ fratribus illius neceſſitudo eſt, inuito eũ per literas,ut apud me diuerſetur.Ad eã rem cũ mitterem Alexandrũ, has ei dedi literas.Cras igit̃ auctio Peducei,cũ poteris ergo,etſi impediet fortaſſe Faberius.ſed tñ cum licebit.Dionyſius noſter grauiter queritur & tamẽ iure,à diſcipulis abeſſe tãdiu.multis uerbis ſcripſit ad me.credo item ad te.mihi quidẽ uidetur etiam diutius abfuturus,ac nollẽ,ualde enim hoĩem deſidero.

A te literas expectabam.nondũ ſcilicet,nam has mane reſcribebã.Ego uero iſta noĩa ſic probo,ut nihil aliud me moueat,niſi ꝙ tu uideris dubitare. Illud enim nõ accipio in bonã partem,ꝙ ad me refers.Quid?ipſe negotiũ meum gerere niſi cõſilio tuo?ſed tamẽ intelligo,magis te id facere diligẽtia, qua ſemper uteris,q̃ ꝙ dubites de nominibus iſtis.Etenim Cœlium nõ probas, plura non uis.utrũq; laudo.His igitur utendum eſt, præs aliquãdo factus eſſet in his quidẽ tabulis.A me igitur omnia ꝙ dies lõgiores: teneamus mõ,

quod

quod uolumus. Puto fore istam etiam à præcone dic̃, certe ab hæredibus. De Crispo & Mustela uidebis: & uelim scire, quæ sit pars duorum. De Bruti aduentu eram factus certior, attulerat enim ab eo Ægypta libertus literas. Misi ad te epistolam, quia cõmode scripta erat.

Habeo munus à te elaboratum decem Legatorum, & quidem puto. nã Filius anno post Quæstor fuit, q̃ Consul Mumius. Sed qm̃ sæpius de nominibus quæris quid placeat, ego quoq; tibi sæpius respõdeo placere. Si quid poteris cum Pisone, cõficies, Auius enim uidetur in officio futurus. Velim ante possis: si minus, utiq; simul simus cũ Brutus ueniet, in Tusculanũ. magni interest mea, unà nos esse. scies autem, qui dies is futurus sit, si puero negotium dederis, ut quærat. Spuriũ Mumium putaram in decem Legatis fuisse, & uidelicet: etenim εὔλογον fratri fuisse, fuit enim ad Corinthũ. Misi tibi Torquatũ. Colloquere tu quidẽ cũ Silio, ut scribis, & urge. Illã diem negabat eẽ mense Maio. istã nõ negabat. Sed tu, ut oĩa, istuc quoq; ages diligẽter. De Crispo & Mustela scilicet cũ quid egeris, qm̃ ad Bruti aduentũ fore te nobiscũ polliceris, satis est, presertim cũ hi tibi dies in magno nostro negotio consumãtur.

De aquæ ductu probe fecisti. colũnarium uide, ne nullũ debeamus. q̃q̃ mihi uideor audisse à Camillio cõmutatam eẽ legẽ. Pisoni quid est, quod honestius respõdere possimus, q̃ solitudinem Catonis? nec cũ hæredibus solũ Herennianis, sed ẽt ut scis (tu enim mecũ egisti) de puero Lucullo: quã pecuniã tutor (nam hoc quoq; ad rem pertinet) in Achaia sumpserat. Sed agit liberaliter, qm̃ negat se quidq̃ facturũ contra nostram uoluntatẽ. coram igit̃, ut scribis, cõstituemus, queadmodũ rem explicemus. Quòd reliquos cohæredes cõuenisti, planè bene. Quòd epistolam meã ad Brutũ poscis, nõ habeo eius exẽplum, sed tñ saluũ est, & ait Tiro te habere oportere, &, ut recordor, unà cũ illius obiurgatoria tibi meã quoq;, quã ad eũ rescripseram, misi. Iudiciali molestia ut careã, uidebis. Tuditanũ istũ proauum Hortensij planè non norã, & filium, qui tũ non potuerat esse Legatus, fuisse putarã. Mumium fuisse ad Corinthũ pro certo habeo. Sæpe. n. hic Spurius, qui nup est, epistolas mihi pnunciabat uersiculis facetis, ad familiaris missas à Corintho. sed nõ dubito, quin fratri fuerit Legatus nõ in decẽ. Atq; hoc ẽt accepi, nõ solitos maiores nostros legare in decẽ, q eẽnt Impatorꝫ necessarij, ut nos ignari pulcherrimorũ institutorꝫ aut negligẽtes potius, M. Lucullũ & L. Murenã & ceteros ad L. Lucullũ misimus. Illudq; εὐλογώτατον, illũ fratri ĩ primis eius legatis fuisse.

Operã tuam multã, qui & hæc cures, & mea expedias & sis in tuis multo minus diligens, q̃ in meis. Sestius apud me fuit & Theopompus pridie. uenisse à Cæsare narrabat literas. hoc scribere, sibi certum esse Romæ manere, causamq; eã ascribere, quæ erat in epistola nostra, ne se absente leges suæ negligerentur, sicut eẽt neglecta sumptuaria. Est εὔλογον, idq; erã suspicatus. sed istis mos gerendus est, nisi placet hanc ipsam sententiã nos persequi, & Lentulum cum Metella certe fecisse diuortiũ. Hæc omnia tu melius. Rescribes igitur, quidquid uoles, dũmodo ne quid. iam enim nõ reperio, quid te rescripturum putẽ, nisi forte de Mustela aut si Silium uideris. Brutus heri uenit in Tusculanum post horã decimam. hodie igitur me uidebit: ac uellẽ, cũ tu adesses: misi equidem ei nũciari, te quoad potuisses, expectasse eius aduentum, uenturumq;, si audisses, meq;, ut facio, continuo te certiorem esse facturum.

Planè nihil erat, quod ad te ſcriberem. modo enim diſceſſeras, & paulo poſt triplices remiſeras. Velim cures faſciculum ad Veſtorium deferendum & alicui des negotium, qui quærat Q. Faberij fundus nunquis in Põpeiano, Nolano uenalis ſit. Epitomē Bruti Cœlianorum uelim mihi mittas, & à Philoxeno παναιτίου περὶ προνοίας. Te Idibus uidebo cum tuis.

Cõmodum diſceſſeras heri, cũ Trebatius uenit, paulo poſt Curtius hic ſalutandi cã, ſed manſit inuitatus. Trebatium nobiſcum habemus. Hodie mane Dolabella. multus ſermo ad multũ diem. nihil poſſum dicere ἐκτενέστερον, nihil φιλοστοργότερον. Ventum eſt tamē ad multa ἄφατα, ἀδιήγητα, ſed unum eiuſmodi, quod niſi exercitus ſciret, non modo Tironi dictare, ſed ne ipſe quidē auderē ſcribere, ſed hactenus. εὐκαίρως ad me uenit, cũ haberē Dolabellã, Torquatus: humaniſſimeq́; Dolabella, quibus uerbis ſecũ egiſſem, expoſuit. cõmodũ. n. egeram diligentiſſime, quæ diligẽtia grata eſt uiſa Torquato. A te expecto, ſi quid de Bruto. q̃q̃ Nicias cõfectũ putabat, ſed diuortiũ nõ probari. quo ẽt magis laboro idẽ, q̃d tu. Si quid eſt enim offenſionis, hæc res mederi põt. Mihi Arpinũ eundũ eſt: nam & opus eſt conſtituta nobis illa ꝑdiola: & uereor, ne exeundi poteſtas nõ ſit cũ Cæſar uenerit, de cuius aduẽtu eã opinionē Dolabella habet, quam tu cõiecturã faciebas ex literis Meſſalæ. Cum illuc uenero, intellexeroq́; quid negotij ſit, cũ ad quos dies rediturus ſim, ſcribam ad te.

Minime miror te & grauiter ferre de Marcello, et plura uereri periculi genera. Quis enim hoc timeret, quod neq; acciderat antea, necuidebatur natura ferre, ut accidere poſſet? Omnia igitur metuẽda. ſed illud παρὰ τὴν ἱστορίαν, tu preſertim me reliquũ Conſularem. Quid? tibi Seruius quid uidetur? q̃q̃ hoc nullã ad partē ualet ſcilicet, mihi preſertim, qui nõ minus bene actũ cum illis putē. Quid enim ſumus? aut quid eſſe poſſumus? domi ne? an foris? Q; niſi mihi hoc ueniſſet in mentē ſcribere iſta neſcio quę, quo uerterem me, nõ haberem. Ad Dolabellam, ut ſcribis, ita puto faciendũ, κοινότερα quædã & πολιτικώτερα. faciendũ certe aliquid eſt. ualde enim deſiderat. Brutus ſi quid: curabis ut ſciam: cui quidem q̃ primum agendũ puto, preſertim ſi ſtatuit. Sermunculum enim oẽm aut reſtinxerit aut ſedarit. Sunt enim qui loquãtur etiã mecum. ſed hæc ipſe optime, preſertim ſi etiã tecum loquetur. Mihi eſt in animo ꝓficiſci XI Kal. Hic enim nihil habeo, quod agã, ne hercule illic quidem, nec uſquã: ſed tamē: illic hodie Spintherem expecto. Miſit enim Brutus ad me, per literas, purgat Cæſarē de interitu Marcelli, in quem ne ſi inſidijs quidem ille interfectus eſſet, caderet ulla ſuſpitio. Nũc uero, cũ de Magio conſtet, nõne furor eius oẽm cãm ſuſtinet? Planè quid ſit, non intelligo. Explanabis igit̃. q̃q̃ nihil habeo, quod dubitem, niſi ipſi Magio quæ fuerit cauſa amẽtiæ, pro quo quidem etiã ſponſor factus, & nimirũ id fuit, ſoluendo enim nõ erat: credo eũ petijſſe à Marcello aliquid, & illũ, ut erat, cõſtantius reſpondiſſe. οὐ γὰρ ὄνειδος. Credebam eſſe facile, totum eſt aliud: poſtea q̃ ſum à te diiunctior, ſed fuit faciendum, ut & cõſtituerem mercedulas prædiorum, & ne magnum onus obſeruantiæ Bruto noſtro imponerem. Poſthac enim poterimus cõmodius colere inter nos in Tuſculano. Hoc autem tempore, cũ ille me cotidie uidere uellet, ego ad illũ ire nõ poſſem, priuabatur omni delectatiõe Tuſculani. Tu igitur, ſi Seruilia uenerit, ſi Brutus quid egerit, ẽt ſi cõſtituerit, quãdo obuiã, q̃d quid deniq; erit, quod ſcire me oporteat, ſcribes. Piſonē ſi poteris, conuenias.

Vides

Vides quàm maturum ſit: ſed tamen, quod commodo tuo fiat.

Valde me momorderunt epiſtolæ tuæ de Attica noſtra: eædẽ tamen ſanauerunt. Q, enim te ipſe conſolabare eiſdem literis, id mihi erat ſatis firmũ ad leniendam ægritudinem. Ligarianam præclare uendidiſti: poſthac quidqd ſcripſero, tibi præconium deferã. Quod ad me de Varrone ſcribis, ſcis me antea orationes aut aliquid id genus ſolitum ſcribere, ut Varronẽ nuſq̃ poſſem intexere. Poſtea aũt q̃ hæc cœpi φιλελογώτερα, iam Varro mihi denunciauerat magnam ſanè & grauem προσφώνησιν. Biennium pręterijt, cum ille καλλιπίδης aſſiduo curſu cubitum nullũ proceſſerit. Ego aũt me parabam ad id, quod illę mihi miſiſſet, ut αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώιον, ſi modo potuiſſem. nã hoc ẽt Heſiodus aſcribit αἴκε δύνηαι. Nunc illam περὶ τελῶν σύνταξιν ſanè mihi probatã, Bruto, ut tibi placuit, deſpõdimus, idq; cum nõ nolle mihi ſcripſiſti. Ergo illam ἀκαδημικὴν, in qua homines nobiles illi quidẽ, ſed nullo modo philologi, nimis acute loquuntur, ad Varronem transferamus: etenim ſunt ἀντιόχεια, quæ iſte ualde probat. Catulo et Lucullo alibi reponemus, ita tñ, ſi tu hoc probas, deq; eo mihi reſcribas uelim.

De Brinniana auctione accepi à Veſtorio literas: ait ſine ulla cõtrouerſia rem ad me eſſe collatã: Romę uidelicet aut in Tuſculano me fore putauerũt, ad VIII Kal. Quint. Dices igitur uel amico tuo, uel Othoni cohæredi meo, uel Labeoni noſtro, paulum proferãt auctionem, me circiter Non. in Tuſculano fore cum Piſone. Erotem habes. De Scapulanis hortis toto pectore cogitemus: dies adeſt.

Commotus tuis literis, q ad me de Varrone ſcripſeras, totam Academiã ab hominibus nobiliſſimis abſtuli, trãſtuli ad noſtrũ ſodalem, & ex duobus libris contuli in quatuor: grandiores ſunt omnino q̃ erant illi, ſed tamẽ multa detracta. Tu autẽ mihi peruelim ſcribas, qui intellexeris illum uelle. Illud uero utiq; ſcire cupio, quẽ intellexeris ab eo ζηλοτυπεῖσθαι. niſi forte Brutum id ei de re ſtabat. ſed tñ ſcire peruelim. Libri quidẽ ita exierunt (niſi forte me cõmunis φιλαυτία decipit) ut in tali genere, ne apud Græcos quidem ſimile qdq̃. Tu illam iacturam feres æquo animo, q illa quæ habes de Academicis, fruſtra deſcripta ſunt: multo tamẽ hæc erunt ſplendidiora, breuiora, meliora.

Nunc autem ἀπορῶ quo me uertam. Volo Dolabellæ ualde deſideranti nõ reperio quid, & ſimul αἰδέομαι Τρῶας. neque, ſi aliud qui potero μέμψιν effugere. Aut ceſſandum igitur aut aliquid excogitandum. Sed quid hæc leuia curamus? Attica mea, obſecro te, quid agit? quæ me ualde angit. Sed crebro regusto tuas literas: in his acquieſco, tamẽ expecto Nonas. Brinnij libertus cohęres noſter ſcripſit ad me uelle, ſi mihi placet, cohæredes. & Sabinum Albium ad me uenire. Id ego planè nolo. hæreditas tanti non eſt, & tamen obire auctionis diem facile poterunt (eſt enim III Id.) ſi me in Tuſculano poſtridie Non. mane conuenerint. Quòd ſi laxius uolent proferre diem, poterunt, uel biduum, uel triduum, uel ut uidebitur. nihil enim intereſt. Quare, niſi iam profecti ſunt, retinebis homines. De Bruto ſi quid erit, de Cæſare ſi quid ſcies, ſiquid erit præterea, ſcribes. Illud etiam atque etiam conſideres uelim, placeat ne tibi mitti ad Varronem, quod ſcripſimus, etſi etiam ad te aliquid pertinet: nam ſcito te ei Dialogo adiunctum eſſe, tertium opinor. Igitur conſideremus: etſi nomina iam facta ſunt, ſed uel induci, uel mutari poſſunt.

Quid agit obsecro te Attica nostra? nam triduo abs te nullas acceperam. nec mirum, nemo enim uenerat, nec fortasse causa fuerat. Itaq; ipse quid scriberem nõ habebam. Quo autem die has Valerio dabam, expectabam aliquẽ meorum: qui si uenisset, & à te quid attulisset, uidebam non defuturum quid scriberem. Nos cum flumina & solitudinem sequeremur, quo facilius sustentare nos possemus, pedem è uilla adhuc egressi non sumus: ita magnos & assiduos imbris habebamus. Illã Academicen σύνταξιν totã ad Varronẽ traduximus, modo fuit Catuli, Luculli, Hortensij. Deinde, quia παρὰ τὸ πρέπον uidebatur, ꝙ erat hominibus ignota, non illa quidem ἀπαιδευσίᾳ, sed in his rebus ἀτριψίᾳ simulac ueni ad uillam, eosdem illos sermones ad Catonem Brutũq; transtuli.

Ecce tuæ literæ de Varrone. Nemini uisa est aptior ἀντιοχεία ratio. sed tamen uelim scribas ad me primum, placeat ne tibi aliquid ad illum: deinde, si placebit, hoc ne potissimum. Quid Seruilia, iam ne uenit? Brutus etiam quid agit, & quando? de Cæsare quid auditur? Ego ad Nonas quemadmodum dixi: tu cum Pisone si quid poteris. VI. expectabam Roma aliquid. Non imperassem igitur aliquid tuis. nunc eadem illa, quid Brutus cogitet, aut si aliquid egit, & quid à Cæsare. Sed q̃d ista quæ minus curo? Attica nostra quid agat scire cupio. etsi tuæ literæ (sed iam nimis ueteres sunt) recte sperare iubent, tamen expecto recens aliquid.

Vides propinquitas quid habet. nos uero conficiamus hortos. colloqui uidebamur, in Tusculano cum essem, tanta erat crebritas literarum. sed id q̃dẽ iam erit. Ego interea admonitu tuo perfeci sanè argutulos libros ad Varronem, sed tamen expecto quid ad ea quæ scripsi ad te. primum qui intellexeris eum desiderare à me cum ipse homo πολυγραφώτατος nunq̃ me lacessisset: deinde q̃ ζηλοτυπεῖν multo Hortensium minus, aut eos qui de repub. loquuntur. Planè hoc mihi explices uelim. in primis maneas ne in sentẽtia, ut mittam ad eum quæ scripsi: an nihil necesse putes. sed hæc coram.

Cõmodum discesserat Hilarus librarius IIII Kal. cui dederam literas ad te, cum uenit Tabellarius cũ tuis literis pridie datis, in quibus illud mihi gratissimum fuit, ꝙ Attica nostra rogat te, ne tristis sis, ꝙq; tu ἀκίνδυνα esse scribis. Ligarianam, ut uideo, præclare auctoritas tua cõmendauit. Scripsit enim ad me Balbus, Oppius, mirifice se probare, ob eamq; causam ad Cæsarem eã se oratiunculam misisse. Hæc igitur idem tu mihi antea scripseras. In Varrone ista causa me non moueret, ne uiderer φιλένδοξος. sic enim cõstituebam, neminem includere in dialogos, eorum qui uiuerent: sed quia scribis, & desiderari à Varrone, & magni illum æstimare, eos confeci & absolui, nescio, q̃ bene, sed ita accurate, ut nihil posset suprà. Academicam omnem quæstionẽ libris quatuor. In eis quæ erant contra ἀκαταληψίαν præclare collecta ab Antiocho, Varroni dedi: ad ea ipse respõdeo: tu es tertius in sermõe nostro. Si Cottam & Varronẽ fecissem inter se disputantes, ut à te proximis literis admoneor, meum κωφὸν πρόσωπον esset. hoc in antiquis personis suauiter fit, ut & Heraclides in multis, & nos sex de Rep. libris fecimus. Sunt etiam de Oratore nostri tres, mihi uehementer probati: in eis quoq; eæ personę sunt, ut mihi tacẽdum fuerit. Crassus enim loquitur, Antonius, Catulus senex, C. Iulius frater Catuli, Cotta, Sulpicius. Puero me hic sermo inducitur, ut nullæ esse possent

partes

partes meæ. Quæ autem his temporibus scripsi, ἀριστοτέλειον morem habent, in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea Lucio Torquato, Stoica M. Catoni περιπατητικὰ M. Pisoni daremus. ἀζηλότυπον id fore putaram, quod omnes illi decesserant. Hæc academica, ut scis, cum Catulo, Lucullo, Hortensio contuleram. sanè in personas nō cadebant. Erant enim λογικώτερα. quam ut illi de ijs somniasse unquam uiderentur. Itaque ut legi tuas de Varrone, tanquam ἕρμαιον arripui. aptius esse nihil potuit ad id philosophiæ genus, quo ille maxime mihi delectari uidetur, easque partes, ut non sim consecutus, ut superior mea causa uideatur. Sunt enim uehemēter πιθανὰ Antiochia, quæ diligenter à me expressa acumē habent Antiochi, nitorem orationis nostrum, si modo is est aliquis in nobis. Sed tu dandos ne putes hos libros Varroni, etiam atque etiam uidebis. Mihi quædam occurrunt, sed ea coràm.

A Cæsare literas accepi cōsolatorias, datas Prid. Kal. Mai Hispali. De urbe augenda quid sit promulgatum, non intellexi, id sanè scire uelim. Torquato nostra officia grata esse facile patior, eaque augere nō desinā. De uxore Tuberonis & priuigna, neque possum iā abdere, (est enim res peruulgata) neque Tuberonem uolo defendere. Mirifice est enim φιλαίτιος. Theatrū quidem sanè bellum habuisti. Ego etsi hoc loco facillime sustentor, tamen te uidere cupio. itaque ut constitui, adero. Fratrem credo à te esse conuentū, scire igitur studeo quid egeris. De fama nihil sanè laboro, etsi scripseram ad te tunc stulte, nihil melius, curandum enim nō est, atque hoc in omni uita sua quenque à recta cōscientia transuersum unguem nō oportet discedere. Viden' quàm φιλοσόφως, an tu nos frustra existimas hæc in manibus habere? δάκνεσθαι te nollem, quod nihil erat. (Redeo enim rursus eodem). Quidquam ne me putas curare in toto, nisi ut ei ne desim? Id ago scilicet, ut iudicia uidear tenere? μὴ γὰρ αὐτοῖς. Vellem tā domestica ferre possem, quàm ista contemnere. Putas autem me uoluisse aliquid quod perfectum non sit? Non licet scilicet sententiam suam. sed tamē quæ tum acta sunt non possum non probare, & tamē non curare pulchrè possum, sicuti facio. sed nimium multa de nugis.

Ad Hirtium dederam epistolam sanè grandem, quam scripserā proxime in Tusculano. huic quā tu mihi misisti, rescribam alias. nūc alijs malo. Quid possum de Torquato, nisi aliquid à Dolabella? Quod simulac, continuo scietis. Expectabam hodie, aut summum cras ab eo tabellarios, qui simulac uenerint, mittentur ad te. A Quinto expecto, proficiscēs enim è Tusculano VIII Kal. ut scis, misi ad eum tabellarios. Nunc ad rem ut redeā. Inhibere illud tuū, quod ualde mihi arriserat, uehementer displicet. Est enim uerbum totum nauticum: quāquam id quidem sciebam, sed arbitrabar sustineri remos, cū inhiberi essent remiges iussi. id nō esse eiusmodi didici heri, cum ad uillam nostrā nauis appelleretur. Non enim sustinent, sed alio modo remigant. Id ab ἐποχῆς remotissimum est. quare facies ut ita sit in libro quemadmodum fuit. Dices hoc idem Varroni, si forte mutauit. Nec est melius quidquam quàm ut Lucullus Sustineat currum, ut bonus sæpe agitator equosque:
semperque Carneades προβολὴν pugilis, & retentionem aurigæ similem facit ἐποχῇ. Inhibitio autem remigum motum habet, & uehementiorem quidē remigationis nauem cōuertentis ad puppim. Vides quanto hoc diligētius curē, quàm

ut conſtitui,adero.atq; utinam tu quoq; eodẽ die:ſin quid,multa enim utiq;, poſtridie:etenim cohæredes,à quis ſine te opprimi malitia eſt. Alteris iam literis nihil ad me de Attica,ſed id quidẽ in optima ſpe pono. Illud accuſo, nõ te,ſed illam,ne ſalutem quidem:at tu & illi,& Piliæ plurimam,nec me tamen iraſci iudicaris.Epiſtolam Cæſaris miſi,ſi minus legiſſes.

Antemeridianis tuis literis heri ſtatim reſcripſi,nunc reſpondeo ueſpertinis.Brutus mallem me arceſſeret:nam & æquius erat,cum illi iter inſtaret & ſubitum & longum:& mehercule nunc,cum ita ſimus affecti,ut nõ poſſimus planè ſimul uiuere(Intelligis enim profecto quo maxime poſita ſit συμβίωσις) facile patiebar nos potius Romæ unà eſſe,quàm in Tuſculano.Libri ad Varronẽ non morabantur.Sunt enim defecti,ut uidiſti,tantũ librariorum menda tolluntur.De quibus libris ſcis me dubitaſſe,ſed tu uideris.Itẽ quos Bruto mittimus,in manibus habent librarij.Mea mandata(ut ſcribis)explica,quãquã iſta retẽtione omnis ait uti Trebatius,quid tu iſtos putas?Noſti domũ, quã confice εὐλόγως.Incredibile eſt quàm ego iſta non curem.Omni tibi aſſeueratione affirmo,quod mihi credas uelim,mihi maiori offenſioni eſſe quàm delectationi poſſeſſiunculas meas.Magis enim doleo,me non habere cui tradam,quàm habere qui utar.Atq; illud Trebatius ſe tibi dixiſſe narrabat.Tu autem ueritus es fortaſſe,ne ego inuitus audirem.Fuit id quidem humanitatis,ſed mihi crede, iam iſta non curo.Quare da te in ſermonem & perſeca & cõfice,excita,compella,loquere,ut te cũ illo Sceuola loqui putes.Ne exiſtimes,eos qui nõ debita conſectari ſoleant,quod debeatur remiſſuros.De die tantum uideto,& id ipſum bono modo.

Quid eſt,quod Hermogenes mihi Clodius,Andromenem ſibi dixiſſe,ſe Ciceronem uidiſſe Corcyræ?Ego enim audita tibi putaram. nihil igitũ,ne ei quidem literarũ?an nõ uidit?Facies ergo ut ſciam.Quid tibi ego de Varrone reſcribam?Quatuor διφθέραι ſunt in tua poteſtate.quod egeris,id probabo:nec tamen αἰδέομαι Τρῶας. Quid enim?ſed ipſi quàm res illa probaretur,magis uerebar.Sed quoniã tu ſuſcipis in alteram aurem de retẽtione,reſcripſi ad tuas accurate ſcriptas literas.Conficies igitur & quidẽ ſine ulla dubitatiõe aut retractatione.hoc fieri & oportet & opus eſt.De Andromene,ut ſcribis, ita putaram.Sciſſes enim mihiq; dixiſſes.tu tamẽ ita mihi de Bruto ſcribis,ut de te nihil:quando autem illum putas?Nam ego Romã pridie Id.ita uolui Bruto ſcribere:ſed quoniam tu te legiſſe ſcribis,fui fortaſſe ἀσφαλέστερος, me ex tuis literis intellexiſſe,nolle eum me,quaſi proſequendi ſui cauſa,Romam nũc uenire.Sed quoniam iam adeſt meus aduentus fac quæſo,ne quid eum Idus impediant,quo minus ſuo cõmodo in Tuſculano ſit.Nec enim ad tabulam eum deſideraturus eram.In tali enim negotio cur tu unus non ſatis es?ſed ad teſtamentum uolebam,quod iam malo alio die,ne ob eam cauſam Romam ueniſſe uidear.Scripſi igitur ad Brutũ iam illud,quod putaſſem,Idibus nihil opus eſſe.Velim ergo totum hoc ita gubernes,ut ne minima quidem re ulla Bruti cõmodum impediamus.Sed quid eſt tandem,quod perhorreſcas , quia tuo periculo iubeam libros dari Varroni?etiam nunc ſi dubitas, fac ut ſciamus. Nihil eſt enim illis elegantius:uolo Varronem,preſertim cum ille deſideret: ſed eſt,ut ſcis,δεινὸς ἀνήρ· τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο. Ita mihi ſæpe occurrit uultus eius,quærẽtis fortaſſe uel hoc,meas partis in ijs libris copioſius defenſas eſſe,

quàm suas. quod mehercule intelliges nõ esse, siquando in Epeirum ueneris: nam nũc Alexionis epistolis cedimus. Sed tñ ego nõ despero probatum iri Varroni: & id, quoniam impẽsam fecimus in Macrocolla, facile patior teneri. sed etiam atq; etiam dico, tuo periculo fiet. Quare si addubitas, ad Brutum transeamus. Est enim is quoq; Antiochius. O Academiam uolaticam & sui similem, modo huc, modo illuc. Sed quæso epistola mea ad Varronem ualde ne tibi placuit? Male mi sit, si unquam quidquam tam enitar. At ego, ne Tironi quidem dictaui, qui totas περιοχάς persequi solet, sed Spintaro syllabatim. De Virgilij parte ualde probo. Sic ages igitur, equidem id erit primum, proximum Clodiæ. Quod si neutrum, metuo ne turbem, & irruam in Drusum. Intemperans sum in eius rei cupiditate, quam nosti. Itaq; reuoluor identidẽ in Tusculanum. Quiduis enim potius ĝ ut non hac æstate absoluatur. Ego (ut tempus est nostrum) locũ habeo nullum, ubi facilius esse possim, ĝ Asturæ. Sed quia qui mecum sunt, (credo q́ mœstitiam meam nõ ferunt), domũ properant, (etsi poterã remanere): tamẽ ut scripsi tibi, proficiscar hinc, ne relictus uidear. Quo autem Laniuio? conor equidem in Tusculanũ, sed faciã te statim certiorem. Tu literas conficies. Equidem credibile non est, quãtum scribam, quin etiam noctibus. Nihil enim somni. Heri etiam effeci epistolam ad Cæsarem. tibi enim placebat, quàm nõ fuit malum scribi, si forte opus esse putares: ut quidem nunc est, nihil sanè est necesse mittere. sed id quidem, ut tibi uidebitur. mittam tamen ad te exemplum fortasse Laniuio, nisi forte Romam, sed cras scies.

Epistolam ad Cæsarem, nobis uero semper rectissime placuit, ut isti ante legerent. Aliter enim fuissemus & in hos ĩofficiosi & in nosmetipsos, (si illũ offensuri fuimus), penè periculosi. Isti autem ingenue, mihiq; gratum, quòd quid sentirent, non reticuerunt. Illud uero uel optime, q́ ita multa mutari uolunt, ut mihi de integro scribendi causa non sit: quanquam de Parthico bello quid spectare debui, nisi quod illũ uelle arbitrabar? Quod enim aliud argumentum epistolæ nostræ, nisi κολακεία fuit? An si ea quæ optima putaram, suadere uoluissem, oratio mihi defuisset? Totis igitur literis nihil opus est. Vbi enim ἐπίτευγμα magnum nullum fieri possit, ἀπότευγμα uel non magnũ, molestum futurũ sit, quid opus est παρακινδυνεύειν; presertim cum illud occurrat, illum cũ antea nihil scripserim, existimaturũ me, nisi toto bello cõfecto, nihil scripturum fuisse. Atq; etiam uereor, ne putet me hoc quasi Catonis μείλιγμα esse uoluisse. Quid quæris? Valde me pœnitebat: nec ut in hac quidem re quidquam magis ut uellem, accidere potuit, quàm q́ σπουδὴ nostra non est ꝓbata. Incidissemus etiã in illos, in eis in cognatum tuum. Sed redeo ad hortos. Planè illuc te ire nisi tuo magno commodo nolo. Nihil enim urget. quidquid erit, operam Faberio ponamus. De die tamẽ auctionis, si quid scies, eum qui è Cumano uenerat (q́ & planè ualere Atticam nunciabat, et literas se habere aiebat) statim ad te misi. Hortos quoniã hodie eras inspecturus, quid uisum tibi sit, cras scilicet. De Faberio ãt cũ uenerit. De epistola ad Cęsarẽ (iurato mihi crede) non possum. Nec me turpitudo deterret, etsi maxime debebat: ĝ enim turpis est assentatio, cũ uiuere ipsum turpe sit nobis? sed ut cœpi, non me hoc turpe deterret, ac uellem quidem (essem enim qui esse debebam) sed in mentem nihil uenit. Nam quę sunt ad Alexandrum hominũ eloquentium

& doctorum

& doctorum suasiones, uides quibus in rebus uersentur. Adolescentem incẽsum cupiditate uerissimæ gloriæ, cupientem sibi aliquid cõsilij dari, quod ad laudem sempiternam ualeret, cohortantur. ad decus nõ deest oratio. Ego qd possum? tamẽ nescio quid è quercu exculpseram, quod uideretur simile simulacri. In eo quia nonnulla erant paulo meliora, q̃ ea quæ fiũt, & facta sunt, reprehenduntur, quod me minime pœnitet. Si enim peruenissent istæ literæ (mihi crede) nos pœniteret. Quid? tu non uides ipsum illum Aristoteli discipulum summo ingenio, summa modestia, posteaq̃ Rex appellatus sit, superbũ, crudelem, immoderatum fuisse? Quid? tu hunc de pompa? Quirini cõtubernalem, his nostris moderatis epistolis lætaturum putas? Ille uero potius non scripta desideret, q̃ scripta non probet. Postremo, ut uolet. Abijt illud quod tum me stimulabat, quod tibi dabã πρόβλημα ἀρχιμήδειον. multo mehercule magis nũc opto casum illum quàm tum timebam, uel quemlibet, nisi quid te aliud impediet, mi optato ueneris. Nicias à Dolabella magno opere arcessitus, (legi enim literas) etsi inuito me, tamen eodem me auctore profectus est. Hoc manu mea.

Cum quasi alias res quærerem de philologis è Nicia, incidimus in Talnã. Ille de ingenio nihil nimis. modestum et frugi: sed hoc mihi nõ placuit. Se scire aiebat ab eo nuper petitam Cornificiam, Q. F. uetulam sanè & multarũ nuptiarum. non esse probatam mulieribus, ꝙ ita reperirent rem non maiorem DCCC. Hoc putaui te scire oportere. De hortis ex tuis literis cognoui, & Chrysippo in uilla. cuius insulsitatem bene noram. uideo nihil, aut pauca mutata, balnearia tamẽ laudat, maiora de minoribus ait hiberna effici posse. Tecta igitur ambulatiuncula addenda est. quam ut tantam faciamus, quãtam in Tusculano fecimus, propè dimidio minoris constabit isto loco. Ad id autem quod uolumus ἀφίδρυμα, nihil aptius uidetur q̃ lucus, quem ego noram, sed celebritatem nullam tum habebat, nũc audio maximã. Nihil est quod ego malim. In hoc τὸν τύφον μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον. Reliquum est, si Faberius nobis nomen illud explicat, nil quærere quanti. Othonem uincas uolo: nec tamẽ in saniturum illum puto. nosse enim mihi hominem uideor. Ita male autem audio ipsum esse tractatum, ut mihi ille emptor nõ esse uideatur. Quid enim pateretur? Sed quid argumẽtor? Si Faberium explicas, emamus uel magno: sin minus, ne paruo quidem possumus. Clodiam igitur, à qua ipsa ob eã cãm sperare uideor, ꝙ & multo minoris sunt, & Dolabellę nomẽ iam expeditum uidetur, ut etiam repræsentatione concludã. De hortis satis. cras aut te, aut cãm, quam quidem futuram Faberianam, sed si poteris.

Ciceronis epistolam tibi remisi. O te ferreum, qui illius periculis non moueris. me quoq; accusat. eam tibi epistolam misissem, nam illam alteram de rebus gestis, eodem exemplo puto in Cumanum: hodie misi tabellarium, ei dedi tuas ad Vestorium, quas Pharnaci dederas. Cõmodum ad te miserã Demeam, cum Eros ad me uenit: sed in eius epistola nihil erat noui, nisi auctionẽ biduum. Ab ea igitur, ut scribis & uelim confecto negotio Faberiano, quem quidem negat Eros hodie, cras mane putat. à te colendus est. Istæ autẽ κολακεῖαι non longe absunt à scelere: te ut spero perendie. Sicunde potes, eruere qui decem Legati Mumio fuerunt, Polybius nõ nominat. Ego memini Albinum Consularem, & Sp. Mumium, uideor audisse ex Hortensio Tuditanũ. sed in

Libonis annali XIIII ānis poſt Prætor eſt factus Tuditanus, q̄ Cōſul Mumius. Non ſanè quadrat ullo aliquem olympia aut ubi uiſum. πολιτικὸν σύλλογον, more Dicæarchi familiaris tui. *

V. Kal. mane accepi à Demea literas pridie datas, ex quibus aut hodie, aut cras expectare deberem. Sed ut opinor, idem ego, qui expecto tuum aduentum, morabor te. Non enim puto tam expeditum Faberianum negotium futurum, etiam ſi eſt futurum, ut non habeat aliquid moræ, cum poteris igitur. quoniam etiā dum abes. Dicæarchi quos ſcribis libros, ſanè uelim mihi mittas, addas etiam καταβάσεως. De epiſtola ad Cęſarem κέκρικα, atq; id ipſum, q̄d iſti aiunt illum ſcribere, ſe niſi conſtitutis rebus non iturum in Parthos, idem ego ſuadebam in illa epiſtola: utrum liberet, facere poſſet auctore me. Hoc.n. ille expectat uidelicet, neq; eſt facturus quidquam niſi de meo conſilio. Obſecro abijciamus iſta & ſemiliberi ſaltem ſimus, quod aſſequemur & tacēdo & latendo. Sed aggredere Othonem, ut ſcribis. Confice mi Attice iſtam rē. Nihil enim aliud reperio, ubi & in foro non ſim & tecū eſſe poſſim. Quanti aūt hoc, mihi uenit in mentem. C. Albanius proximus eſt uicinus. Is ∞ iugerum de M. Pilio emit (ut mea memoria eſt), HS CXV, omnia ſcilicet nūc minoris. ſed accedit cupiditas, in qua præter Othonem non puto nos ullum aduerſarium habituros: ſed eum ipſum tu poteris mouere, facilius etiam ſi Kanum haberes. O gulam inſulſam, pudet me patris. Reſcribes, ſi quid uoles.

Alteram à te epiſtolam cum hodie accepiſſem, uolui te una mea cōtentum. Tu uero age quod ſcribis de Faberio. In eo enim totum eſt poſitum id quod cogitamus: quæ cogitatio ſi non incidiſſet (mihi crede) iſtuc, ut cetera non laborarem. Quamobrē ut facis, (iſtuc enim addi nihil poteſt) urge, inſta, perfice. Dicæarchi περὶ ψυχῆς utroſq; uelim mittas, & καταβάσεως. τριπολιτικὸν nō inuenio & epiſtolam eius, quam ad Ariſtoxenum miſit, Tris eos libros maxime nunc uellem, apti eſſent ad id quod cogito. Torquatus Romæ eſt, iuſſi, ut tibi daretur. Catulum & Lucullum, ut opinor antea. His libris noua procemia ſunt addita, quibus eorū uterq; laudatur. Eas literas uolo habeas, & ſunt quædam alia. Et quod ad te de. X. Legatis ſcripſi, parum intellexti. credo q̄a διὰ σημείων ſcripſeram. De C. Tuditano enim quærebam, quem ex Hortenſio audieram fuiſſe in X eum uideo in Libonis Prætorem L. Popilio, P. Rupilio Coss. annis XIIII ante q̄ Prætor factus eſt, Legatus eē potuiſſet, niſi admodū ſero Quæſtor eſt factus, quod non arbitror. Video enim Curules magiſtratus eum legitimis annis perfacile cepiſſe. Poſtumium autem, cuius ſtatuam in Iſthmo meminiſſe te dicis, ſciebam fuiſſe. Is aūt eſt qui cum Lucullo fuit, quē tu mihi addidiſti. Sanè ad illum σύλλογον perſonam idoneā. Videbis igitur, ſi poteris, ceteros, ut poſſimus πομπεῦσαι καὶ τοῖς προσώποις. negligentiam miram, ſemel ne putas mihi dixiſſe Balbū & Faberium profeſſionem relatā, quinetiam eorū iuſſu miſerim, qui profiteretur? Ita enim oportere dicebant. Profeſſus eſt Philotimus libertus. Noſti credo librarium, ſed ſcribis & quidem confectum. Ad Faberium, ut tibi placet, literas miſi. Cum Balbo autem puto te aliquid feciſſe H. in Capitolio. In Virgilio mihi nulla eſt δυσωπία: nec enim eius cauſa ſanè debeo. Et ſi emero, quid erit quod poſtulet? Sed uidebis, ne is cum ſit in Africa, ut Cælius. De nomine tu uidebis cum Cuſpio, ſed ſi Plancus deſtinat, tum haberes difficultatē. Te ad me uenire uterque noſtrum

cupit,

cupit, sed ista res nullo modo relinquenda est.

Othonem ꝙ speras posse uinci, sanè bene narras. De æstimatione, ut scribis, cum agere cœperimus, etsi nihil scripsit, nisi de modo agri. Cum Pisone si quid poterit. Dicæarchi librum accepi, & καταβάσεως expecto. negotium dederis. Reperies ex eo libro, in quo sunt S.C. Cn. Cornelio Lucio Coss. De Tuditano autem quod putas, ἄλογον est, tum illũ, quoniã fuit ad Corinthũ. Non enim temere dixit Hortensius ad Quæstorem Trib. mil. idꝙ potius fuisse credo. Sed tu de Antiocho scire poteris. Vide etiã quo anno Quæst. aut Trib. mil. fuerit, siue utrum eadem in Præf. aut in contuber. fuerit, modo fuerit in eo bello. De Varrone loquebamur. Lupus in fabula, uenit enim ad me, & quidem id temporis, ut retinendus esset. sed ego ita egi, ut non scinderẽ penulam. Memini enim tuum, & multi erãt, nosꝙ imparati. Quid refert? Paulo post C. Capito cum T. Carrinate. Horum ego uix attigi penulã: tamen remanserunt, cecidit belle. Sed casu sermo à Capitone de urbe augenda, à Ponte Muluio Tiberim duci secũdum mõtes Vaticanos, Campum Martiũ tum ædificari. Illũ aũt cãpum Vaticanum fieri quasi Martium campũ. Quid ais inquam? At ego ad tabulã, ut si recte possem Scapulanos hortos. Caue facias inquit, nam ista lex perferetur. Vult enim Cæsar. Audi rẽ. Facile passus sum, fieri autem moleste fero. Sed tu, quid ais? quanquam quid quæro? Nosti diligentiam Capitonis in rebus nouis perquirendis, non concedit Camilio. Facies me igitur certiorem de Idibus. Ista enim me res adducebat, eo adiũxeram ceteras, quas consequi tamen biduo aut triduo post facile potero. Te tamẽ in uia confici minime uolo, quin etiam Dionysio ignosco. De Bruto quod scribis, feci ut ei liberum eẽt, quod ad me attineret. Scripsi enim ad eum heri Id. Mai, eius opera mihi nihil opus esse. Asturã ueni VIII Kal. Iul. uitãdi enim caloris causa Laniuiĳ III. H. acquieueram. Tu uelim, si graue non erit, efficias, ne ante Nonas mihi illuc ueniẽdum sit. Id potes per Egnatium Maximũ. Illud in primis cum Publilio me penè absente cõficias, de quo, quæ fama sit, scribes. Id populus curat scilicet: non mehercle arbitror. etenim hæc decantata erat fabula, sed complere paginam uolui. Quid plura? Ipse enim adsum, nisi quid tu prorogas. Scripsi enim ad te de hortis. O rem indignam. Gentilis tuus urbem auget, quam hoc biennio primum uidit, & ei parum magna uisa est, quæ etiam ipsum capere potuerit. Hac de re igitur expecto literas tuas. Varroni scribis, te, simulac uenerit. Dati igitur iam sunt, nec tibi integrum est. Hui si scias quanto periculo tuo. Aut fortasse literæ meæ te retardarunt, si eas nõdum legeras, cum has proximas scripsisti. Scire igitur aueo quomodo res se habeat.

De Bruti amore uestraꝙ ambulatione, etsi mihi nihil noui affers, sed idẽ quod sæpe, tamen hoc audio libentius, quo sæpius: eoꝙ mihi iucũdius est, quòd tu eo lętaris: certiusꝙ eo est, quod à te dicitur. Has alteras hodie literas. de Xenonis nomine & de Epeiroticis X X X X, nihil potest fieri nec commodius, nec aptius, ꝗ ut scribis. Id erat locutus mecum eodẽ mõ Balbus Minor. Noui nihil sanè, nisi Hirtium, cum Quinto acerrime pro me litigasse: omnibus eum locis facere, maximeꝙ in conuiuĳs, cum multa de me, tum redire ad

patrem. Nihil autem ab eo tã ἀξιοπίστως dici, quàm alieniſſimos nos eſſe à Cæſare: fidem nobis habendam non eſſe, me uero etiam cauendum φοβερὸν ἦν, niſi uiderem ſcire Regem, me animi nihil habere. Ciceronem uero meum uexari, ſed id quidem arbitratu ſuo. Laudationẽ Porciæ gaudeo me antè dediſſe Leptæ tabellario, quàm tuas acceperim literas. Eam tu igitur, ſi me amas, curabis: ſi modo mittetur, iſto modo mittendam Domitio & Bruto. De gladiatoribus, de ceteris quæ ſcribis ἀνεμοφόρητα, facies me cotidie certiorem, uelim (ſi tibi uidetur) appelles Balbum & Offiliũ, de auctione proſcribẽda, equidem locutus ſum cum Balbo. Placebat puto conſcripta habere Offilium oĩa. Habet & Balbus, ſed Balbo placebat propinquum diem, & Romæ: ſi Cæſar moraretur, poſſe in diem, diem differri. Sed is quidem adeſſe uidetur. Totum igitur conſidera. placet enim Veſtorio.

Ante lucem cum ſcriberem contra Epicureos, de eodẽ oleo & opera exaraui neſcio quid ad te, & ante lucem dedi. Deinde cum ſomno repetito ſimul cũ ſole experrectus eſſem, datur mi epiſtola à ſororis tuæ filio, quam ipſam tibi miſi, cuius eſt principium non ſine maxima contumelia, ſed fortaſſe οὐκ ἐπίσχεσιν. Eſt autem ſic. EGO ENIM NON PROBO QVIDQVID NON BELLE IN TE DICI POTEST. poſſe uult in me multa dici non belle, ſed ea ſe negat approbare. hoc quidquam potẽ impurius? Iam cetera leges (miſi enĩ ad te) iudicabisq́. Bruti noſtri cotidianis aſſiduisq́ laudibus, quas ab eo de nobis haberi permulti mihi renunciauerunt, commotum iſtum aliquando ſcripſiſti aliquid ad me, credo & ad te: idq́ ut ſciam, facies: nã ad patrem de me quid ſcripſerit, neſcio. de matre quàm pie? VOLVERAM, inquit, VT QVAMPLVRIMVM TECVM ESSEM, CONDVCI MIHI DOMVM, ET ID AD TE SCRIPSERAM, NEGLEXISTI. ITA MINVS MVLTVM VNA ERIMVS: NAM EGO ISTAM DOMVM VIDERE NON POSSVM. QVA DE CAVSA SCIS. hanc autem cauſam pater odium matris eſſe dicebat. Nunc me iuua mi Attice conſilio, πότερον δίκαιᾳ τεῖχος ὕψιον id eſt utrum aperte hominem aſperner, & reſpuam ἢ σκολιαῖς ἀπάταις, ut enim Pindaro, ſic δίχα μοι νόος ἀτρέκειαν εἰπεῖν: omnino moribus meis illud aptius. ſed hoc fortaſſe temporibus. Tu autem quod ipſe tibi ſuaſeris, idem mihi perſuaſum putato. Equidem uereor maxime, ne in Tuſculano opprimar. In turba hæc eſſent faciliora. Vtrũ igitur Aſturæ? quid Cæſar ſubito? Iuua me quæſo conſilio, utar eo, quod tu decreueris. O incredibilem uanitatem, ad patrem domo ſibi carendum propter matrem plenam pietatis. Hic autem iam langueſcit & ait tibi illum iure iratum, ſed utar tuo conſilio. σκολιὰ enim tibi uideo placere. Romam ut cenſes, ueniam, ſed inuitus: ualde enim in ſcribendo hæreo. Brutum, inquis? eadem ſcilicet. ſed niſi hoc eſſet, res me iſta non cogeret. Nec enim inde uenit, unde mallem, neq́ diu abfuit, neq́ ullam literam ad me: ſed tamen ſcire aueo, qualis ei totius itineris ſumma fuerit. Libros mihi, de quibus ad te antea ſcripſi, uelim mittas & maxime φαίδρου περὶ θεῶν & ΠΑΛΑΙΔΟΣ. Ita'ne? nunciat Brutus illum ad bonos uiros εὐαγγέλια; ſed ubi eos? niſi forte ſe ſuſpendit. Hic autem, ut fultum eſt. Vbi igitur φιλοτέχνημα illud tuũ? quod uidi in Parthenone Alani & Brutum. Sed quid faciat? illud optime: ſed ne is quidẽ qui omnium * flagitiorũ

flagitiorum auctor, bene de nostro. At ego uerebar, ne etiam Brutus eum di- ligeret. Ita enim significarat his literis, quas ad meas. At uellem aliquid degu stasse de fabulis, sed coràm ut scribis. Et si quid mi auctor es, aduolo ne an ma neo? Equidem & in libris hæreo, & illum hic excipere nolo: ad quem ut au- dio, pater hodie ad Saxa Acrunoma mirum quàm inimicus ibat, ut ego ob- iurgarem, sed ego ipse κέκμηκα. Itaque post fac. Tu tamen uide quid de ad- uentu meo censeas & τὰ ὅλα. Cras, si perspici potuerint, mane statim, ut sci- am. Ego uero Quinto epistolam ad sororem misi, cum ille quereretur filio cum matre bellum, & se ob eam causam domo cessurum filio diceret. Dixi il- lum commodas ad matrem literas, ad te nullas. Ille alterum mirabatur. de te autem suam culpam, quod sæpe grauiter ad filium scripsisset de tua in illum iniu ria. Quòd autem relanguisse se dicit, ego ei tuis literis lectis σκολιαῖς ἀπάταις significaui me non fore: tum enim mentio Canai. Omnino, si id consiliũ pla- ceret, esset necesse. sed ut scribis, ratio est habẽda grauitatis, & utriusque nostrũ idem consilium esse debet, etsi in me grauiores iniuriæ & certe notiores. Si ue ro etiam Brutus aliquid afferet, nulla dubitatio est: sed coràm. Magna enim res & multæ cautionis. Cras igitur, nisi quid à te cõmotus.

Venit ille ad me καὶ μάλα κατηφής. Et ego, σὺ δὲ δὴ τί σύννους; Rogas, inquit, quod iter instet? Et iter ad bellum, idque cum periculosum, tum etiam turpe. Quæ uis igitur inquam? Aes inquit alienum, & tamen ne uiaticum quidem. Hoc loco ego sumpsi quiddam de tua eloquentia: nam tacui. At ille, sed me maxime angit auunculus. Quidnam inquam? Quòd mihi, inquit, iratus est. Cur pateris inquam? Malo enim ita dicere, quàm cur committis. Non partio ar, inquit. causam enim tollam. Et ego, rectissime quidem. Sed si graue nõ est, uelim scire quid sit causæ. Quia dum dubitabam quam ducerem, non satisfa- ciebam matri. ita ne illi quidem. Nunc nihil mihi tanti est: faciam quod uo- lunt. Feliciter uelim, inquam, teque laudo. sed quando? Nihil ad me, inquit, de tempore, quoniam rem probo. At ego inquam censeo prius, quàm proficisce ris. ita patri quoque morem gesseris. Faciam, inquit, ut censes. Hic dialogus sic conclusus est. Sed heus tu, diem meum scis esse III Non. Ian. Aderis igitur. Scripseram iam. Ecce tibi. orat Lepidus ut ueniam. opinor Augures nil habe re ad templum efflandum, eatur ΜΙΑΣΚΟΡΔΟΥ. Videbimus te igitur. Ego uero utar prorogatione diei: tuque humanissime fecisti, qui me certiorem fe ceris, atque ita, ut eo tempore acciperem literas, quo non expectarem: tuque ut ab ludis scriberes. Sunt omnino mihi quædam agenda Romæ, sed conse- quemur biduo.

Post suauis tuas literas, etsi acerba pompa, ueruntamen scire omnia non acerbum est, uel de Cota. Populum uero præclarum, quód propter malum uicinum, ne uictoriæ quidem plauditur. Brutus apud me fuit, cui quidẽ ual- de placebat, me aliquid ad Cæsarem. Annueram, sed pompa uideret, tu ta- men ausus es Varroni dare. Expecto quid iudicet. quando autem perleget? De Attica probo. Est quiddam etiam animum leuari tum expectatione, tum etiam religione opinionis & fama. Cotam mihi uelim mittas. Libonem me- cum habeo, & habueram ante Cascam. Brutus mihi T. Ligarij uerbis nun- ciauit, quòd appelletur L. Curfidius in oratione Ligariana, erratum esse me-

um, sed ut aiunt μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sciebam Curfidium pernecessarium Ligariorum, sed eum uideo antè esse mortuum. Da igitur quęso negotiũ Pharnaci, Antęo, Saluio, ut id nomen ex omnibus libris tollatur.

Fuit apud me Lamia post discessum tuũ, epistolãq; ad me attulit missam sibi à Cęsare: quę quãquam ante data erat, q̃ ille Diocharinæ, tamẽ planè declarabat illum ante ludos Romanos esse uenturum. In qua extrema scriptum erat, ut ad ludos omnia pararet, ne'ue cõmitteret, ut frustra ipse properasset. Prorsus ex his literis non uidebatur esse dubium, quin ante eam diem uenturus esset. idemq; Balbo cum eam epistolã legisset, uideri Lamia dicebat. Dies feriarum mihi additos uideo, sed q̃ multos, fac si me amas, sciã. De Babio poteris, & de altero uicino Egnatio. Quòd me hortaris, ut eos dies consumã in philosophia explicanda: currentem tu quidem, sed cum Dolabella uiuendum esse istis diebus uides. Quòd nisi me Torquati causa teneret, satis erat dierum, ut Puteolos excurrere possem, & ad tempus redire. Lamia quidem à Balbo (ut uidebatur) audiuerat, multos nummos domi eẽ numeratos, quos oporteret quamprimum diuidi. magnum pondus argenti. auctionem præter prædia, primo quoq; tempore fieri oportere. Scribas ad me uelim quid tibi placeat. Equidem, si ex omnibus esset eligẽdum, nec diligentiorem nec officiosiorem facile delegissem Vestorio: ad quẽ accuratissimas literas dedi, qđ idem te fecisse arbitror. Mihi quidem hoc satis uidetur. Tu quid dicis? Vnũ enim pungit, ne neglectiores esse uideamur. Expectabo igitur tuas literas.

Pollex quidem, ut dixerat, ad Id. Sextil. ita mihi Laniuij prid. Id. præsto fuit. sed planè Pollex, non index, cognosces igitur ex ipso. Balbum conueni, Lepta enim de sua ui in curatione laborãs, me ad eum perduxerat. Me autem Laniuio, quod Lepido tradidit. ex eo hoc primum. paulo antè acceperam eas literas, in quibus magnopere confirmat ante ludos Romanos. Legi epistolã. Multa de meo Catone, quem sæpissime legendo se dicit copiosiorem factum. Bruti Catone lecto se sibi uisum disertum. Ex eo cognoui cretionem Cluuio, Vestorium negligentem, liberam cretionem, testibus præsentibus sexaginta diebus metuebam, ne ille arcessendus esset. Nũc mittendum est, ut meo iussu cernat, idem igitur Pollex: etiam de hortis Cluuianis egi cum Balbo, liberalius, se enim statim ad Cæsarem scripturũ. Cluuium autẽ à Tito Hordeonio legare & Terentiæ HS ↀ Ↄ Ↄ Ↄ & sepulcro multisq; rebus, nihil à nobis. Subaccusa quæso Vestorium. Quid minus probandum, quàm Plocium unguentarium per suos pueros omnia tanto ante Balbo: illum mi ne per meos quidem. De Cosinio doleo, dilexi hominem. Quinto delegabo, si quid æri meo alieno superabit, & emptionibus, ex quibus mi etiam æs alienum faciendum puto. De domo Arpini nihil scio. Vestorium nihil est quod accuses, Iã enim obsignata hac epistola, noctu tabellarius noster uenit, & ab eo literas diligenter scriptas attulit, & exemplum testamenti.

Posteaquam abs te Agamemno non ut uenirem (nam id quoq; fecissem, nisi Torquatus esset) sed ut scriberẽ, tetigit, omisi ea, quę in manibus habebã, abieci, quod iusseras edolaui. Tu uelim è Pollice cognoscas rõnes nostras sũptuarias, Turpe est enim nobis illũ, qualiscũq; est, hoc primo ãno egere: post moderabimur diligentius. Idem Pollex remittendus est, ut ille cernat: planè

Puteolos

Puteolos non fuit eundum:cum ob ea,quæ ad te scripsi,tum quod Cæsar adest. Dolabella scribit se ad me postridie Id.O magistrum molestum.Lepidus ad me heri uesperi literas misit Antio,nam ibi erat, habet enim domum, quam nos uendidimus.Rogat magnopere,ut sim Kal.in Senatu:me & sibi & Cæsari uehementer gratũ esse facturũ.Puto equidẽ nihil esse.Dixisset enim tibi fortasse aliquid Oppius,quoniã Balbus ẽ æger.Sed tñ malim uenire frustra, q̃ desiderari:si opus esset,moleste ferrem postea.Itaq; hodie Antij,cras ante meridiẽ,domi.Tu uelim (nisi te impediuisti) apud nos pr.Kal.cũ Pilia.Te spero cũ Publilio cõfecisse.Equidem Kal.in Tusculanũ recurrã,me enim absente omnia cũ illis transigi malo.Q.fratris epistolã ad te misi.nõ satis humane illam quidẽ respõdentẽ meis literis,sed tñ quod tibi satis sit, ut equidẽ existimo,tu uidebis.Heri nescio quid in strepitu uideor exaudisse,cũ diceres te in Tusculanũ uenturũ:quod utinã iterũ,utinã, tuo tamẽ cõmodo. Lepta me rogat,ut si quid sibi opus sit,accurrã,Mortuus enim Babulius.Cęsar,opinor, ex uncia,etsi nihil adhuc,sed Lepta ex triente.Veretur autem ne non liceat tenere hęreditatem,ἀλόγως omnino,sed ueretur tamen.Is igitur si acciderit, accurram:sin minus,ante q̃ necesse erit.Tu Pollicem,cum poteris:

Laudationem Porciæ tibi misi correctam:ac eo properaui,ut si forte aut Domitio filio,aut Bruto mitteretur,hæc mitteretur.Id si tibi erit cõmodum, magnopere cures uelim:& uelim M.Varronis & Ollij mittas laudationem. Ollij utiq;,nam illam legi.uolo tamẽ regustare,quędam enim uix mihi credo legisse.Atticæ primum salutem,quam equidem ruri esse arbitror.Multã igitur salutem & Pilię.De Tigellio si quid noui:qui quidem ut mihi Gallus Fabius scripsit,μέμψιν ἀναφέρει mihi quandam iniquissimam,me Phameæ defuisse,cum eius causam recepissem:quã quidem receperam cõtra pueros Octauios Cn.F.non libenter,sed & Phamee causa uolebam,erat enim,si meministi, in Consulatus petitione per te mihi pollicitus,si quid opus esset. Quod ego perinde tuebar,ac si usus essem.Is ad me uenit, dixitq; iudicem operam dare sibi constituisse,eo die ipso,quo de Sestio nostro lege Pompeia in consilium iri necesse erat.Scis enim dies illorum iudiciorum præstitutos fuisse. Responđi non ignorare eum,quid ego deberem Sestio:quem uellet aliũ diem,si sumpsisset,me ei non defuturum.Ita tum ille discessit iratus,puto me tibi narrasse.Non laboraui scilicet,nec hominis alieni iniustissimam iracundiam mihi curandam putaui.Gallo autem narraui,cum proxime Romæ fui,quid audissem,neque nominaui Balbum minorem.Habuit suum negotium Gallus, ut scribit.ait illum me animi conscientia,quód Phameam destituissem de se suspicari.Quare tibi hactenus mando,de illo nostro,si quid poteris exquiras: de me ne quid labores.Est bellum aliquem libenter odisse,& quemadmodũ non omnibus seruire:etsi mehercule,ut tu intelligis,magis mihi isti seruiunt, si obseruare seruire est.

Admonitus quibusdam tuis literis,ut ad Cæsarẽ uberiores literas mitterẽ, instituerã,cũ mihi Balbus nuper in Lanuino dixisset,se & Oppiũ scripsisse ad Cæsarẽ,me legisse libros cõtra Catonẽ,& uehemẽter probasse.Cõscripsi de his ipsis libris epistolã Cęsari,quę deferetur ad Dolabellã:sed eius exẽplũ misi ad Oppiũ,& Balbũ:scripsiq; ad eos,ut tum deferri ad Dolabellã iuberent meas literas,si ipsi exemplum probassent.Ita mihi rescripserunt,nihil

unquam ſe legiſſe melius, epiſtolamq́ meam iuſſerunt dari Dolabellæ. Veſtorius ad me ſcripſit, ut iuberem mancipio dari ſeruo ſuo pro mea parte Hetereio cuidam fundum Brinnianum, ut ipſe ei Puteolis recte mancipio dare poſſet, eum ſeruum, ſi tibi uidebitur, ad me mittes. Opinor enim ad te etiã ſcripſiſſe Veſtorium de aduentu Cæſaris idem, quod à te mihi ſcriptum eſt, ab Oppio, & Balbo. Miror te nihildum cum Tigellio, uel ut hoc ipſum, quantũ acceperit: prorſus aueo ſcire, nec tamẽ floccifacio. Quæris quid cogitẽ de obuiam itione. Quid cenſes niſi Alſium? & quidem ad Murenam de hoſpitio ſcripſeram, ſed opinor cum Matio profectum. Salluſtius igitur urgebit. Scripto iam ſuperiore uerſiculo, Eros mihi dixit, ſibi Murenam liberaliſſime reſpondiſſe. Eo igitur utamur, nam Silius culcitas non habet. Dida autem, opinor, hoſpitibus totam uillam conceſſit.

Ad Cæſarem quam miſi epiſtolam, eius exemplum fugit me tum tibi mittere, nec id fuit quod ſuſpicaris, ut me puderet tui. Næ ridicule Micillus. Nec mehercule ſcripſi aliter, ac ſi πρὸς ἴσον ὅμοιόνq́ ſcriberẽ, bene enim exiſtimo de illis libris, ut tibi coràm. Itaque ſcripſi & ἀκολακεύτως, & tamen ſic, ut nihil eum exiſtimem lecturum libentius. De Attica nunc demum mihi eſt exploratum, itaque ei deintegro gratulare. Tigellium totum mihi, & quidem quãprimũ. Nam pendeo animi. Narrabo tibi, Q. Cras. ſed ad me, an ad te neſcio, mi ſcripſit Romam VIII Kal. ſed miſi, qui inuitaret, Etſi hercle iam Romam ueniendum eſt, ne ille ante aduolet.

O hoſpitem mihi tam grauem ἀμεταμέλητον, fuit enim periucunde. Sed cum ſecundis Saturnalibus ad Philippum ueſperi ueniſſet, uilla ita completa militibus eſt, ut uix triclinium, ubi cenaturus ipſe Cæſar eſſet, uacaret: quippe hominum ∞∞. Sanè ſum commotus, quid futurum eſſet poſtridie: ac mihi Barba Caſſius ſubuenit, cuſtodes dedit. Caſtra in agro. uilla defenſa eſt. Ille tertiꝭs Saturnalibus apud Philippum ad H. VII. nec quenquam admiſit. rationes opinor cum Balbo. Inde ambulauit in litore. Poſt H. VIII. in balneum, tum audiuit. De Mamurra non mutauit, unctus eſt, accubuit, ἐμετικὴν agebat, Itaque & edit, & bibit ἀδεῶς, & iucunde: opipare ſanè, & apparate: nec id ſolum, ſed bene cocto, & condito ſermone bono, & ſi quæris, libenter. Præterea tribus tricliniꝭs accepti οἱ περὶ αὐτὸν ualde copioſe. Libertis minus lautis, ſeruisq́ nihil defuit: nam lautiores eleganter accepi. Quid multa? Homines uiſi ſumus, Hoſpes tamen non is, cui diceres: amabo te, eodem ad me cum reuertere ſemel ſatis ẽ: σπουδαῖον οὐδὲν in ſermone, φιλόλογα multa. Quid quæris? Delectatus eſt, & libenter fuit. Puteolis ſe aiebat unum diem fore, alterum ad Baias. Habes hoſpitium, ſiue ἐπισταθμίαν odioſam mihi dixi, nõ moleſtam. Ego pauliſper hic, deinde in Tuſculanum. Dolabellæ uillam cum præteriret, omnis armatorum copia, dextra ſiniſtra ad equum, nec uſquam alibi. Hoc ex Nicia.

M.T. CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM. LIBER XIIII.

CICERO ATTICO SAL.



Iuerti ad illum, de quo tecũ mane: nihil perditius, explicari rem non posse, etenim, si ille tali ingenio exitũ non reperiebat, quis nunc reperiet? Quid quæris? Periisse omnia aiebat, quod haud scio an ita sit, uerũ ille gaudens, affirmatq; minus diebus XX tumultũ Gallicum. In sermonem se post Id. Mart. pręterquam Lepidi, uenisse nemini. ad summã non posse istæc sic abire. O prudentem Oppium, qui nihilo minus illũ desiderat: sed loquitur nihil, quod quẽquam bonum offendat, sed hæc hactenus. Tu quæso quidquid noui (multa autẽ expecto) scribere ne pigrere. in his, de Sexto satis'ne certum, maxime autem de Bruto nostro, de quo quidẽ ille, ad quem diuerti, Cæsarem solitũ dicere: magni refert, hic quid uelit: sed quidqd uult, ualde uult. idq; eum animaduertisse, cum pro Deiotaro Niceæ dixerit, ualde uehementer eum uisum, & libere dicere: atq; etiam (ut enim quidq; succurrit libet scribere) proxime, cum Sestij rogatu apud eum fuissem, expectaremq; sedens quoad uocarer, dixisse eum, Ego dubitem quin summo in odio sim, cum M. Cicero sedeat, nec suo commodo me conuenire possit? Atqui, si quisquam est facilis, hic est: tamen non dubito, quin me male oderit. Hæc & eiusmodi multa. Sed ad propositum. quidquid erit non modo magnum, sed etiam paruum scribes, equidem nihil intermittam.

CICERO ATTICO SAL.



Vas à te accepi epistolas heri. ex priore theatrũ, Publiliumq; cognoui, bona signa consentientis multitudinis. plausus uero L. Cassio datus, etiam facetus mihi quidem uisus est. Altera epistola de Madaro scripta, apud quẽ nullũ σκλήρωμα, ut putas. ꝓcessit enim, sed minus diutius, Sermone enim sum retentus. Quod aũt ad te scripserã, obscure fortasse, id eiusmodi est. Aiebat Cæsarem secũ, quo tẽpore Sestij rogatu ueni ad eum, cũ expectarem sedens, dixisse, Ego nunc tã sim stultus, ut hũc ipsum facilem hominẽ, putẽ mihi esse amicum, cum tãdiu sedens meũ cõmodum expectet? Habes igitur φαλάκρωμα inimicissimũ otij, id est Bruti. In Tusculanũ hodie, Lanuuij cras, inde Asturæ cogitabam. Pilię paratum est hospitium, sed uellem Atticam. Verum tibi ignosco: quarum utriq; salutem.

CICERO ATTICO SAL.



Ranquillæ tuæ quidem literæ, quod utinam diutius: nã Matius posse negabat. Ecce aũt structores nostri ad frumentũ profecti, cũ inanes redijssent, rumorẽ afferunt magnũ, Romæ domũ ad Antonium frumentũ omne portari, πανικὸν certe, scripsisses. n. Corũbus

Balbi nullus adhuc,& mihi notum nomẽ.Bellus .n.esse dicit architectus, ad obsignādū tu adhibitus non sine causa uideris.uolūt enim nos ita putare,nescio cur non animo quoq; sentiant,sed quid hæc ad nos? odorare tamen Antonij διάθεσιν, quem quidem ego epularum magis arbitror rationem habere,q̃ quidquam mali cogitare.Tu,si qd pragmaticō habes,scribe:sin minus, populi ἐπισημασίαν,& mimorum dicta perscribito.Piliæ & Atticæ salutem.

CICERO ATTICO SAL.

NVnc quid putas me Lanuuij? At ego te istic cotidie aliquid noui suspicor,tument negotia.Nam cum Matius,quid censes ceteros? equidem doleo,quod nunquam in ulla ciuitate accidit,non unà cū libertate rempublicam recuperatam.Horribile est,quæ loquanť, quę minitentur,ac uereor Gallica etiam bella:ipse Sextus quo euadat,sed oīa licet cōcurrant,Idus Martiæ consolantur.Nostri autem ἥρωες quod per ipsos confici potuit,gloriosissime & magnificētissime cōfecerūt.Reliquæ res,opes & copias desiderant,quas nullas habemus.Hæc ego ad te,ut si quid noui (nā cotidie aliquid expecto) confestim ad me:& si noui nihil,nostro more tamē ne patiamur intermitti literulas:equidem non committam.

CICERO ATTICO SAL.

SPero tibi iam esse,ut uolumus,quoniā quidem ἐσίγησας q̃ leuiter cōmotus esses,sed tamē uelim scire,quid agas.Signa bella,q; Caluena moleste fert,se suspectum esse Bruto.Illa signa non bona,si cū signis legiones ueniunt è Gallia.Quid tu illas putas, quæ fuerunt in Hispania? nonne idem postulaturas? Quid quas Annius transportauit? Caninium uolui,sed μνημονικὸν ἁμάρτημα,ab aleatore φυρμὸς πολύς.Nam ista quidem Cæsaris libertorū coniuratio facile opprimeretur,si recta saperet Antonius.Meam stultā uerecundiā,qui legari noluerim ante res prolatas,ne deserere uiderer hunc rerū tumorem,cui certe si possem mederi,deesse nō deberē. sed uides magistratus,si quidem illi magistratus,uides tamen tyranni satellites in imperijs,uides eiusdem exercitus,uides in latere ueteranos, quæ sunt εὐρίπιστα omnia,Eos autem,qui orbis terrę custodijs non modo septi,uerūetiam magni esse debebant,tantūmodo laudari,atque amari, sed parietibus contineri,atque illi quoquo modo beati,ciuitas misera.Sed uelim scire,quid aduentus Octauij:num qui concursus ad eum,num quæ νεωτερισμοῦ suspitio? Non puto equidem,sed tamen quidquid est,scire cupio.Hæc scripsi ad te proficiscens Astura III Id.

CICERO ATTICO SAL.

PRid.Id.Fundis accepi tuas literas cenans.primū igitur melius eē: deinde meliora te nunciare.Odiosa illa enim fuerant,legiones uenire.Nam de Octauio susq; deq;.expecto quid de Mario? quem quidem ego sublatum rebar è Cæsare.Antonij colloquiū cū Heroibus nostris pro re nata non incommodum,sed tamē adhuc me nihil delectat præter Id.Mart. nā qm̄ Fundis sum cū Ligure nostro discrucior,Sestulij fundū à Verberone Curtilio possideri, quod cū dico,de toto genere dico, Quid enim miserius,q̃ ea nos tueri,propter quæ illum oderamus? Etiam'ne

Coss.& Tribb.pl.in biēnium,quos ille uoluit? nullo modo reperio quēad modum possim πολιτεύεσθαι,nihil enim tam σόλοικον q̄ τυραννοκτόνους in cœlo eē, tyranni facta defendi,sed uides Coss.uides reliquos magistratus, si isti magistratus,uides languorem bonorū:exultant lętitia in municipiis,dici enim nō potest quantopere gaudeant,ut ad me cōcurrant,ut audire cupiāt uerba mea de re,nec ulla interea decreta.Sic enim πεπολιτεύμεθα, ut uictos metueremus. Hæc ad te scripsi apposita secūda mensa.Plura,et πολιτικώτερα postea,& tu qd agas,quidq; agatur.Postridie Id.Paulum in Caieta uidi.Is mihi de Mario & de rep.aliqua quædam sanè pessima.à te scilicet nihil,nemo enim meorum. Sed Brutum nostrū audio uisum sub Laniuio,ubi tandem est futurus? nam cum reliqua,tū de hoc scire aueo omnia.Ego è Formiano exiens XVII Kal. ut inde altero die in Puteolanum,scripsi hæc. A Cicerone mihi literæ sanè πεπινωμέναι,& bene longæ,Cetera autem uel fingi possunt:πίνος literarum significat doctiorem.Nūc magnopere à te peto,de quo sum nuper tecum locutus, ut uideas,ne quid ei desit.Id cum ad officium nostrum pertinet,tum ad existimationem,& dignitatem:quod idē intellexi tibi uideri omnino.Si ergo ē,uolo mense Quintili in Græciam.Sunt omnia faciliora:sed cum sint ea tempora,ut certi nihil esse possit,quid honestum mihi sit,quid liceat,quid expediat, quæso da operam,ut illum quāhonestissime copiosissimeq; tueamur.Hæc & cetera , quæ ad nos pertinebunt,ut soles,cogitabis:ad meq; aut quod ad rem pertineat:aut si nihil erit,quod in buccam uenerit,scribes.

CICERO ATTICO SAL.



TV me iam rebare,cum scribebas,in actis esse nostris:& ego accepi XVII Kal.in diuersoriolo Sinuessano tuas literas. De Mario probe,etsi doleo L.Crassi nepotem optime,tam etiam Bruto nostro probari Antoniū.Nam quòd Cluuiam scribis moderate,& amice scriptas literas attulisse,mihi Paulus dedit ad se à fratre missas:quibus in extremis erat,sibi insidias fieri,se id certis auctoribus comperisse, hoc nec mihi placebat,& multo illi minus.Reginæ fuga mihi non molesta: sed Clodia quid egerit,scribas ad me uelim.De Byzantiis curabis,ut cetera,& Pelopē ad te arcesse.Ego,ut postulas,Baiana negotia,chorumq; illum, de quo scireuis,cum perspexero,tum scribam,ne quid ignores. Quid Galli, quid Hispani,quid Sextus agat uehementer expecto.Ea scilicet tu declarabis , qui cetera.Nauseolam tibi tum causam otii dedisse facile patiebar,uidebar enim mihi legenti tuas literas requiesse paulisper. De Bruto semper ad me oīa perscribito,ubi sit,quid cogitet:quem quidē ego spero iam tuto , uel solum tota urbe uagari posse.Verūtamē de rep.multa cognoui ex tuis literis , quas quidem multiiuges accepi uno tempore à Vestorii liberto, Ad ea autem,quæ requiris,breui respondebo.Primum uehemēter me Cluuiana delectāt. Sed q̄ quæris qd arcesserim Chrysippum: tabernæ mihi duæ corruerunt,reliquęq; rimas agunt,itaq; nō solum inquilini,sed mures etiam migrauerunt. Hanc ceteri calamitatem uocant,ego ne incōmodum quidem,O Socrates. & Socratici uiri,nunquam uobis gratiam referam,Dii immortales,q̄ mihi ista pro nihilo,sed tamē ea ratio ædificandi initur,consiliario quidem,et auctore Vestorio,ut hoc damnū quæstuosum sit.Hic turba magna est,eritq;,ut audio, maior.Duo quidem quasi desig.Coss.O Dii boni,uiuit tyrānis, Tyrānus occi

dit,eius interfecti morte lætamur,cuius facta defendimus.Itaq; q̃ seuere nos M.Curtius accusat,ut pudeat uiuere, neq; iniuria,nam mori millies præstitit,q̃ hæc pati,quæ mihi uidentur habitura etiã uetustatem,& Balbus hic est, multumq́; mecũ:ad quem à Vetere literæ datæ pr.Kal.Ian.cum à se Cæcilius circũsederetur,& iam teneretur,uenisse cum maximis copijs Pacorum Parthum,ita sibi eẽ eum ereptum multis suis amissis,in qua re accusat Volcatiũ. ita nihil uidetur bellum illud instare,sed Dolabella,& Nicias uiderint.Idem Balbus meliora de Gallia XXI die literas habebat:Germanos,illasq́; nationes re audita de Cæsare,Legatos misisse ad Aurelium,qui est præpositus ab Hirtio,se quod imperatum eẽt,esse facturos.Quid quæris? Omnia plena pacis,aliter ac mihi Caluenna dixerat.

CICERO ATTICO SAL.



Ta ne uero?hoc meus,& tuus Brutus egit ut Lanuij eẽt? ut Trebonius itineribus deuijs proficisceretur in prouinciã? ut omnia facta,scripta,dicta,promissa,cogitata Cæsaris plus ualerent,q̃ si ipse uiueret? Meministi'ne clamare illo ipso primo Capitolino die? Senatum in Capitoliũ à Prætoribus uocari? Dij ĩmortales, quæ tum opera effici potuerunt,lætantibus omnibus bonis,etiam sat bonis, fractis latronibus.Liberalia tu accusas,quid fieri tum potuit? Iãpridem perieramus.Meministi'ne te clamare causam perijsse,si funere elatus esset? at ille etiã in foro cõbustus,laudatusq́; miserabiliter,seruiq́;,& egentes in tecta nostra cũ facibus immissi.Quæ deinde? ut audeant dicere,tu ne contra Cæsaris nutũ? Hæc & alia ferre nõ possum.itaq; γῆν πρὸ γῆς cogito.Tua tamen ὑπηνέμιος nausea iã ne planè abijt? mihi quidem ex tuis literis coniectanti ita uidebatur. Redeo ad Thebassos,Sceuas,Francones,hos tu existimas cõfidere se illa habituros stãtibus nobis,in quibus,plus uirtutis putarunt,q̃ experti sunt? pacis isti scilicet amatores,& non latrocinij auctores? At ego cũ tibi de Curtilio scripsi, Sextulitanoq́; fundo,scripsi de Cẽsorino,de Messala,de Plãco,de Postumo, de genere toto,melius fuit perijsse illo interfecto,quod nunq̃ accidisset,q̃ hæc uidere.Octauius Neapolim uenit XIIII Kal.Ibi eum Balbus mane postridie, eodẽq; die mecum in Cumano illũ hæreditatem aditurũ.Sed ut scribis ῥιξόθεμιν magnã cũ Antonio.Buthrotia mihi tua res est,ut debet,eritq́; curę. Quid quæris? Iam'ne ad centena Cluuianum aduentare uidetur? Sed primo anno, LXXX detersimus,Q.pater ad me grauia de filio,maxime q; matri,nũc indulgeat,cui antea bene merenti fuerit inimicus,ardẽteis in eũ literas ad me misit,ille aũt quid agat,si scis.neq; dũ Roma es profectus, scribas ad me uelim, & hercule si quid aliud. uehementer delector tuis literis.

CICERO ATTICO SAL.



Vdiustertius dedi ad te epistolam longiorẽ:nunc ad ea,quæ proxime.uelim Mehercle Asturæ Brutus,ἀκολασίαν istorũ scribis, an censebas aliter? Equidem etiã maiora expecto. cũ equidẽ concionem lego de tanto uiro,de clarissimo ciui ferre non queo. etsi ista iam ad risum.sed memẽto,sic alitur cõsuetudo perditarũ cõcionum,ut nostri illi non Heroes,sed dij,futuri quidem in gloria sempiterna sint, sed non sine periculo quidẽ.Verum illis magna cõsolatio conscientia maximi,& clarissimi facti,nobis quæ? qui interfecto Rege liberi non sumus? Sed hæc fortuna

uiderit,

uiderit, quoniam ratio non gubernat. De Cicerone quę scribis, iucunda mihi sunt, uelim sint prospera. Q. eurę tibi est, ut ei suppeditetur ad usum, & cultū copiose, per mihi gratum est, idq; ut facias te ēt rogo. De Buthrotijs & tu recte cogitas, & ego non dimitto istam curam, suscipiam oēm etiam actionem, quam uideo cotidie faciliorem. De Cluuiano, quoniā in re mea me ipsum diligentia uincis, res ad centena perducitur. Ruina rem nō fecit deteriorem, haud scio an iam fructuosiorem. Hic mecum Balbus, Hirtius, Pansa. modo uenit Octauius, & quidem in proximam uillā Philippi mihi totus deditus. Lentulus Spinter hodie apud me, cras mane uadit.

CICERO ATTICO SAL.



Mi Attice, uereor ne nobis Idus Martiæ nihil dederint præter lętitiā & odij pœnā ac doloris. Quæ mihi istinc afferuntur? Quæ hic uideo? ὢ πράξεως καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δέ, scis q̄ diligā Siculos, & q̄ illam clientelā honestam iudicem, multa illis Cęsar, neq; me inuito, etsi latinitas erat non ferenda, uerūtamen, ecce aūt Antonius accepta grandi pecunia, fixit legem à Dictatore comitijs latā, qua siculi ciues Romani, cuius rei uiuo illo mentio nulla. Quid? Deiotari nostri causa, non similis? Dignus ille quidē omni regno, sed nō per Fuluiā. Sexcenta similia. Verū illuc refero tam clarā tāq; testatā rem, tāq; iustam, Buthrotiā nō tenebimus aliqua ex parte? & eo quidē magis, quo ista plura: nobiscum hic perhonorifice & amice Octauius, quē quidē sui Cæsarem salutabant. Philippus non. itaq; ne nos quidem. quē nego posse bonū ciuem, ita multi circūstant, qui quidē nostris mortem minitantur, negat hæc ferri posse. Quid censes, cum Romā puer uenerit, ubi nostri liberatores tuti esse non possunt? Qui quidē semper erunt clari, cōscientia uero facti sui ēt beati, sed nos (nisi me fallit) iacebimus. Itaq; exire aueo, ubi nec Pelopidarū inquit. Haud amo uel hos designatos, qui etiā declamare me coegerunt, ut ne apud aquas quidē acquiescere liceret. sed hoc meæ nimiæ facilitatis. Nā id erat quondā quasi necesse: nunc quoquo modo se res habet, non est itē. Quādudū nihil habeo, quod ad te scribam, scribo tamē, nō ut delectē his literis, sed ut eliciā tuas. Tu si quid erit de ceteris, de Bruto utiq; quidquid. Hæc conscripsi X Kal. accubans apud Vestoriū hoīem remotū à Dialecticis, in Arithmeticis satis exercitatū. Septimo deniq; die lrę mihi redditę sunt, q̄ erāt à te XIII Kal. datę: qbus quæris, atq; ēt me ipsum nescire arbitraris, utrū magis tumulis prospectuq;, an ambulatiōe ἀλιτενεῖ delecter. Est mehercule, ut dicis, utriusq; loci tāta amœnitas, ut dubitē utra anteponēda sit.

Ἀλλ' οὐ δαιτὸς ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν,
Ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα διοτρεφὲς, εἰσορόωντες
Δείδιμεν, ἐν δοιῇ δὲ σαωσέμεν, ἢ ἀπολέσθαι.

Quāuis enim tu magna & mihi iucūda scripseris de D. Bruti aduentu ad suas legiones, in quo spem maximā uideo: tñ si est bellū ciuile futurū, qđ certe erit, si Sex. in armis permanebit, quē permansurū esse certo scio, quid nobis faciendū est, ignoro. neq; enim iā licebit, quod Cæsaris bello licuit, neq; huc, neq; illuc: quēcunq;. n. hæc pars perditorū lætatū Cæsaris morte putabit (lætitiam aūt apertissime tulimus oēs) hunc in hostium numero habebit, quę res ad cædē maximā spectat. Restat, ut in castra Sex. aut si forte, Bruti nos cōfe-

ramus. Res odiosa, & aliena nostris ætatibus, & incerto exitu belli. & nescio quo pacto tibi ego possim, mihi tu dicere,

Τέκνον ἐμὸν, οὔ τοι δέδοται πολεμήια ἔργα,

Ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.

Sed hæc fors uiderit ea, quæ talibus in rebus plus, q̃ ratio potest. Nos autẽ id uideamus, quod in nobis ipsis esse debet, ut quidquid acciderit, fortiter, & sapienter feramus, & accidisse hominibus meminerimus: nosq; cũ multũ literæ, tum nõ minimum Idus quoq; Martiæ cõsolentur. Suscipe nũc meã deliberationem, qua solicitor, ita multa ueniunt in mentẽ in utrãq; partem. Proficiscor, ut cõstituerã, Legatus in Græciã: credis? impendẽtis periculi nõnihil uitare uideor, sed casurus in aliquã uituperationẽ, q; reip. defuerim tam graui tẽpore: sin aũt mansero, equidẽ uideo in discrimine, sed accidere posse suspicor, ut prodesse possim reip. Iam illa cõsilia priuata sunt, q; sentio ualde eẽ utile ad cõfirmationẽ Ciceronis, me illuc uenire, nec alia cã profectiõis mihi ulla fuit tum, cum consilium cepi legari ab Cæsare. Tota igitur hac de re, ut soles, si quid ad me pertinere putas, cogitabis. Redeo nunc ad epistolã tuã. Scribis enim esse rumores, me ad lacum quod habeo uenditurũ, minusculã uero uillam utiq; Quinto traditurũ, uel impẽso precio, quo introducatur, ut tibi Q. F. dixerit, dotata Aquilia. Ego uero de uenditione nihil cogito, nisi quid, quod magis me delectet, inuenero. Quintus aũt de emendo nihil curat hoc tẽpore: satis enim torquetur debitione dotis, in qua mirificas Q. Egnatio gratias agit. A ducenda aũt uxore sic abhorret, ut libero lectulo neget esse quidquam iucũdius. Sed hæc quoq; hactenus: redeo enim ad miserã, seu nullã potius rempub. M. Antonius ad me scripsit de restitutiõe Sexti Clodij, q̃ honorifice, quod ad me attinet, ex ipsius literis cognosces (misi enim tibi exẽplũ) q̃ dissolute, q̃ turpiter, quàmq; ita perniciose, ut nõnunq̃ Cæsar desiderãdus esse uideatur, facile existimabis. Quæ enim Cæsar nũq̃, neq; fecisset, neq; passus esset, ea nunc ex falsis eius cõmentarijs proferuntur. Ego aũt Antonio facillimũ me præbui: etenim ille, qm̃ semel induxit animũ, sibi licere qđ uellet, fecisset nihilominus me inuito. Itaq; mearũ quoq; literarũ misi tibi exẽplũ.

ANTONIVS COS. SAL. DIC. M. CICERONI.



Ccupationibus est factũ meis, & subita tua profectione, ne tecum corã de hac re agerem: quã ob cãm uereor, ne absentia mea leuior sit apud te. q; si bonitas tua respõderit iudicio meo, quod semp habui de te, gaudebo. A Cæsare petij, ut Sextum Clodiũ restitueret. Impetraui. Erat mihi in animo etiã tum sic uti beneficio eius, si tu concessisses: quo magis laboro, è tua uoluntate id per me facere nũc. Quòd si duriorem te eius miseræ & afflictæ fortunæ præbes, non cõtendã ego aduersus te: q̃q̃ uideor debere tueri cõmentarium Cæsaris. Sed mehercule si humaniter, & sapienter, & amabiliter in me cogitare uis, facilem te profecto præbebis, & uoles P. Clodium in optima spe puerũ repositum, existimare, nõ te insectatum eẽ, cum potueris amicos paternos. Patere obsecro te, pro rep. uideri gessisse simultatem cũ patre eius: non cõtempseris hãc familiã, honestius enim & libentius deponimus inimicitias reip. nomine susceptas, q; cõtumaciæ. Me deinde sine ad hanc opinionẽ iam nunc dirigere puerũ, & tenero animo eius persuadere,

dere,non esse tradendas posteris inimicitias.q̃q̃ tuam fortunã Cicero ab omni periculo abesse certum habeo,tamẽ arbitror malle te quietam senectutẽ & honorificam potius agere,q̃ sollicitam.Postremo,meo iure te hoc beneficiũ rogo.nihil enim non tua causa feci.Quod si non impetro,per me Clodio daturus non sum,ut intelligas,quanti apud me auctoritas tua sit,atq; eo te placabiliorem præbeas.

CICERO ANTONIO COS. S.D.



Vod mecum per literas agis,unam ob cãm mallem corã egisses. Non enim solum ex oratione,sed ẽt ex uultu,& oculis,et frõte(ut aiunt)meum erga te amorẽ perspicere potuisses.Nam cũ te semp amaui,primum tuo studio,post etiam beneficio prouocatus, tum his temporibus resp.te mihi ita commendauit,ut cariorem habeam neminẽ. Literæ uero tuæ tũ amantissime,tum honorificentissime scriptæ,sic me affecerunt,ut non dare tibi beneficium uiderer,sed accipere à te ita petẽte,ut inimicum meũ,necessarium tuum,me inuito seruare nolles,cum id nullo negotio facere posses.Ego uero tibi istuc/mi Antoni/remitto:atq; ita,ut me à te,cũ his uerbis scripseris,liberalissime atq; honorificentissime tractatum existimem. Idq; cum totum,quoquo modo se res haberet,tibi dãdum putarem,tũ do ẽt humanitati & naturæ meæ:nihil enim unq̃ non modo acerbũ in me fuit, sed ne paulo quidem tristius aut seuerius,q̃ necessitas reip.postulauit.Accedit,ut ne in ipsum qdem Clodiũ,meum insigne odium fuerit unq̃:semperq; ita statui,nõ esse insectandos inimicorum amicos,presertim humiliores,nec his præsidijs nosmetipsos esse spoliandos.Nam de puero Clodio tuas partis esse arbitror,ut eius animum tenerum,(quemadmodũ scribis) his opinionibus imbuas,ut ne quas inimicitias residere in familijs nostris arbitretur.Contẽdi cũ P.Clodio,cum ego publicam cãm,ille suam defenderet:nostras cõcertatiões resp.diiudicauit:si uiueret,mihi cum illo nulla cõtentio iam maneret.Quare, qm̃ hoc à me sic petis,ut quæ tua potestas est,ea neges te me inuito usurũ, puero quoq; hoc à me dabis,si tibi uidebit,non quo aut ætas nostra ab illius ætate quidq̃ debeat periculi suspicari,aut dignitas mea ullam contentionem extimescat,sed ut nosmetipsi inter nos cõiunctiores simus,q̃ adhuc fuimus,interpellantibus enim his inimicitijs,animus tuus magis patuit,quàm domus. sed hæc hactenus.Illud extremum.Ego quæ te uelle, quæq; ad te pertinere arbitrabor, semper sine ulla dubitatione summo studio faciam.Hoc uelim tibi penitus persuadeas.

CICERO ATTICO SAL.DICIT.



Terandum eadem ista mihi.Coronatus Quintus noster Parilibus?Parilibus,solus ne?etsi addis Lamiam,quod demiror equidem.Sed scire cupio,qui fuerint alij.quanquam satis scio nisi improbum neminem.Explanabis igitur hoc diligẽtius. Ego autem casu cum dedissem ad te literas VI Kal.satis multis uerbis, tribus ferè horis post accepi tuas.& magni quidem ponderis. Itaque ioca tua plena facetiarum, de hæresi Vestorina, & de Pherionum more Puteolano risisse me satis, nihil est necesse rescribere. πολιτικώτερα illa uideamus. Ita Brutos Cassiumq; defendis, quasi eos ego reprehendam , quos satis laudare non pos

ſum.Rerum ego uitia collegi,non hominum.Sublato enim Tyranno,tyrannida manere uideo.Nam quæ ille facturus non fuit,ea fiunt,ut de Clodio,de quo mihi exploratum eſt,illum non modo non facturum,ſed etiam ne paſſurum quidem fuiſſe.Sequetur Rufo Veſtorianus uictor nũquam ſcriptus:ceteri,quis non? cui ſeruire ipſi nõ potuimus,eius libellis paremus. Nam Liberalibus quis potuit in Senatum nõ uenire? Fac id oportuiſſe aliquo mõ,num etiam cum ueniſſemus,libere potuimus ſententiam dicere? nõne omni ratiõe ueterani,qui armati aderant,cum præſidij nos nihil haberemus, defendendi fuerunt? Illam ſeſſionem Capitolinã mihi non placuiſſe tu teſtis es. Quid ergo? iſta culpa Brutorum? Minime illorũ quidem,ſed aliorum Brutorũ, qui ſe cautos ac ſapienteis putant,quibus ſatis fuit lætari,nõnullis etiam gratulari, nullis permanere.Sed præterita omittamus, iſtos omni cura præſidioq́ tueamur,& quemadmodum tu præcipis,contenti Id. Mart.ſimus. Quę quidem noſtris amicis diuinis uiris aditum ad cœlum dederunt,libertatem Populo R.non dederunt. Recordare tua:nõne meminiſti clamare te oĩa perijſſe,ſi ille funere elatus eſſet? Sapienter id quidem.itaq́ ex eo, quæ manarint, uides. Quæ ſcribis kal. Iun. Antonium de prouincijs relaturũ,ut & ipſe Gallias habeat,& utriſq́ dies prorogetur,licebit ne decerni libere? Si licuerit, libertatem eſſe recuperatam lætabor:ſi nõ licuerit,quid mihi attulerit iſta domini mutatio præter lætitiam,quam oculis cepi iuſto interitu Tyranni? Rapinas ſcribis ad Opis fieri,quas nos quoq́ tum uidebamus.ne nos & liberati ab egregijs uiris,nec liberi ſumus:ita laus illorum eſt,culpa noſtra.Et hortaris me,ut hiſtorias ſcribam,ut colligam tanta eorũ ſcelera,à quibus etiã nunc obſidemur. Potero ne eos ipſos non laudare,qui te obſignatorẽ adhibuerũt? Nec mehercule me Rauduſculum mouet:ſed homines beneuolos,qualeſcũq́ ſunt,graue eſt inſequi contumelia.Sed de omnibus meis conſilijs,ut ſcribis, exiſtimo exploratius nos ad kal. Iun. ſtatuere poſſe: ad quas adero & omni ope atq́ opera enitar,adiuuant me ſcilicet auctoritate tua & gratia, & ſumma æquitate cauſæ,ut de Buthrotijs S.C.quale ſcribis, fiat. Quod me cogitare iubes,cogitabo equidẽ:etſi tibi dederã ſuperiore epiſtola cogitandũ. Tu aũt quaſi iã recupata rep.uicinis tuis Maſſilieſibus ſua reddis.Hęc armis(quæ q̃ firma habeamus,ignoro)reſtitui fortaſſe poſſunt, auctoritate non poſſunt.

Epiſtola breuis,quæ poſtea à te ſcripta eſt,ſanè mihi fuit iucũda.De Bruti ad Antoniũ & de eiuſdẽ ad te literis,poſſe uidentur eſſe meliora,q̃ adhuc fuerunt:ſed nobis,ubi ſimus,& quo iã nunc nos cõferamus,prouidendũ eſt. O mirificum Dolabellã meũ. Iam enim dico meũ,antea(crede mihi)ſubdubitabam.Magnã ἀναθεώρησιν res habet.de ſaxo in crucẽ colũnã tollere,locũ illum ſternendũ locare.Quid quæris? Heroica. Suſtuliſſe mihi uidet ſimulatiõem deſiderij,adhuc quæ ſerpebat in dies & inueterata uerebar,ne periculoſa noſtris Tyrãnoctonis eẽt.Nũc ꝓrſus aſſentior tuis literis,ſperoq́ meliora,q̃ q̃ iſtos ferre nõ poſſum,q dũ ſe pacẽ uelle ſimulãt,acta nefaria defendũt,ſed nõ poſſunt oĩa ſimul.Incipit res melius ire,q̃ putarã: nec uero diſcedã,niſi cum tu me id honeſte putabis facere poſſe.Bruto certe meo nullo loco deero. idq́ et ſi mihi cũ illo nihil fuiſſet,facerẽ,propter eius ſingularẽ incredibileq́ uirtutem. Piliæ noſtræ uillã totam,quæq́ in uilla ſunt trado. In Põpeianũ ipſe ꝓficiſcens kal. Mai. Quam uelim Bruto perſuadeas,ut Aſturæ ſit.

Cicero

CICERO ATTICO SAL.



Vinto Non.conscendens ab hortis Cluuianis in Phaselum epicopum, has dedi literas, cum Piliæ nostræ uillam ad Lucrinum, uillicosq; procuratores tradidissem. Ipse aūt eo die in Pæti nostri Tyrotarichum īminebam, perpaucis diebus in Pompeianū: post in hæc Puteolana & Cumana regna renauigare. O loca cæteroq ualde expetenda, interpellantium aūt multitudine pene fugienda. Sed ad rem ut ueniam. O Dolabellæ nostri magnam ἀριστείαν. q̄ta est ἀναθεώρησις. Equidem laudare eum & hortari nō desisto. Recte tu oībus epistolis significas, qd de re, qd de uiro sentias. Mihi quidē uidetur Brutus noster iā uel coronā auream per forum ferre posse. Quis enim audeat uiolare, proposita cruce aut saxo? presertim tātis plausibus, tanta approbatione infimorū. Nunc mi Attice me fac ut expedias. cupio (cum Bruto nostro affatim satisfecerim) excurrere in Græciam. Magni interest Ciceronis uel mea potius, uel mehercule utriusq; me interuenire discenti. Nam epistola Leonidæ, quam ad me misisti, quid habet, quæso, in quo magnopere lætemur? Nunq̄ ille mihi satis laudari uidebitur, cū ita laudabitur, QVOMODO NVNC EST. non est fidentis hoc testimonium, sed potius timentis. Herodi aūt mandaram, ut mihi κατὰ μίτον scriberet, à quo adhuc nulla litera est. Vereor ne nihil habuerit, quod mihi cum cognossem, iucundum putaret fore. Quod ad Xenonem scripsisti, ualde mihi gratū est. Nihil enim deesse Ciceroni. cum ad officium, tum ad existimationem meam pertinet, Flammam Flaminium audio Romæ esse. Ad eum scripsi, me tibi mandasse per literas, ut de Montani negotio cum eo loquerere: & uelim cures epistolam, quā ad eum misi, reddendam, & ipse (quod cōmodo tuo fiat) cum eo colloquere. Puto si quid in homine pudoris est, præstaturum eum: ne pro se quodāmodo dependatur. De Attica pergratum mihi fecisti, q̄ curasti ante scirem recte esse, q̄ non belle fuisse. In Pompeianum ueni V.Non.Mai. cum prid. (ut antea ad te scripsi) Piliā in Cumano collocauissem. Ibi mihi cenanti literæ tuæ sunt redditæ, quas dederas Demetrio liberto prid. kal. in quibus multa sapienter, sed tamen talia (quemadmodum tute scribebas) ut omne cōsilium in fortuna positum uideretur. Itaq; his de rebus ex tēpore, & coràm. De Buthrotio negotio utinam quidem Antonium conueniam: multum profecto proficiam, sed non arbitrantur eum à Capua declinaturum: quo qdem metuo ne magno reip. malo uenerit: quod idem L. Cæsari uidebatur, quem pridie Neapoli affectum grauiter uideram. Quamobrem ista nobis ad kal. Iun. tractanda & perficienda sunt. Sed hactenus. Q. filius ad patrem acerbissimas literas misit, quæ sunt ei redditæ, cum uenissemus in Pompeianum: quarum tamen erat caput, Aquiliam nouercam non esse laturum: sed hoc tolerabile fortasse: illud uero? se ab Cæsare habuisse omnia, nihil à patre, reliqua sperare ab Antonio, O perditum hominem, sed μελήσει. Ad Brutū nostrum ad Cassium, ad Dolabellam epistolas scripsi: earum exempla tibi misi, non ut deliberarem reddendæ ne essent (planè enim iudico esse reddēdas) sed quòd non dubito, quin tu idem existimaturus sis. Ciceroni meo mi Attice suppeditabis, q̄tum uidebitur, meq; hoc tibi onus imponere patiere. Quæ adhuc fecisti, mihi sunt gratissima. Librum meum illum ἀνέκδοτον nondum, ut

uolui,perpoliui. Ista uero quæ tu contexi uis, aliud quoddam separatū uolumen expectāt. Ego aūt (credas mihi uelim) minore periculo existimo cōtra illas nefarias partes uiuo tyrāno dici potuisse, q̄ mortuo. Ille enim nescio quo pacto ferebat me quidem mirabiliter: nunc quacūq; nos cōmouimus, ad Cæsaris non modo acta, uerū etiam cogitata reuocamur. De Montano, quoniā Flāma uenit, uidebis. puto rem meliore loco esse debere.

CICERO DOLABELLAE COS. SVO SAL.



Tsi contentus eram mi Dolabella tua gloria, satisq; ex ea magnā lætitiā uoluptatemq; capiebā, tamen nō possum nō cōfiteri, cumulari me maximo gaudio, q uulgo hominum opinio sociū me ascribat tuis laudibus. Neminē cōueni, cōuenio aūt cotidie plurimos, sunt enim permulti optimi uiri ualetudinis causa in his locis. Conueniūt p̄terea ex municipijs frequentes necessarij mei, qui oēs, cum te summis laudibus ad cœlū extulerunt, mihi cōtinuo maximas gratias agūt. Negant enim se dubitare, quin tu meis præceptis & cōsilijs obtemperans, p̄stantissimū te ciuem & singularem Cos. præbeas: quibus ego, q̄q̄ uerissime possum respondere, quæ facias, tuo iudicio & tua spōte facere, nec cuiusquā egere consilio, tñ neq; planè assentior, ne īminuam tuā laudem, si omnis à meis consilijs profecta uideatur, neq; ualde nego. Sum enim auidior etiā q̄ satis est gloriæ. Et tamē nō alienū est dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni Regum Regi fuit honestū habere, aliquem in cōsilijs capiendis Nestorem, mihi uero gloriosum te iuuenem Cos. florere laudibus, quasi alumnum disciplinæ meæ, L. quidem Cæsar, cum ad eum ægrotum Neapolim uenissem, q̄q̄ erat oppressus totius corporis doloribus, tamen anteq; me planè salutauit, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi cum tm̄ uales apud Dolabellam: q̄tum si ego apud sororis filiū ualerem, tam salui esse possemus. Dolabellæ uero tuo et gratulor & gratias ago: quem quidē post te Consulem, solū possum uere Consulē dicere. Dein multa de facto, ac de re gesta: tum nihil magnificentius, nihil preclarius actum unq̄, nihil reip. salutarius. atq; hæc una uox omniū est. A te autem peto, ut me hāc, quasi falsam hæreditatem alienæ glorię, sinas cernere, meq; aliqua ex parte in societatem tuarū laudum uenire patiare: q̄q̄ mi Dolabella (hæc enim iocatus sum) libentius omneis meas, si modo sunt aliquæ meæ laudes ad te transfuderim, q̄ aliquam partem exhauserim ex tuis. Nā cum te semper tātum dilexerim, quātum tu intelligere potuisti, tum ijs tuis factis sic incēsus sum, ut nihil unquā in amore fuerit ardentius. Nihil est enim (mihi crede) uirtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amaui, ut scis, M. Brutū p̄pter eius summum ingenium, suauissimos mores, singularem probitatē atq; cōstantiam: tamen Id. Mart. tantū accessit ad amorem, ut mirarer locū fuisse augendi in eo, quod mihi iampridem cumulatū etiā uidebatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorē, quem erga te habebā, posse aliquid accedere? Tantū accessit, ut mihi nunc deniq; amare uidear, antea dilexisse. Quare qd est, quod ego te horter, ut dignitati & gloriæ seruias? Proponā tibi claros uiros, qd' facere solent, qui hortātur? Neminem habeo clariorem, q̄ teipsum: te imitere oportet, tecū ipse certes: ne licet quidem tibi iā tantis rebus gestis, nō tui similē eē. Quod cum ita sit, hortatio nō est necessaria, gratulatione magis utendū est. Cōtigit. n. tibi, quod haud scio an nemini, ut summa seueritas animaduersionis, non

nis,non modo nõ inuidiosa,sed etiam popularis esset,& cũ bonis omnibus, tum infimo cuiq; gratissima.Hoc si tibi fortuna quadã contigisset,gratularer felicitati tuæ,sed cõtigit magnitudine cũ animi,tum ẽt ingenij atq; cõsilij. Legi enim cõcionem tuam,nihil illa sapientius.ita pedetentim cum accessus à te ad causam facti,tum recessus,ut res ipsa maturitatẽ tibi animaduertẽdi oĩum concessũ daret.Liberasti igitur & urbẽ periculo,& ciuitatem metu.Neq; solum ad tempus maximã utilitatem attulisti,sed ẽt ad exemplum. Quo facto intelligere debes,in te positam esse remp.tibiq; non modo tuendos, sed etiã ornandos illos uiros,à quibus initium libertatis profectum est.Sed his de rebus coràm plura propediem,ut spero.Tu quoniam remp. nosq; conseruas, fac ut diligentissime teipsum mi Dolabella custodias.

CICERO ATTICO SAL.

SÆpius me iam agitas,q; rem gestam Dolabellæ nimis in cœlũ uidear efferre.Ego aũt quãquã sanè probo factum,tamẽ ut tãto opere laudarem adductus sum tuis & unis & alteris literis:sed totum se à te abalienauit Dolabella,ea de causa, qua me quoq; sibi inimicissimũ reddidit.O hominẽ pudentem.Kal.Ian.debuit,adhuc non soluit:præsertim cum se maximo ære alieno Faberij manu liberarit, & opem ab eo petierit.Licet enim iocari,ne me ualde cõturbatum putes.Atq; ego ad eũ VIII Id.literas dederam bene mane.Eodẽ autem die tuas literas uesperi acceperã in Pompeiano,sanè celeriter,tertio abs te die.Sed ut ad te eo ipso die scripseram,satis aculeatas ad Dolabellam literas dedi:quæ si nihil profecerint,puto fore,ut me præsentẽ non sustineat. Albianum te cõfecisse arbitror. De Patulciano nomine,q; mihi suppeditatus es,gratissimũ est,& simile tuorũ omniũ. Sed ego Erotem ad ista expediẽda factum mihi uidebar reliquisse, cuius non sine magna culpa uacillarunt,sed cũ ipso uidero.De Montano, ut sæpe ad te scripsi,erit tibi tota res curæ.Seruius proficiscens,q; desperanter tecum locutus est,minime miror,neq; ei quidquam in desperatione concedo.Brutus noster singularis uir,si in Senatum non est Kal.Iun.uenturus, quid facturus sit in foro,nescio.Sed hoc ipse melius.Ego ex his,quæ parari uideo,non multũ Id.Mart.profectum iudico.Itaq; de Græcia cotidie magis & magis cogito: nec enim Bruto meo exiliũ,ut scribis ipse meditanti uideo quid prodesse possim.Leonidæ me literæ non satis delectarunt.De Herode tibi assentior, Saufeium legisse uellem.Ego ex Pompeiano VI.Id.Mai. cogitabam.

CICERO ATTICO SAL.

NOn.Mai.cum essem in Põpeiano accepi binas à te literas: alteras sexto die,alteras quarto:ad superiores igitur prius,q̃ mihi iucundũ opportune tibi Barnacũ literas reddidisse.Tu uero cũ Cassio, ut cetera: q̃ commode autem, quod id ipsum, quod me mones, quatriduo ante ad eum scripseram, exemplumq; mearum literarum ad te miseram.Sed cum Dolabellæ auaritia (sicenim tu ad me scripseras) magna desperatione affectus essem, ecce tibi & Bruti, & tuæ literæ, ille exilium meditari. Nos autem alium portum propiorem huic ætati uidebamus, in quem mallem equidem peruehi, florente Bruto nostro constitutaq; repub. Sed nũc quidẽ, ut scribis, non utrumuis: Assentires enim mihi

noſtram ætatem preſertim à caſtris ciuilibus abhorrere. M. Antonius ad me tantum de Clodio reſcripſit, meã lenitatem & clementiã, & ſibi eſſe gratam, & mihi uoluptati magnæ fore. Sed Pãſa furere uidetur de Clodio, itemq́ de Deiotaro, & loquitur ſeuere, ſi uelis credere. Illud tamẽ non belle, ut mihi q̃dem uidetur, q̃ factum Dolabellæ uehemẽter improbat. De coronatis, cum ſororis tuæ filius à patre accuſatus eſſet, reſcripſit ſe coronam habuiſſe honoris Cæſaris cauſa, poſuiſſe luctus gratia. Poſtremo ſe libenter uituperationẽ ſubire, q̃ amaret etiam mortuum Cæſarem. Ad Dolabellam, quemadmodũ tibi dicis placere, ſcripſi diligenter. Ego etiã ad Sicam: tibi hoc oneris nõ impono, nolo te illum iratũ habere. Seruij orationẽ cognoſco, in qua plus timoris uideo, q̃ conſilij. Sed quoniã perterriti oẽs ſumus, aſſentior Seruio. Publius tecũ tricatus eſt: huc enim Cerelia miſſa ab iſtis eſt legata ad me: cui facile perſuaſi, mihi id, quod rogaret, ne licere quidẽ non modo non lubere. Antonium ſi uidero, accurate agam de Buthroto. Venio ad recentiores literas, q̃q̃ de Seruio iam reſcripſi. me facere magnam πρᾶξιν Dolabellæ: mihi mehercule ita uidetur, nõ potuiſſe maior tali re, taliq́ tempore: ſed tamẽ quidquid ei tribuo, tribuo ex tuis literis. Tibi uero aſſentior maiorem πρᾶξιν eius fore, ſi mihi, quod debuit, diſſoluerit. Brutus uelim ſit Aſturę. Quòd aũt laudas me, q̃ nihil ante de profectione cõſtituam, q̃ iſta quo euaſura ſint, uidero: muto ſententiã, neq́ quidquam tamen ante q̃ te uidero. Atticam meã gratias mihi agere de matre gaudeo, cui quidẽ ego totam uillam cellamq́ tradidi, eamq́ cogitabam V. Id. uidere. Tu Atticæ ſalutem dices, nos Piliã diligẽter tuebimur.

CICERO ATTICO SAL.



E Põpeiano naui aduectus ſum in Luculli noſtri hoſpitium VI. Id. hora ferè tertia, egreſſus aũt è naui accepi tuas literas, quas tuus tabellarius in Cumanũ attuliſſe dicebat Non. Mai datas: à Lucullo poſtridie eadem ferè hora, qua ueni VII Id. Lanuuio datas: Audi igitur ad oẽs. Primũ quæ de re mea geſta, & in ſolutione, & in Albiano negotio grata. De tuo autẽ Buthroto, cum in Pompeiano eſſem, Miſenũ uenit Antonius: inde ante diſceſſit, q̃ illum ueniſſe audiſſem, à quo in Samniũ: uide quid ſperes. Romæ igitur de Buthroto. L. Antonij horribilis cõcio. Dolabellæ præclara iã. uel ſibi habeat nũmos, modo numeret Id. Tertullæ nollem abortum. Tam enim Caſſij ſunt iam, q̃ Bruti ferendi. De Regina uelim, atq́ ẽt de Cæſare illo. Perſolui primæ epiſtolæ, uenio ad ſecundam. De Quinti Buthroto, cũ uenero, ut ſcribis. Quod Ciceroni ſuppeditas gratũ. Quòd errare me putas, qui remp. putem pẽdere è Bruto: ſic ſe res habet, aut nulla erit, aut ab iſto iſtis'ue ſeruabitur. Quòd me hortaris, ut ſcriptam contionem mittam, accipe à me mi Attice καθολικὸν θεώρημα earũ rerũ, in quibus ſatis exercitati ſumus: Nemo unq̃ neq́ poeta, neq́ orator fuit, qui quenq̃ meliorẽ q̃ ſe arbitraretur. Hoc ẽt malis cõtigit. Quid tu Bruto putas & ingenioſo & erudito? de quo etiã expertus ſum, nup in edicto, ſcripſerã rogatu tuo, meũ mihi placebat, illi ſuũ. Quinetiã cum ipſius precibus penè adductus, ſcripſiſſem ad eum de Optimo genere dicendi, nõ modo mihi, ſed ẽt tibi ſcripſit, ſibi illud q̃d mihi placeret, nõ probari. Quare ſine quæſo ſibi queq́ ſcribere. Suã cuiq́ ſponſam, mihi meã: ſuum cuiq́ amorẽ, mihi meũ. nõ ſcite, hoc enim Atilius poeta duriſſimus.

durissimus. Atq; utinã liceat isti concionari: cui si esse in urbe tuto licebit, uicimus. Ducem enim noui belli ciuilis, aut nemo sequetur, aut ij sequentur, qui facile uincantur. Venio ad tertiam. gratas fuisse meas literas Bruto & Cassio gaudeo: itaq; ijs rescripsi. Quòd Hirtiũ per me meliorẽ fieri uolunt, do equidem operã, & ille optime loquitur: sed uiuit habitatq; cũ Balbo, qui itẽ bene loquitur. quid credas, uideris. Dolabellã ualde placere tibi uideo, mihi quidẽ egregie. Cũ Pansa uixi in Põpeiano, is planè mihi probabat se bene sentire, & cupere pacem. Causam armorũ quæri planè uideo: edictũ Bruti & Cassij probo. Quæris, ut suscipiã cogitationem, quidnã istis agendũ putẽ? Consilia temporũ sunt, quæ in horas cõmutari uides. Dolabellæ & prima illa actio, et hæc cõtra Antoniũ concio, mihi profecisse permultũ uidet. prorsus ibat res: nunc aũt uidemur habituri ducẽ, quod unũ municipia boniq; desiderãt. Epicuri mentionẽ facis, & audes dicere μὴ πολιτεύεσθαι. Nõ te Bruti nostri uulticulus ab ista oratione deterret? Q. F. ut scribis, est dextella. per eũ igit, qđ uolemus, facile auferemus. Expecto, si ut putas L. Antonius ꝓduxit Octauiũ, qualis cõcio fuerit. Hæc scripsi: statim. n. Cassij tabellarius: erã cõtinuo Piliã salutaturus. Deinde ad epulas Vestorij nauicula. Atticæ plurimam salutem.

CICERO ATTICO SAL.



CVm pauloante dedissem ad te Cassij tabellario literas, V. Id. uenit noster tabellarius, & quidem portenti simile, sine tuis literis: sed cito conieci Lanuuij te fuisse. Eros autẽ festinauit, ut ad me literæ Dolabellæ perferrentur, nõ de re mea (nondũ enim meas acceperat) sed rescripsit ad eas, quarũ exemplũ tibi miseram, sanè luculente. Ad me aũt, cũ Cassij tabellariũ dimisissem, statim Balbus. O di boni ꝗ facile perspiceres timere otium: & nosti uirum, ꝗ tectus: sed tamen Antonij consilia narrabat, illũ circũire ueteranos, ut acta Cæsaris sancirent, idq; se facturos esse iurarent, ut rata oẽs haberẽt, eaq; Duumuiri oĩbus mẽsibus ĩspicerẽt. Questus ẽ ẽt de sua inuidia: eaq; oĩs eius oratio fuit, ut amare uiderẽt Antoniũ. Quid quæris? nihil synceri: mihi aũt nõ est dubium, quin res spectet ad castra. acta enim illa res est animo uirili, consilio puerili. Quis enim hoc non uidit, regni hæredem relictũ? Quid aũt absurdius, hoc metuere, alterũ in metu nõ ponere? Quinetiã hoc ipso tempore multa ὑποσόλοικα. Pontij Neapolitanũ à matre Tyrannoctoni possideri. Legendus mihi sæpius est Cato Maior ad te missus. Amariorem enim me senectus facit, stomachor omnia, sed mihi quidem βεβίωται. uiderint iuuenes. Tu mea curabis, ut curas. Hæc scripsi seu dictaui, apposita secũda mensa apud Vestoriũ. Postridie apud Hirtiũ cogitabã. & quidem πολιτικώτατον sic hoĩem traducere ad optimates paro. λῆρος πολύς. nemo est istoꝝ, qui otiũ nõ timeat. quare talaria uideamus. quiduis. n. potius ꝗ castra. Atticæ sal. plur. uelim dicas. Expecto Octauij cõcionẽ, & si quid aliud. maxime autem ecquid Dolabella tinniat: an in meo nomine tabulas nouas fecerit.

CICERO ATTICO SAL.



CErtior à Pilia factus, mitti ad te Id. tabellarios, statim hoc, nescio quid, exaraui. Primũ igitur scire te uolui, me hinc Arpinũ XVI Kal. Iun. Eò igitur mittes, si quid erit posthac. quãquam ipse iam iamq; adero. Cupio enim anteꝗ Romã uenio, odorari diligẽtius,

quid futurum sit.quanq̃ uereor,ne nihil coniectura aberrẽ.Minime enim obscurum est,quid isti moliantur.Meus uero discipulus,qui hodie apud me cenat,ualde amat illum,quẽ Brutus noster sauciauit:& si quæris (pspexi enim plane) timent otium,ὑπόθεσιν autem hanc habent,eamq́ præ se ferunt uirũ clarissimum interfectum,totam remp.illius interitu perturbatã,irrita fore, quæ ille egisset,simulac desistemus timere.clementiã illi malo fuisse:qua si usus nõ esset,nihil ei tale accidere potuisse. Mihi aũt uenit in mẽtẽ, si Pompeius cum exercitu firmo ueniat,quod est εὔλογον,certe fore bellũ. Hæc me species cogitatioq́ perturbat,neq; enim iã,quod tibi tum licuit,nobis nunc licebit: nam aperte lætati sumus. Deinde habent in ore,nos ingratos.nullo modo licebit, quod tum & tibi licuit & multis. φαινοπροσωπητέον ergo & ἰτέον in castra? Millies mori melius,huic presertim ætati. Itaq; me Id.Mart.non tam consolãtur, q̃ antea:magnũ enim mendũ cõtinent,etsi illi iuuenes ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπωθοῦνται ψόγον. Sed si tu melius quippiã speras,q; & plura audis,& interes consilijs,scribas ad me uelim:simulq́; cogites,quid agendum nobis sit super legatione uotiua,equidem in his locis moneor à multis,ne in Senatu Kal. Dicuntur enim occulte milites ad eam diem comparati,& quidem in istos qui mihi uidentur ubiuis tutius,quàm in Senatu fore. Vale.

M.T. CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM. LIBER XV.

CICERO ATTICO SAL.



OFactum male de Alexione. Incredibile est,quanta me molestia affecerit,nec mehercule ex ea parte maxime, q; plerique mecũ. Ad quem igitur te medicũ conferes? Quid mihi iam medico,aut si opus est,tanta inopia ẽ? Amorem erga me,humanitatem suauitatemq́ desidero. Etiã illud,quid est,quod non pertimescendũ sit? cũ hominem temperantẽ,summum medicũ,tantus improuiso morbus oppresserit? Sed ad hæc omnia una cõsolatio est,q; ea condicione nati sumus,ut nihil quod homini accidere possit, recusare debeamus. De Antonio iam antea tibi scripsi,non esse eũ à me cõuentum, uenit enim Misenũ,cum ego essem in Pompeiano:inde ante profectus est,q̃ ego eum uenisse cognoui,sed casu cũ legerẽ tuas literas,Hirtius erat apud me in Puteolano:ei legi,& egi primũ,quod attinet. Nihil mihi cõcedebat. Deinde ad summũ,arbitrum me statuebat non modo huius rei,sed totius Cõsulatus sui. Cũ Antonio aũt sic agemus,ut perspiciat,si in eo negotio nobis satisfecerit,totũ me futurũ suum. Dolabellam spero domi eẽ. Redeamus ad nostros, de quibus tu bonam spem te significas habere,propter edictorũ humanitatẽ. Ego aũt perspexi,cum à me XVII Kal.de Puteolano Neapolim Pansæ cõueniendi causa proficisceretur Hirtius,oẽm eius sensum. Seduxi enim, & ad pacem sum cohortatus,non poterat scilicet negare,se uelle pacem:sed nõ minus se

nus se nostrorum arma timere, q̃ Antonij: & tamen utrosq; non sine cã præsidium habere: se autem utraq; arma metuere. Quid quæris? οὐδὲν ὑγιές. De Q. F. tibi assentior. patri quidem certe gratissimæ, & bellæ tuæ literæ fuerũt. Ceteliæ uero facile satisfeci, nec ualde laborare mihi uisa ẽ: & si illa, ego certe nõ laborarem. Istam uero, quam tibi molestam scribis esse, auditã à te esse omnino demiror. Nã q eam collaudaui apud amicos, audientibus tribus filijs eius & filia tua τοϛτοτοτ. Quid est hoc? quid ẽ aũt, cur ego p̃sonatus ambulẽ? Parum'ne fœda persona est ipsius senectutis? Quod Brutus rogat, ut ante Kal. ad me quoq; scripsit, & fortasse faciã: sed planè quid uelit, nescio. Quid enim illi afferre consilij possum, cum ipse egeam consilio? & cum ille suæ immortalitati melius, q̃ nostro otio consuluerit? De Regina rumor extinguet. De Flãma obsecro te, si quid potes. Here dederam ad te literas exiẽs è Puteolano, diuerterãq; in Cumanũ. Ibi penè ualentem uiderã Piliam, quin etiã paulo clàm ijs eam uidi, uenerat enim in funus, cui funeri ego quoq; operã dedi. Cn. Lucullus familiaris noster matrem efferebat. Mansi igitur eo die in Sinuessano, atq; inde mane postridie Arpinũ proficiscens hanc epistolã exaraui. Erat aũt nihil noui, quod aut scriberẽ, aut ex te quærerem: nisi forte hoc ad rem putas pertinere. Brutus noster misit ad me orationem suã habitã in concione Capitolina: petiuitq; à me, ut eã ne ambitiose corrigerem, antè q̃ ederet. Est aũt oratio scripta elegantissime sententijs, uerbis, ut nihil possit ultra cogitari. tamẽ, si illam cãm habuissem, scripsissem ardẽtius ὑποθέσεως. Vides quæ sit persona dicentis, itaq; eam corrigere non potui. Quo enim in genere Brutus noster esse uult, & quod iudicium habet de optimo genere dicendi, ita cõsecutus in ea oratiõe est, ut elegãtius eẽ nihil possit: sed ego solus alius sum, siue hoc rectè, siue nõ rectè: tu tñ uelim orationẽ legas, nisi forte iã legisti, certioremq; me facias, qd iudices ipse, q̃q̃ uereor, ne cognomine tuo lapsus hyperatticus sis in iudicando: sed si recordabere Δημοσθένους fulmina, tũ intelliges posse & ἀττικώτατα grauissime dici. sed hæc coràm. Nũc nec sine epistola, nec cum inani epistola uolui ad te Metrodorum uenire.

CICERO ATTICO SAL.



Ecimoquinto Kal. è Sinuessano proficiscens, cum dedissem ad te literas, diuertissemq; à Cumis in Vestiano, accepi à tabellario tuas literas, in quibus nimis multa de Buthroto, non enim tibi ea res maiori curæ aut est, aut erit, q̃ mihi. Sic enim decet te mea curare, tua me. Quãobrẽ id quidem sic susceptũ est mihi, ut nihil sim habiturus antiquius. L. Antoniũ concionatum esse cognoui tuis literis alijs, & sordide: sed id quale fuerit, nescio, nihil enim scripsisti: de Menedemo probe. Quintus certe ea dictitat quæ scribis. Cõsilium meũ à te probari, q ea non scribã, quæ tu à me postularis, facile patior: multoq; magis id probabis, si orationẽ eam, * de qua hodie ad te scripsi, legeris. Quę de legionibus scribis, ea uera sunt: sed non satis hoc mihi uideris tibi persuasisse, quid de Buthrotijs nostris per Senatum speres confici posse, quod puto, tantũ enim uideo, non uidemur esse uicturi. Sed si etiã nos hoc fallat, de Buthroto te nõ fallet. De Octauij concione idem sentio, quod tu: ludorũq; eius apparatus, & Matius ac Postumus mihi procuratores nõ placent. Saserna Collega dignus. sed isti omnes, quemadmodum sentis, nõ minus ocium timent, q̃ nos arma. Balbũ leuari inuidia per

nos uelim, sed ne ipse quidem id fieri posse cõfidit, itaq; alia cogitat. Q' prima disputatio Tusculana te cõfirmat, sanè gaudeo. Nec enim ullum est perfugium aut melius, aut paratius. Flamma q bene loquitur, non moleste fero. Tyndaritanorum causa, de qua laborat, quæ sit ignoro. hos tamen πυπλωιτου mouere ista uidentur, in primis erogatio pecuniæ. De Alexione doleo, sed quoniam inciderat in ita grauem morbum, bene actũ cum illo arbitror, quos tamen secundos hæredes, scire uellem, & diem testamenti.

CICERO ATTICO SAL.



Ndecimo Kal. accepi duas epistolas tuas, quibus duabus meis respondisti. una erat XV kal. altera XII data. Ad supiorem igitur prius. Accurres in Tusculanum, ut scribis, quo me VI Kal. uenturum arbitrabar. Quòd scribis parendum uictoribus, nõ mihi quidem, cui sunt multa potiora. Nam illa, quæ recordaris Lentulo, & Marcello Coss. acta in æde Apollinis, nec causa eadem est, nec simile tempus, presertim cum Marcellum scribas, aliosq; discedere. Erit igitur nobis coràm odoràdũ & cõstituendum, tuto ne Romæ esse possimus. Noui conuentus habitatores, sanè mouent: in magnis enim uersamur angustijs. Sed sint ista parui, quin & maiora contemnimus. Caluæ testamentum cognoui hominis turpis, ac sordidi. Tabula Demonici q tibi curæ est, gratum de malo. Scripsi iampridem ad Dolabellam accuratissime: modo redditæ literæ sunt. Eius causa & cupio, & debeo. Venio ad propiorem. Cognoui de Alexione, quæ desiderabã. Hirtius est tuus. Antonio q̃ est, uolo peius esse. De Q. F. quod scribis, ac de Q. patre coràm agemus. Brutũ omni re, qua possum, cupio iuuare, cuius de oratiuncula idem te quod me sentire uideo: sed parũ intelligo quid me uelis scribere, quasi à Bruto habita oratione, cum ille ediderit, qui tandem cõuenit? an sicut in tyrannum iure optimo cæsum multa dicentur, multa scribentur à nobis? sed alio modo, & tempore. De Sella Cæsaris, bene Tribuni. Præclaros etiam XIIII ordines. Brutum apud me fuisse gaudeo, modo & libenter fuerit et sat diu. X Kal. VIII. ferè à Q. Fusio, uenit tabellarius, nescio quid ab eo literularum, ut me sibi restituerem, sanè insulse, ut solet, nisi forte quem nõ a mes, omnia uidẽtur insulse fieri. Scripsi ita, ut te probaturum existimẽ. Mihi duas à te epistolas reddidit. unam XI, alteram X. ad recentiorem prius & leniorem. Laudo, si uero etiã Calfulenus, ἄνω ποταμῶν. Antonij consilia narras turbulẽta, atq; utinam potius per populum agat, q̃ per Senatum, cui quidem ita credo, sed mihi totũ eius cõsilium ad bellum spectare uidetur. Siquidẽ D. Bruto prouincia eripitur quoquo modo: ego de illius neruis existimo, nõ uidetur fieri posse sine bello: sed nõ cupio, q̃m cauetur Buthrotijs. Rides ast cõdoleo nõ mea potius assiduitate, diligentia, gratia perfici. Quod scribis te nescire, quid nostris faciundum sit, iampridem me illa ἀπορία solicitat, itaq; stulta iam Iduum Martiarum est consolatio, animis enim usi sumus uirilibus, cõsilijs (mihi crede) puerilibus, excisa enim est arbor, nõ euulsã, itaq; q̃ fruticetur uides. Redeamus igitur, quoniã sæpe usurpas, ad Tusculanas disputationes. Saufeium pete, celemus, ego nunq̃ indicabo. Quod te à Bruto scribis, ut certior fieret, quo die in Tusculanum essem futurus, ut ad te ante scripsi, VI. Kal. & quidem ibi te q̃ primum peruidere uelim. Puto enim nobis Lanuuium eundum: equidem nõ sine multo sermone, sed μαλίου. Redeo ad superiorem,

ex qua

ex qua prætereo illa prima de Buthrotijs,quæ mihi sunt inclusa medullis,sit modo(ut scribis)locus agendi.De oratione Bruti prorsus contendis committere,tam multis uerbis agis.Ego ne?ut eam cãm,quã is scripsit,ego scribam nõ rogatus ab eo?nulla παρεγχείρησις fieri põt contumeliosior.At inquis ἡρακλείδειον aliquod.Non recuso id quidẽ,sed & cõponendum argumentũ est, & scribendi expectandum tempus maturius,licet enim de me,ut libet,existimes:uelim quidẽ quãoptime:si hæc ita manent,ut uidẽtur(feres quod dicã) me Idus Martiæ non delectant.Ille enim nunq̃ reuertisset,nos timor confirmare eius acta nõ coegisset:aut ut in Saufeiam,reliquasq́ Tusculanas disputationes,ad quas tu ẽt Vestoriũ hortaris.Ita gratiosi eramus apud illũ(quẽ Dij mortuum perduint)ut nostræ ætati(quoniam interfecto domino liberi non sumus)nõ fuerit dominus ille fugiendus.Rubeo(mihi crede)sed iã scripseram,delere nolui.De Menedemo uellem uerum fuisset.De Regina uelim uerũ sit,cetera coràm,& maxime quid nostris faciendum sit,quid ẽt nobis,si Antonius militibus obsessurus est Senatũ.Hãc epistolam si illius tabellario dedissem,ueritus sum ne solueret:itaq; misi dedita opera.erat enim rescribendum tuis.Quàm uellẽ Bruto studium tuũ nauare potuisse.Ego igitur ad eũ literas.Ad Dolabellam Tironẽ misi cum mandatis,& literis.Eum ad te uocabis,& si quid habebis,quod placeat,scribes.Ecce aũt de transuerso L. Cæsar,ut ueniam ad se,rogat,in nemus,aut scribã quo se uenire uelim.Bruto.n. placere,se à me conueniri,ò rem odiosam,& inexplicabilẽ.Puto me ergo iturum,& inde Romã,nisi quid mutaro.Sũmatim adhuc ad te,nihildum enim à Balbo.Tuas igitur expecto,nec actorum solum,sed etiam futurorum.

CICERO ATTICO SAL.



A Bruto tabellarius redijt,attulit & ab eo,& Cassio:consilium meũ magnopere exquirunt.Brutus quidẽ utrum de duobus.O rẽ miseram,planè non habeo quid scribã.Itaq; silẽtio puto me usurum, nisi quid aliud tibi uidetur:sin tibi quid uenit in mẽtẽ,scribe q̃so. Cassius uero uehementer orat,ac petit,ut Hirtium quãoptimũ faciam sanum putas ὁ θυμοσοφός,ἀνδρεῖος.Epistolam tibi misi,ut tu de Prouincia Bruti,& Cassij per S.C.ita scribit & Balbus,& Hirtius quidem se acturũ,etenim iã in Tusculano est:mihiq́,ut absim,uehementer auctor est:ille quidem periculi cã, quod sibi ẽt fuisse dicit.Ego aũt etiam ut nullum periculum sit.Tantũ abest, ut Antonij suspitionẽ fugere non curem,ne uidear eius secundis rebus nõ delectari,ut mihi cã esset,cur Romã uenire nolim,ne illum uideam.Varro autẽ noster ad me epistolã misit,sibi à nescio quo missam(nomẽ enim delerat)in qua scriptum erat,Veteranos eos,qui rejciantur(nam partẽ esse dimissam) improbissime loqui,ut magno periculo Romæ sint futuri,qui ab eorũ partibus dissentire uideãtur.Quis porrò noster itus,reditus,uultus,incessus inter istos?Quòd si,ut scribit L. Antonius,in D.Brutum,reliqui in nostros,ego quid faciam,aut quo me pacto geram?Mihi uero deliberatum est,ut nunc quidem est,abesse ex ea urbe,in qua non modo florui cum summa,uerũetiam seruiui cum aliqua dignitate.Nec tam statui ex Italia exire(de quo tecum deliberabo)q̃ istuc nõ uenire.Cũ ad me Brutus noster scripsisset,& Cassius,ut Hirtium,quem adhuc bonum fuisse sciebant,neq; eum cõfidebant fore,mea

auctoritate meliorem facerem (Antonio est enim fortasse iratior, causæ uero amicissimus) tamē ad eum scripsi, eiq; dignitatem Bruti, & Cassij cōmendaui. Ille quid mihi rescripsisset, scire te uolui, si forte idē tu, qđ ego existimares, istos etiam nunc uereri, ne forte ipsi nostri plus animi habeant, q̄ habent.

HIRTIUS CICERONI SVO SALVTEM.

» RVre iam redierim, quæris, an ego cum omnes caleāt, ignauiter ali-
» quid faciam? Etiam ex urbe sum profectus, utilius.n. statui abesse.
» Has tibi literas exiens in Tusculanum scripsi. Noli aūt me tā stre-
» nuum putare, ut ad Nonas recurram, nihil enim iā uideo opus esse
» nostra cura, quoniā præsidia sunt in tot ānos prouisa. Brutus, & Cassius uti-
» nam quā facile à te de me impetrare possunt, ita per te exorentur, ne quod cal-
» lidius ineant cōsilium, cedentis enim hæc ais scripsisse. quo? aut quare? retine
» obsecro te, Cicero illos. Noli sinere hæc omnia perire, quæ funditus mediusfi-
» dius rapinis, incendijs, cædibus peruertuntur. Tantū, si quid timent, caueāt:
» nihil prætera moliantur. Nō mediusfidius acerrimis cōsilijs, plus q̄ etiā iner-
» tissimis, dū modo diligentibus, cōsequentur, hæc enim, quæ fluunt, per se diu-
turna nō sunt. in cōtentione præsentes ad nocendum habent uiris. Quid speres de illis, in Tusculanum ad me scribe. Habes Hirtij epistolā, cui rescripsi, nil illos callidius cogitare, idq; cōfirmaui. hoc qualecunq; esset, te scire uolui. Obsignata iam, Balbus ad me, Seruiliam redijsse, cōfirmare non discessuros. Nunc expecto à te literas. Gratum, q mihi epistolas, quę quidem me delectarunt. In primis Sex. nostri, dices, quia te laudat, puto mehercule id quoq; esse causæ, sed tamen etiam ante q̄ ad eum locum ueni, ualde mihi placebat cū sensus eius de Rep. tum scribendi. Seruius uero pacificato cū liberiolo suo uidentur obijsse legationem, & omneis captiūculas pertimescere. Debuerat autem nō ex iure manu cōsertum. sed quæ sequuntur, tu quoq; scribes. Post tuū discessum binas à Balbo, nihil noui. Itemq; ab Hirtio, qui se scribit uehementer offensum esse ueteranis. Expectat animus quidnam agam de Kal. Mart. Misi igitur Tironem, & cū Tirone pluris, quibus singulis, ut quidq; accidisset, dares literas, atq; etiā scripsi ad Antoniū de legatione: ne si ad Dolabellā solum scripsissem, iracūdus homo cōmoueretur. q autem aditus ad eum difficilior esse dicitur, scripsi ad Eutrapelū, ut is ei meas literas redderet. Legatione mihi opus esse. honestior est uotiua, sed licet uti utraq;. De te quæso etiā atq; etiam uide. Velim possis coràm: si minus possis, literis idē cōsequemur. Graceius ad me scripsit, C. Cassium sibi scripsisse, homines comparari, qui armati in Tusculanum mitterentur. Id quidem mihi nō uidebatur, sed cauendum tamen, ut illæ, quæ plures uidendæ. sed aliquid crastinus dies ad cogitandū nobis daret. IIII Non. uesperi à Balbo redditæ mihi literæ. fore Non. Senatū, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentū emendum, & ad urbem mittendum curarent. O rem miseram. primum ullam ab istis, dein, si aliquam, hāc legatariam Prouinciam, atq; haud scio, an melius sit, q̄ ad Eurotam sedere. sed hæc casus gubernabit. Ait aūt eodem tempore decretum iri, ut & ijs, & reliquis Prætorijs Prouinciæ decernantur. hoc certe melius q̄ illa Persice porticus. Nolo enim Lacedæmonem, longinquum Laniuium existimauit. Rides, inquies, in talibus rebus? Quid faciam? plorādo fessus sum. Dij immortales. q me conturbatum tenuit epistolæ tuæ prior pagina: quid autē iste in domo tua casus

tua casus

tua casus armorum? Sed hunc quidem nimbum cito trãsijsse lætor. Tu quid egeris tua cum tristi, tum etiam difficili ad consiliandum legatione uehementer expecto. Est enim inexplicabilis, ita circunsedemur copijs omnibus. Me quidem Bruti literæ, quas ostendis à te lectas, ita perturbarunt, ut quãquam ante egebam consilio, tamen animi dolore sim tardior. Sed plura cum ista cognoro. Hoc autem tempore quod scriberem, nihil erat: eoq́ minus, quòd dubitabam, tu has ipsas literas esses'ne accepturus. Erat enim incertũ, uisurus'ne te esset tabellarius. Ego tuas literas uehementer expecto. O Bruti amanter scriptas literas. O iniquum tuum tempus, qui ad eum ire non possis. Ego aũt quid scribam? ut beneficio istorum utantur? quid turpius? Vt moliantur aliquid? nec audient, nec iam possum. Age quiescant auctoribus nobis? quis incolumitatem præstat? Si uero aliquid de D. Græcisq́ nostris, uita etiã si nemo molestus sit. Ludos uero non facere quid fœdius? Frumentum imponere, quæ est alia Dionis legatio, aut quod munus in rep. sordidius? Prorsus quidem consilia tali in re ne ijs quidem tuta sunt, qui dant: sed possim id negligere proficiens. Frustra uero, qui ingrediar matris consilium, cum utatur etiam precibus, quid me interponam? Sed tamen cogitabo quo genere utar literarum, nam silere non possum. Statim igitur mittam, uel Antium, uel Circęos.

CICERO ATTICO SAL.



Ntium ueni ante VI Kal. Bruto iucundus noster aduentus: deinde multis audiẽtibus, Seruilia, Tertulla, Porcia quærere, quid placeret. Aderat etiã Fauonius. Ego quod erã meditatus in uia, suadere, ut uteretur Asiatica curatione frumenti: nihil eẽ iam reliqui quod ageremus, nisi ut saluus esse. in eo etiam ipsi reip. esse præsidium. Quã orationem cum ingressus essem, Cassius interuenit. Ego eadem illa repetiui. Hoc loco fortibus sanè oculis Cassius, Martẽ spirare diceres, se in Siciliã non iturum. Ego'ne ut beneficium accepissem cõtumeliã? quid ergo agis, inquã? At ille, in Achaiam se iturum. Quid tu, inquam, Brute? Romam, inquit. si tibi uidetur. Mihi uero minime. Tuto enim non eris. Quid si possem esse? placeret'ne? Atque ut omnino neq́ nunc, neq́ ex Prætura in Prouinciam ires. Sed auctor non sum, ut te urbi committas. Dicebam ea quæ tibi profecto in mentem ueniunt, cur non esset tuto futurus. Multo inde sermone quærebantur. Atque id quidem Cassius maxime, amissas occasiones, Decimumq́ grauiter accusabat. Ea negabam oportere præterita, assentiebar tamen: quanquam ingressus essem dicere, quid oportuisset. Nec uero quidquam noui, sed ea quæ cotidie omnes, nec tamen illum locum attingere quenquam, præterea oportuisse tangi: sed Senatum uocari, populum ardentem studio uehementius incitari, totam suscipere remp. exclamat tua familiaris. Hoc uero neminem unquam audiui. Ego repressi, sed & Cassius mihi uidebatur iturus. Etenim Seruilia pollicebatur se curaturum, ut illa frumenti curatio de S.C. tolleretur, & noster cito deiectus est de illo inani sermone, uelle enim se dixerat. Constituit igitur, ut ludi absente se fierent suo nomine: proficisci autem mihi in Asiam uidebatur ab Antio uelle. Ne multa. nihil me in illo itinere præter conscientiam delectauit: non enim fuit cõmittendum, ut

ille ex Italia prius q̃ à me conuentus esset, discederet. hoc dēpto munere amoris, atq; officij, sequebatur, ut mecū ipse. ἡ δ᾽ ἄμ᾽ ἔπειτα... prorsus dissolutū offendi nauigium, uel potius dissipatum. nihil cōsilio, nihil rōne, nihil ordine. Itaq;, etsi ne antea quidem dubitaui, tamen nunc eo minus euolare hinc, idq; q̃primū, ubi nec Pelopidarū facta, neq; famam audiam. sed heus tu, ne forte sis nescius, Dolabella me sibi legauit ad IIII Non. April. Id mihi heri uesperi nūciatum est. Votiua ne tibi quidem placebat: etenim erat absurdum, quæ, si stetisset resp. uouissem, ea me euersa illa uota dissoluere, & habent, opinor, liberæ legationes definitum tempus lege Iulia, nec facile addi potest: idq; adeo genus legationis, ut cū uelis introire, exire liceat, quod nunc mihi additū est. Bella est aūt huius iuris quinquēnij licentia: q̃q̃ quid de quinquēnio cogitem? cōtrahi mihi negociū uidetur, sed βλάσφημα mittamus. Bene mehercule de Buthroto, at ego Tironem ad Dolabellam cum literis, quia iusseras miserā. Quid nocet? de nostris aūt Antiatibus satis uidebar planè scripsisse, ut nō dubitares, essent quin otiosi futuri, usuriq; beneficio Antonij cōtumelioso. Cassius frumentariam rem aspernabatur: eā Seruilia sublaturam ex S.C. se esse dicebat. Noster uero καὶ μάλα σεμνὸς in Asiā, postea q̃ mihi est assensus, tuto se Romę esse nō posse. Ludos enim absens facere malebat, statim aūt se iturum simulac ludorū apparatum ijs, qui curaturi eēnt, tradidisset. Nauigia colligebat, erat animus in cursu. interea in eisdem locis erant futuri. Brutus quidem se aiebat Asturæ. L. quidem Antonius liberaliter literis sine cura me esse iubet. Habeo unum beneficium, alterū fortasse, in Tusculanum uenerit. O negocia nō ferenda, quæ feruntur tamē, τῶν δ᾽ αἰτίαν τῶν βρούτων τις ἔχει. Octauiano, ut perspexi, satis ingenij, satis animi: uidebaturq; erga nostros ἥρωας ita fore, ut nos uellemus, animatus. Sed quid ætati credēdū sit, quid nōi, qd hæreditati, quid κατηχήσει, magni cōsilij est. Vitricus quidē nihil censebat, quem Asturæ uidimus: sed tñ alendus est, & ut nihil aliud, ab Antonio seiungēdus. Marcellus p̄clare, si p̄cipit nostro, nostri cui quidē ille deditus mihi uidebatur. Pansæ aūt, & Hirtio nō nimis credebat: bona indoles, ἐὰν διαμένῃ. *

CICERO ATTICO SAL.

OCtauo Kal. duas à te accepi epistolas: respōdebo igitur priori prius. Assentior tibi, ut nec duces simus, nec agmen cogamus, faueamus tamen. Orationē tibi misi: eius custodiendæ, & proferendæ arbitriū tuū. Sed qñ illum diem, cū tu edendam putes? Inducias, quas scribis, nō intelligo fieri posse. melior est ἀναντιφωνησία, qua me usurū arbitror. Q. scribis legiones II. Brundisium uenisse, uos omnia prius. Scribes igitur quidquid audieris. Varronis διάλογον expecto. Improbo ἡρακλείδειον, presertim cū tu tātopere delectere. sed quale uelis, uelim scire. Q. ad te antea atq; adeo prius scripsi, (sic enim mauis ad scribendum tibi uere dicere) fecisti me acriorem. Ad tuū iudiciū, quod mihi erat notū, addidisti Peducei auctoritatem. magnam quidē apud me, & in primis grauē. Enitar igitur, ne desideres aut industriam meam, aut diligentiam. Vectenū, ut scribis, & Faberiū foueo. Clodium nihil arbitror malitiose, quāquam. Sed quod egerit de libertate retinenda, (qua certe nihil est dulcius) tibi assentior. Ita'ne? Gallo animo hominem nequā? quid enim dicam aliud? cautū Marcellū, me sic, sed nō tamen cautissimum.

cautissimum. Longiori epistolæ superiorique respondi, nūc breuiori, propiorique quid respondeam, nisi eam fuisse dulcissimam? Res Hispanienses ualde bonę, modo Balbilium incolumem uideam subsidium nostræ senectutis. De Anniano item, quòd me ualde obseruat Visellia, sed hæc quidem humana. De Bruto te nihil scire dicis, sed Selicia uenisse M. Scaptium, eumque nō qua pompa, ad se tamen clàm uenturum, sciturumque me omnia, quæ ego statim: interea narrat eadem: Bassi seruum uenisse, qui nunciaret legiones Alexandrinas in armis esse. Bassum arcessi. Cassium expectari. quid quæris? Videtur respu.ius suum recuperatura, sed ne quid ante: nosti horū exercitationem in latrocinio & amentiam. Dolabella uir optimus, etsi cum scribebam secunda mensa apposita, uenisse eum ad Baias audiebam, tamen ad me ex Formiano scripsit, quas literas cum è balineo exijssem, accepi, sese de attributione omnia summa fecisse. Vectenum accusat. tricatur scilicet, ut homo talis: sed ait totum negotium Sestium nostrum suscepisse, optimum quidem illum uirū, nostrique amantissimum. Quæro autem quid tandem Sestius in hac re facere possit, quod non quis nostrum? sed si quid præter spem erit, facies ut sciam: sin est (ut arbitror) negotium perditum, scribes tamen, neque ista res commouebit. Nos hic φιλοσοφοῦμεν. Quid enim aliud? & τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice explicamus, προσφωνοῦμένque Ciceroni. Qua de re enim potius pater filio? deinde alia. quid quæris? Extabit opera peregrinationis huius. Varronē hodie, aut cras uenturum putabant. Ego autem in Pompeianum ꝑperabam: nō quo hoc loco quidquam pulchrius, sed interpellatores illic minus molesti. Sed perscribe quæso, quæ causa sit Myrtilo. Pœnas quidem illum pependisse audiui, & satis'ne patet unde corruptus? Hæc cum scriberem, tantū, quòd existimabam ad te orationem esse perlatā. Hui quàm timeo, quid existimes, etsi quid ad me? quæ non sit foras proditura? nisi rep. recuperata. de quo quid sperem, non audeo scribere. VI Kal. accepi à Dolabella literas, quarum exemplum tibi misi: in quibus erat omnia se fecisse, quæ tu uelles: statim ei rescripsi, & multis uerbis gratias egi. sed tamen ne miraretur, cur idem iterum facerem, hoc causæ sumpsi, quod ex teipso coràm antea nihil potuissem cognoscere. Sed quid multa? literas hoc exemplo dedi.

CICERO DOLABELLAE COS. SVO.



Ntea cum per literas Attici nostri de tua summa liberalitate, summoque erga se beneficio certior factus essem: cumque tu ipse etiam ad me scripsisses, te fecisse ea, quæ nos uoluissemus, egi tibi gratias ꝑ literas his uerbis, ut intelligeres nihil te mihi gratius facere potuisse. Postea uero quàm ipse Atticus ad me uenit in Tusculanum huius unius rei causa, tibi ut apud me gratias ageret: cuius tuam eximiam quādam & admirabilem in causa Buthrotia uoluntatem, & singularem erga se amorem perspexisset: teneri non potui, quin tibi apertius illud idem ijs literis declararem. Ex omnibus enim mi Dolabella studijs in me & officijs, quæ summa sunt, hoc scito mihi & amplissimum uideri, & gratissimum esse, quòd perfeceris, ut Atticus intelligeret, quantum ego te, quam tu me amares. Quod reliquum est, Buthrotiam & causam & ciuitatem, quanquam à te constituta est (beneficia aūt nostra tueri solemus) tamē uelim receptam in fidem tuam, à

meq́ȝ ẽt tibi cõmendatam, auctoritate & auxilio tuo tectã uelis esse. Satis erit in perpetuũ Buthrotijs præsidij: magnaq́ȝ cura & solicitudine Atticũ & me liberaris, si hoc honoris mei cã susceperis, ut eos semper à te defensos uelis: qđ ut facias, te uehementer etiam atq́ȝ etiam rogo.

His literis scriptis me ad σωτῆρας dedi, quæ quidem uereor, ne miniata cerula tua pluribus locis notādę sint, ita sum μετέωρος, & magnis cogitationibus impeditus. L. Antonio male sit. Siquidẽ Buthrotijs molestus est. Ego testimoniũ cõposui, quod cũ uoles obsignabis. Tu nũmos Arpinatũ, si L. Fadius Aedilis petet, uel oĩs reddito. Ego ad te alia epistola scripsi de HS CX quæ Statio curarent. si ergo petet Fadius ei, uolo reddi, p̃ter Fadiũ nemini. Apud me itẽ puto depositũ. Id scripsi ad Erotẽ, ut redderet. Reginã odit, me iurefacere scit. sp̃õsor promissorꝝ eius, Ammonius: quę quidẽ promissorꝝ eius erãt φιλόλογα, & dignitatis meę, ut uel in concione dicere auderẽ. Sarã aũt prætercq̃ ꝙ nefariũ hominẽ cognoui, p̃terea in me cõtumacẽ (semel eũ omnino domi meæ uidi) cũ φιλοφρόνως ex eo quærerẽ quid opus esset. Atticum se dixit quærere. Superbiã aũt ipsius Reginæ, cũ esset trans Tiberim in hortis, cõmemorare sine magno dolore nõ possum. nihil igitur cũ istis, nec tam animũ me, q̃ stomachũ nõ habere arbitrãtur. Profectionẽ meã, ut uideo, Erotis dispẽsatio impedit: nã cum ex reliquis quæ Non. April. fecit, abũdare debeã, cogor mutuari: quodq́ȝ ex istis fructuosis rebus receptũ ẽ, id ego ad illud Fanũ sepositũ putabã: sed hęc Tironi mãdaui, quem ob eã cãm Romã misi. te nolui impeditũ impedire. Cicero noster quo modestior est, eo me magis cõmouet. Ad me. n. de hac re nihil scripsit, ad quẽ nimirũ potissimũ debuit: scripsit hoc aũt ad Tironẽ: sibi post kal. April. (sic enim annuũ tẽpus cõfici) nihil datũ eẽ: tibi pro tua natura semper placuisse, teq́ȝ existimasse id ẽt ad dignitatem meã pertinere, eũ nõ modo liberaliter à nobis, sed etiã ornate cumulateq́ȝ tractari. Quare uelim cures (nec tibi essem molestus, si p aliũ hoc agere possem) ut p mutetẽ Athenas, qđ sit in ãnuũ sumptũ: ei scilicet Eros numerabit. Eius rei cã Tironem misi. Curabis igitur: & ad me, si quid tibi de eo uidebitur, scribes.

CICERO ATTICO SAL.



Andem à Cicerone tabellarius, & mehercule literæ πεπινωμένως scriptę, quod id ipsum προκοπὴν aliq̃ significaret. Itemq́ȝ ceteri præclara scribunt. Leonides tñ retinet suũ illud ADHVC, summis uero laudibus Herodes. quid quęris? Vel uerba mihi dari facile patior in hoc, meq́ȝ libenter præbeo credulũ. Tu uelim, si quid tibi est à tuis scriptũ, quod pertineat ad me, certiorem me facias. Narro tibi: hęc loca uenusta sunt. abdita certe & si quid scribere uelis, ab arbitris libera: sed nescio quõ οἶκος φίλος. Itaq́ȝ me referũt pedes in Tusculanũ, & tamen hæc ῥωπογραφία ripulæ uidetur habitura celerem satietatem. Equidẽ etiã pluuias metuo, si prognostica nostra uera sũt. Ranæ enim ῥητορεύουσιν. Tu quęso fac sciã, ubi Brutũ nostrũ, & quo die uidere possim. Duas accepi postridie Id. alterã eo die datã, alteram Idibus. Prius igitur superiori, de Bruto cũ scies: de Cõsulum ficto timore cognouerã: Sica enim φιλόστοργως ille qdem, sed tumultuosius ad me ẽt illã suspitionem pertulit. Quid tu aũt, τὰ μὲν διδόμενα. nullum enim uerbum à Siregio, non placet. De Pletorio uicino tuo permoleste tuli, quenquam prius audisse q̃ me.

q̄ me. De Syro prudenter L. Antoniũ per M. fratrem, ut arbitror, facillime deterrebis auctoritate uel ui: sed nondum acceperas literas, nec cuiquam, nisi L. Fadio Aedili: aliter enim nec caute, nec iure fieri potest. Quòd scribis tibi deesse HS C, quæ Ciceroni curata sint: uelim ab Erote quæras, ubi sit merces insularum. Arabioni de Sitio nihil irascor. Ego de itinere nisi explicato A. nihil cogito, quod idem tibi uideri puto. Habes ad superiorem: nunc audi ad alteram. Tu uero facis ut omnia, q̄d Seruiliæ non dees, id est Bruto. De Regina gaudeo te non laborare, certe etiam tibi probari. Erotis rationes & ex Tirone cognoui, & uocaui ipsum. Gratissimum q̄ polliceris Ciceroni nihil defuturum, de quo mirabilia Messala, qui Lanuuio rediens ab illis uenit ad me. & mehercule ipsius literæ sic & φιλοστόργως & πινῶς scriptæ, ut eas uel in acroasi audeam legere. quo magis illi indulgendum puto. De Buciliano Sestium puto non moleste ferre. Ego, si Tiro ad me, cogito in Tusculanũ: tu uero quidquid erit, quod me scire par sit, statim XVII kal. Et si satis uidebar scripsisse ad te, quid mihi opus sit, & quid te facere uellem, si tibi cõmodum esset: tamen cum profectus essem, & in lacu nauigarem, Tironem statui ad te esse mittendũ, ut his negotijs, quæ agerentur, interesset: atq; etiam scripsi ad Dolabellam, me si ei uideretur, uelle ꝓficisci, petijq; ab eo de mulis uecturæ itineris & in eis. Cũ intelligo te distentissimum esse, qua de Buthrotijs, qua de Bruto: cuius etiã ludorum suorũ curã, etiã administrationẽ, suspicor ex magna parte ad te pertinere. ut ergo in eiusmodi re, tribues nobis paulum operę: nec enim multum opus est. Mihi res ad cædẽ, & eam quidem propinquam spectare uidetur. Vides homines, uides arma: prorsus nõ mihi uideor eẽ tutus: sin tu aliter sentis, uelim ad me scribas. domi enim manere, si recte possum, multo malo. Quidnam est quod audẽdum amplius de Buthrotijs? Stetisse enim te frustra scribis. quid autẽ se refert Brutus? Doleo mehercules te tam esse detẽtum, q̄ decẽ hominibus referẽdum est, acceptum. Est illud quidem ἐργῶδες sed ἀνικτὸν, mihiq; gratissimum. De armis, nihil uidi apertius: Fugiamus igitur, & ut ais, coràm. Theophanes quid uelit, nescio: scripserat enim ad me: cui rescripsi, ut potui: mihi autem scribit, uenire ad me se uelle, ut ei de suis rebus, & quædam quæ ad me pertinerẽt. Tuas literas expecto. Vide quæso ne quid temere fiat. Statius scripsit ad me locutum secum esse Q. Ciceronem ualde asseueranter, se hæc ferre non posse: certum sibi esse ad Brutum & Cassium transire. Hoc enimuero nunc discere aueo: hoc ego quid sit, interpretari nõ possum. Potest aliquid iratus Antonio, potest gloriam nouam quærere, potest totum eẽ χείδιασμα: Et nimirum ita est: sed tamẽ & ego uereor, & pater conturbatus est. Scit enim quæ ille de hoc mecũ quidẽ, ἄφατα nolim: planè quod uelit nescio. A Dolabella mandata habebo, quæ mihi uidebuntur id est nihil. Dic mi. C. Antonius uoluit ne fieri VII Vir? fuit certe dignus. De Menedemo ẽ, ut scribis. Facies oĩa mihi nota. Egi gratias Vecteno, nihil. n. potuit humanius. Dolabellæ mãdata sint quælibet, mihi aliquid, uel q̄d Niciæ nũciẽ. quis. n. hęc ut scribis ante, ne nũc dubitare quenq̃ prudẽtẽ, quin meus discessus desperationis sit, non legationis? Quod ais, extrema quædam iam homines de rep. loq, & eos quidem uiros bonos: ego quo die audiui illum tyrannum in concione clarissimum uirũ appellari, subdiffidere cœpi. Postea uero q̄ tecum Lanuuij uidi nostros tantum spei habere ad uiuendum quantum accepissent ab Anto-

nio,desperaui.Itaq; mi Attice fortiter hoc uelim accipias, ut ego scribo: genus illud interitus, quo casurus est, fœdum duces,& quasi denunciatum nobis ab Antonio. Ex hac naxa exire constitui, non ad fugam, sed ad spem mortis melioris. Hæc omnis culpa Bruti. Pompeium Carthcia receptum scribis. Iam igitur contra hunc exercitum. Vtra ergo castra? Media enim tollit Antonius, illa infirma, hæc nefaria. Properemus igitur, sed iuua me consilio, Brūdisio, ne an Puteolis. Brutus quidem subito, sed sapienter πάσχωσι. Quādo enim illum? sed humana ferenda. tu ipse eum uidere nō potes. Di illi mortuo, qui unquam Buthrotum. Sed acta missa. Videamus quæ agenda sint. Rationes Erotis (etsi ipsum nondum uidi, tamē & ex literis eius, & ex eo quod Tiro cognouit) propemodum cognitas habeo. Versuram scribis esse faciēdam mensium quinq;, id est ad Kal. Nou. HS C C in eādiē cadere nummos, qui Quinto debētur. Velim igitur, quoniam Tiro negat tibi placere me eius rei causa Romā uenire, (si te ea res nihil offendet) uideas. uideas enim unde nūmi sint, mihi feras expensum: hoc uideo in præsentia opus esse. Reliqua diligentius ex hoc ipso exquiram: in his de mercedibus dotalium prædiorū. quæ si fideliter Ciceroni curabuntur (quanquam uolo laxius), tamen ei propemodum nihil deerit. Equidem uideo mihi quoq; opus eē uiaticum: sed id ex prædijs, ut cadet, ita soluetur. Mihi autem opus est uniuerso quidem: etsi mihi uidetur iste, qui umbras timet, ad cædem spectare, tamen nisi explicata solutione, non sum discessurus. Sit ne autem excitata, nec ne, tecum cognoscam. Hanc putaui mea manu scribendam, itaq; feci. De Fadio, ut scribis. Vtiq; alij nemini rescribas uelim hodie. Narro tibi, Q. pater exultat lætitia: scripsit. n. filius se idcirco profugere ad Brutum uoluisse, q cum sibi negociū daret Antonius, ut eū Dictatorē efficeret, præsidiū occuparet, id recusasset. Recusasse aūt se, ne patris animū offenderet, ex eo sibi illū hostem. Tum me, inquit, collegi, uerens ne quid mihi ille iratus, tibi noceret, patri scilicet. itaq; eum placaui. & qdem C C C C certa, reliqua in spe. Scribit autem Statius illum cum patre habitare uelle: hoc uero mirum, & id gaudet: quem tu illo certiorem nebulonem? ἐποχὴν uestram de re Cani deliberationis probo. nihil eram suspicatus de tabulis. ἀκεραίως restitutam arbitrabar. Quę differs ut mecum coram expectabo, tabellarios quoad uoles tenebis, es enim occupatus. Quod ad Xenonem, probe quod scribo, cum absolueret. Quinto scripsisti te ad eum literas, nemo attulerat. Tiro negat iam tibi placere Brundisium, & quidē dicere aliquid de militibus. At ego iam destinaram Hydrūtem quidem. mouebant me tuæ quinq; horæ. Hic autem quantus πλοῦς, sed uidebimus. Nullas à te XI kal. quippe quid enim iam noui? Cum primū igitur poteris, uenies: ego propero ne ante Sextus, quem aduentare aiunt. Gratulor nobis Q. Filiū exijsse: molestus non erit. Pansam bene loqui credo. Semper enim coniunctum esse cum Hirtio scio: amicissimum Bruto & Cassio puto, si expediet. sed quando illos uidebit? inimicum Antonio, quando, aut cur? quousque ludemur? Ego autem scripsi Sextum aduentare, nō quo iam adesset. sed quia certe id ageret, ab armisq; nullus discederet. Certe si pergit, bellum paratum est. Hic aūt noster Citherius, nisi uictorem, neminē uicturum. Quid ad hæc Pāsa? utro erit, si bellum erit, quod uidetur fore? sed & hæc & alia coràm. Hodie quidem (ut scribis) aut cras. Mirifice torqueor, sine dolore tamen: sed permulta mihi dē

nostro

nostro itinere in utrãq; partem occurrunt: quousq;, inquies? quoad erit integrum: erit autem usq; ad nauem. Pansa si tuæ rescripserit, & meam tibi, & illius epistolam mittam. Silium expectabam, cui ὑπόμνημα compositum, si quid noui. Ego literas misi ad Brutum, cuius de itinere etiam ex te uelim, si quid scies, cognoscere. Tabellarius, quem ad Brutum miseram, ex itinere rediĳt VII. Kal. & Seruilia dixit eo die Brutum his profectum. Sanè dolui meas literas redditas non esse. Silius ad me non uenerat. causam composui. eum libellum tibi misi. Te quo die expectẽ, uelim scire. de meo itinere uariæ sentẽtiæ. Multi enim ad me, sed tu incumbe quæso in eam curam. magna res est. An ꝓbas, si ad kal. Ian. cogitamus? meus animus est æquus: sic tamẽ, ut si nihil offensionis sit: & tu etiam scire, quo die Olympia, quum mysteria scilicet, ut tu scires. Casus consilium nostri itineris iudicabit. Dubitemus igitur: enim hyberna nauigatio eo odiosa, eoq; ex te quæsieram mysteriorum diem. Brutũ (ut scribis) uisum iri à me puto. ego hinc uolo prid. kal. De Quinti negotio uideo à te omnia facta, ille tamẽ dolet dubitans utrum morẽ gerat Leptæ, an fidẽ infirmet filio inaudibili. L. Pisonem uellem exire Legatum ψευδεγγράφῳ S.C.
* uelim scire quid sit. Tabellarius ille quem tibi dixeram à me ad Brutum esse missum in Anagninum, ad me uenit ea nocte quæ proxima ante kal. fuit, literasq; ad me attulit: in quibus unum alienũ summa sua prudentia. id est illud, ut spectem ludos suos. Rescripsi scilicet primum me iam profectum: ut non integrum sit: dein, ἀτοπώτατον esse, me qui Romã omnino post hæc arma nõ accesserim, neq; id tã periculi mei causa fecerim, q̃ dignitatis, subito ad ludos uenire? Tali enim tempore ludos facere illi honestum est, cui non necesse est spectare mihi: ut nõ est necesse, sic uenire ne honestũ quidẽ est. Equidẽ illos celebrari & esse quãgratissimos mirabiliter cupio, idq; ita futurum esse confido, & tecum ago, ut iam ab ipsa cõmissione ad me, quẽadmodum accipiãtur ĳ ludi, deinde omnia, reliquorum ludorum dies singulos persequare: sed de ludis hactenus. Reliqua pars epistolæ: illa nãq; in utrãq;: sed tamẽ nõnullos interdum iacit igniculos uirilis. Quod quale tibi uideretur, ut possis interpretari, misi ad te exẽplũ epistolæ. q̃q̃ mihi tabellarius noster dixerat, tibi quoq; se attulisse literas à Bruto, easq; à Tusculano esse delatas. Ego itinera sic composueram, ut Non. Quint. Puteolis essem. ualde enim festino: ita tamẽ, ut q̃ cum homo possit, q̃ cautissime nauigem. M. Ælium cura liberabis, me paucos specus in extremo fundo, & eos quidẽ subterraneos seruitutis apud tale quid habituros: id me iamiam nolle, neq; mihi quidquã eẽ tanti, sed (ut mihi dicebas) q̃ lenissime, potius ut cura liberetur, q̃ ut me suscẽsere aliquis suspicetur. idẽ de illo Tuliano cupide libero, cum Cascelio loquare: Parua res est, sed tu bene attẽdisti, nimis callide agebatur: ego aũt si mihi imposuisset aliquid, qđ penè fecit, nisi tua malitia affuisset, animo iniquo tulissem. Itaq; ut erit, rẽ impediri malo: octauam partẽ Tulĳ luminarũ mediũ ad strane memineris. Cui
* Cerelia uideris mãcipio dare ad eam summã quæ sub præcone fuit maxima? id opinor eẽ CCCLXXX. Noui si quid erit, atq; ẽt si quid prospicies, quod futurũ putes, scribas ad me q̃ sæpissime uelim, Varroni quẽadmodũ tibi mandaui memineris excusare tarditatẽ literaꝝ meaꝝ: Mũdus istum. M. Ennius quid egerit de testamẽto (curiosus. n.) facias me uelim certiorem. Ex Arpinati VI No.

CICERO ATTICO SAL.




Audeo id te mihi suadere quod ego mea sponte pridie fecerã. Nã cum ad te VI No. darem eidem tabellario, dedi etiã ad Sestiũ scriptas πάνυ φιλοστόργως. Ille aũt ꝙ Puteolos prosequitur, humane: ꝙ queritur, iniuste. nõ enim ego tam illũ expectare cum de Cosano rediret debui, ꝙ ille aut nõ ire ante ꝙ me uidisset, aut citius reuerti. Sciebat.n. me celeriter uelle proficisci, seseꝗ ad me in Tusculanũ scripserat eẽ uẽturum. Te ut à me discesseris, lacrimasse, moleste ferebã: quod si me pñsente fecisses, cõsiliũ totius itineris fortasse mutassem. sed illud præclare, ꝙ te consolata est spes breui tpe cõgrediendi: quæ quidẽ expectatio me maxime sustẽtat. Meç tibi literæ nõ deerũt. De Bruto scribã ad te omnia. Librũ tibi celeriter mittã. De Gloria excudã aliquid ἡρακλείδειον, quod lateat in thesauris tuis. De Plãco memini, Attica iure querit. Quòd me de Bacchi, de statuarũ coronis certiorẽ fecisti, ualde gratum, nec quicꝗ post hac non modo tantũ, sed ne tantulũ qdẽ prætererieris. Et de Herode & Metio meminero, & de omnibus quę te uelle suspicor. Modo turpem sororis tuæ filium, cum hæc scriberem: Aduẽtabat aũt βουλύσει cenãtibus nobis. Ego, ut ad te pridie scripseram, Nonis cõstitueram uenire in Tusculanum: Ibi igitur cotidie tuas literas expectabo, & maxime de ludis, de quibus etiã ad Brutum tibi scribendũ est: cuius epistolæ, quam interpretari ipse uix poteram, exẽplum prid. tibi miseram. Atticæ meæ uelim me ita excuses, ut oẽm culpam in te transferens, & ei tamen cõfirmes, me minime totum amorẽ eò mecum attulisse. Bruti ad te epistolã misi. Dij boni quãta ἀμηχανία, cognosces cum legeris. De celebratione ludorũ Bruti, tibi assentior. Ad M. Ælium nullus tu quidem domũ. sed sicubi inciderit: de Tulliano semisse, Maxianã adhibebis, ut scribis. Quod cum Cosiano egisti, optime: ꝙ nõ solum mea, uerũ etiam tua expedis, gratũ. Legationem tibi probari meã gaudeo. quod promittis, Dij faxint. Quid enim mihi meis iucũdius? Sed istã quam tu excipis, metuo. Brutũ cum cõuenero, perscribam omnia. De Planco & Decimo sanè uelim Sextũ scutum abijcere. De Mũdo si quid scies. Rescripsi ad omnia. nũc nostra accipe. Q. Filius usꝗ Puteolos: mirus ciuis, ut tu Fauonium, Asiniũ dicas. & quidem duas ob cãs, & ut mecum, & συνεστάσθαι uult cum Bruto & Cassio. Sed tu quid ais? Scio enim te familiarem esse Othonũ, ait hic sibi Iuliã ferre. cõstitutũ enim esse diffidiũ. Quæsiuit ex me pater qualis esset fama, dixi nihil sanè me audisse: nesciebam enim cur quæreret. nisi de ore & patre. Sed cur tu inquã: at ille: filium uelle. Tum ego, etsi ἐβδελυττόμην, tamen negaui. putaui illa esse uera. σκοπὸς hoc est enim, huic nostro nihil præbere. Illa autem οὐ παρὰ τοῦτο. Ego tamen suspicor hunc, ut solet, hallucinari. sed uelim quæras (facile aũt potes) & me certiorem. Obsecro te, quid ẽ hoc.

Signata iam epistola. Formiani, qui apud me cenabant, Plancum se aiebãt hũc Buthrotiũ pridie ꝙ hoc scribebã, id est III Non. audisse, demissum, sine phaleris. Seruulos autem dicere, eum & Agripetas eiectos à Buthrotijs. Macte. Sed, amabo te, perscribe mihi totum negotium.

M.T. CICERONIS EPISTOLARVM AD ATTICVM. LIBER XVI.

CICERO ATTICO SAL.



On. Quintil. ueni in Puteolanum iens ad Brutum. in Neside hæc scripsi: sed eo die quo ueneram, cenati Eros tuas literas. Ita ne? Non. Iulijs? mehercule istis. Sed stomachari totum diem licet. quidq̃ ne turpius, q̃ Bruto Iul. Redeo ad meum igitur, ἐλθωμεν. Nihil uidi. Sed quid est quæso, q̃ Agripetas Buthroti cõcisos audio? Quid aũt Plancus tam cursim? ita enim meditabar dicem & nocte. Sanè cupio scire quid sit. Meã profectionem laudari gaudeo. Dymaeos agro pulsos, mare infestum habere nil, mirũ. Videndum est, ut mansio laudetur. ἐν ὁμοπλοίᾳ Bruti uidetur aliquid præsidij esse: sed opinor minuta nauigia. Sed iam sciam & ad te cras. De Ventidio πανικὸν puto. de Sexto pro certo habebatur ad arma. Quod si uerũ est, sine bello ciuili uideo seruiẽdum. Quid ergo? Kal. Ianuar. in Pansa spes. λῆρος πολὺς in uino & in somno istorum. De C C X optime, Ciceronis rationes explicẽtur. Ob ius enim recessis multa, quę uellem: in his, ne hoc quidem malum, in mandatis sit abunde. HS. L X X I I satis esse affatim prorsus. sed Xenonem perexigue & γλίσχρως præbere idest minutatim. Quę quo plus permutasti, quàm ad fructum insularum: id ille annus habeat, in quem itineris sumptus accessit. Hic ex Kal. April. ad HS L X X X accõmodetur. Nunc enim insulæ tantum. Videndum enim est, quid cum Romæ erit. non enim puto socrum illam ferendam. Pindaro de Cumano negaram. Nunc cuius rei causa Tabellariũ miserim, accipe. Q. F. mihi pollicetur se Catonem. Egit autem & pater & filius, ut tibi sponderem: sed ita, ut tum crederes, cum ipse cognosces. Huic ego literas ipsius arbitratu dabo, eæ te ne mouerint. Has scripsi in eam partem, ne me motum putares. Dij faxint, ut faciat ea quæ ꝓmittit. Cõmune enim gaudiũ. sed ego: nihil dico amplius. Is hinc VII. Id. ait enim attributionem in Idus, se autem urgeri acriter. Tu ex meis literis quomodo respondeas, moderabere. Plura cum & Brutum uidero, & Erotem remittam. Atticæ meæ excusationem accipio, eamq́ amo plurimum: cui & Piliæ salutem.

CICERO ATTICO SAL.



Exto Id. duas epistolas accepi, unã à meo Tabellario, alterã Bruti. De Buthrotijs longe alia fama in his locis fuerat, sed cum alijs multis hoc ferendum. Erotem remisi citius, q̃ constitueram, ut eẽt cum Hortensio. & quia equitibus quidẽ ait se Idibus constituisse. Hortensius uero impudenter. Nihil enim debetur ei, nisi ex tertia pensione, quę est Kal. Sext. ex qua pensione ipsa, maior pars est ei soluta aliquanto ante diem. Sed hæc Eros uidebit idibus. De Publilio autem quod perscribi oportet, moram non puto esse faciendam: sed cum uideas quantum de iure nostro

decesserimus,quid hæres? C C C C. HS. C C. præsentia soluerimus, reliqua rescribamus? Loqui cum eo (si tibi uidebitur) poteris, cum cōmodum nostrum expectare debere, cum tanta sit à nobis iactura facta iuris. Sed amabo te mi Attice, uides ne q̄ blande? Omnia nostra, quoad eris Romæ, ita gerito, regito, gubernato, ut nihil à me expectes. q̄q̄ enim reliqua satis apta sunt ad soluendum, tamen fit sæpe, ut ij qui debent, non respondeant ad tempus. Si quid eiusmodi acciderit, ne quid tibi sit fama mea potius: non modo uersura, uerum etiam uenditione, si ita res coget, nos uindicabis. Bruto tuæ literæ gratæ erant. fui enim apud illum multas horas in Neside, cum paulo ante tuas literas accepissem. Delectari mihi Tereo uidebatur, & habere maiorē Accio q̄ Antonio gratiam. Mihi autē quo lætiora sunt, eo plus stomachi & molestiæ est, Populum R. manus suas non in defendenda Rep. sed in laudando consumere. Mihi quidem uidentur istorum animi incendi etiam ad repręsentandam improbitatem suam: sed tamē dūmodo doleāt aliqd, doleant quidlibet. Consilium meum q̄ ais quotidie magis laudari, non moleste fero, expectabamq́ si quid de eo ad me scriberes. Ego enim in uarios sermones incidebam. quin etiam idcirco trahebam, ut quādiutissime integrum eēt. Sed quoniam euro uilla extrudimur, Brundisium cogito. Facilior enim & exploratior deuitatio legionum fore uidetur, q̄ piratarum, qui apparere dicuntur. Sestius VI Id. expectabatur, sed non uenerat: quod sciam. Cassius cum classicula sua uenerat. Ego cum eum uidissem V Kal. in Pōpeianum cogitabam: inde Aculanum. nosti reliqua. De Tutia ita putaram. De Emetio nō credo, nec tamen curo plus q̄ tu. Planco & Oppio scripsi equidem, quoniam rogaras: sed si tibi uidebitur, ne necesse habueris reddere. cum enim tua causa fecerint omnia, uereor ne meas literas superuacaneas arbitrentur. Oppio quidē utiq;, quem tibi amicissimum cognoui, uerum ut uoles tu. Quoniā scribis hyematurum te in Epeiro, feceris mihi gratum, si ante eò ueneris, q̄ mihi in Italiam te auctore ueniendum est. Literas ad me quāsępissime, sed de rebus minus necessarijs, aliquem nactus. sin autem erit quid maius, domo mittito. ἡρακλείδιον, Si Brundisiū salui, adoriemur. De Gloria misi tibi, custodies igitur, ut soles, sed notentur Eclogarij, quos Saluius bonos auditores nactus, in cōuiuio dūtaxat legat. mihi ualde placent, mallem tibi. Etiam atq; etiam uale.

CICERO ATTICO SAL.



TV uero sapienter. nunc demum enim rescribo his literis, quas mihi misisti, cōuento Antonio Tiburi. sapienter igitur, q̄ manus dedisti, quódq; etiam ultro gratias egisti. certe enim, ut scribis, deseremur ocyus à re publica, quàm à re familiari. Quòd uero scribis te magis delectari, ò Tite, si quid agis, addis mihi scribendi alacritatē. Quòd Erotem non sine munusculo expectare dicis, gaudeo non fefellisse eam rem opinionem tuam, sed tamen idem σύνταγμα misi ad te retractatius, & quidem ἀρχέτυπον ipsum crebris locis inculcatum & refectum. Hunc tu tralatū in Macrocollum lege in Arcano conuiuis tuis, sed si me amas, hilaris & bene acceptis, ne in me stomachum erumpāt, cum sint tibi irati. De Cicerone uelim ita sit, ut audijmus. De Xenone coràm cognoscam: q̄q̄ nihil ab eo arbitror, neq; indiligenter neq; illiberaliter. De Herode faciā ut mandas: & ea quæ scribis, ex Sauseio

ex Saufeio & à Xenone cognoscã. De Q.F. gaudeo tibi meas literas prius à tabellario meo, quàm ab ipso redditas: quàquam te nihil fefellisset. uerũtamen sed expecto, quid ille tecũ, quid tu uicissim: nec dubito, quin suo more uterque: sed eas literas Curium mihi spero redditurũ, quàquam is qdẽ, etsi per se est amabilis, à meque diligitur, tñ accedet magnus cumulus cõmendationis tuæ. Literis tuis satis respõsum est. Nunc audi, quod etsi intelligo scribi necesse non esse, scribo tñ. multa me mouent in discessu. In primis mehercule, quòd diiungor à te. mouet etiam nauigationis labor, alienus non ab ætate solum nostra, uerũ etiam à dignitate, tempusque discessus subabsurdum. Relinquimus enim pacem, ut ad bellum reuertamur: quodque tẽporis in prædiolis nostris & belle ædificatis, & satis amœnis consumi potuit, in peregrinatione cõsumimus. Cõsolantur hæc: aut proderimus aliquid Ciceroni, aut quantũ profici possit indicabimus. deinde tu iã, ut spero & ut promittis, aderis: quod quidẽ si acciderit, omnia nobis erunt meliora. Maxime aũt me angit ratio reliquorum meorum: quæ quàquam explicata sunt, tamẽ quòd & Dolabellæ nomen in his est, & attributione mihi noĩa ignota, conturbor, nec me ulla res magis angit ex omnibus. Itaque non mihi uideor errasse quòd ad Balbũ scripsi apertius, ut si quid tale accidisset, ut non cõcurrerẽt nomina, subueniret: meque tibi ẽt mãdasse, ut si quid eiusmodi accidisset, cũ eo cõmunicares. quod facies, sed si tibi uidebitur, eoque magis, si proficisceris in Epeirum. Hæc ego cõscendens è Pompeiano tribus actuariolis decẽscalmis. Brutus erat in Neside. etiam nunc. Neapoli Cassius. Ecquid amas Deiotarũ? & non amas Eram? qui, ut Blesamius uenit ad me, cum ei præscriptum esset, ne quid sine Sestij nostri sentẽtia ageret, neque ad illum, neque ad quẽquàm nostrũ retulit. Atticam nostram cupio suauiari: ita mi dulcis salus uisa est per te missa ab illa. Referes igitur ei plurimam, itemque Piliæ dicas uelim, ita ut heri tibi narraui, uel fortasse hodie. Q. enim altero die se aiebat in Nesida. VIII Id. ibi Brutus. quòd ille doluit. de Non. Iul. mirifice est conturbatus. Itaque sese scripturum aiebat, ut uenationẽ etiam, quæ postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent. III Id. Quin. Libo interuenit. Is Philonem Põpeij libertum & Hilarum suũ libertum uenisse à Sexto cũ literis ad Coss. siue quo alio nomine sunt. earũ exemplum nobis legit, si quid uideretur. Pauca παρὰ λέξιν, ceteroqui & satis grauiter & non contumaciter. tantum addi placuit, quòd erat Coss. solum, ut esset Prætt. Tribb. pl. Senatui, ne illi non proferrent eas, quæ ad ipsos missæ essent. Sextum autẽ nuntiauit cum una solũ legione fuisse Carthagine: eique eo ipso die, quo oppidum Boream cepisset, nunciatum eẽ de Cæsare. capto oppido, miram lætitiam, cõmutationẽque animorum, concursumque undique: sed illum ad sex legiones, quas in ulteriore reliquisset, reuertisse. Ad ipsum autẽ Libonem scripsit, nihil esse, nisi ad larem suum liceret. summa postulatorum, ut omnes exercitus dimittantur, qui ubique sint. Hæc ferè de Sexto. De Buthrotijs undique quærens nihil reperiebam: alij concisos agripetas: alij Plancum acceptis nũmis, relictis illis aufugisse. itaque non uideo sciturum me, quid eius sit, ni statim aliquid literarum. Iter illud Brũdisium, de quo dubitabam, sublatum uidetur, legiones enim aduentare dicuntur: hæc autẽ nauigatio habet quasdam suspitiones periculi. itaque constituebam uti ὁμοπλοίᾳ. Paratiorem offendi Brutum, quàm audiebam: nam et ipse Domitius bona planè habet dicrota, suntque nauigia præterea luculenta Sexti Bucilani, ceterorũ: nam

Cassij classem, quæ planè bella est, nõ numero ultra fretũ. Illud est mihi subse molestum, quòd parum Brutus properare uidetur. Primum confectorum ludorum nuncios expectat: deinde quãtum intelligo, tarde est nauigaturus, cõsistens in locis pluribus: tamẽ arbitror eẽ commodius tarde nauigare, quàm omnino nõ nauigare. Et si cum processerimus, exploratiora uidebuntur, & tectis utemur. Tuas iam literas Brutus expectabat, cui quidem ego non nouum attuleram de Tereo Accij. ille Brutum putabat: sed tamen rumoris nescio quid afflauerat, commissione Græcorum frequẽtiam nõ fuisse: quæ quidem me minime fefellit. Scis enim quid ego de Græcis ludis existimem, Nũc audi quod pluris est, quàm omnia. Quintus fuit mecum dies complureis, & si ego cuperem, ille uel plures fuisset: sed quantum fuit, incredibile est quàm me in omni genere delectarit: in eoq; maxime in quo minime satisfaciebat. sic enim commutatus est totus & scriptis meis quibusdam, quæ in manibus habebam, & assiduitate orationis & præceptis, ut tali animo in remp. quali nos uolumus futurus sit. Hoc cum mihi non modo cõfirmasset, sed etiam persuasisset, egit mecum accurate multis uerbis, tibi ut sponderem, se dignum & te & nobis futurum: neque se postulare ut statim crederes: sed cũ ipse perspexisses, tum ut se amares, quòd nisi fidem mihi fecisset, iudicassemq; hoc quod dico firmum fore, non fecissem id quod dicturus sum. Duxi enim mecum adolescentem ad Brutum. Sic ei probatum est, quod ad te scribo, ut ipse crediderit, me sponsorem accipere noluerit, eumq; laudans amicissime mentionem tui fecerit, complexus osculatusq; dimiserit. Quamobrẽ etsi magis est quod gratuler tibi, quàm quod te rogem, tamen etiam rogo, ut si quæ minus antea propter infirmitatem ætatis constanter ab eo fieri uidebantur, ea iudices illum abiecisse, mihiq; credas multum allaturam: uel plurimum potius, ad illius iudicium confirmandum auctoritatem tuam. Bruto cum sæpe iniecissem de ὁμοπλοίᾳ non perinde atque ego putaram, arripere uisus est: existimabam μετεωρότερον esse & hercule erat & maxime de ludis. At mihi cum ad uillam redissem, Cn. Lucceius, qui multum utitur Bruto, narrauit illum ualde morari non tergiuersantem, sed expectantem, si qui forte casus: itaq; dubito, an Venusiam tendam, & ibi expectem de legionibus: si aberunt, (ut quidam arbitrantur). Hydruntem: si neutrum erit ἀσφαλὲς, eodem reuertar. Iocari me putas? moriar, si quisquã me tenet præter te. & enim circunspice, sed ante erubesco. O dies in auspicijs Lepidi descriptos, & aptos ad consilium reditus nostri. magna ῥοπὴ ad proficiscendum tuis literis, atq; utinam te illic: sed ut cõducere putabis. Nepotis epistolam expecto, cupidus ille meorũ? qui ea quibus maxime γαυριῶ, legenda non putet. Et ais μετ᾽ ἀμύμονα, tu uero ἀμύμων. Ille quidem ἄμβροτος. Mearum epistolarum nulla est συναγωγή: sed habet Tiro instar septuaginta: equidem sunt à te quædam sumendæ: eas ego oportet perspiciam, corrigam, tum deniq; edentur. Ego adhuc (perueni enim Vibonem & Siccam) magis cõmode, quàm strenue nauigaui: Remis enim magnam partẽ. Prodromi nulli. Illud satis opportune. Duo sinus fuerũt, quos tramitti oporteet Pæstanus & Vibonensis: utrunque pedibus, equis transmisimus. Veni igitur ad Siccam octauo die è Pompeiano, cum unum diem Veliæ constitissem: ubi quidem fui sanè libenter apud Talnam nostrum, nec potui accipi (illo absente presertim) liberalius. VIIII. Kal. igitur ad Siccam: ibi tanq̃

ibi tanquam domi meæ scilicet, itaq; obduxi posterum diẽ. Sed putabam cũ Regium uenissem, fore, ut illic δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες cogitaremus, Corbitane Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum, ast inde Corcyrã: et si oneraria, statim ne freto, an Syracusis. Hac super re scribam ad te Regio. Mehercule mi Attice sæpe mecum ἡ δεῦρ᾽ ὁδὸς σοι τί δύναται. Cur ego tecum nõ sum? Cur ocellos Italiæ, uillulas meas non uideo? Sed id satis superq;: tecum me non esse fugientem periculum. Ne id nunc quidem (nisi fallor) nullũ est: ad ipsum enim reuocat me auctoritas tua: scribis enim in cœlũ ferri ꝓfectionem meam: sed ita, si ante Kalẽ. Ian. redeam. quod quidem certe enitar. malo enim uel cum timore domi esse, quàm sine timore Athenis tuis. Sed tamẽ perspice, quo ista uergant, mihiq; aut scribe, aut (quod multo malim) affer ipse. hæc hactenus. Illud uelim in bonam partem accipias, me agere tecum, quod tibi maiori curæ sciam esse, q̃ ipsi mihi. Nomina mea per deos expedi. exsolue bella reliqui. sed opus est diligẽtia, cohæredibus pro Cluuiano Kal. Sex. persolutum ut sit. Cum Publilio quomodo agendum sit, uidebis: nõ debet urgere, quoniam iure non utimur. sed tamen ei quoq; satisfieri planè uolo. Terentiæ uero quid ego dicam? Etiam ante diem, si potes. quin si ut spero, celeriter in Epeirum, hoc quod satisdato debeo, peto à te, ut ante prouideas, planéq; expedias, & solutum relinquas. Sed de his satis, metuoq; ne tu nimiũ putes. nũc negligentiam meam cognosce. De Gloria librum ad te misi, & in eo proœmium, id est quod in Academico tertio. id euenit ob eam rem ꝙ habeo uolumen proœmiorum: ex eo eligere soleo, cum aliquod σύγγραμμα institui. Itaq; iam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto proœmio, conieci id in eum librum, quem tibi misi. Cum autem in naui legerem Academicos, agnoui erratum meum. Itaque statim nouum proœmiũ exaraui, tibi misi. Tu illud desecabis, hoc agglutinabis. Piliæ S. D. & Atticæ delicijs atque amoribus meis. Vale.

CICERO ATTICO. SAL.



Octauo Id. Sex. cum à Leucopetra profectus (inde enim tramittebam) stadia circiter CCC processissem, reiectus sum austro uehementi ad eandem Leucopetram. Ibi cum uentum expectarem (erat enim uilla Valerij nostri, ut familiariter essem & libenter) Regini quidam illustres homines eò uenerunt Roma sanè recẽtes: in ijs Bruti nostri hospes, qui Brutum Neapoli reliquisset. hæc afferebant. edictũ Bruti & Cassij: & fore frequẽtem Senatum kal. à Bruto, Cassio literas missas ad Consularis & Prætorios, ut adessent rogare. summam spem nunciabant, fore ut Antonius cederet, res conueniret, nostri Romam redirent. Addebant etiam me desiderari, subaccusari. Quæ cum audissem, sine ulla dubitatione abieci consilium profectionis, quo mehercule ne antea quidem delectabar. Lectis uero tuis literis admiratus equidem sum, te tam uehementer sententiam commutasse: sed non sine causa arbitrabar. Etsi, quamuis non fueris suasor & impulsor profectionis meæ, approbator certe fuisti, dummodo Kal. Ianua. Romæ essem. ita fiebat, ut dum minus periculi uideretur, abessem, in flammam ipsam uenirem. Sed hæc etiam si non prudenter, tamen ἀνεμέσητα, sunt. primum ꝙ de mea sententia acta sunt, deinde ẽt, si te auctore, quid debet,

qui consilium dat, præstare præter fidē? Illud admirari satis nō potui, quod scripsisti his uerbis. BENE IGITVR TV, QVI εὐθανασίαν BENE, RELINQVE PATRIAM. An ego relinquebā? aut tibi tū relinquere uidebar? tu id non mō non prohibebas, uerum ēt approbabas. Grauiora quæ restant. VELIM χόλιον ALIQVOD ELIMES AD ME, OPORTVISSE TE ISTVC FACERE. Ita ne? mi Attice defensione eget meum factum, presertim apud te, qui id mirabiliter approbasti? Ego uero istum ἀπολογισμὸν συντάξομαι, sed ad eorum aliquem, quibus inuitis & dissuadentibus profectus sum. Etsi quid iā opus est χολίῳ, si perseuerassem, opus fuisset. At hoc ipsum non constanter. nemo doctus unquam (multa autem de hoc genere scripta sunt) mutationem consilij, inconstantiam dixit esse. Deinceps igitur hæc. NAM SI A PHÆDRO NOSTRO, EXPEDITA EXCVSATIO ESSET. NVNC QVID RESPONDEMVS? Ergo id erat meum factum, quod Catoni probare non possim, flagitij scilicet plenū & dedecoris. Vtinā à primo ita tibi esset uisum, Tu mihi sicut esse soles, fuisses Cato. Extremum illud uel molestissimum. NAM BRVTVS NOSTER SILET, hoc est nō audet hominem id ætatis monere. Aliud nihil habeo, quod ex ijs à te uerbis significari putem. & hercule ita est. nam XVI Kal. Sept. cū uenissem Veliam, Brutus audiuit. Erat enim cum suis nauibus apud Haletem fluuium citra Veliam millia passuum III. pedibus ad me statim. Dij immortales, quàm ualde ille reditu, uel potius reuersione mea lætatus, effudit illa omnia, quæ tacuerat, ut recordarer illud tuum. NAM BRVTVS NOSTER SILET. Maxime autem dolebat, me Kal. Sext. in Senatu non fuisse. Pisonem ferebat in cœlum. Se autem lætari, quòd effugissem duas maximas uituperationes. Vnam, quam itinere faciendo me intelligebam suscipere desperationis ac religionis reip. flentes mecum uulgo querebantur: quibus de meo celeri reditu non probabam. Alteram, de qua Brutus, & qui una erant (multi autem erant) lætabantur, quòd eam uituperationem effugissem, me existimari ad Olympia. Hoc uero nihil turpius quouis Reipub. tempore. sed hoc ἀναπολόγητον. Ego uero Austro gratias miras ago, qui me à tanta infamia auerterit. Reuersionis has speciosas causas habes, iustas illas quidem & magnas, sed nulla iustior quàm quod tu idem alijs literis: PROVIDE, SI CVI QVOD DEBETVR, VT SIT VNDE PAR PARI RESPONDEATVR. MIRIFICA ENIM δυσχρηστία EST, PROPTER METVM ARMORVM. In freto medio hanc epistolam legi, ut quid possem prouidere in mentem mihi non ueniret, nisi q̄ præsens me ipse defenderem. Sed hæc hactenus. reliqua coram. Antonij edictum legi à Bruto, & horum cōtra scriptum præclare. Sed quid ista edicta ualeant, aut quo spectent, planè nō uideo. Nec ego nunc, ut Brutus censebat, istuc ad Rempu. capessendam uenio. Quid enim fieri potest? num quis Pisoni est assensus? num redijt ipse postridie? Sed abesse hanc ætatem longe à sepulchro negant oportere. Sed obsecro te, quid est quod audiui de Bruto? Pyliam παράζεσθαι παραλύσει te scripsisse aiebat. Valde sum cōmotus. etsi idem te scribere, sperare melius, ita planè uelim. Ei dicas plur. Sal. & suauissimę Atticę. Hæc scripsi nauigans, cū Pōpeianum accederem. XIIII Kal.

Cicero

CICERO ATTICO SAL.

QVum sciam quo die uenturus sim, faciam ut scias. Impedimēta expectanda sunt, quæ Anagnia ueniunt, & familia ægra est. Kal. uesperi literæ mihi ab Octauio. magna molitur. Veteranos, quiqui Casilini & Calatię, perduxit ad suam sententiā. nec mirum: quingenos denarios dat. cogitat reliquas colonias obire. Planè hoc spectat, ut se duce, bellum geratur cum Antonio. Itaq; uideo paucis diebus nos in armis fore. Quem autem sequamur, uide nomen, uide ætatem. Atq; à me postulat, primum ut clam colloquatur mecum uel Capuæ. Puerile hoc quidem, si id putat clam fieri posse. Docui literis, id nec opus esse, nec fieri posse. Misit ad me Cecinam quendam Volaterranum familiarem suum, qui hoc pertulit. Antoniū cum legione Alaudarum ad urbem pergere. pecunias municipijs imperare, legionem suis signis ducere. Consultabat utrum Romam cum ∞∞∞ ueteranorum proficisceretur, an Capuam teneret, & Antonium uenientem excluderet: an iret ad treis legiones Macedonicas, quæ iter secundum mare superū faciunt, quas sperat suas esse. Hæ congiarium ab Antonio accipere noluerūt, ut hic quidem narrat: & ei conuicium graue fecerunt. concionātemq; reliquerunt. Quid quæris? Ducem se profitetur, nec nos sibi putat deesse oportere. Equidem suasi, ut Romam pergeret. uidetur enim mihi & plebeculam urbanam, & (si fidem fecerit) etiam bonos uiros secum habiturus. O Brute, ubi es? quantam εὐκαιρίαν amittis. Non equidē hoc diuinaui, sed aliquid tale putaui fore. Nunc tuum consilium exquiro. Romam ne uenio, an hic maneo, an Arpinum. ἀσφάλειαν habet is locus. fugiam Romam, ne desideremur, si quid actum uidebitur. Hoc igitur explica. Nunquam in maiore ἀπορίᾳ fui. Binæ in die mihi literæ ab Octauiano. nunc quidem, ut Romam statim ueniā: uelle se rem agere per Senatum. Cui ego, non posse Senatum ante Kal. Ian. Quod quidem ita credo. Ille autem, ut utar consilio tuo. quid multa? Ille urget, ego autem σκέπτομαι. Non cōfido ætati, ignoro quo animo. nil sine Pansa tuo uolo. Vereor, ne ualeat Antonius. nec à mari discedere libet, & metuo ne quæ ἀριστεία me absente. Varroni quidem displicet consilium pueri, mihi nō. firmas copias habet. Brutum habere potest, & rem gerit palàm. Centuriat Capuæ, dinumerat: iam iamq; uideo bellum. Ad hæc rescribe. Tabellarium meū kal. Roma profectū sine tuis literis miror VI Arpinum ueni: ad IIII in Sinuessanum. Eodem die uulgo loquebantur, Antonium mansurum esse Casilini: itaq; mutaui consilium: statueram enim recta Appia Romam: facile me ille esset assecutus: aiunt enim eū Cæsariana uti celeritate. Verti igitur me à Minturnis Arpinum uersus. Constitueram, ut II. Id. aut Aquini manerem, aut in Arcano. Nunc mi Attice tota mente incumbe in hanc curam, magna enim res est. Tria sunt autem, maneam ne, Arpinum potius accedam, an ueniā Romam. Quod censueris, faciam: sed quamprimum: auide expecto tuas literas. VI Id. mane in Sinuessano.

CICERO ATTICO SAL.



NONIS accepi à te duas epistolas, quarum alteram Kalen. dederas, alteram prid. Igitur prius ad superiorem. Nostrum opus tibi probari lætor: ex quo ante ipsa posuisti, q̄ mihi florētiora sunt

uiſa tuo iudicio: Cærulas enim tuas miniatulas illas extimeſcebam. De Sicca: ita eſt ut ſcribis: aſt ægre me tenui. Itaque perſtringam ſine ulla contumelia Siccæ, aut Septimiæ. tantum ut ſciant παῖδες παίδων ſine ullo Luciliano, cum ex C. Fadij filia liberos habuiſſe. Atque utinam eum diem uideam, cum iſta oratio ita libere uagetur, ut etiam in Siccæ domum introeat. Sed illo tempore opus eſt, quod fuit illis III. uiris. moriar niſi facete. Tu uero leges Sexto, eiusq́ iudicium mihi perſcribes, ὡς ἐμοὶ μύριοι. Caleni interuentum & Caluennæ cauebis. Quòd uereris, ne ἀδόλεσχος, mihi tu? quis minus? cui, ut Ariſtophani Archilochi Iambus, ſic epiſtola longiſſima quæque optima uidetur. Quod me admones, tu uero etiam ſi reprehenderes, non modo facile paterer, ſed etiam lætarer. Quippe cum in reprehenſione & prudētia cum εὐμενείᾳ. Ita libēter ea corrigam, quæ à te animaduerſa ſunt, eodem iure, quo Rubriana potius, quàm quo Scipionis: & de laudibus Dolabellę deruam cumulum. Attamen eſt iſto loco bella (ut mihi uidetur) εἰρωνεία, quid eũ contra ciuis in acie. Illud etiam malo, indignius eſſe hunc uiuere, quàm quid indignius. πεπλογραφίαν Varronis tibi probari non moleſte fero, à quo adhuc ἡρακλάδειον illud non abſtuli. Quod me hortaris ad ſcribēdum: amice tu quidem, ſed me ſcito agere nihil aliud. Grauedo tua mihi moleſta eſt. Quæſo adhibe, quam ſoles, diligentiam. O Tite tibi prodeſſe lætor. Anagnini ſunt, Muſtela ταξιάρχης, & Laco, qui plurimum bibit. Librum, quem rogas, perpoliam & mittam. Hæc ad poſteriorem. τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος, quatenus Panætius abſoluit duobus, illius tres ſunt. ſed cum initio diuiſiſſet ita, tria genera exquirendi officij eſſe: unum, cum deliberemus honeſtum, aut turpe ſit: alterum, utile, an inutile: tertium, cum hæc inter ſe pugnare uideantur, quomodo iudicandũ ſit: qualis cauſa Reguli, redire honeſtum, manere utile: de duobus primis præclare diſſeruit, de tertio pollicetur ſe deinceps, ſed nihil ſcripſit. Eum locum Poſidonius perſecutus: ego autem & eius librum accerſiui & ad Athenodorum Caluum ſcripſi, ut ad me τὰ κεφάλαια mitteret, quē expecto, quem uelim cohortere & roges, ut quamprimum. in eo eſt περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος. Quod de inſcriptione quæris, non dubito quin καθῆκον officium ſit, niſi quid tu aliud: ſed inſcriptio plenior de officijs. προσφωνῶ autem Ciceroni filio. uiſum eſt non ἀνοικεῖον. De Myrtilo dilucide. O qualis tu ſemper iſtos. ita ne in D. Brutum de iſtis? Ego me, ut ſcripſeram, in Pompeianum non abdidi: primo tempeſtatibus, quibus nihil tetrius: deinde ab Octauiano cotidie literæ, ut negotium ſuſciperem, Capuam uenirem, iterum Rempub. ſeruarem. Romam utique ſtatim αἴδεσθεν ἢ ἀνήνασθαι δεῖσαν δ᾽ ὑποδέχθαι. Is tamen egit ſanè ſtrenue & agit. Romam ueniet cum manu magna. Sed eſt planè puer. putat Senatum ſtatim. Quis ueniet? Si uenerit, quis incertis rebus offendet Antonium? Kalē. Ian. erit fortaſſe præſidio, aut quidem ante depugnabitur. Puero municipia mire fauent. Iter enim faciens in Samnium uenit Cales, manſit Theani. Mirifica ἀπάντησις, & cohortatio. hoc tu putares? ob hoc ego citius Romam, quàm conſtitueram. ſimulac conſtituero, ſcribam. Etſi nondum ſtipulationes legeram, nec enim Eros uenerat, tamen rem prid. Id. uelim conficias. Epiſtolas Catinam, Tauromenium, Syracuſas commodius mittere potero,

re potero, si Valerius interpres ad me nomina gratiosorum scripserit. Alij enim sunt aliâs, nostriq; familiares ferè demortui: publice tamen scripsi: si uti uellet eis Valerius, aut mihi nomina mitteret. De Lepidianis feris Balbus ad me. Vsque ad III Kal. expectabo tuas literas, deq; Torquati negotiolo sciturum puto. Quinti literas ad te misi, ut scires quàm ualde eum amaret, quē dolet à te minus amari. Atticę quoniam (quod optimum in pueris est) hilarula est, meis uerbis suauium des. Val. Oppij epistolę (quia perhumana erat) tibi misi exemplum. De Ocella dum tu muginaris, nec mihi quidquam rescribis, cepi consilium domesticum. Itaq; me pr. Id. arbitror Romæ futurum. Commodius est uisum frustra me istic esse, cum id non necesse esset, quàm si opus esset, non adesse: & simul ne intercluderer, metuebam. Ille enim iam aduentare potest: etsi uarij rumores: multiq;, quos cuperem ueros, nihil tamen certi. Ego uero quidquid est, tecum potius, q̃ animi pendeam, cum à te absim & de te, & de me. Sed quid dicam? Bonum animum: de ἡρακλειδείῳ Varronis negotia salsa. me quidē nihil unq̃ sic delectauit. Sed hæc & alia maiora coràm.

CICERO ATTICO SAL.



O Casum mirificum. V. Id. cum ante lucem de Sinuessano surrexissem, uenissemq; diluculo ad Pontem Tiretium, qui est Minturnis, in quo flexus est ad iter Arpinas, obuiam mihi fit tabellarius, qui me offendit δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα. Ego statim, cedo, inquā, si quid ab Attico? Nondum legere poteramus: nam & lumina dimiseramus, nec satis lucebat: cum autem luceret ante scripta epistola ex duabus tuis prior mihi legi cœpta est. Illa omnium quidem elegātissima. ne sim saluus, si aliter scribo ac sentio: nihil legi humanius. Itaq; ueniam quo uocas, modo adiutore te: sed nihil tam ἀπροσδιόνυσον mihi primo uidebatur, quàm ad has literas, quibus ego à te cōsilium petieram, te mihi ista rescribere. Ecce tibi altera, qua hortaris παρ' ὑνημόεντα μίμαντα, νήσου ἐπὶ ψυρίης. Appiam ἐν ἀριστερ' ἔχοντα. Itaq; eo die mansi Aquini. lōgulum sanè iter, & uia inepta. Inde postridie mane proficiscens, has literas dedi. & quidem, ut à me dimitterem inuitissimus, fecerūt Erotis literæ. Rem tibi Tiro narrabit. Tu quid faciendum sit, uidebis: prętereа possim ne propius accedere: malo enim esse in Tusculano, aut uspiam in suburbano: aut etiam longius discedendum putas? Crebro ad me uelim scribas, erit autem cotidie cui des. Quod præterea consulis, quid tibi censeam faciundum, difficile est, cum absim. Verūtamen, si pares æque inter se, quiescendum: sin latius manabit & quidem ad nos, deinde communiter. Auide tuum consilium expecto. Timeo ne absim, cum adesse me sit honestius. uenire non audeo: de Antonij itineribus, nescio quid aliter audio atq; ut ad te scribebā: Oīa igitur uelim explices, & ad me certa mittas. De reliquo q̃d tibi ego dicā? ardeo studio historiæ. Incredibiliter enim me cōmouet tua cohortatio: quæ quidem nec institui, nec effici potest sine tua ope. Coram igitur hoc quidē cōferemus: in præsentia mihi uelim scribas quibus Coss. C. Fannius, M. F. Tr. pl. fuerit. Videor mihi audisse P. Africano, L. Mummio. id igitur quęro. Tu mihi de his rebus quæ nouantur, omnia certa, clara. III Id.

Nihil erat planè quod ſcriberem;nam cũ Puteolis eſſem, cotidie aliquid noui de octauiano,multa etiam falſa de Antonio. Ad ea autem,quæ ſcripſiſti (tres enim acceperam III Id.à te epiſtolas) ualde tibi aſſentior, ſi multum poſſit Octauianus,multo firmius acta tyranni cõprobatumiri,quàm in Telluris,atq; id contra Brutum fore:ſin autem uincitur,uides intolerabilem Antonium:ut quem uelis,neſcias.O Seſtij tabellarium hominem nequã: poſtridie Puteolis Romæ ſe dixit fore.Quòd me mones ut pedetentim, aſſentior, etſi aliter cogitabã:nec me Philippus,aut Marcellus mouet:Alia enim eorũ ratio,etſi non eſt, tamen uidetur.Sed in iſto iuuene, quanquam animi ſatis, auctoritatis parum eſt,tamen uide,ſi forte in Tuſculano recte eſſe poſſum,ne id melius ſit:ero libentius:nihil enim ignorabo,an hoc,cum Antonius uenerit.Sed,ut aliud ex alio,mihi non eſt dubium,quin quod Græci καθῆκον, nos officium. Id autem quid dubitas, quin etiam in rempub. præclare caderet? nonne dicimus Coss.officium,Senatus officium? Præclare conuenit, aut da melius.Male narras de Nepotis filio.ualde mehercule moueor, & moleſte fero.Neſcieram omnino eſſe iſtum puerum.Caninium perdidi,hominẽ, quod ad me attinet,non ingratum.Athenodorũ nihil eſt quod hortere:miſit enim ſatis bellum ὑπόμνημα. Grauedini quæſo omni ratione ſubueni. Quintus tui pronepos ſcribit ad patris mei nepotem,ſe ex Nonis his,quibus nos magna geſſimus,ædem Opis explicaturum,idq; ad populum. Videbis igitur & ſcribes.Sexti iudicium expecto.

CICERO ATTICO SAL.

NOli putare pigritia me facere, quòd nõ mea manu ſcribã, ſed,mehercule pigritia,nihil enim habeo aliud quid dicam,et tamẽ in tuis quoq; epiſtolis Alexim uideor agnoſcere:ſed ad rẽ uenio. Ego ſi me nõ improbiſſime Dolabella tractaſſet, dubitaſſem fortaſſe, utrum remiſſior eſſem,an ſummo iure contenderem:nũc uero etiam gaudeo mihi cauſam oblatã,in qua & ipſe ſentiat,& reliqui omnes me ab illo abalienatum, idq; præ me feram,& quidem me mea facere, & reip.cauſa, ut illum oderim:q; cum eam me auctore defendere cœpiſſet,non modo deſeruit emptus pecunia; ſed etiam quantum in ipſo fuerit,euerterit.Quod autem quæris quomodo agi placeat,cum dies uenerit.Primũ uelim eiuſmodi ſit, ut non alienum ſit,me Romæ eẽ.De quo,ut de ceteris,faciam ut tu cenſueris: de ſumma autem agi prorſus uehementer & ſeuere uolo:etſi ſponſores appellare, uidetur habere quandam δυσωπίαν, tamen hoc quale ſit,conſideres uelim.Poſſumus enim ut ſponſores appellemur,procuratorem introducere.Neq; enim illi litem conteſtabuntur.quo facto,non ſum neſcius ſponſores liberari. Sed et illi turpe arbitror eo nomine,quod ſatiſdato debeat, procuratores eius nõ diſſoluere: & noſtræ grauitatis,ius noſtrum ſine ſumma illius ignominia perſequi.De hoc quid placeat reſcribas uelim: & dubito,quin hoc totum lenius adminiſtraturus ſis. Redeo ad remp.multa mehercule à te ſæpe ἐν πολιτικῷ genere prudenter, ſed his literis nihil prudentius. QVANQVAM ENIM POSTEA IN PRÆSENTIA BELLE ISTE PVER RETVNDIT ANTONIVM, TAMEN EXITVM EXPECTARE DEBEMVS. At quæ concio? nam eſt miſſa mihi. Iurat, Ita ſibi parentis honores cõſequi

res consequi liceat, & simul dextram intendit ad statuam. μὴ δ' ὀναίμην ἄπαν τοῦτο: sed ut scribis, certissimum esse uideo discrimen, Cascæ nostri Tribunatum: de quo quidem ipso dixi Oppio, cum me hortaretur, ut adolescentē, totamq; causam manumq; ueteranorum complecterer, me nullo modo facere posse, ni mihi exploratum esset, cum non modo non inimicum Tyrānoctonis, uerumetiam amicum fore: cum ille diceret ita futurū, quid igitur festinamus inquam? Illi enim mea opera ante Kal. Ian. nihil opus est. nos autē eius uoluntatem ante Id. Decemb. perspiciemus in Casca. mihi ualde assensus est: quamobrem hæc quidem hactenus. Quod reliquum est, cotidie tabellarios habebis, & ut ego arbitror, etiam quid scribas habebis cotidie. Leptæ literarum exemplum tibi misi, ex quo mihi uidetur στρατηλάτης ille deiectus de gradu. Sed tu cum legeris, existimabis.

Obsignata iam epistola, literas à te & à Sexto accepi. Nihil iucundius literis Sexti, nihil amabilius: nam tuæ breues, priores erant literæ uberrimę. Tu quidem & prudenter & amice suades, ut in his locis potissimum sim, quoad audiamus hæc, quæ cōmota sunt, quorsus euadant. Sed me mi Attice, non sane hoc quidem tempore mouet resp. non quo aut sit mihi quidquā carius, aut esse debeat, sed desperatis etiam Hippocrates uetat adhibere medicinā: quare ista ualeant. Me res familiaris mouet: rem dico? immo uero existimatio. Cum enim tanta reliqua sint, ne Terentiæ quidem adhuc quod solum expeditum est. Terentiam dico: scis nos pridem iam constituisse Montani nomine HS XXII dissoluere. Prudentissime hoc Cicero petierat, uti de suo, liberalissime, (ut tibi quoq; placuerat) promiseram, Erotiq; dixeram, ut sepositū haberet: non modo, sed iniquissimo fœnore uersurā facere Aurelius coactus est. nam de Terentiæ nomine Tiro ad me scripsit, te dicere, nummos à Dolabella fore: male eum credo intellexisse, si quisquam male intelligit: potius nihil intellexisse: tu enim ad me scripsisti Coccei responsum, & ijsdem penè uerbis Eros. Veniendum est igitur uel in ipsam flammam: Turpius est enim priuatim cadere, quàm publice: itaq; ceteris de rebus, quas ad me suauissime scripsisti, perturbato animo non potui, ut consueram rescribere. Consenti in hac cura, ubi sum, ut me expediam: quibus autem rebus, uenit quidē mihi in mentem, sed certe constituere nihil possum, priusquam te uidero. Qui minus autē ego istic recte esse possim, q̄ est Marcellus? Sed non id agitur, neque id maxime curo. Quid curem uides. Adsum igitur.

CICERO SAL. DIC. ATTICO.

IVcundissimas tuas legi literas. ad Plancum scripsi, misi, habes exemplum. Cum Tirone quid sit locutus, cognoscam ex ipso. Cum sorore ages attentius, si te occupatione ista relaxaris.

M. CICERO L. PLANCO PR. DESIG. SAL.

ATtici nostri te ualde studiosum eē cognoui: mei uero ita cupidum, ut mehercule paucos æque obseruantis atque amantes me habere existimem. Ad paternas enim magnas & ueteres & iustas necessitudines, magnam attulit accessionem tua uoluntas erga me, meaq;

erga te par atque mutua. Buthrotia tibi causa ignota non est. Egi enim sæpe, tibiq́ totam rem demonstraui, quæ est acta hoc modo. Vt primum Buthrotium agrum proscriptum uidimus, commotus Atticus libellum composuit: eum mihi dedit, ut darem Cæsari. Eram enim cenaturus apud eũ illo die. Cũ libellum Cæsari dedi, probauit causam: rescripsit Attico, æqua eum postulare: admonuit tamen, ut pecuniam reliquam Buthrotij ad diem soluerent. Atticus, qui ciuitatem cõseruatam cuperet, pecuniã numerauit de suo. Quod cum esset factum, adijmus ad Cæsarem, uerba fecimus pro Buthrotijs: liberalissimum decretum abstulimus, quod est obsignatum ab amplissimis uiris. Quæ cum essent acta, mirari quidem solebam pati Cæsarẽ conuenire eos qui agrum Buthrotium concupissent: nec solum pati, sed etiã ei negotio te præficere: itaq́ & ego cum illo locutus sum, & sæpius quidem, ut etiam accusaret ab eo, quòd parum constantiæ suæ considerẽ: & Marco Messalę, & ipsi Attico dixit, ut sine cura essent: aperteq́ ostendebat, se pręsentium animos (erat enim popularis, ut noras) offendere nolle. Cum mare transisset, curaturum se, in alium agrum deducerentur. Hæc illo uiuo. Post interitum autem Cęsaris, ut primum ex S.C. causas Coss. cognoscere instituerunt, hæc quæ supra scripsi, ad eos delata sunt: probauerunt causas sine ulla dubitatione, seq́ ad te literas daturos esse dixerunt. Ego autem mi Plance, etsi nõ dubitabam, quin & S.C. & lex, & Consulum decretum ac literæ apud te plurimum auctoritatis haberẽt, teq́ ipsius Attici causa uelle intellexeram, tamen hoc pro coniunctione & beneuolentia nostra mihi sumpsi, ut id à te peterem, quod tua singularis humanitas, suauissimiq́ mores à te essent impetraturi. Id autem est, ut hoc, quod te tua sponte facturum esse certo scio, honoris nostri causa libẽter, prolixe, celeriter facias. Mihi nemo est amicior nec iucundior, nec carior Attico: cuius antea res solũ familiaris agebatur, eaq́ magna, nunc accessit ẽt existimatio, ut quod consecutus est magna & industria & gratia & uiuo Cæsare, & mortuo, id te adiuuante obtineat. Quod si à te erit impetratũ, sic uelim existimes, me de tua liberalitate ita interpretaturum, ut tuo summo beneficio me affectum iudicem. Ego, quæ te uelle, quæq́ ad te pertinere arbitrabor, studiose diligenterq́ curabo. Da operam ut ualeas.

CICERO PLANCO PRAET. DESIG. SAL.

IAm antea petiui abs te per literas, ut cum causa Buthrotiorũ probata à Coss. esset, quibus & lege & S.C. permissum erat, ut de Cęsaris actis cognoscerent, statuerent, iudicarent, eam rem tu adiuuares: Atticumq́ nostrum, cuius te studiosum cognoui, & me, qui nõ minus laboro, molestia liberares. Omnibus enim rebus magna cura, multa opera & labore confectis, in te positum est, ut nostræ solicitudinis finem quãprimum facere possimus: quãquam intelligimus ea te esse prudẽtia, ut uideas si ea decreta Coss. quæ de Cæsaris actis interposita sint, nõ seruẽtur, magnam perturbationẽ rerum fore. Equidem cum multa (quod necesse erat in tanta occupatione) nõ probentur, quæ Cæsar statuerit, tamen otij pacisq́ cã acerrime illa soleo defendere: quod tibi idem magnopere faciendum censeo:

quãquam

quanquam hæc epistola non suasoris est, sed rogatoris. Igitur mi Plance rogo te & etiam oro, sic mediusfidius, ut maiore studio magisq́ ex animo agere non possim, ut totū hoc negotium ita agas, ita tractes, ita cōficias, ut quod sine ulla dubitatione apud Coss. obtinuimus propter summam bonitatē & æquitatem causæ, id tu nos obtinuisse non modo facile patiare, sed etiam gaudeas. Qua quidem uoluntate esse erga Atticum sæpe præsens & illi ostendisti, & uero etiam mihi. Quod si feceris, me quem uoluntate & paterna necessitudine coniunctum semper habuisti, maximo beneficio deuinctum habebis, idq́ ut facias te uehementer etiam atq́ etiam rogo.

CICERO CAPITONI SVO SAL.



Vnquam putaui fore, ut supplex ad te uenirem: sed hercule facile patior datum tempus, in quo amorē experirer tuum. Atticū quanti faciam, scis. Amabo te, da mihi & hoc. obliuiscere mea causa, illū aliquando suo familiari aduersario tuo uoluisse consultum, cū illius existimatio ageretur: Hoc primum ignoscere est humanitatis tuæ: suos.n. quisq́ debet tueri. Deinde, si me amas, omitte Atticum Ciceroni tuo, quē q̄ti facias, præ te soles ferre. Totum hoc, ut quod semper existimaui, nunc planè intelligam, me à te multum amari. Buthrotios cum Cæsar decreto suo, quod ego obsignaui cum multis amplissimis uiris, liberauisset: ostēdissetq́ nobis, se cum Agrarij mare transissent, literas missurum, quem in agrum deducerentur: accidit, ut subito ille interiret. deinde quemadmodum tu scis (interfuisti enim cum Coss. oporteret ex S. C. de actis Cæsaris cognoscere) res ab ijs in Kal. Iun. dilata est, accessit ad S. C. lex quæ lata est ad IIII Non. Iun. quæ lex earum rerum, quas Cæsar statuisset, decreuisset, egisset, Coss. cognitionē dedit. Causa Buthrotiorum delata est ad Coss. decretum Cęsaris recitatum est, & multi præterea libelli Cæsaris prolati. Coss. de consilij sententia decreuerunt secundum Buthrotios. Plancū dederūt. Nunc mi Capito, scio enim q̄tū semper apud eos, quibuscum sis, posse soleas, eo plus apud hominē facillimū atq́ humanissimum Plancum enitere, elabora, uel potius eblandire, effice, ut Plancus quem spero optimum eē, sit etiam melior opera tua. Omnino res huiusmodi uidetur esse, ut sine cuiusquā gratia, Plancus ipse pro ingenio & prudentia sua non sit dubitaturus, quin decretum Coss. quorum & lege & S. C. cognitio & iudicium fuit, conseruet: presertim cum hoc genere cognitionum labefactato, acta Cæsaris in dubiū uentura uideantur: quæ nō modo ij quorum interest, sed etiam ij, qui illa non probant, otij causa confirmare uelint. Quod cum ita sit, tamen interest nostra Plancū hoc animo libenti prolixoq́ facere, quod certe faciet, si tu neruulos tuos mihi sæpe cognitos, suauitatemq́, qua nemo tibi par est, adhibueris. Quod ut facias, te uehementer rogo.

CICERO. C. CVPIENNIO SAL.



Atrem tuum plurimi feci, meq́ ille mirifice & coluit & amauit: nec mehercule unquam mihi dubium fuit, quin à te diligerer. Ego quidem id facere non destiti. Quamobrem peto à te in maiorem modum, ut ciuitatem Buthrotiā subleues, decretumq́ Coss. quod

ij secundum Buthrotios fecerunt, cum & lege & S.C. statuendi potestatē haberent, des operam, ut Plancus noster quamprimum cōfirmet & cōprobet. Hoc te uehementer mi Cupienni etiam atque etiam rogo.

CICERO PLANCO PR. DES. SAL.



Gnosce mihi, q̄ cum antea accuratissime de Buthrotijs ad te scripseram, eadem de re sæpius scribam. Non mehercule mi Plāce facio, q̄ parum confidam aut liberalitati tuæ, aut nostræ amicitiæ: sed cum tanta res agatur Attici nostri, nunc uero etiam existimatio, ut id quod probauit Cos. nobis testibus & obsignatoribus, qui & decretis & responsis Cæsaris interfueramus, uideatur obtinere potuisse, presertim eum tota potestas eius rei tua sit, ut ea, quæ Coss. decreuerunt secundum Cæsaris decreta & responsa, non dicam comprobes, sed studiose libenterq́; comprobes. Id mihi sic erit gratum, ut nulla res gratior esse possit: etsi iam sperabam, cum has literas accepisses, fore, ut ea quæ superioribus literis à te petijssemus, impetrata essent, tamen non faciam finem rogandi, quoad nobis nunciatum erit, te id fecisse, quod magna cum spe expectamus. Deinde enim confido fore, ut alio genere literarum utamur, tibiq́; pro tuo summo beneficio gratias agamus. Quod si acciderit, uelim sic existimes, non tibi tam Atticū, cuius permagna res agitur, q̄ me, qui non minus laboro, q̄ ille, obligatum fore.


CICERO CAPITONI. SAL.



On dubito, quin mirere, atq; etiam stomachere, q̄ tecum de eadē re agam sæpius. Hominis familiarissimi & mihi omnibus rebus coniunctissimi permagna res agitur, Attici. Cognoui ego tua studia in amicos, etiam in te amicorum: multum potes nos apud Plācum iuuare: noui humanitatem tuam: scio q̄ sis amicis iucundus. Nemo nos in hac causa plus iuuare potest, q̄ tu. & res ista est firma, ut debet esse, quam Coss. de consilij sententia decreuerunt, cum & lege & S.C. cognoscerent. tamen omnia posita putamus in Planci tui liberalitate: quem quidem arbitramur cum officij tui, & Reip. causa, decretum Coss. comprobaturum, tū libenter nostra causa esse facturū. Adiuuabis igitur mi Capito, quod ut facias uehementer etiam atq; etiam rogo.

EPISTOLARVM AD ATTICVM. FINIS.

TITI POMPONII ATTICI VITA PER CORNELIVM NEPOTEM.



POmponius Atticus ab origine ultima stirpis Romanę generatus, perpetuo à maioribus acceptam Equestrem obtinuit dignitatem. Patre usus est diligente, indulgente, & ut tum erant tempora, diti, in primisq; studioso literarũ. Hic, prout ipse amabat literas, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, filium erudiuit. Erat autem in puero, præter docilitatẽ ingenij, summa suauitas oris & uocis: ut non solum celeriter acciperet, quæ tradebantur, sed etiam excellenter pronunciaret. Qua ex re pueritia nobilis inter æqualis ferebatur, clariusq; explendescebat, q̃ generosi condiscipuli animo æquo ferre possent. Itaque incitabat omneis studio suo. Quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marij filius, M. Cicero: quos consuetudine sua sic sibi deuinxit, ut nemo ijs perpetuo fuerit charior. Pater mature decessit: ipse adolescentulus propter affinitatem P. Sulpitij, qui Trib. pl. interfectus est, non expers fuit illius periculi. Namq; Anitia Pomponij consobrina nupserat M. Seruio fratri Sulpitij. Itaque interfecto Sulpitio, posteaquã uidit Cinnano tumultu ciuitatem esse perturbatam, neque sibi dari facultatẽ, pro dignitate uiuendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis ciuium, cum alij Sullanis, alij Cinnanis fauerent partibus, idoneum tempus ratus studijs obsequendi suis, Athenas se contulit. Neque eo secius adolescentem Marium hostem iudicatum iuuit opibus suis, cuius fugam pecunia subleuauit. Ac ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum traiecit suarum. Hic ita uixit, ut uniuersis Atheniensibus merito esset charissimus. nam præter gratiam, quæ iam in adolescentulo magna erat, sæpe suis opibus inopiam eorum publicam leuauit. Cum enim usuram facere publice necesse esset, neque eius cõditionem æquam haberent, semper se interposuit: atque ita, ut neq; usuram unquã ab ijs acceperit, neq; longius quàm dictum esset, debere passus sit. Quod utrũq; erat ijs salutare. nam neque indulgendo inueterascere eorum æs alienum patiebatur, neque multiplicandis usuris crescere. Auxit hoc officium alia quoq; liberalitate. nã uniuersos frumento donauit, ita ut singulis. VII. modij tritici darentur, qui modus mensuræ Medimnus Athenis appellatur. Hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus uideretur. Quo factum est, ut huic omneis honores, quos possent, publice haberẽt, ciuemq; facere studerent, quo beneficio ille uti noluit, q nonnulli ita interpretantur, amitti ciuitatem Romanam alia ascita. Quãdiu affuit, nequa sibi statua poneretur, restitit, absens prohibere non potuit. Itaq; aliquot ipsi & Piliæ locis sanctissimis posuerunt. hũc enim in omni procuratione reip. actorem auctoremq; habebant. Igitur primum illud munus fortunæ, quòd in ea potissimum Vrbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperij, ut eãdem & patriã haberet & domum, hoc specimen prudentiæ, q cum in eam se ciuitatem con-

tulisset, quæ antiquitate, humanitate, doctrinaq; præstaret omneis, ei unus ante alios fuerit charissimus. Huc ex Asia Sulla decedens cum uenisset, quãdiu ibi fuit, secum habuit Pomponium captus adolescentis & humanitate & doctrina. Sic enim græce loquebatur, ut Athenis natus uideretur. Tanta autem erat suauitas sermonis latini, ut appareret in eo natiuum quendam leporẽ eẽ, non ascitum. Idem poemata pronunciabat & græce & latine sic, ut supra nihil posset addi. Quibus rebus factum est, ut Sulla nusquam à se dimitteret, cuperetq; secum deducere. Qui cum persuadere tentaret, Noli oro te, inquit Põponius, aduersum eos me uelle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiã reliqui. At Sulla adolescẽtis officio collaudato, omnia munera ei, quæ Athenis acceperat, proficiscẽs iussit deferri. Hic complureis annos moratus, cum & rei familiari tantum operę daret, quantum non indiligens deberet paterfamilias, & omnia reliqua tempora aut literis, aut Atheniensium reip. tribueret, nihilo minus amicis urbana officia præstitit. Nam & ad comitia eorũ uentitauit, & siqua res maior acta est, non defuit. sicut Ciceroni in omnibus eius periculis singularem fidem præbuit, cui ex patria fugienti HS. CC. & quinquaginta millia donauit. Tranquillatis autem rebus Romanis remigrauit Romam, ut opinor L. Cotta & L. Torquato Coss. quem diem sic uniuersa ciuitas Atheniensium prosecuta est, ut lachrymis desiderij futuri dolorem indicaret. Habebat auunculum Q. Cæcilium equitem Romanum, familiarẽ L. Luculli, diuitem, difficillima natura: cuius sic asperitatẽ ueritus ẽ, ut quem nemo ferre posset, huius sine offensione ad summam senectutẽ retinuerit beneuolentiam. Quo facto, tulit pietatis fructum. Cæcilius enim moriens testamento adoptauit eum, hæredemq; fecit ex dodrante. Ex qua hæreditate accepit circiter centies HS. Erat nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni, easq; nuptias M. Cicero conciliarat, cum quo à condiscipulatu uiuebat coniunctissime, multo etiam familiarius q̃ cum Quinto: ut iudicari possit, plus in amicitia ualere similitudinem morum, q̃ affinitatem. Vtebatur autem intime Q. Hortensio, qui his temporibus principatum eloquentiæ tenebat. ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortensius. Et id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut inter quos tantę laudis esset æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetq; talium uirorum copula. In rep. ita est uersatus, ut semp optimatum partium & esset, & existimaretur, neq; tamen se ciuilibus fluctibus committeret: q; non magis eos in sua potestate existimabat eẽ, qui se his dedissent, quàm qui maritimis iactarentur. Honores non petijt, cum ei paterent propter uel gratiam, uel dignitatem, q; neq; peti more maiorũ, neq; capi possent conseruatis legibus. in tam effusis ambitus largitionibus, neq; reipu. sine periculo corruptis ciuitatis moribus. Ad hastam publicam nunquã accessit. nullius rei neq; præs, neq; manceps factus est. neminem suo nomine, neq; subscribens accusauit. in ius de sua re nunquam ijt. iudicium nullum habuit. Multorum Coss. Prætorumq; præfecturas delatas sic accepit, ut neminem in prouinciam sit secutus, honore fuerit contentus: rei familiaris despexerit fructũ, qui ne cum Q. quidem Cicerone uoluerit ire in Asiam, cum apud eum Legati locum obtinere posset. Non enim decere se arbitrabatur, cum præturã gerere noluisset, asseclam esse Prætoris. Qua in re non solum dignitati seruiebat, sed

bat,sed etiam tranquillitati,cum suspitiones quoque uitaret criminum. quo fie/
bat,ut eius obseruantia omnibus esset charior:cum eam officio, non timori,
neque spei tribui uiderẽt. Incidit Cæsarianum ciuile bellum,cũ haberet annos
circiter sexaginta. usus est ætatis uacatione,neque quoquã se mouit ex Vrbe.
Quæ amicis suis opus fuerant ad Pompeium proficiscentibus,omnia ex sua
re familiari dedit. Ipsum Pompeium coniunctum non offendit. Nullum ab
eo habebat ornamentum, ut ceteri,qui per eum aut honores, aut diuitias ce∻
perant. quorum partim inuitissimi castra sunt secuti,partim summa cum eius
offensione domi remanserunt. Attici autem quies tantopere Cęsari fuit gra∻
ta,ut uictor,cum priuatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solum
molestus non fuerit,sed etiam sororis filium,& Quintũ Ciceronem ex Pom/
peij castris concesserit. Sic uetere instituto uitæ effugit noua pericula. Secutũ
est illud occiso Cæsare,cum resp. penes Brutos uideretur esse, & Cassium, ac
tota ciuitas se ad eum conuertisse uideretur: sic M. Bruto usus est,ut nullo ille
adolescens æquali familiarius,quàm hoc sene:neque solum eum principem consilij
haberet,sed etiam in conuictu. Excogitatum est à quibusdam,ut priuatũ æra∻
rium Cæsaris interfectoribus ab equitibus Romanis constitueretur. id facile
effici posse arbitrati sunt,si & principes illius ordinis pecunias contulissent.
Itaque appellatus est à C. Flauio Bruti familiari Atticus, ut eius rei princeps
esse uellet. At ille qui officia amicis præstanda sine factione existimaret,sem∻
perque à talibus se consilijs remouisset,respondit,si quid Brutus de suis facul∻
tatibus uti uoluisset,usurum quantum eæ paterentur: sed neque cum quoquã
de ea re collocuturum,neque coiturum. Sic ille cõsensionis globus huius unius
dissensione disiectus est. Neque multo post superior esse cœpit Antonius, ita
ut Brutus & Cassius prouinciarum,quæ ijs necis causa datæ erant à Coss. de∻
speratis rebus,in exilium proficiscerentur. Atticus,qui pecuniam simul cum
ceteris conferre noluerat florenti illi parti,abiecto Bruto,Italiaque cedẽti HS.
C.M. muneri misit. eidem in Epiro absens C C C. iussit dari. neque eo magis
potenti adulatus est Antonio,neque desperatos reliquit. Secutum est bellum
gestum apud Mutinam,in quo si tantum eum prudẽtem dicam,minus quàm de∻
beam,prædicem,cum ille potius diuinus fuerit,si diuinatio appellanda ẽ per∻
petua naturalis bonitas,quæ nullis casibus agitur,neque minuitur. Hostis An/
tonius iudicatur. Italia cesserat. spes restituendi nulla erat. Non solum inimi∻
ci,qui tamen erant potentissimi & plurimi,sed etiã qui aduersarijs eius se da∻
bant,& in eo lædendo aliquam consecuturos sperabant cõmoditatem, Anto/
nij familiareis sequebantur,uxorem Fuluiam omnibus rebus spoliare cupie∻
bant,liberos etiam extinguere parabant. Atticus cum Ciceronis intima fami/
liaritate uteretur,amicissimus esset Bruto,non modo nihil ijs indulsit ad An∻
tonium uiolandum,sed è contrario familiaris eius ex urbe profugienteis quàm tũ
potuit,texit: quibus rebus indiguerunt,adiuuit. P. uero Volumnio ea tribu∻
it,ut plura à parente proficisci non potuerint. Ipsi autem Fuluiæ, cum litibus
distineretur,magnisque terroribus uexaretur,tanta diligentia officiũ suũ præ∻
stitit,ut nullum illa præstiterit uadimonium sine Attico,sponsor omnium re/
rum fuerit. Quin etiam,cum illa fundum secunda fortuna emisset in diẽ,neque
post calamitatem uersuram facere potuisset,ille se interposuit,pecuniamque si∻
ne fœnore,sineque ulla stipulatione credidit: maximum existimans quæstum

memorem, gratumq; cognosci: simulq; aperire se non fortunæ, sed hominibus solere esse amicum. Quæ cum faciebat, nemo eum temporis causa facere poterat existimare. nemini enim in opinionem ueniebat Antonium rerũ potiturum: sed sensim is à nõnullis optimatibus eius reprehẽdebatur, q parum odisse malos ciues uideretur. Ille autẽ sui iudicij potius quid se facere par eẽt intuebatur, q̃ quid alij laudaturi forẽt. Cõuersa fortuna est. ut Antonius redijt in Italiam, nemo non magno in periculo Atticũ putarat propter intimã familiaritatem Ciceronis & Bruti. Itaq; ad aduentum imperatorum de foro decesserat timens proscriptionem: latebatq; apud P. Volumniũ, cui ut ostendimus pauloante, opem tulerat. Tanta uarietas his temporibus fuit fortunæ, ut modo ij, modo illi in summo eẽnt, aut fastigio, aut periculo. habebatq; secum Quintum Gellium Canium æqualem, simillimumq; sui. Hoc quoq; sit Attici bonitatis exemplum, q cum eo, quem puerum in ludo cognorat, adeo coniuncte uixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum creuerit. Antonius autem, etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solum ei, sed etiam omnibus eius amicis esset inimicus, eosq; uellet proscribere multis hortantibus, tamen Attici memor fuit officij, ut ei, cum requisisset ubinam esset, sua manu scripsit, ne timeret, statimq; ad se ueniret: se eum, & Gellium Canium de proscriptorum numero exemisse: ac ne quod periculum incideret, quod noctu fiebat, præsidium ei misit. Sic Atticus in summo timore non solum sibi, sed ẽt ei, quem charissimum habebat, præsidio fuit. Neq; enim suæ solum à quoq; auxilium petit salutis, sed coniunctim, ut appareret nullam seiunctam sibi ab eo uelle fortunam. Q; si gubernator præcipua laude fertur, qui nauem ex hyeme, mariq; scopuloso seruat, cur non singularis eius existimetur prudentia, q ex tot tantisq; grauibus procellis ciuilibus ad incolumitatem peruenit? Quibus ex malis ut se emerserat, nihil aliud egit, q̃ ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. cum proscriptos præmijs imperatorũ uulgus cõquireret, nemo in Epeirum uenit, cui res ulla defuerit. nemini non ibi perpetuo manendi potestas facta est. quin etiam post prælium Philippense, interitumq; C. Cassij & M. Bruti, L. Iulium Mocillam Prætorium, & filiũ eius, Aulumq; Torquatum, cæterosq; pari fortuna perculsos, instituerit tueri, atq; ex Epeiro ijs omnia Samothraciam supportari iusserit. Difficile enim est omnia prosequi, & nõ necessaria. Illud unum intelligi uolumus: illius liberalitatem, neq; temporariam, neq; callidam fuisse. Id ex ipsis rebus, ac temporibus iudicari põt, q non florentibus se uenditauit, sed afflictis semper succurrit. qui quidẽ Seruiliam Bruti matrem non minus post mortem eius, q̃ florentem coluerit. Sic liberalitate utens nullas inimicitias gessit, q neq; lædebat quẽquã, neq; si quã iniuriam acceperat, non malebat obliuisci, quàm ulcisci. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia. Quæ autem ipse tribuerat, tãdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. Itaq; hic fecit, ut uere dictum uideatur, sui cuiq; mores fingũt fortunam. Neq; tamen prius ille fortunam, quàm se ipse finxit, qui cauit, ne qua in re plecteretur. Iis igitur rebus effecit, ut M. Vipsanius Agrippa intima familiaritate coniunctus adolescenti Cæsari, cum propter suam gratiam, & Cæsaris potentiam nullius conditionis non haberet potestatem, potissimum eius deligeret affinitatem, peroptaretq; equitis Romani filiam generosam nuptijs. Atq; harum nuptiarum conciliator fuit

(nõ enim

(non enim est celandum) M. Antonius triũuir reip. cuius gratia cum augere possessiones posset suas, tantum abfuit à cupiditate pecuniæ, ut nulla in re usus sit ea, nisi in deprecandis amicorum aut periculis, aut incõmodis. Quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit. Nam cũ L. Sauferij equitis Romani æqualis sui, quicũ plureis annos studio ductus philosophiæ habitabat, habebatq́; in Italia preciosas possessiones, Triũuiri bona uendidissent, cõsuetudine ea qua tum res gerebantur, Attici labore atq; industria factum est, ut eodem nũcio Saufeius fieret certior, se patrimonium amisisse, & recuperasse. Idem L. Iul. Calidium, quem post Lucretij Catulliq́; mortem multo elegantissimum poetam nostram tulisse ætatem uere uideor posse contendere, neq; minus uirum bonum, optimisq́; artibus eruditum, post proscriptionem equitum propter magnas eius Aphricanas possessiones, in proscriptorum numerum à P. Volumnio præfecto fabrum Antonij absentem relatum, expediuit. Quod in præsenti utrum ei laboriosius, an gloriosius fuerit, difficile fuit iudicare: q; in eorum periculis, nõ secus absentes, q̃ præsentes amicos Attico esse curæ cognitum est. Neq; uero minus ille uir bonus paterfamilias habitus est, q̃ ciuis. nam cum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus ædificator, neq; tamen non in primis bene habitauit, omnibusq́; optimis rebus usus est. nam domum habuit in collegio Quirinali Pamphilianã ab auunculo hæreditate relictam, cuius amœnitas non ædificio, sed sylua constabat. Ipsum. n. tectum antiquitus constitutum plus salis, q̃ sumptus habebat: in quo nihil cõmutauit, nisi si quid uetustate coactus est. Vsus est familia, si utilitate iudicandum est, optima: si forma uix mediocri. Nãq; in ea erant pueri literatissimi, Anagnostæ optimi, & plurimi librarij, ut ne pedissequus quidem quisquam esset, qui non utrũq; horum pulchre facere posset. Pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni: neq; tamẽ horum quẽquã, nisi domi natum, domiq́; factum habuit: quod est signum non solũ continentiæ, sed etiam diligentiæ. nam & non intemperanter cõcupiscere, quod à pluribus uideas, continentis debet duci: & potius diligentia, q̃ precio parare, nõ mediocris est industriæ. Elegans non magnificus, splendidus non sumptuosus, omni diligentia munditiam non affluentem affectabat. Supellex nõ modica, non multa, ut in neutram partem cõspici posset. Nec præteribo, quãquã nonnullis leue uisum iri putem: cum inprimis lautus eẽt eques Romanus, & non parum liberaliter in domum suã omnium ordinum homines inuitarer, scimus non amplius, q̃ terna millia æris peræque in singulos menses ex Ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum: atq; hoc non auditum, sed cognitum prædicamus. sæpe enim propter familiaritatem domesticis rebus interfuimus. Nemo in cõuiuio eius aliud ἀκρόαμα audiuit, q̃ anagnosten, quod nos quidem iucundissimum arbitramur: neq; unq̃ sine aliqua lectione apud eum cœnatum est, ut non minus animo, q̃ uentre conuiuæ delectarentur. nãq; eos uocabat, quorum mores à suis non abhorrerent. Cũ tãta pecuniæ facta eẽt accessio, nihil de quotidiano cultu mutauit, nihil de uitæ cõsuetudine: tantaq́; usus est moderatione, ut neq; in HS. uicies, quod à patre acceperat, parum se splendide gesserit, neq; in HS. cẽties affluentius uixerit, q̃ instituerat: pariq́; fastigio steterit in utraq; fortuna, nullos habuerit hortos, nullam suburbanã, aut maritimam sumptuosam uillã, neq; in Italia præter Ardeatinum & No

mentanum,rusticum prædium,omnisq́; eius pecuniæ redditus constabat in Epiroticis,& urbanis possessionibus.ex quo cognosci potest,eum usum pecuniæ non magnitudine,sed ratione metiri solitum. Mēdacium neq; dicebat, neq; pati poterat. Itaq; eius comitas non sine seueritate erat,neq; grauitas sine facilitate:ut difficile esset intellectu,utrum eum amici magis uererētur, an amarent. Quidquid rogabatur religiose promittebat:q; non liberalis, sed leuis arbitrabatur,polliceri quod præstare non posset. Idem in nitendo quod semel admisisset,tanta erat cura,ut non mandatam,sed suam rē uideretur agere. Nusquam suscepti negocij eum pertesum est. Suam enim existimationem in ea re agi putabat,qua nihil habebat charius. Quo fiebat,ut omnia Ciceronum,Catonis,Marciq́; Hortensij,A. Torquati, multorum præterea equitū Romanorū negocia procuraret. ex quo iudicari poterat non inertia, sed iudicio fugisse reip. procurationem. humanitatis uero nullum afferre maius testimonium possum,q̄ q; adolescens idem seni Sullæ fuerit iucundissimus,senex adolescenti M. Bruto:cum æqualibus autem suis Q. Hortensio & M. Cicerone sic uixerit,ut iudicare difficile sit,cui ætati fuerit aptissimus. q̄q̄ eum prę cipue dilexit Cicero,ut ne frater quidem ei Quintus charior fuerit, aut familiarior. Ei rei sunt indicio præter eos libros:in quibus de eo facit mētionem, qui in uulgus sunt editi. sexdecim uolumina epistolarū ab consulatu eius usq; ad extremum tempus ad Atticum missarum: quæ qui legat,non multum desiderat historiam contextam eorū temporū. Sic enim omnia de studijs principum,uitijs ducum,æmulationibus reip. perscripta sunt,ut nihil in his nō appareat,& facile existimari possit prudentiam quodāmodo esse diuinationē. Non enim Cicero ea solum,quæ uiuo se acciderūt,futura prędixit, sed etiam quæ nunc usu ueniant,cecinit,ut uates. De pietate autē Attici,quid plura cōmemorem?cum hoc ipsum uere gloriantē audierim in funere matris suæ,quā extulit annorum nonaginta,cum esset septem & sexaginta,se nunq̄ cum matre in gratiam redijsse,nunq̄ cum sorore fuisse in simultate,quā prope æqualem habebat. quod est signum aut nullam unq̄ inter eos querimoniā intercessisse,aut hunc ea fuisse in suos indulgētia,ut quos amare deberet,irasci eis nefas duceret. Neq; id fecit natura solum(q̄q̄ omnes ei paremus)sed etiam doctrina. Nam & principum philosophorū ita percepta habuerat p̄cepta,ut ijs ad uitam agendam,nō ad ostentationem uteretur. Moris etiam maiorū summus imitator fuit,antiquitatisq́; amator: quam adeo diligenter habuit cognitā,ut eā totā in eo uolumine exposuerit,quo magistratus ornauit. Nulla enim lex,neq; pax,neq; bellū,neq; res illustris est populo Ro. quę nō in eo suo tp̄e sit notata:& quod difficillimum fuit,sic familiarum originē subtexuit, ut ex eo clarorū uirorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc idem separatim in alijs libris,ut M. Bruti rogatu Iuniam familiam à stirpe ad hanc ætatē ordine enumerauerit,notans,qui à quoq; ortus,quos honores, quibusq́; temporibus cepisset. pari modo Marcelli Claudij de Marcellorū,Scipionis Cornelij,& Fabij Maximi Fabiorū,& Æmiliorū. q̄bus libris nihil pōt esse dulcius ijs,qui aliquā cupiditatē habent notitiæ clarorum uirorū. Attigit quoq; poeticen (credimus)ne eius expers eēt suauitatis. Nāq; uersibus,qui honore rerūq; gestarū amplitudine ceteros Ro. populi p̄stiterūt,exposuit, ita ut sub singulorū imaginibus facta,magistratusq́; eorum non amplius quaternis,quinisq́;

nisq́ uersibus descripserit: quod uix credendum sit, tantas res tã breuiter potuisse declarari. Est etiam unus liber græce confectus de cõsulatu Ciceronis. Hactenus Attico uiuo edita à nobis sunt. Nunc, quoniã fortuna nos superstites ei esse uoluit, reliqua persequemur, & quantũ potuerimus rerũ exemplis lectores docebimus, sicut supra significauimus, suos cuiq; mores plerunq; cõciliare fortunam. Nãq; hic contentus ordine Equestri quo erat ortus, in affinitatem peruenit Imperatoris Diui Iulij filij, cum iam ante familiaritatẽ eius esset consecutus nulla alia re, q̃ elegãtia uitæ, qua ceteros ceperat principes ciuitatis dignitate pari, fortuna humiliores. Tanta enim prosperitas Cæsarem est consecuta, ut nihil ei nõ tribueret fortuna, quod cuiq̃ ante detulerit, & cõciliarit, quod ciuis Romanus quiuit consequi. Nata autem est Attico neptis ex Agrippa, cui uirginem filiam collocauit. hãc Cæsar uix anniculã T. Claudio Neroni Drusilla nato priuigno suo despondit. Quæ coniunctio necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem. Quãuis ante hæc sponsalia non solum cum ab Vrbe abesset, nunq̃ ad suorum quenq̃ literas misit, quin Attico mitteret, quid ageret in primis, quid legeret, quibusq́ in locis, & q̃diu esset moraturus: sed & cum esset in Vrbe, & propter suas infinitas occupationes minus sæpe q̃ uellet Attico frueretur, nullus dies temere intercesserit, quo non ad eum scriberet, quo aliquid de antiquitate ab eo requireret: modo aliquam quæstionem poeticam ei proponeret, interdum iocans eius uerbosiores eliceret epistolas. Ex quo accidit, cum ædes Iouis Feretrij in Capitolio ab Romulo cõstituta, uetustate atq; incuria detecta prolaberetur, ut Attici admonitu Cæsar eam reficiẽdam curaret. Necq; uero à M. Antonio minus absens literis colebatur. adeo ut accurate ille exul tum his terris q̃d ageret, quid curæ sibi haberet, certiorem faceret Atticum. Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui iudicare poterit quantæ sit sapiẽtiæ eorum retinere usum, beneuolentiamq; inter quos maximarum rerum non solum ęmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit incidere necesse inter Cæsarẽ atq; Antonium: cum se uterq; principem non solum Vrbis Romanæ, sed orbis terrarum esse cuperet. Tali modo cum septem, & septuaginta annos complesset, atq; ad extremam senectutem nõ minus dignitate, q̃ gratia, fortunaq́; creuisset (multas enim hæreditates nulla alia re, q̃ bonitate consecutus) tantaq́; prosperitate usus est ualetudinis, ut annis. XXX. medicina non indiguisset, nactus est morbum, quem initio & ipse, & medici contempserũt. nam putarunt esse Tenasmon, cui remedia celeria, faciliaq́; proponebãtur. In hoc cum treis menses sine ullis doloribus, præterquã quos ex curatione capiebat, consumpsisset, subito tanta uis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. Atque hoc prius quàm ei accideret, postquam in dies dolores accrescere, febresq́; accessisse sensit, Agrippam generum ad se accersiri iussit. & cum eo L. Cornelium Balbũ, Sextumq́; Peduceum. Hos ut uenisse uidit, in cubitum nixus, Quantam inquit curam, diligentiamq́ in ualetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cũ uos testes habeam, nihil opus est pluribus uerbis cõmemorare: quibus quoniã, ut spero, satisfeci, me nihil reliqui fecisse, q̃d ad sanãdum me pertineret, reliquũ est, ut egomet mihi consulam: id uos ignorare nolui. Nam mihi stat alere morbum desinere. namq; his diebus, quidquid cibi sumpsi, ita produxi uitã, ut au


xerim dolores ſine ſpe ſalutis. Quare à uobis peto, primũ ut cõſiliũ probetis meũ, deinde ne fruſtra dehortãdo conemini. Hac oratione habita tãta cõſtã-tia uocis atq; uultus, ut non ex uita, ſed ex domo in domum uideretur migra-re: cum quidem Agrippa eum flens atque oſculans oraret atq; obſecraret, ne ad id quod natura cogeret, ipſe quoq; ſibi acceleraret: & quoniam tũ quoq; poſſet temporibus ſupereſſe, ſe ſibi, ſuiſq; reſeruaret: preces eius taciturna ſua obſtinatione depreſſit. Sic cum biduum cibo ſe abſtinuiſſet, ſubito febris de-ceſſit, leuiorq; morbus eſſe cœpit. tamẽ propoſitũ nihilo ſecius peregit. Itaq; die quinto poſtquam id conſilium inierat, prid. Kalen. Aprilis Cn. Domitio C. Soſio Coss. deceſſit. Elatus eſt in lecticula, ut ipſe pſcripſerat, ſine ulla põ-pa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima uulgi frequentia. Sepultus eſt iuxta uiam Appiam ad quintũ lapidem in monumento Q. Cæcilij Auun-culi ſui.

FINIS.

INDEX CARTARVM

aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo pp qq rr ſſ tt uu xx yy zz A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z AA Terniones oẽs pter AA duernionem.

VENETIIS IN OFFICINA LVCÆANTONII IVNTÆ FLORENTINI. ANNO DOMINI. M.D.XXXV. MENSE IVNIO.



SEX EPISTOLÆ AD BRVTVM NVNC PRIMVM A' GERMANIS INVENTAE

Quæ num M. Tullij Ciceronis sint legentium Iudicio, videndum relinquitur.

SEX HAS EPISTOLAS, VT A' GERMANIS ACCEPImus, ita damus, Quãuis enim in nullo veteri exemplari inuenerimus, tamen nec Germanorum fidem, improbare (qui se in vetusto codice eas reperisse testati sunt) nec nostrum vllam in partem iudicium interponere voluimus.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD BRVTVM LIBER

CICERO BRVTO SAL.



Vum hęc scribebam, res existimabatur in extremum adducta discrimẽ: tristes enim de Bruto nostro literę, nuncijq́; adferebantur. Me quidem non maxime conturbabant: his enim exercitibus, ducibusq́; quos habemus, nullo modo poteram diffidere. Neq; assentiebar maiori parti hominũ: fidem enim Consulum non condẽnabam, quę suspecta vehementer erat. Desiderabam nõnullis in rebus prudentiam, & celeritatem, qua si essent vsi, iampridem rem recuperassemus: Nõ enĩ ignoras, quãta momenta sint in rep. temporũ, & quid intersit, idem illud vtrũ ante, an post decernatur, suscipiatur, agatur. Omnia, quæ seuere decreta sunt hoc tumultu, si aut quo die dixi sententiã, perfecta essent, et nõ in diem ex die dilata, aut quo ex tẽpore suscepta sunt, vt agerentur, non tardata & procrastinata, bellũ iam nullum haberemus. Omnia Brute prę stiti reipu. quę prętare debuit is, qui esset eo, quo ego sum gradu senatus populiq́; iudicio conlocatus: Nec illa modo, quę nimirũ sola ab homine sunt postulãda, fidem, vigilantiam, patrię charitatẽ: ea sunt enim, quę nemo est, qui nõ prętare debeat: Ego aũt ei, qui sententiam dicat in principibus de rep. puto etiã prudentiam esse prętandam: Nec me, quũ mihi tantũ sumpserim vt gubernacula reipu. prenderẽ, minus putarim reprehendendũ, si inutiliter aliquid senatui suaserim, quã si infideliter. Acta quę sint, quęq́; agantur scio perscribi ad te diligenter: Ex me autẽ illud est, quod te velim habere cognitum, meũ quidem animũ in aciem esse, neq; respectũ vllum quęrere, nisi me vtilitas ciuitatis forte conuerterit. Maiores autem partes animi te, Cassiumq́; respiciũt. Quãobrem ita te para Brute, vt intelligas, aut, si hoc tempore bene res gesta sit, tibi meliorem rempu. esse faciendam: aut, siquid offensum sit, per te esse eandem recuperandam.

CICERO BRVTO SAL.



Lanci animũ in remp. egregium, legiones, auxilia, copias ex literis eius, quarũ exemplũ tibi missum arbitror, perspicere potuisti. Lepidi tui necessarij (qui secundũ fratrem affines habet, quos oderit proximos) leuitatẽ & inconstantiã, animũq́; semper inimicũ reipu. iam credo tibi ex tuorum literis esse perspectũ, nos expectatio sollicitat, quę est omnis iam in extremũ adducta discrimẽ: Est enim spes omnis in Bruto expedienda, de quo vehementer timebamus. Ego hic cũ homine furioso satis habeo negotij Seruilio, quem tuli diutius, quiã dignitas mea patiebatur: sed tuli reipu. causa, ne darem perditis ciuibus hominẽ parum sanum illum quidem, sed tamen nobilem, quo concurrerent, quod faciũt nihilominus, sed eum alienãdum à rep. non putabam. Fidem feci eius ferendi, cœperat enim esse tanta insolentia, vt neminem liberũ duceret: In Planci vero causa exarsit incredibili dolore, mecumq́; per biduũ ita cõtendit, & à me ita fractus est, vt eum in perpetuũ modestiorem sperem fore, Atq; in hac contentione ipsa, quũ maxime res ageretur ad v. Idi. Apr. literę mihi in senatu reditę sunt à Lentulo nostro, de Cassio, de legionibus, de syria, quas statim cum recitauissem, cecidit seruilius, complures pręterea: sunt enim insignes aliquot, qui improbissime sentiunt: sed acerbissime tulit Seruilius, assensum esse mihi de Planco. Magnum illud mõstrum in rep. est * sed quo nos amisisse, quem sic vexari à Dolabella audio, vt iam nõ videatur crudelissimũ eius facinus in terfectio Trebonij. Vetus Antistius me tamen pecunia subleuauit, Cicero filius tuus sic mihi se probat, industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni deniq; officio, vt prorsus nunquã dimittere videatur cogitationem, cuius sit filius. Quare quoniã efficere nõ possum, vt pluris facias eum, qui tibi est carissimus, illud tribue iudicio meo, vt tibi persuadeas

non fore illi abutẽdum gloria tua, vt adipiscatur honores paternos. Kalen. Apr. Charachio.

CICERO BRVTO


Atis mane ad. VI. Id. Apr. Scaptio literis, eodem die tuas accepi Kal. Apr. Dyrrachio datas vespi: itaq; mane Prid. Id. Apr. cũ à Scaptio certior factus essem, nõ esse eos profectos, quibus pridie dederã, & statim ire, hoc paululum exaraui ipsa in turba matutinę salutationis. De Cassio lætor, & reipu. gratulor: mihi etiã, qui repugnante & irascente Pansa sententiam dixerim, vt Dolabellã bello Cassius persequeretur: Et quidem audacter dicebam, sine nostro. S. C. iam illud eum bellum gerere. De te etiam dixi tum, quę dicenda putaui: Hęc ad te oratio perferetur, quoniã te video delectari Philippicis nostris. Quod me de Antonio cõsulis, quoad Bruti exitum cognorimus, custodiendũ puto. Ex his literis, quas mihi misisti, Dolabella Asiam vexare videtur, & in ea se gerere teterrime: Compluribus autem scripsisti Dolabellam à Rhodijs esse exclusum, qui si ad Rhodum accessit, videtur mihi Asiam reliquisse. Id si ita est, istic tibi censeo commorandum, sin eam semel cępit, mihi crede, non erit. Id. Apr.

BRVTVS CICERONI SAL.


Iteras tuas valde expecto, quas scripsisti post nuncios nostrarum rerum & de morte Trebonij: non enim dubito, quin mihi consilium tuũ explices. Indigno scelere, & ciuem optimũ amisimus, & prouincię possessione pulsi sumus, quã recuperari facile est. Neq; minus turpe, aut flagitiosum erit, potest recuperari. Antonius adhuc est nobiscũ: sed medius fidius & moueor hominis precibus, & timeo, ne illũ aliquorum furor excipiat: planè ęstuo. Quod si scirem, quid tibi placeret, sine sollicitudine essem: id enim optimum esse persuasum esset mihi. Quare quãprimum fac me certiorẽ, quid tibi placeat. Cassius noster Syriam, legiones Syriacas habet, vltro quidẽ à Murco, & à Martio & ab exercitu ipso accersitus. Ego scripsi ad Tertiam sororẽ, & matrem, ne prius ederent hoc, quod optime ac felicissime gessit Cassius, quã tuum cõsilium cognouissent, tibiq; uisum esset. Legi orationes duas tuas, quarũ altera Kal. Ian. vsus es, altera de literis meis quę habita est abs te cõtra Calenum. Nũc scilicet hoc expectas dum eas laudem. Nescio animi, an ingenij tui maior in his libellis laus contineatur. Iam concedo, vt vel Philippici vocentur, quod tu quadã epistola iocans scripsisti. Duabus rebus egemus Cicero, pecunia & supplemento: quarũ altera potest abs te expediri, vt aliqua pars militũ istinc mittatur nobis, vel secreto consilio aduersus Pansam, vel actione in senatu: Altera, quę magis est necessaria, neq; meo exercitui magis, q̃ reliquorum. Hoc magis doleo Asiam: * at in Asiam censeo persequendũ. Nihil mihi videris hoc tempore melius acturus.

CICERO BRVTO SAL.


Vod egere te duabus necessarijs rebus scribis, supplemẽto & pecunia, difficile consiliũ est: non enim mihi occurrũt facultates, quibus vti te posse videam, pręter illas, quas senatus decreuit, vt pecunias à ciuitatib' mutuas sumeres. De supplemento aũt non video quid fieri possit, Tantũ enim abest, vt Pansa de exercitu suo, aut delectu tibi aliquid tribuat, vt et iam moleste ferat, tam multos ad te ire voluntarios. Quomodo equidem credo, quod his rebus, quę in italia decernũtur, nullas copias nimis magnas esse arbitretur: quomodo autẽ multi suspicãtur, ne te quidẽ nimis firmum esse velit, quod ego nõ suspicor. Quod scribis te ad Tertiã sororem scripsisse, vt ne prius ederent ea, quę gesta à Cassio essent, quam mihi visum esset, video te veritum esse id quod verendum fuit, ne animi partiũ Cęsaris, quomodo etiã nunc partes appellãtur, vehementer cõmouerẽtur. Sed ante quã tuas literas accepimus, audita res erat, & puulgata: Tui etiã tabellarij ad multos familiares tuos literas attulerãt. Quare neq; supprimenda res erat, presertim cum id fieri nõ posset, neq; si posset, nõ diuulgandam potius, q̃ occultandam putaremus. De Cicerone meo, & si tantũ est in eo, quantũ scribis, tantum scilicet, quantũ debeo gaudeo, & si quod amas eum, eo maiora facis, idipsum incredibiliter gaudeo à te eũ diligi.



QVæ literę tuo nomine recitatę sunt. Id. Apr. in senatu, eodemq; tēpore Antonij, credo ad te scripsisse tuos quorū ego nemini cōcedo: Sed nihil necesse erat eadem omnes, illud necesse me ad te scribere: quid sentirem de tota cōstitutione huius belli, & quo iudicio essem, quaq; sentētia, volūtas mea Brute de summa rep. semper eadem fuit quę tua: ratio quibusdam in rebus, non enim omnibus, paulo fortasse vehementior. Scis mihi semper placuisse non rege solū, sed regno liberari remp. Tu lenius, immortali omnino cū tua laude, sed quid melius fuerit, magno dolore sensimus, magno periculo sentimus. Recenti illo tempore, tu omnia ad pacem quę oratione confici non poterant, ego omnia ad libertatem, quæ sine pace nulla est, pacem ipsam bello atq; armis effici posse arbitrabar: Studia non deerant arma poscentium, quorum repressimus impetum, ardoremq; restinximus. Itaq; res in eum locum venerat, vt nisi Cęsari Octauiano deus quidam illam mentem dedisset, in potestatem perditissimi hominis, & turpissimi, M. Antonij veniendum fuit: Quo cum vides hoc tempore ipso, quod sit, quantumq; certamen, Id profectò nullum esset, nisi tum conseruatus esset Antonius. Sed hæc omitto: res enim à te gesta memorabilis, & pœnè cœlestis repellit omnes reprehensiones, quippe quæ ne laude quidē satis idonea affici possit. Extitisti nuper vultu seuero: exercitū, copias, legiones idoneas per te breui tempore comparasti. Dij immortales qui ille nūcius, quę ille literæ, quę lætitia senatus, quæ alacritas ciuitatis erat: Nihil vnquā vidi tam omniū cōsensione laudatū. Erat expectatio reliquiarū Antonij: quem equitatu, legionibusq; magna ex parte spoliaras. Ea quoq; habuit exitum optabilem: Nam tuę literę, quæ recitatę in senatu sunt, & imperatoris, & militum virtutem et industriam tuorum, in quibus Ciceronis mei declarant. Quod si tuis placuisset de his literis referri, & nisi in tempus turbulentissimum post discessum Pansę Consulis incidissent, honos quoq; victus & debitus dijs immortalibus decret⁹ esset. Ecce tibi Id. Apr. aduolat mane celer Pilus, qui vir, dij boni, quā grauis, quā constans, quam bonarū in rep. partiū: Hic epistolas affert duas, vnā tuo nomine, alterā Antonij, dat Seruilio Trib. ple. ille Cornuto: recitantur in senatu. ANTONIVS PROCOS. magna admiratio, vt si esset recitatū, Dolabella imperator, à quo quidem venerant tabellarij: sed nemo Pili similis, qui ꝑferre literas auderet, aut magistratibus reddere. Tuę recitantur, breues illę quidem, sed in Antoniū admodum lenes: vehementer admiratus senatus: mihi autem nō erat explicatū, quid agerem, falsas dicerem, quid si tu eas approbasses: confirmarem, nō erat dignitatis tuę, itaq; ille dies silentio. Postridie autem cū sermo increbuisset, Pilusq; oculos vehementius hominū offendisset, natū omnino est principium à me. De Procos. Antonio multa: Sestius causę non defuit. Post mecū, quanto suū filium, quanto meū in periculo futurum diceret, si contra procos. arma tulissent. Nosti hominem, causę nō defuit: Dixerunt etiā alij. Labeo vero noster nec signū tuum in epistola, nec diem appositū, nec te scripsisse ad tuos, vt soleres. Hoc cogere volebat falsas literas esse, & si quęris, probabat. Nunc tuū est consilium Brute de toto genere belli. Video te lenitate delectari, & eum putare fructū esse maximū: pręclare quidem, sed alijs rebus, alijs temporibus locus esse solet, debetq; clemētię. Nūc quid agatur Brute templis deorū immortalium imminet hominū egentium & perditorū spes, nec quicquam aliud decernitur hoc bello, nisi vtrum simus, nec ne cui parcimus, aut quid agimus. His ergo consulimus, quibus victoribus vestigium nostrū nullum relinquetur. Nam quid interest inter Dolabellam, & quemuis Antoniorum triū, quorum sicui parcimus, duri fuimus in Dolabella. Hęc vt ita sentiret Senatus, populusq; Ro. & si res ipsa cogebat, tamen maxima ex parte nostro consilio atq; auctoritate perfectū est. Tu si hanc rationem nō probas, tuam sententiā defendam, non relinquam meam: Neq; dissolutum à te quicquam homines expectant, nec crudele.
Huius rei moderatio facilis est, vt in duces vehemēs sis, in milites liberalis.
Ciceronem meum mi Brute velim quamplurimum tecum habeas. Virtutis disciplinam meliorem reperiet nullam,
quam contemplationem atq; imitationem
tui. XIII. Kalendas. Mai.



Vm impreſſioni adeſſe nullo pacto poſſem, prouinciã hanc amiciſſimo & doctiſſimo homini Antonio Francino delegaui, cuius diligentiam et aſſiduam in hoc opere exercitationem omnibus cognitam, & probatam eſſe arbitror: ille aũt pręcipuã quandam mihi amoriq́ꝫ noſtro operam ſe in hoc negotio preſtiturum pollicitus eſt: ſciebat enim quã cuperem hunc librum in manus eruditorum purgatum ac nitidum venire, cuius rei & ipſe (vt eſt ingenuarum literarum amator ac ſtudioſus) non minore deſiderio teneri ſe oſtendebat: ſed quis nam poſſet humano ingenio pręditus in tam magno volumine librariorum incuria tot paſſim commiſſa peccata nõ aliquando pręterire? Viſum eſt igitur hic, quæ librum percurrens animaduerti errata adnotare, ne aut ea mihi vitio dentur, aut aliquẽ ſcrupulum non valde erudito lectori relinquãt: notaui autem quam breuiſſimè potui locos, in quibus menda inerant, quos quẽadmodum hic ſcripſi, legi volebam: Prior autẽ numerus paginam, poſterior verſum indicat.

7.26.	vi excepta
25.10.	Imperator appellatus apud Iſſum
29.31.	de drachmis ccc1ↄↄↄ.
31.31.	quod iuuet.
39.30.	cognoſſe te
40.46.	habiturum eſſe
42.23.	merita valent
48.16.	ἐπερωτηθεὶς
49.21.	confieri debet
52.27.	tenet rempublicam
68.28.	ſin autem ſicut hic.
71.18.	tuli iandiu
77.5.	vt qui ad te
78.41.	pluſquam ceteros
84.16.	totum me pateſeci
88.20.	de Hiſpanijs
90. 1.	eram planè
99.36.	quam fructuoſiſſimus
100.17.	Topica Ariſtotelea
106.42.	ſunt ibi.S.C.
112. 9.	L.F.A.N.Capito:
112.22.	L.F.A.N.Capito:
121.24.	hoc etiam Καὶ
121.44.	Oſtię videri
127.15.	* perſpectum eſſe gaudeo
127.22.	ſed ſalſiores
132.41.	cur non ſuo potius?
145.46.	ſi poſſem mea pręſentia
153.10.	& ſi dexterius
156. 7.	quas Narbone
160. 4.	ad inalpinos cum exercitu
160. 8.	omnium bellicoſiſſimis bellum
165.17.	facile à te impetraturum
172.41.	adhuc vlta ſuas iniurias
173.46.	ſed ne mihi quidem ipſi
183.15.	me ſcito
206.28.	Q. ANCHARIO.
212.28.	quod eius cauſam
234.21.	quam ſi tibi
244.21.	Id ſcripſi ad Vmmium
251.41.	etiam de Ventidio
253.34.	dolorem tum
259.18.	acerbiorem ſe in me
269.11.	certè ijs eam
276.41.	tu ne id
276.44.	miſerè perdidi
276.46.	ne quid eripuerit
277. 2.	immo verò me à te
280.42.	cautionis adhibebitur
280.46.	pręclarè ſatisfecimus
283. 8.	puer optimus Q. tuus
285.10.	ſunt hęc acta
291.21.	quoq; mihi velim
295.44.	vt videatur reliquis
297.43.	Chryſippo dicam
299.24.	qua ante rumpebar
299.46.	ad meum commodũ attineat
303.34.	Illã manũ tu mihi cura vt pſtes (quoniã propius abes) Põpeij
312. 1.	à conſulari rogatione
312.36.	nemo arbitrabatur
320.31.	οἱ μὲν περὶ αὐτὸν ὄντες
323.14.	mercede conductos habebimus
326.38.	Piſaurenſis nebuloni
329. 3.	ex Antio in Appiam
342.44.	quoad aliquid ad me
347.31.	ſpem nobis nonnullam
348.26.	atq; hoc in illis
348.30.	ad.111.Non.Nouembr.
361.15.	ne iniuſſu populi
362.37.	ſed niſi fallor
368.39.	& ſi hęc ipſa fero
374. 7.	dum Arimino
382.16.	niſi illud in quo
388.21.	Latrocinia, mihi difficilis
395.44.	ciuires ad reſiſtendum
396. 2.	Cn.Pompeio aſſentior
401.41.	ergo idem ſi
412.19.	K.Martijs reſtitit
414. 7.	ῥαθυμεῖν δοῦναι
437. 7.	SED CERTE MINVS
440.12.	εὐάγκαλος: Illa ἀλίμονα
444.35.	illis illis decẽbribus: cũ ego Sexte quidnã ergo μὴ μοὶ

445.18. hęc eſt ἄλη
454. 1. nihil nō flexibile ad bonitatem
470.11. ſe cōmoturam.
473.30. τί γὰρ αὐτῷ μέλει
482.23. eamq; ei ſolui
487.32. preſertim aduerſario
488.19. Quirini malo
488.34. concedam,ceteris rebus
491.37. leges negligerentur
492. 9. tamen ad Q. Multa
503.23. non patiar inquit
514.28. adiuuante me ſcilicet
519.37. πεντέλοιπον
521.35. tuis literis & alijs ſordide
525.12. Gręceijsq; noſtris
527.38. ageret ut tuam
532.27. legationem probari meam
541.46. III.id.ex Arpinati



SI qua autem alia huiuſcemodi errata reperies,tu ipſe humaniſſime lector facilè corriges: Quamuis autē omni feſtinatione in hoc munere vſus ſim, animaduerti tamen ſic locum illum legi debere 284.40. Itaque hominem populus reuocat,& retrahatur neceſſe eſt,nō enim ferunt homines. Nam nimis frigidus, vel nullus potius ex communi lectione meo iudicio ſenſus elicitur: & eiſdem ferè verbis in ſimili re alibi Cicero vſus eſt,vt 333. Sed vereor ne non liceat, non ferunt homines quod videtur tamen eſſe ferendum. Nec non illum quoq;, vt hic ſcriptus eſt 358.26. Sed mehercule velim res iſtas,& pręſentem ſtatum reipu.& quo animo Coss. ferant hūc σκυλμὸν,reſcribas ad me,&c. Qui cū rectè etiā in meliore illo exēplari legatur, miror quomodo me tūc pręterierit.


L A







